Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
19 C
12

m m

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIARIUM VNIVERSÆ THEOLOGIÆ.

EMINENTISS., ET REVERENDISS.
PRINCIPI, AC DOMINO
D. BENEDICTO
S·R·E· CARDINALI
PAMPHILIO
INNOCENTII X. Pontificis Maximi Pronepoti, & Bononiæ, ſuiquè Comitatus à Latere Legato
DICATVM.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA



BONONIÆ. M.DC.XCII.

Digitized by Google

Digitized by Google

BREVIARIVM
VNIVERSÆ THEOLOGIÆ,
NEMPE SPECVLATIVÆ, DOGMATICÆ, AC MORALIS
IN QVATVOR PARTES DISTRIBVTVM

Iuxta principia Scholæ Scotiſtarum

In commune Sacræ Theologiæ Studentium, præſertim noſtræ Seraphicæ Religionis, commodum, atque vtilitatem elaboratum

A F. ANTONIO GAVELLO
A CANDELARIA PISAVRENSI

Ordinis Min. Strict. Obſer. Prou. Marchiæ S. Thologiæ Profeſſore; olim iteratò Diffinitore, ac Commiſſario Prouinciali; nec non Foriſempronij Examinatore Synodali, & S. Officij Conſultore

In quibus breui, ſed perſpicua, & fundamentali methodo proceditur

Non omiſſis Controuerſijs, quæ in Scholis agitari ſolent.

PRODIT PARS TERTIA.

Bononiæ, Apud Petri-mariæ de Montibus. 1692.

Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

Digitized by Google

FR. CAROLVS FRANCISCVS DE VARESIO

Ordinis Minorum Strictioris obſeruantiæ S. P. N. Franciſci Lector emeritus Supremæ, & vniuerſalis Inquiſitionis Qualificator, ac Ciſmontanæ Familiæ, tam Obſeruantium, quàm Reformatorum Commiſſarius Generalis, & Seruus. Dilecto nobis in Chriſto Patri Fratri Antonio à Candelaria Lectori Theologo noſtræ Reformatæ Prouinciæ Marchiæ. Salutem in Domino ſempiternam.

Cum iuxtà Apoſtolicas, noſtrique Ordinis Conſtitutiones reuiſum, & approbatum fuerit volumen quoddam à Te nuper editum, cuius titulus eſt *Breuiarium vniuerſæ Theologiæ, nempè Speculatiuæ, Dogmaticæ, & Moralis*. Tenore preſentium, ad ſalutaris obedientiæ meritum, facultatem Tibi impertimur, quatenùs, ſeruatis ſeruandis, illud Typis mandare valeas.

Dat. Romæ 15. Aprilis 1690.

Fr. Carolus Franciſcus de Vareſio Comm. Gen. Reg. Tit. Prou.

De mandato S. P. Reu.

Fr. Innocentius de Cryptis ad Mare Sec. Gen.

De mandato Reuerendiſs. Patris Caroli Franciſci à Vareſio Comm. Gen. in Familia Ciſmontana Min. Obſ. & Ref. ego Infraſcriptus perlegi Tertiam Partem Operis Theologici, cui titulus eſt. Breuiarium Vniuerſæ Theologiæ nempè Speculatiuæ, Dogmaticæ, & Moralis in quatuor partes &c. à P. Antonio de Candelaria Sac. Theologiæ Profeſſore Eximio; nihilque reperi, quod Theologus, Scotiſta præcipuè, non valeat inoffenſo pede, decurrere. Opus mihi viſum fuit tituli apparatu digniſſimum, Religioni, nedum in ſplendorem, ſed in præoptatam omnium æquè in Scoti Lyceis docentium, ac diſcentium votis vtilitatem ceſſurum. Ita ſentio

Bononiæ die 12. Ianuarij 1691.

Ego Fr. Bonauentura à Venetijs Lect. Gen. in Conu. S. Pauli propè Bononiam.

Digitized by Google

Tertiam hanc partem Breuiarij Theologici, Auctore R. P. Antonio de Candelaria Concionatore Lectore Theologo Prouinciæ Reformatæ Picinenſis; de mandato P. Reuerendiſs Comiſſarij Generalis, ea, quà potui diligentia animaduerti totum tutum, omne conſonum nihilque auerſum Doctrinæ ſubtiliſſimi noſtri Doctoris haud inueni, in Studioſorum, ergo vtilitatem, & commoditatem gaudere luce poſſe quin, & debere firma lance, adiudico.

Ego Frater Ioannes Franciſcus à Medicina Definitor, & Lector Sacræ Theologiæ In Conuentu S. Pauli Reformatorum Bononiæ hac die 10. Februarij 1691.

Vidit D. Antonius Baruchi Cler. Reg. S. Pauli, & in Eccl. Metrop. Bonon. Pęnitent. pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Iacobo Boncompagno Archiepiſc. Bononiæ, & Principe &c.

---

28. *Maij* 1691.

A. R. P. F. Alexander à S. Franciſco Carmelita excalcetus Sac. Theol. Lector &c. Videat pro S. Offic. Tertiam partem Breuiarij vniuerſæ Theologiæ Speculatiuæ, Dogmaticæ, & Moralis P. Antonij à Candelaria Ord. Min. ſtrict. Obſeruantiæ &c. 560. Folij contentum, & referat, an Typis poſſit permitti &c.

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquiſitor Bononiæ.

IESVS

Digitized by Google

IESVS MARIA.

Ego infraſcriptus ex commiſſione Reuerendiſſimi Patris Magiſtri Pauli Hieronymi Giacconi de Garexio Inquiſitoris Generalis Bononiæ vidi opus, cui titulus Pars tertia Breuiarij Vniuerſæ Theologiæ, Dogmaticæ, Moralis, & Speculatiuæ ab admodum R. P. Fr. Antonio Gauello à Candelaria Ordinis Minorum ſtrictioris Obſeruantiæ compoſitum, & nihil in eo ſanæ Fidei, Decretis Pontificium, aut bonis moribus aduerſum deprǽhendi, quin potius ſumma voluptate, æquali exiſtimatione claritatem breuitati attemperatam demiratus ad commune bonum, Studioſorumque vtilitatem luce dignum cenſeo, ac genuinum Subtiliſſimi Doctoris partum diudico, ita etenim è Theologicis, atque ſælectis ſemper vernantis Seraphici Horti Floribus meliorat ſuccos fortunato purgatæ mentis in alueario Auctor ipſe delibando congeſſit, vt veluti induſtrioſam apem dulciſſimum efformaſſe Mellificium pro ſuaui ſtudentium nutrimento, ac oblectamento non dubitem, quapropter vt excudatur collaudo, & deprecor.

Dat. in Conuentu noſtro S. Mariæ Lacrymoſæ Bononiæ die 6. Auguſti 1691.

Fr. Alexander à S. Franciſco Carmelita Excalceatus Sacræ Theologiæ Lector.

Stante ſuprapoſita atteſtatione

Imprimatur

Fr. Paulus Hieronymus Giacconus Inquiſitor Bononię.

INDEX

Tractatuum, Diſputationum, Quæſtionum, & dubiorum, quæ in hac tertia parte continentur.

TRACTATVS PRIMVS.

De virtutibus in communi.

DISPVTATIO I.

De Natura virtutis.

QVæſtio I. Quid ſit virtus. pag. 2
Quæſtio II. Vtrum omnis virtus conſiſtat in medio. 5
Quæſtio III. Vtrum virtutes theologicæ conſiſtant in medio. 9
Quæſtio IV. Vtrum habitus virtutis ſit intrinſecè, & eſſentialiter bonus adeout vitiari nequeat. 11
Quæres. An idem habitus virtutis intellectualis &c. 14

DISPVTATIO II.

De virtutum ſubiecto, connexione, diſtinctione &c.

Quæſtio I. Vtrum virtutes morales ſint in voluntate, vel in appetitu ſenſitiuo tamquam in ſubiecto. 14
Quæſtio II. Vtrum virtutes morales ſint inter ſe connexæ. 19
Quæres 1. An virtutes morales ſint neceſſariò connexæ cum virtutibus Theologicis. 25
Quæres 2. An virtutes morales ſint neceſſariò connexæ cum prudentia, & prudentia cum ipſis. ibid.
Quæſtio III. Vtrum dentur aliquæ virtutes morales per ſe infuſæ. 26
Quæſtio IV. Vtrum virtutes Euangelicæ, Beatitudines, do-

dona, & fructus Spirit. S. & etiam gratiæ gratis datæ ſint virtutes diſtinctæ à virtutibus moralibus, & theologicis. 29
Quæres. An virtutes morales acquiſitæ maneant in homine poſt hanc vitam. 35
Quæſtio V. Vtrum Deus de potentia abſoluta poſſit infundere aliquod vitium, ſeu habitum vitioſum in hominis voluntatem. ibid.
Quæres 1. Quomodo vitium diuidatur. 37
Quæres 2. An vitia perſeuerent in homine poſt hanc vitam. 38

TRACTATVS SECVNDVS.

De virtutibus theologicis.

DISPVTATIO I.

De Fide diuina ſecundùm ſe.

Quæſtio I. Quid ſit Fides diuina. 39
Quæſtio II. Quodnam ſit obiectum materiale fidei diuinæ. pag. 43
Quæſtio III. Quodnam ſit obiectum formale fidei diuinæ. pag. 47
Quæſtio IV. Quomodò reuelatio D. pertineat ad obiectum formale fidei. 51
Quæres 1. An reuelatio priuata à Deo facta ſit ſufficiens ad fundandum actum fidei D. 54
Quæres 2. An reuelatio virtualis ſit ſufficiens ad fundandum actum fidei D. ibid.
Quæſtio V. Vtrum Deus poſſit per ſe, vel per alium mentiri. 55
Quæres. Vtrum Deus vti poſſit locutione amphibologica. 59
Quæſtio VI. Vtrum obiectum fidei debeat eſſe obſcurum. 60
Quæſtio VII. Vtrum ſimul cum obiecto fidei poſſit ſtare euidentia reuelationis. 63
Quæſtio VIII. Vtrum articuli fidei, ſeu eius myſteria ſint euidenter credibilia. 65

DIS-

DISPVTATIO II.

De Scriptura Sacra, & Traditionibus.

Quæſtio I. Vtrum S. Scrip. ſit vera Regula fidei. 68
Quæſtio II. Vtrum Traditiones admittendæ ſint pro Regula fidei. 70
Quæres. Vnde poſſimus dignoſcere veras traditiones tam diuinas, quàm Apoſtolicas. 73

DISPVTATIO III.

De Eccleſia.

Quæſtio I. Quid ſit Eccleſia militans. 74
Quæſtio II. Vtrum Eccleſia vera, & Catholica ſemper fuerit viſibilis. 78
Quæſtio III. Vtrum Eccleſia ſit vera, & infallibilis fidei regula, adeout, neq; in fide, neq; in moribus errare poſſit. 82
Quæſtio IV. Quæ ſint notæ, quibus vera Eccleſia à falſa diſcernitur. 88
Quæſtio V. Vtrum Eccleſiæ regimen ſit monarchicum. 93

DISPVTATIO IV.

De Pontifice.

Quæſtio I. Vtrum Chriſtus conſtituerit Petrum, tamquam ſupremum, & viſibile caput ſuæ Eccleſiæ. 97
Quæſtio II. Vtrum Romanus Pontifex ſit verus Succeſſor Petri. 101
Quæſtio III. Vtrum Summus Pontifex ſit Iudex vltimatus controuerſiarum fidei, & regula ſufficientiſſima. 104
Quæſtio IV. Vtrum Pontifex errare poſſit in tradendo doctrinam fidei, & morum. 108
Quæſtio V. Vtrum Summus Pontifex errare poſſit in beatificatione, & canonizatione Sanctorum. 116
Quæſtio VI. De electione Summi Pontificis, hoc eſt, ad quos ſpectat Papam eligere. 120
Quæres 1. An eligendus in Papam debeat eſſe Sacerdos, & Epiſc. 124

Quæ-

Quæres 2. An Papa electus poſſit Papatum renunciare. 124
Quæres 3. An Papa poſſit Succeſſorem eligere. 125
Quæres 4. Quid ſi electio Papæ ſimoniacè facta fuiſſet? ibid.

DISPVTATIO V.

De Sacris, ac legitimis Concilijs.

Quæſtio I. Vtrum Concilium generale errare poſſit in tradenda fidei, ac morum doctrina. 126
Quæres. An Concilia generalia ſint infallibilia ante confirmationem Pontificis, dum per ſuos Legatos interſit in Concilio. 130
Quæſtio II. Vtrum Concilium generale ſit ſupra Pontificem, vel è contra. 131
Quæſtio III. Vtrum Concilium, ſeu Pontifex, in reprobandis quibuſdam theologicis propoſitionibus errare poſſit. 135
Quæres 1. An Eccleſia in decernendo aliquam opinionem eſſe probabiliorem errare poſſit. 138
Quæres 2. An ſi Eccleſia definiat concluſionem deductam ex vna reuelata, & altera euidenti ſcientifica poſſit, & debeat credi ex fide D. ibid.
Quæres 3. Qualiter inueſtigandum ſit, & concludendum aliquid de fide declarari, ac definiri poſſe. 139
Quæres 4. Quæ ſunt Concilia generalia approbata, quæ reprobata, & quæ partim approbata, partim reprobata. pag. 141
Regulæ quædam ad facilè dignoſcendum, an aliquid ſit definitum, vel ſit de fide. 147
Quæſtio IV. De Symbolis Eccleſiæ. 151

DISPVTATIO VI.

De neceſſitate habitus, & actus fidei.

Quæſtio I. Vtrum præter fidem acquiſitam neceſſarium ſit ponere habitum fidei infuſæ. 154
Quæſtio II. Vtrum differentia inter actus naturales, & ſupernaturales ſemper proueniat ex ipſo obiecto. 157

Quæ-

Quæres 1. Vtrum in voluntate ponendus ſit habitus infuſus &c. 163
Quæres 2. Vtrum actus fidei theologicæ ſit diſcurſiuus. pag. ibid.
Quæſtio III. Vtrum actus fidei ſit liber. 164
Quæſtio IV. Quænam ſint credenda neceſſariò neceſſitate medij. 173
Quæſtio V. Quæ ſint credenda neceſſitate præcepti. 178
Quæres 1. An dari poſſit ignorantia inuincibilis myſteriorum fidei. 182
Quæres 2. In qua ætate teneantur pueri ſcire Symbolum fidei. ibid.
Quæres 3. An præceptum de credendo explicitè myſteria fidei ſit diuinum, vel humanum. 183
Quæſtio VI. Vtrum homo fidelis teneatur actum fidei elicere, & quo tempore. 184

DISPVTATIO VII.

De actu externo, ſeu confeſſione fidei.

Quæſtio I. Vtrum detur præceptum externum de confeſſione fidei. 187
Quæſtio II. Vtrum in aliquo caſu liceat interdum fidem negare. 190
Quæres 1. An quis licitè poſſit coram Iudice cum reſtrictione mentali &c. fidem negare ſecundùm externam apparentiam. 192
Quæſtio III. Vtrum licitum ſit occultare, ſeu diſſimulare fidem. 193

DISPVTATIO VIII.

De Infidelitate.

Quæſtio I. Quid ſit infidelitas. 196
Quæſtio II. Quid, & quotuplex eſt hæreſis. 198
Quæres. An dubius in fide ſit dicendus hæreticus. 201
Quæſtio III. Vtrum cum ignorantia vincibili, vel etiam affectata poſſit eſſe peccatum hæreſis. 202

Quæ-

Quæſtio IV. Vtrum licitum ſit cum Infidelibus communicare. 205
Quæres. An licitum ſit cum hæreticis de fide diſputare. 207
Quæſtio V. Quam poteſtatem habeat Eccleſia Romana in paganos, infideles &c. 207
Quæres 1. An Pagani Principibus chriſtianis ſubiecti cogi poſſint ad fidem ſuſcipiendam; vbi duo alia quæſita. 210
Quæſtio VI. Quid de lectione librorum prohibitorum, retentione &c. vbi ad rem plura quæſita. 211

DISPVTATIO IX.

De Spe Theologica.

Quæſtio I. Vtrum Spes ſit virtus theologica. 215
Quæſtio II. Quodnam ſit obiectum materiale, & formale Spei. 219
Quæſtio III. Vtrum Spes in actu ſuo habeat certitudinem pag. 224
Quæres. An Spes ex bonis operibus ortum habeat. 226
Queſtio IV. Vtrum Spes theologica excludat timorem. ibid.
Quæres. An detur aliquod preceptum de Spe, & timore. pag. 231
Quæſtio V. Vtrum qui ex reuelatione Dei nouit ſuam damnationem, poſſit ſperare beatitudinem, vel peccet deſperando. 232

DISPVTATIO X.

De Charitate.

Quæſtio I. Quodnam ſit obiectum charitatis. 235
Quæres 1. An, & quomodò charitas ſit propriè hominis amicitia erga Deum. 241
Quæres 2. An eodem omninò habitu charitatis ſupernaturalis diligamus Deum, & proximum. 243
Quæres 3. An actus charitatis viæ ſit eiuſdem rationis ſpecificæ cum actu charitatis Patriæ. 245
Quæſtio II. Vtrum ex charitate teneamur diligere Deum ſuper omnia, etiam ſuper nos ipſos. 246

Quæ-

Quæſtio III. Qualiter diligendus ſit proximus; vbi etiam de dilectione inimici. 252
Quæres 1. Quo tempore obligat præceptum affirmatiuum de diligendo Deum ſuper omnia, & etiam negatiuum; ideſt non odiendi Deum. 255
Quæres 2. An læſus in vita, filijs, parentibus teneatur pacem facere externam, quando inimicus humiliter veniam petit. 256
Quæres 3. Quæ ſigna, ſeu beneficia oſtendere, & exhibere tenemur inimico. 257
Quæres 4. An ſit magis meritorium diligere Inimicum, quàm Amicum. 258
Quæres 5. An in charitate ſit ordo diligendorum. ibid.
Quæres 6. An teneamur magis diligere Parentes, quàm filios, magis Matrem, quam Patrem, magis coniugem, quàm Parentes. 260
Quæſtio IV. Vtrum virtutes theologicę remaneant in Patria. 261
Quæres 1. Quomodo charitas ſit forma virtutum. 265
Quæres 2. Quinam ſunt effectus charitatis interni, & etiam externi. ibid.

DISPVTATIO XI.

De Eleemoſyna, & correctione.

Quæſtio I. Vtrum extet præceptum de faciendo eleemoſyna, & quando obliget. 264
Quæres 1. An quæcumque perſona teneatur ſub pœna peccati mortalis, etiam aliquo detrimento ſuæ perſonæ honoris &c. ſuccurrere alteri &c. 267
Quæres 2. An extremè indigenti debeatur eleemoſyna ex iuſtitia. ibid.
Quæres 3. Quæ perſonæ facere poſſint eleemoſynas, & de quibus bonis. 268
Quæres 4 An qui petunt eleemoſynam cum titulo paupertatis fictæ teneantur illam reſtituere. ibid.
Quæſtio II. Vtrum præceptum faciendi correptionem obliget omnes quoad omnes. 269

Quæ-

Quæres. An ſubditus teneatur Superiorem fraternè corrigere. 272
Quæſtio III. Vtrum omnia peccata, non ſolum mortalia, ſed etiam venialia ſint corrigenda. ibid.
Quæſtio IV. Vtrum ordo correctionis à Chriſto præſcriptus cadat ſub præcepto. 274
Quæſtio V. De Vitijs oppoſitis charitati. 277
Quæſtio VI. Vtrum bellum ſit licitum. 279
Quæres 1. An bellum ex vtraque parte poſſit eſſe iuſtum, & licitum. 281
Quæres 2. Quinam occidi poſſint in bello. 282
Quæres 3. Quibus licitum ſit in bello militare. 283
Quæres 4. An iuſtè bellantibus licitum ſit inſidijs vti. ibid.
Quæſtio VII. Vtrum duellum ſit licitum. 284
Quæſtio VIII. Vtrum ſcandalum ſit peccatum. 286
Quæſtio IX. Vtrum licitum ſit petere, vel conſulere quod alter non eſt facturus abſque peccato 288
Quæres. An ſemper ſit peccatum mortale cooperari materialiter alterius peccato mortali. 289

TRACTATVS TERTIVS.

De Iuſtitia, & Iure.

DISPVTATIO I.

De principijs generalibus Iuſtitiæ, & Iuris.

Quæſtio I. Quodnam ſit obiectum Iuſtitiæ. 291
Quæſtio II. Quænam ſint partes Iuſtitiæ. 293
Quæres. Quid ſit ius in re, & ius ad rem. 298
Quæſtio III. Vtrum Iuſtitia legalis habeat veram, & propriam rationem iuſtitiæ. 299
Quæſtio IV Inter quos intercedat iuſtitia propriè, ſeu rigorosè dicta. 301
Quæſtio V. De varijs ſpeciebus Iuris. 304
Articulus I. Quid ſit dominium, & quotuplex. ibid.
Quæres. Quæ requirantur ad acquiſitionem dominij alicuius rei. 305

Arti-

Articulus II. Quid ſit vſusfructus, & quomodo acquiratur, & amittatur. 306
Articulus III. Quid ſit vſus, & habitatio. 309
Articulus IV. Vtrum vſus diſtinguatur à dominio in rebus, quæ ipſo vſu conſumuntur. 310
Quæres. Quid, & quotuplex ſit ſeruitus. 313
Articulus V. Quibus competat dominium. 314
Quæres. An homo habeat dominium ſuarum actionum liberalium. 318
Articulus VI. Vtrum homo habeat dominium famæ, & honoris. ibid.
Articulus VII. Quo Iure rerum dominia fuerint diſtincta pag. 320
Articulus VIII. Quale dominium habeant filij familias, Serui, & Vxores. 323
Articulus IX. Quale dominium competat Infidelibus in homines catholicos, & an poſſint eo priuari. 327
Articulus X. Quale dominium habeant Religioſi. 329
Articulus XI Quale dominium habeant Clerici. 330
Quæres. An Pontifex habeat dominium temporale totius Orbis. 334
Quæſtio VI. De varijs modis acquirendi dominium. 335
Articulus I. Quomodo acquiratur dominium in homines, & animalia. ibid.
Quæres 1. An vnicuique licitum ſit tenere columbas. 337
Quæres 2. Quid cenſendum ſit de fera, ſeu piſcibus laqueo, vel reti tuo captis. 338
Articulus II. Qualiter dominium acquiratur per venationem, ſeu piſcationem. ibid.
Articulus III. Qualiter acquiratur dominium rerum inuentarum. 340
Quæſtio VII. De Poſſeſſione. 343
Quæres. Quibus modis amittitur rerum mobilium poſſeſſio. 345
Quæſtio VIII. de præſcriptione, & vſucapione. ibid.
Quæres 1. Quæ res non poſſunt præſcribi. 352
Quæres 2. An detur remedium contra præſcriptionem, & quibus datur. 353
Quæres 3. Quid dicendum ſit de præſcriptione temporis immemorabilis. ibid.

Quæ-

Quæſtio IX. Quid ſit iniuſtitia, & quis eam pati poſſit pag. 354

DISPVTATIO II.

De Contractibus in genere.

Quæſtio I. Quid ſit contractus. 357
Quæres 1. Quotuplex eſt contractus. 359
Quæres 2. Quæ conditiones ad contractus valorem exiguntur. 361
Quæſtio II. Vtrum omnis contractus pariat obligationem in foro interno, & externo. 363
Quæſtio III. Vtrum contractus errore, vel dolo celebratus ſit validus. 366
Quæſtio IV. Vtrum contractus, cui metus iniuſtè incuſſus cauſam dedit, ſit validus. 368
Quæſtio V. Vtrum contractus, vel quaſi contractus celebratus ſine ſolennitatibus, & forma iuris, ſit validus. pag. 370
Quæſtio VI. Qualiter conditiones ſe habeant ad contractus. 372
Quæres 1. Quinam poſſint contrahere. 374
Quæres 2. Quibus detur reſtitutio in integrum. 375
Quæres 3. Quot modis firmetur contractus. 376

DISPVTATIO III.

De promiſſione, & donatione.

Quæſtio I. Vtrum promiſſio externa explicitè acceptata à promiſſario obliget in conſcientia. ibid.
Quæres 1. Quanti momenti debeat eſſe res promiſſa. 380
Quæres 2. An promiſſio externa ante acceptationem obliget. ibid.
Quæres 3. Quas ob cauſas ceſſare poteſt obligatio promiſſionis. 381
Quæſtio II. Quid ſit donatio, & quando fiat validè, vel inualidè. 382
Quæres 1. An donatio facta alicui Clerico loco tituli Patrimo-

trimo-

trimonij cum obligatione ex pacto, vt ſtatim ſuſceptis ordinibus reſtituat donatori bona donata, ſit valida tàm in foro conſcientiæ, quàm ciuili. 386
Quæres 2. An donationes in filios ſint validæ. 387
Quæres 3. An quis poſſit donare omnia ſua bona alteri. ibid.
Quæſtio III. Vtrum vxor pro ſuo libito donare poſſit, & quantum donare poſſit. 388
Quæres 1. An donatio conditionalis valeat ante conditionem impletam. 391
Quæres 2. An modus annullet, vel ſuſpendat donationem. ibid.
Quæres 3. Quæ donatio cauſalis eſt inualida. 392
Quæſtio IV. Quibus caſibus donatio inter viuos, & etiam cauſa mortis facta, reuocari poſſit. ibid.
Quæres. An donatio iam facta reuocetur ſi naſcantur filij naturales, vel ſpurij. 394

DISPVTATIO IV.

De Teſtamentis.

Quæſtio I. Vtrum Teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus iuris ſit validum. 395
Quæres 1. Quid ſit Codicillus, & Legatum. 399
Quæres 2. Quid ſit fideicommiſſum. ibid.
Quæſtio II. Quinam poſſint teſtari, & qui poſſint hæredes inſtitui. 400
Quæres. Quot modis poſſit quis ſubſtitui hæres. 402
Quæſtio III. Vtrum Pater poſſit exhæredare filios. 403
Quæres 1. Ad quid tenetur hæres. 405
Quæres 2. An Parentes poſſint plus vni filio, quàm alteri relinquere. 406
Quæres 3. Qualiter relicta incerta executioni ſint mandanda. ibid.
Quæres 4. An legata ad determinatas pias cauſas, poſſint ab executore, vel Epiſcopo commutari in alium pium vſum. 407
Quæres 5. Titius facit legatum Eccleſiæ cum conditione ſi ibi ſepeliatur: quid ſi moriatur excommunicatus. 408

Quæ-

Quæres 6. Caius deputatus executor legati pro puellis maritandis: quid ſi tradat dotem ex legato aſſignatam, puellæ à ſe corruptæ, vbi etiam alia quæſita. ibid.

DISPVTATIO V.

De Mutuo, & Vſura.

Quæſtio I. Vtrum vſura ſit peccatum, & quo iure ſit prohibita. 410
Quæſtio II. Quibus titulis liceat mutuanti aliquid vltra ſortem accipere à mutuatario. 414
Quæres 1. An pecunia locari poſsit, & per talem locationem aliquod lucrum accipi. 420
Quæres 2. An ſit vſura fructus pignoris pro mutuo dati vltra ſortem accipere. ibid.
Quæres 3. An vidua anno ſuæ viduitatis poſsit accipere fructus pignoris, dum ſoluitur dos. 421
Quæres 4. An liceat in mutuo apponere pœnam ſoluendam à Mutuatario, niſi tempore prefixo ſoluerit: Vbi etiam aliud quæſitum curioſum. ibid.
Quæſtio III. Vtrum ob carentiam pecuniæ liceat in Mutuo aliquid vltra ſortem accipere. 423
Quæſtio IV. Vtrum liceat in Mutuo vltra ſortem aliquid exigere tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum. 424
Quæſtio V. Vtrum Mutuans poſſit abſque labe vſuræ obligare mutuatarium, vt ſibi aliquid remutuet. 427
Quæſtio VI. Vtrum mutuans poſſit abſque vſura obligare mutuatarium ad facienda ea, quæ aliàs eſſet facturus, immò & ea, quæ in conſcientia tenetur facere. 429
Quæres. An mutuans poſſit obligare mutuatarium hac conditione, quòd det aliquid pauperibus, vel parentibus eiuſdem mutuantis indigentibus. 430
Quæſtio VII. Vtrum in mutuatione attendenda ſit quantitas phyſica materiæ, ſeu quantitas materialis rei, vel potiùs quantitas formalis, ſeu moralis. 431
Quæſtio VIII. Vtrum liceat pecuniam mutuò petere ſub vſura, ſeu ab vſurario. 433

Quæres 1. An mutuatarius teneatur vſurario vſuras promiſſas ſoluere, & quid ſi talem promiſſionem iuramento firmauerit. 434
Quæres 2. An in contractu moatras interueniat mutuum virtuale, & conſequenter ſit vſurarius. 435
Quæres 3. An abſque peccato vſuræ poſſit dari triticum vetus, vt reddatur nouum. 436
Quæſtio IX. Vtrum dominium vſurarum transferatur in vſurarium. ibid.
Quæres. An vſurarius teneatur reſtituere non ſolùm rem per vſuram acceptam, ſed etiam quod mediante illa acquiſiuit. 439
Quæſtio X. Vtrum vſurarius mentalis teneatur reſtituere id, quod vltra ſortem accepit a mutuatario. 440
Quæres 1. An præter vſurarium etiam aliqui alij teneantur ad reſtitutionem. 441
Quæres 2. Quibus pœnis puniantur vſurarij. 442
Quæſtio XI. Vtrum montes pietatis immunes ſint ab vſura. ibid.
Quæres. An perſona priuata poſſint ad inſtar montis pietatis dare mutuum ſub onere recipiendi aliquid vltra ſortem. 444

DISPVTATIO VI.

De Negotiatione ſeu Mercatura, Venditione, Emptione, Societate, Cambijs, & Monopolijs.

Quæſtio I. Vtrum negotiatio, ſeu mercatura ſit licita. ibid.
Quæres. In quo conſiſtat negotiationis iuſtitia. 447
Quæſtio II. Quodnam in emptione, & venditione, ſeu negotiatione rerum venalium ſit pretium iuſtum. 448
Quæſtio III. Quibus de cauſis pretium naturale, ſeu vulgare poſſit augeri, vel diminui abſque iniuſtitia. 451
Quæſtio IV. Vtrum emptio, vel venditio cum pacto retrouendendi ſit licita. 454
Quæres 1. An poſſint emi debita, ſeu Chirographa minus quàm valeant. 456
Quæres 2. An famulus, ſeu qui rem nomine alterius deſignato pretio vendendam, & emendam ſuſcipit, poſſit in-

cre-

crementum, aut decrementum eiuſdem ſibi retinere. 457
Quæres 3. An qui ſcit rem breui minùs valituram poſſit vendere licitè pretio currenti, maximè ſi id ſecreto nouit. 458
Quæres 4. Cui res empta pereat. 459
Quæſtio V. Vtrum vendens teneatur manifeſtare vitium rei ei, qui illam emere intendit. ibid.
Quæſtio VI. Vtrum monopolia ſint licita. 462
Quæſtio VII. Vtrum contractus Societatis, ſit licitus, & iuſtus. 465
Quæſtio VIII. Vtrum licita ſit, & iuſta Societas animalium. 469
Quæſtio IX. Vtrum quis in Societatem negotiatorum conuenire poſſit, data pecunia, cum Socio, vt capitale, & lucrum illius ſit ſaluum. 473
Quæres. Quid de contractu Societatis Romanæ; vulgò dicto à compagnia d'offitio. 475
Quæſtio X. Vtrum in permutationibus, & cambijs poſſit recipi aliquid ſupra ſortem abſque vſura. 477
Quæres. Quæ iniuſtitiæ in cambijs interueniant. 479

DISPVTATIO VII.

De Cenſibus, Commodato, Locato, Emphyteuſi, & reliquis contractibus.

Quæſtio I. Vtrum cenſus in pecunia ſit licitus. 480
Quæſtio II. De commodato, Locato, conducto, ac depoſito. 484
Quæſtio III. De Emphyteuſi, & feudo, de aſſecuratione, & fideiuſſione, de pignore, & hypotheca. 487
Quæſtio IV. Vtrum ludus ſit licitus. 490
Quæres 1. An qui ludit ludis prohibitis, & aliquid eſt lucratus teneatur ad illius reſtitutionem. 493
Quæres 2. An perdens in ludo poſsit lucrantem cogere, vt in ludo perſiſtat &c. 494

DISPVTATIO VIII.

De Reſtitutione in communi.

Quæſtio I. Vtrum reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem. 495
Quæres. Vnde oriatur obligatio reſtitutionis. 497
Quæſtio II. Ex qua culpa oriatur obligatio reſtitutionis damni illati. 499
Quæſtio III. Ex qua culpa obligatur officialis, vel contrahens ad reſtitutionem damni. 501
Quæſtio IV. Quinam ad reſtitutionem teneantur. 503
Quæres. Qualiter prædicti omnes obligantur ad reſtitutionem damni &c. 507
Quæſtio V. Quid ſit reſtituendum. 508
Quæres. An accepta per ſimulationem paupertatis ſint reſtituenda. 510
Quæſtio VI. Cui, & quo tempore ſit reſtituendum. 511
Quæſtio VII. Quo ordine, & quibus expenſis facienda eſt reſtitutio. 514
Quæſtio VIII. Quibus de cauſis poſsit quis excuſari à reſtitutione facienda &c. 516
Quæres. An remiſsio creditoris à reſtitutione excuſet. 519

DISPVTATIO IX.

De reſtitutione in particulari, & primò de iniuria per homicidium, vel mutilationem, ac proinde quid ob talem iniuriam ſit reſtituendum.

Quæſtio I. Vtrum liceat ſe, vel alium occidere. 520
Quæſtio II. Vtrum liceat interficere inuaſorem iniuſtum. pag. 523
Quæres 1. An quis teneatur ad ſui defenſionem, cum occiſione inuaſoris iniuſti. 528
Quæres 2. An licitum ſit mulieri occidere inuaſorem ſuæ caſtitatis. ibid.
Quæres 3. An liceat priuata auctoritate Tyrannum occidere. ibid.
Quæres 4. An liceat Reipublicæ innocentem occidere in caſu quo &c. 529

Quæ-

Quæres 5. Ad quid tenetur homicida, qui alium occidit, & alteri imputatur. ibid.
Quæſtio III. Vtrum liceat matri grauidæ ad ſaluandam vitam ſuam procurare fœtus abortum. 530
Quæres 1. An licitum ſit filio gaudere de parricidio &c. pag. 532
Quæres 2. An iuſtè poſsit à publica auctoritate occidi homo pro ſimplici, & ſolo furto. ibid.
Quæſtio IV. Ad quid tenetur, qui proximum læſit occiſione, vel mutilatione, & quibus facienda ſit reſtitutio. 533
Quæres. An ab onere reſtitutionis abſoluantur hæredes occiſoris, ſi ſubeat hic pœnam talionis. 537

DISPVTATIO X.

De iniurijs circa famam, & bona ſpiritualia, & conſequenter quid reſtituendum.

Quæſtio I. Vtrum murmuratio, ſeu detractio, contumelia, & ſuſſurratio ſint peccata mortalia. 537
Quæres 1. An ſit verè detractor, qui refert peccata ab alijs audita abſque alia aſſeueratione. 540
Quæres 2. An reuelare crimen occultum vni tantùm perſonæ fideli, abſque rationabili cauſa, ſit peccatum mortale. 541
Quæſtio II. Vtrum crimen publicum in vno loco liceat diffamare in alio, in quo ignoratur. ibid.
Quæres. An liceat eum, qui vno, aut altero crimine infamis eſt, de alijs infamare. 543
Quæſtio III. Vtrum liceat infamare alium ad euitandum magnum malum. ibid.
Quæres. Quale peccatum ſit audire detractorem. 544
Quæſtio IV. Vtrum ſuſpicio, & iudicium temerarium de proximo ſit peccatum mortale. 546
Quæres 1. Qui teneantur ad famæ reſtitutionem, & qualiter talis reſtitutio ſit facienda. 547
Quæres 2. Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione famæ. 549
Quæſtio V. Vtrum damnificans in bonis ſpiritualibus teneatur ad reſtitutionem. 550

Quæres 1. Quid reſtituendum ſit ob crimen adulterij. 552
Quæres 2. Quid reſtituendum ob crimen ſtupri. 553

DISPVTATIO XI.

De iniurijs circa bona fortunæ, & quid reſtituendum.

Quæſtio I. Quænam quantitas ſufficiat in materia furti ad conſtituendum peccatum mortale. 555
Quæres An qui rem emit à fure poſſit ei illam reſtituere, ne pretium ammittat &c. 557
Quæſtio II. Vtrum qui bona fide rem furtiuam emit, & poſtea, durante bona fide, vendit eam alteri, teneatur ſi compareat dominus contractum reſcindere, reddito pretio cui vendidit. 558
Quæres. An compenſatio occulta ſit licita. 559

DISPVTATIO XII.

De Iuſtitia diſtributiua, & de Iudicijs.

Quæſtio I. Vtrum acceptio perſonarum ſit peccatum. pag. 560
Quæres. An licitum ſit vendere officia ſæcularia. 563
Quæſtio II. Vtrum impediens aliquem à conſecutione officij, vel beneficij teneatur ad reſtitutionem. 564
Quæſtio III. Vtrum vectigalia, & gabellas defraudare, ſeu non ſoluere ſit peccatum. 565
Quæſtio IV. Vtrum ad beneficium Eccleſiaſt. ſemper dignior ſit eligendus. 567
Quæres. An dignior ſit eligendus etiam in electionibus Regul. 570
Appendix I. De Penſionibus. 571
Appendix II De Electione. 572
Quæſtio V. Quid requiritur in Iudice ad iudicandum, & qualiter iudicare debeat. 577
Quæres 1. An geſta à Iudice non habente titulum verum, ſed coloratum, & putatiuum ſint valida. 581

Quæ-

Quæres 2. An Iudex excom. peccet iudicando, & eius geſta ſint valida. 581
Quæſtio VI. Vtrum Iudex condemnare poſſit reum ſecundùm allegata, & probata, ſed reuerà innocentem, idquè nouit ipſemet Iudex. 582
Quæres 1. Quæ ſunt ſpectantia ad iudicij ſolennitatem, & quæ eſſentialia. 583
Quæres 2. Quot modis Iudex iuridicè procedere poſſit. pag. 584
Quæſtio VII. De modo procedendi per inquiſitionem. pag. 585
Quæſtio VIII. De denunciatione, & accuſatione. 587
Quæſtio IX Ad quid tenetur teſtis in iudicio. 589
Quæſtio X. Ad quid tenetur Reus in iudicio vbi etiam quædam quæſita. 592
Quæres 1. Quid ſit appellatio, & quibus, & quando liceat. pag. 595
Quæres 2. Qualiter ſe gerere debeant in ſuis muneribus obeundis Aduocatus, Procurator, & Tabellio. 596

Articulus II. Quid ſit vſusfructus, & quomodo acquiratur, & amittatur. 306
Articulus III. Quid ſit vſus, & habitatio. 309
Articulus IV. Vtrum vſus diſtinguatur à dominio in rebus, quæ ipſo vſu conſumuntur. 310
Quæres. Quid, & quotuplex ſit ſeruitus. 313
Articulus V. Quibus competat dominium. 314
Quæres. An homo habeat dominium ſuarum actionum liberalium. 318
Articulus VI. Vtrum homo habeat dominium famæ, & honoris. ibid.
Articulus VII. Quo Iure rerum dominia fuerint diſtincta pag. 320
Articulus VIII. Quale dominium habeant filij familias, Serui, & Vxores. 323
Articulus IX. Quale dominium competat Infidelibus in homines catholicos, & an poſſint eo priuari. 327
Articulus X. Quale dominium habeant Religioſi. 329
Articulus XI Quale dominium habeant Clerici. 330
Quæres. An Pontifex habeat dominium temporale totius Orbis. 334
Quæſtio VI. De varijs modis acquirendi dominium. 335
Articulus I. Quomodo acquiratur dominium in homines, & animalia. ibid.
Quæres 1. An vnicuique licitum ſit tenere columbas. 337
Quæres 2. Quid cenſendum ſit de fera, ſeu piſcibus laqueo, vel reti tuo captis. 338
Articulus II. Qualiter dominium acquiratur per venationem, ſeu piſcationem. ibid.
Articulus III. Qualiter acquiratur dominium rerum inuentarum. 340
Quæſtio VII. De Poſſeſſione. 343
Quæres. Quibus modis amittitur rerum mobilium poſſeſſio. 345
Quæſtio VIII. de præſcriptione, & vſucapione. ibid.
Quæres 1. Quæ res non poſſunt præſcribi. 352
Quæres 2. An detur remedium contra præſcriptionem, & quibus datur. 353
Quæres 3. Quid dicendum ſit de præſcriptione temporis immemorabilis. ibid.

Quæ-

Quæſtio IX. Quid ſit iniuſtitia, & quis eam pati poſſit pag. 354

DISPVTATIO II.

De Contractibus in genere.

Quæſtio I. Quid ſit contractus. 357
Quæres 1. Quotuplex eſt contractus. 359
Quæres 2. Quæ conditiones ad contractus valorem exiguntur. 361
Quæſtio II. Vtrum omnis contractus pariat obligationem in foro interno, & externo. 363
Quæſtio III. Vtrum contractus errore, vel dolo celebratus ſit validus. 366
Quæſtio IV. Vtrum contractus, cui metus iniuſtè incuſſus cauſam dedit, ſit validus. 368
Quæſtio V. Vtrum contractus, vel quaſi contractus celebratus ſine ſolennitatibus, & forma iuris, ſit validus. pag. 370
Quæſtio VI. Qualiter conditiones ſe habeant ad contractus. 372
Quæres 1. Quinam poſſint contrahere. 374
Quæres 2. Quibus detur reſtitutio in integrum. 375
Quæres 3. Quot modis firmetur contractus. 376

DISPVTATIO III.

De promiſſione, & donatione.

Quæſtio I. Vtrum promiſſio externa explicitè acceptata à promiſſario obliget in conſcientia. ibid.
Quæres 1. Quanti momenti debeat eſſe res promiſſa. 380
Quæres 2. An promiſſio externa ante acceptationem obliget. ibid.
Quæres 3. Quas ob cauſas ceſſare poteſt obligatio promiſſionis. 381
Quæſtio II. Quid ſit donatio, & quando fiat validè, vel inualidè. 382
Quæres 1. An donatio facta alicui Clerico loco tituli Patrimo-

 trimo-

trimonij cum obligatione ex pacto, vt ſtatim ſuſceptis ordinibus reſtituat donatori bona donata, ſit valida tàm in foro conſcientiæ, quàm ciuili. 386
Quæres 2. An donationes in filios ſint validæ. 387
Quæres 3. An quis poſſit donare omnia ſua bona alteri. ibid.
Quæſtio III. Vtrum vxor pro ſuo libito donare poſſit, & quantum donare poſſit. 388
Quæres 1. An donatio conditionalis valeat ante conditionem impletam. 391
Quæres 2. An modus annullet, vel ſuſpendat donationem. ibid.
Quæres 3. Quæ donatio cauſalis eſt inualida. 392
Quæſtio IV. Quibus caſibus donatio inter viuos, & etiam cauſa mortis facta, reuocari poſſit. ibid.
Quæres. An donatio iam facta reuocetur ſi naſcantur filij naturales, vel ſpurij. 394

DISPVTATIO IV.

De Teſtamentis.

Quæſtio I. Vtrum Teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus iuris ſit validum. 395
Quæres 1. Quid ſit Codicillus, & Legatum. 399
Quæres 2. Quid ſit fideicommiſſum. ibid.
Quæſtio II. Quinam poſſint teſtari, & qui poſſint hæredes inſtitui. 400
Quæres. Quot modis poſſit quis ſubſtitui hæres. 402
Quæſtio III. Vtrum Pater poſſit exhæredare filios. 403
Quæres 1. Ad quid tenetur hæres. 405
Quæres 2. An Parentes poſſint plus vni filio, quàm alteri relinquere. 406
Quæres 3. Qualiter relicta incerta executioni ſint mandanda. ibid.
Quæres 4. An legata ad determinatas pias cauſas, poſſint ab executore, vel Epiſcopo commutari in alium pium vſum. 407
Quæres 5. Titius facit legatum Eccleſiæ cum conditione ſi ibi ſepeliatur: quid ſi moriatur excommunicatus. 408
Quæ-

Quæres 6. Caſus deputatus executor legati pro puellis maritandis: quid ſi tradat dotem ex legato aſſignatam, puellæ à ſe corruptæ, vbi etiam alia quæſita. ibid.

DISPVTATIO V.

De Mutuo, & Vſura.

Quæſtio I. Vtrum vſura ſit peccatum, & quo iure ſit prohibita. 410
Quæſtio II. Quibus titulis liceat mutuanti aliquid vltra ſortem accipere à mutuatario. 414
Quæres 1. An pecunia locari poſsit, & per talem locationem aliquod lucrum accipi. 420
Quæres 2. An ſit vſura fructus pignoris pro mutuo dati vltra ſortem accipere. ibid.
Quæres 3. An vidua anno ſuæ viduitatis poſsit accipere fructus pignoris, dum ſoluitur dos. 421
Quæres 4. An liceat in mutuo apponere pœnam ſoluendam à Mutuatario, niſi tempore prefixo ſoluerit: Vbi etiam aliud quæſitum curioſum. ibid.
Quæſtio III. Vtrum ob carentiam pecuniæ liceat in Mutuo aliquid vltra ſortem accipere. 423
Quæſtio IV. Vtrum liceat in Mutuo vltra ſortem aliquid exigere tamquam ex beneuolentia, & gratitudine debitum. 429
Quæſtio V. Vtrum Mutuans poſſit abſque labe vſuræ obligare mutuatarium, vt ſibi aliquid remutuet. 427
Quæſtio VI. Vtrum mutuans poſſit abſque vſura obligare mutuatarium ad facienda ea, quæ aliàs eſſet facturus, immò & ea, quæ in conſcientia tenetur facere. 429
Quæres. An mutuans poſſit obligare mutuatarium hac conditione, quòd det aliquid pauperibus, vel parentibus eiuſdem mutuantis indigentibus. 430
Quæſtio VII. Vtrum in mutuatione attendenda ſit quantitas phyſica materiæ, ſeu quantitas materialis rei, vel potius quantitas formalis, ſeu moralis. 431
Quæſtio VIII. Vtrum liceat pecuniam mutuò petere ſub vſura, ſeu ab vſurario. 433

Quæres 1. An mutuatarius teneatur vſurario vſuras promiſſas ſoluere, & quid ſi talem promiſſionem iuramento firmauerit. 434
Quæres 2. An in contractu moatras interueniat mutuum virtuale, & conſequenter ſit vſurarius. 435
Quæres 3. An abſque peccato vſuræ poſſit dari triticum vetus, vt reddatur nouum. 436
Quæſtio IX. Vtrum dominium vſurarum transferatur in vſurarium. ibid.
Quæres. An vſurarius teneatur reſtituere non ſolùm rem per vſuram acceptam, ſed etiam quod mediante illa acquiſiuit. 439
Quæſtio X. Vtrum vſurarius mentalis teneatur reſtituere id, quod vltra ſortem accepit a mutuatario. 440
Quæres 1. An præter vſurarium etiam aliqui alij teneantur ad reſtitutionem. 441
Quæres 2. Quibus pœnis puniantur vſurarij. 442
Quæſtio XI. Vtrum montes pietatis immunes ſint ab vſura. ibid.
Quæres. An perſona priuata poſſint ad inſtar montis pietatis dare mutuum ſub onere recipiendi aliquid vltra ſortem. 444

DISPVTATIO VI.

De Negotiatione ſeu Mercatura, Venditione, Emptione, Societate, Cambijs, & Monopolijs.

Quæſtio I. Vtrum negotiatio, ſeu mercatura ſit licita. ibid.
Quæres. In quo conſiſtat negotiationis iuſtitia. 447
Quæſtio II. Quodnam in emptione, & venditione, ſeu negotiatione rerum venalium ſit pretium iuſtum. 448
Quæſtio III. Quibus de cauſis pretium naturale, ſeu vulgare poſſit augeri, vel diminui abſque iniuſtitia. 451
Quæſtio IV. Vtrum emptio, vel venditio cum pacto retrouendendi ſit licita. 454
Quæres 1. An poſſint emi debita, ſeu Chirographa minus quàm valeant. 456
Quæres 2. An famulus, ſeu qui rem nomine alterius deſignato pretio vendendam, & emendam ſuſcipit, poſſit incre-

cre-

crementum, aut decrementum eiuſdem ſibi retinere. 457
Quæres 3. An qui ſcit rem breui minùs valituram poſſit vendere licitè pretio currenti, maximè ſi id ſecreto nouit. 458
Quæres 4. Cui res empta pereat. 459
Quæſtio V. Vtrum vendens teneatur manifeſtare vitium rei ei, qui illam emere intendit. ibid.
Quæſtio VI. Vtrum monopolia ſint licita. 462
Quæſtio VII. Vtrum contractus Societatis, ſit licitus, & iuſtus. 465
Quæſtio VIII. Vtrum licita ſit, & iuſta Societas animalium. 469
Quæſtio IX. Vtrum quis in Societatem negotiatorum conuenire poſſit, data pecunia, cum Socio, vt capitale, & lucrum illius ſit ſaluum. 473
Quæres. Quid de contractu Societatis Romanæ; vulgò dicto à compagnia d'offitio. 475
Quæſtio X. Vtrum in permutationibus, & cambijs poſſit recipi aliquid ſupra ſortem abſque vſura. 477
Quæres. Quæ iniuſtitiæ in cambijs interueniant. 479

DISPVTATIO VII.

De Cenſibus, Commodato, Locato, Emphyteuſi, & reliquis contractibus.

Quæſtio I. Vtrum cenſus in pecunia ſit licitus. 480
Quæſtio II. De commodato, Locato, conducto, ac depoſito. 484
Quæſtio III. De Emphyteuſi, & feudo, de aſſecuratione, & fideiuſſione, de pignore, & hypotheca. 487
Quæſtio IV. Vtrum ludus ſit licitus. 490
Quæres 1. An qui ludit ludis prohibitis, & aliquid eſt lucratus teneatur ad illius reſtitutionem. 493
Quæres 2. An perdens in ludo poſsit lucrantem cogere, vt in ludo perſiſtat &c. 494

DISPVTATIO VIII.

De Reſtitutione in communi.

Quæſtio I. Vtrum reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem. 495
Quæres. Vnde oriatur obligatio reſtitutionis. 497
Quæſtio II. Ex qua culpa oriatur obligatio reſtitutionis damni illati. 499
Quæſtio III. Ex qua culpa obligatur officialis, vel contrahens ad reſtitutionem damni. 501
Quæſtio IV. Quinam ad reſtitutionem teneantur. 503
Quæres. Qualiter prædicti omnes obligantur ad reſtitutionem damni &c. 507
Quæſtio V. Quid ſit reſtituendum. 508
Quæres. An accepta per ſimulationem paupertatis ſint reſtituenda. 510
Quæſtio VI. Cui, & quo tempore ſit reſtituendum. 511
Quæſtio VII. Quo ordine, & quibus expenſis facienda eſt reſtitutio. 514
Quæſtio VIII. Quibus de cauſis poſsit quis excuſari à reſtitutione facienda &c. 516
Quæres. An remiſsio creditoris à reſtitutione excuſet. 519

DISPVTATIO IX.

De reſtitutione in particulari, & primò de iniuria per homicidium, vel mutilationem, ac proinde quid ob talem iniuriam ſit reſtituendum.

Quæſtio I. Vtrum liceat ſe, vel alium occidere. 520
Quæſtio II. Vtrum liceat interficere inuaſorem iniuſtum. pag. 523
Quæres 1. An quis teneatur ad ſui defenſionem, cum occiſione inuaſoris iniuſti. 528
Quæres 2. An licitum ſit mulieri occidere inuaſorem ſuæ caſtitatis. ibid.
Quæres 3. An liceat priuata auctoritate Tyrannum occidere. ibid.
Quæres 4. An liceat Reipublicæ innocentem occidere in caſu quo &c. 529

Quæ-

Quæres 5. Ad quid tenetur homicida, qui alium occidit, & alteri imputatur. ibid.
Quæſtio III. Vtrum liceat matri grauidæ ad ſaluandam vitam ſuam procurare fœtus abortum. 530
Quæres 1. An licitum ſit filio gaudere de parricidio &c. pag. 532
Quæres 2. An iuſtè poſsit à publica auctoritate occidi homo pro ſimplici, & ſolo furto. ibid.
Quæſtio IV. Ad quid tenetur, qui proximum læſit occiſione, vel mutilatione, & quibus facienda ſit reſtitutio. 533
Quæres. An ab onere reſtitutionis abſoluantur hæredes occiſoris, ſi ſubeat hic pænam talionis. 537

DISPVTATIO X.

De iniurijs circa famam, & bona ſpiritualia, & conſequenter quid reſtituendum.

Quæſtio I. Vtrum murmuratio, ſeu detractio, contumelia, & ſuſſurratio ſint peccata mortalia. 537
Quæres 1. An ſit verè detractor, qui refert peccata ab alijs audita abſque alia aſſeueratione. 540
Quæres 2. An reuelare crimen occultum vni tantùm perſonæ fideli, abſque rationabili cauſa, ſit peccatum mortale. 541
Quæſtio II. Vtrum crimen publicum in vno loco liceat diffamare in alio, in quo ignoratur. ibid.
Quæres. An liceat eum, qui vno, aut altero crimine infamis eſt, de alijs infamare. 543
Quæſtio III. Vtrum liceat infamare alium ad euitandum magnum malum. ibid.
Quæres. Quale peccatum ſit audire detractorem. 545
Quæſtio IV. Vtrum ſuſpicio, & iudicium temerarium de proximo ſit peccatum mortale. 546
Quæres 1. Qui teneantur ad famæ reſtitutionem, & qualiter talis reſtitutio ſit facienda. 547
Quæres 2. Quæ cauſæ excuſent à reſtitutione famæ. 549
Quæſtio V. Vtrum damnificans in bonis ſpiritualibus teneatur ad reſtitutionem. 550

Quæres 1. Quid reſtituendum ſit ob crimen adulterij. 552
Quæres 2. Quid reſtituendum ob crimen ſtupri. 553

DISPVTATIO XI.

De iniurijs circa bona fortunæ, & quid reſtituendum.

Quæſtio I. Quænam quantitas ſufficiat in materia furti ad conſtituendum peccatum mortale. 555
Quæres. An qui rem emit à fure poſſit ei illam reſtituere ne pretium ammittat &c. 557
Quæſtio II. Vtrum qui bona fide rem furtiuam emit, & poſtea, durante bona fide, vendit eam alteri, teneatur ſi compareat dominus contractum reſcindere, reddito pretio cui vendidit. 558
Quæres. An compenſatio occulta ſit licita. 559

DISPVTATIO XII.

De Iuſtitia diſtributiua, & de Iudicijs.

Quæſtio I. Vtrum acceptio perſonarum ſit peccatum. pag. 560
Quæres. An licitum ſit vendere officia ſæcularia. 563
Quæſtio II. Vtrum impediens aliquem à conſecutione officij, vel beneficij teneatur ad reſtitutionem. 564
Quæſtio III. Vtrum vectigalia, & gabellas defraudare, ſeu non ſoluere ſit peccatum. 565
Quæſtio IV. Vtrum ad beneficium Eccleſiaſt. ſemper dignior ſit eligendus. 567
Quæres. An dignior ſit eligendus etiam in electionibus Regul. 570
Appendix I. De Penſionibus. 571
Appendix II De Electione. 572
Quæſtio V. Quid requiritur in Iudice ad iudicandum, & qualiter iudicare debeat. 577
Quæres 1. An geſta à Iudice non habente titulum verum ſed coloratum, & putatiuum ſint valida. 581

Quæ-

Quæres 2. An Iudex excom. peccet iudicando, & eius geſta ſint valida. 581
Quæſtio VI. Vtrum Iudex condemnare poſſit reum ſecundùm allegata, & probata, ſed reuerà innocentem, idquè nouit ipſemet Iudex. 582
Quæres 1. Quæ ſunt ſpectantia ad iudicij ſolennitatem, & quæ eſſentialia. 583
Quæres 2. Quot modis Iudex iuridicè procedere poſſit. pag. 584
Quæſtio VII. De modo procedendi per inquiſitionem. pag. 585
Quæſtio VIII. De denunciatione, & accuſatione. 587
Quæſtio IX Ad quid tenetur teſtis in iudicio. 589
Quæſtio X. Ad quid tenetur Reus in iudicio vbi etiam quædam quæſita. 592
Quæres 1. Quid ſit appellatio, & quibus, & quando liceat. pag. 595
Quæres 2. Qualiter ſe gerere debeant in ſuis muneribus obeundis Aduocatus, Procurator, & Tabellio. 596

De virtute Religionis, ac de alijs virtutibus iuſtitiæ annèxis, nec non de fortitudine, & temperantia.

DISPVTATIO I.

De virtutis Religionis eſſentia, nec non de deuotione, & oratione.

Quæſtio I. Vtrum Religio ſit virtus ſpecialis, & ad ſuos actus quandoque obliget. 598
Quæres 1. An Religio ſit vna tantùm virtus ſpecie. 601
Quæres 2. Quinam ſunt actus Religionis. ibid.
Quæſtio II. De Deuotione, & Oratione. 602
Quæres. Quinam ſint orandi, & pro quibus ſit orandum. pag. 604
Quæſtio III. Vtrum in oratione vocali, ac proinde in horis Canonicis recitandis requiratur attentio. 605
Quæres 1. Qui teneantur ad horas Canonicas, vbi etiam alia quæſita. 607
Quæſtio IV. Vtrum liceat officium immutare, interrumpere, aut horas tranſportare: Vbi etiam plura quæſita. pag. 609

DISPVTATIO II.

De Voto.

Quæſtio I. Qualis libertas requiratur ad vouendum; & an ſit licitum atque expediens homini vouere. 615
Quæres. Quotuplex eſt votum. 617
Quæſtio II. Qualis debet eſſe materia Voti. 618
Quæres. Qualiter, & quando votum obliget ad ſui impletionem. 620
Quæſtio III. Quinam irritare valeant vota iam facta. ibid.
Quæſtio IV. Quinam poſsint diſpenſare in votis iam factis. 623
Quæres. Quinam poſsint vota commutare. 625

DIS-

Digitized by Goo

DISPVTATIO III.

De Iuramento.

Quæſtio I. Vtrum iurare ſit bonum, & liceat Chriſtianis iurare. 626
Quæres. Quotuplex eſt iuramentum. 629
Quæſtio II. Vtrum ſit idem iurare ſine animo iurandi, ac iurare ſine animo ſe obligandi. 631
Quæres. Quale peccatum eſt iurare ex conſuetudine. pag. 632
Quæſtio III. Vtrum iuramentum promiſſorium, & comminatorium ſemper obligent ad ſui obſeruantiam, ſeu impletionem. 632
Quæres 1. An quis faciens iuramentum execratorium, credens Deum non aſſumpturum pœnas, committat periurium: Vbi etiam alia quæſita. 635
Quæres denique. An ſint immunes à periurio, qui iurant in promouendo aliquos ad Ordines, & Prælationes, ad Officia &c. licet non ſint certi de illorum idoneitate. Item An cum quis iurat ſe ſeruaturum ſtatuta Communitatis, vel Mercatorum &c. tale iuramentum ſe extendat etiam ad ſtatuta in futurum facienda. 637
Appendix de Adiuratione. 638

DISPVTATIO IV.

De vitijs oppoſitis Religioni.

Quæſtio I. De ſuperſtitione. 640
Quæſtio II. De Sacrilegio, & Blaſphemia. 644
Quæres 1. An omnes blaſphemiæ ſint eiuſdem ſpeciei. 647
Quæres 2. Quid cenſendum de conſuetudine blaſphemandi. 648
Appendix De faſcinatione, & incantatione. ibid.
Quæſtio III. Vtrum Simonia ſit peccatum mortale. 649
Quæſtio IV. Quænam ſunt propriæ res ſpirituales non venales. 651
Quæres. Quas pœnas incurrunt Simoniaci. 656

DISPVTATIO V.

De Statu Religioſo.

Quæſtio I. In quo conſiſtat natura ſtatus Religioſi, & an poſſit per contrarium vſum variari, vel auctoritate humana tolli. 657
Quæſtio II. Vtrum Religioſus teneatur ad perfectionem tendere ſub mortali. 659
Quæſtio III. Quænam requiruntur ad valorem profeſſionis Religioſæ. 661
Quæres. An fæmina, quæ fingens ſe eſſe hominem, profeſſa eſt in conuentu virorum, intendens ſe obligare ad Religionem, maneat verè profeſſa. 663
Quæſtio IV. Vtrum Religioſi ſubditi teneantur obedire Prælatis in omnibus. ibid.
Quæſtio V. Ad quæ obligatur Religioſus ex vi votorum paupertatis, & caſtitatis. 665
Quæres. Quid de incorrigibilibus Religioſis, Apoſtatis, & eiectis. 667

DIS-

DISPVTATIO VI.

De Virtutibus iuſtitiæ annexis, nempè Pietate, Obſeruantia, Gratitudine &c. nec non Fortitudine, & Temperantia.

Quæſtio I. Quid ſint prædictæ virtutes, & qualiter obligent. 668
Quæſtio II. De veritate, & mendacio. 671
Quæres. Quid ſenſerit Scotus de reſtrictione mentali, amphibologia &c. 675
Quæſtio III. De Fortitudine, & Temperantia. 677

TRACTATVS QVINTVS.

De ineffabili Incarnationis Myſterio.

DISPVTATIO I.

De poſſibilitate, & congruentia, ſeu conuenientia, & cauſa Dominicæ Incarnationis.

Quæſtio I. Vtrum poſſibile fuerit naturam humanam vniri Verbo Diuino in vnitate ſuppoſiti. 679
Quæſtio II. Vtrum intellectus creatus agnoſcere poſſit poſſibilitatem Incarnationis, & futuritionem, immò & eius exiſtentiam. 685
Quæſtio III. Oſtenditur contra Hebræos, Meſſiam iam veniſſe. 688
Quæſtio IV. Oſtenditur contra Iudæos, & quoſdam hæreticos Meſſiam in lege promiſſum fuiſſe verum Deum, & verum hominem. 693
Quæſtio V. Quomodo probari poſſit contra Paganos, ſeu Gentiles nedum poſſibilitas Dominicæ Incarnationis, ſed etiam eius exiſtentia. 697
Quæſtio VI. Quomodo oſtendi poſſit Mahumetanis Chriſtum extitiſſe, & eſſe verum Dei Filium. 700
Quæſtio VII. Vtrum congruentius fuerit naturam humanam potius, quàm Angelicam à Verbo D. aſſumi. 702

Quæ-

Quæres 1. Quare Chriſtus venerit in fine temporum potiùs, quàm in principio. 704
Quæres 2. Cur magis congruum fuerit Perſonam Verbi incarnari, quàm aliam Perſonam D. ibid.
Quæſtio VIII. Vtrum cauſa Filio Dei veniendi in mundum fuerit humani generis reparatio &c. 705
Quæſtio IX. Vtrum neceſſarium fuerit Deum incarnari. pag. 713
Quæſtio X. Vtrum aliqua merita præceſſerint vnionem Verbi incarnati. 716

DISPVTATIO II.

De modo vnionis Verbi D. incarnati; de Perſona aſſumente, & de natura aſſumpta, & aſſumptibili.

Quæſtio I. Vtrum vnio hypoſtatica ſit modus ſubſtantialis. 720
Quæres. An vnio hypoſtatica ſit omnium maxima. 725
Quæſtio II. Vtrum vnio Verbi incarnati facta ſit in natura, vel in perſona. 726
Quæres 1. An Chriſtus dici poſſit abſque errore compoſitus. 729
Quæres 2. Quinam ſit terminus actionis vnitiuæ humanitatis cum perſona Verbi D. 730
Quæſtio III. Vtrum ratio formalis terminandi hanc vnionem ſit ſola relatio perſonalis Verbi D. 731
Quæſtio IV. Vtrum Deus, ſeu natura D. vt communis tribus perſonis diuinis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ poſſit naturam humanam aſſumere. 735
Quæſtio V. Vtrum vna perſona D. poſſit aſſumere plures naturas humanas ſimul, & ſemel. 738
Quæſtio VI. Vtrum vna, & eadem numero natura poſsit ſimul aſſumi à tribus perſonis diuinis. 742
Quæres. An natura exiſtens in propria perſonalitate ſit aſſumptibilis à Deo, ſeu à D. Perſona. 747
Quæſtio VII. Vtrum perſona creata poſsit alienam naturam creatam hypoſtaticè ſubſtentare. 749
Quæſtio VIII. Vtrum quælibet natura irrationalis, tam ani-

animata, quam inanimata ſit aſſumptibilis à perſona Diuina. 751
Quæſtio IX. Vtrum accidentis natura poſſit aſſumi à perſona Diuina. 754
Quæſtio X. Vtrum naturam humanam vniri Deo hypoſtaticè, non tamen frui, includat contradictionem. 756
Quæſtio XI. Vtrum in Chriſto differant eſſe exiſtentiæ Verbi ab eſſe exiſtentiæ naturæ humanæ. 759
Quæſtio XII. Vtrum Chriſtus ſit aliqua duo. 762
Quæſtio XIII. Vtrum in Chriſto ſint reuerà duæ filiationes reales. 765
Quæres. An Chriſtus ſit filius naturalis Deiparæ Immaculatæ. 768
Quæſtio XIV. Vtrum natura humana fuerit aſſumpta per aliquod medium, ſeu quo ordine Verb. D. humanitatem, & eius partes aſſumpſerit. 769
Quæſtio XV. Vtrum vnio hypoſtatica præceſſerit corporis organizationem. 773
Quæſtio XVI. Vtrum Verbum D. aſſumpſerit hypoſtaticè omnes humani corporis partes, maximè ſanguinem, & alios humores. 777
Quæres. An aliquid ſanguinis Chriſti remanſerit in terris. 784

DIS-

DISPVTATIO IV.

De modo loquend. in hoc ineffabili Myſterio.

Quæſtio I. Vtrum per communicationem Idiomatum, quæ ſunt Dei, de homine, & quæ ſunt hominis verè de Deo prædicentur. 786

Quæſtio II. Vtrum hæc propoſitio ſit vera Deus eſt homo. pag. 791

Quæres 1. An hæc propoſitio, Deus eſt homo, ſit propria, vel formalis. 795

Quæres 2. An hæc propoſitio, Deus eſt homo, ſit per ſe. ibid.

Quæres 3. An iſtæ ſint veræ Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus. 796

Quæres 4. An hæc ſit vera Chriſtus fuit bis natus. 797

Quæres 5. An rectè dici poſsit Eſſentia Diuina eſt nata de Virgine. ibid.

Quæres 6. An rectè dicatur Chriſtus incepit eſſe, & Chriſtus deſijt eſſe. 798

Quæres 7. An in triduo mortis verum eſſet dicere Chriſtus eſt homo. ibid.

Quæſtio III. Vtrum Chriſtus vt homo, ſeu ſecundum humanitatem dici poſſit filius Dei adoptiuus. 799

Quæſtio IV Vtrum Chriſtus ſecundum humanitatem, ſeu vt homo, dici poſsit filius Dei naturalis. 806

Quæres. An Chriſtus rectè dici poſsit filius Spiritus S. 809

Quæſtio V. Vtrum Chriſtus poſsit dici creatura, vel ſaltem Chriſtus ſecundùm quòd homo dici poſsit creatura. pag. 810

Quæres. An poſsit dici, Chriſtus quatenus homo, eſt prædeſtinatus, immò an etiam ſine addito dici poſſit abſolutè. Chriſtus eſt prædeſtinatus. 815

Quæſtio VI. Vtrum Chriſtus ſecundùm humanitatem dici poſsit, quod ſit propriè Dei ſeruus, & Patri ſubiectus. pag. 816

DIS-

DISPVTATIO V.

De Scientia Chriſti.

Quæſtio I. Vtrum Chriſtus præter Scientiam Diuinam habuerit ſcientiam creatam. 820
Quæſtio II. Vtrum Anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouerit in Verbo, ſeu in Eſſentia D. omnia poſſibilia, & futura. 824
Quæſtio III. Vtrum præter ſcientiam beatificam Chriſtus habuerit ſcientiam infuſam, qua res in proprio genere cognoſceret. 830
Quæſtio IV. Vtrum Chriſtus per ſcientiam infuſam nouerit Myſteria D. myſteria gratiæ, ſecreta cordium, & futura etiam contingentia. 835
Quæres 1. An Scientia Animæ Chriſti fuerit actualis, vel habitualis. 842
Quæres 2. An Chriſtus vti potuerit hac ſcientia infuſa ſine conuerſione ad phantaſmata. 844
Quæres 3. An ſcientia infuſa Chriſti fuerit perfectior, & maior Angelorum ſcientia. 845
Quæres 4. An hæc ſcientia infuſa in Anima Chriſti importet habitum à ſpeciebus diſtinctum. 846
Quæſtio V. Vtrum præter ſcientiam beatam, & infuſam ſit admittenda in Anima Chriſti etiam ſcientia acquiſita. pag. 847

DISPVTATIO VI.

De libertate voluntatis Chriſti, & de eius Gratia, ſeu ſanctitate.

Quæſtio I. Vtrum in Chriſto fuerint duæ voluntates, nempe Diuina, & humana, & an voluntas humana fuerit libera in ſuis operationibus. 850
Quæſtio II. Vtrum voluntas humana Chriſti fuerit in omnibus actibus libera. 853
Quæſtio III. Vtrum Chriſtus ſecundum humanam voluntatem peccare potuerit. 856
Quæſtio IV. Vtrum inter humanam voluntatem Chriſti, & Di-

Diuinam fuerit aliqua contrarietas, vel ſemper humana fuerit Diuinæ conformis. 862
Quæſtio V. Vtrum in Chriſto ponenda ſit gratia habitualis. pag. 867
Quæſtio VI. Vtrum gratia Chriſto collata fuerit infinita, vel potiùs finita, ſed ſumma. 870
Quæres 1. An Anima Chriſti potuerit ſummè frui cum ſumma gratia. 876
Quæres 2. An in Chriſto fuerint omnes gratiæ gratis datæ. pag. 876
Quæres 3. Qualiter Chriſti humanitas miracula perpetrauerit. 877
Quæres 4. An Chriſtus ſit caput omnium, ſeu in eo ſit gratia capitis, & in quo conſiſtat, vel fundetur hæc ratio capitis. 878
Quæſtio VII. Vtrum Chriſtus habuerit omnes virtutes theologicas, & morales. 880
Quæres. An in Chriſto fuerint etiam dona Spiritus S. 882

DISPVTATIO VII.

De merito, & ſatisfactione Chriſti.

Quæſtio I. Vtrum Chriſtus mereri inceperit à primo inſtanti ſuæ conceptionis vſque ad mortem. 883
Quæſtio II. Per quos actus Chriſtus meruit. 888
Quæſtio III. Quid, & quibus Chriſtus meruit. 8 2
Quæſtio IV. Vtrum Chriſtus ſua paſſione meruerit pro omnibus, & ſingulis hominibus. 896
Quæſtio V. Vtrum Chriſtus meruerit, ac ſatisfecerit pro nobis de rigore iuſtitiæ. 899
Quæſtio VI. Vtrum ſuppoſita diuina ordinatione, quod non redimeretur homo, niſi per ſatisfactionem, potuiſſet de potentia abſoluta pura creatura Deo ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem. 908
Quæſtio VII. Vtrum meritum Chriſti fuerit infinitum. pag. 913
Quæres 1. An Chriſtus fuerit verè Sacerdos. 918
Quæres 2. An Chriſtus ſicut Melchiſedech non ſolùm fuerit Sacerdos, ſed etiam Rex temporalis. 920

Quæ-

Quæres 3. An Chriſtus fuerit ſubiectus legibus diuinis hominibus datis, & etiam legibus humanis. 921

DISPVTATIO VIII.

De conditione Corporis Chriſti, appetitus ſenſitiui, nec non de paſſionibus Animæ.

Quæſtio I. Vtrum congruum fuerit Chriſtum defectus, & paſſiones noſtras aſſumere, & an de facto omnes noſtros defectus aſſumpſerit. 922
Quæſtio II. Vtrum Chriſtus aſſumpſerit neceſſitatem moriendi. 924
Quæſtio III. Vtrum Chriſtus aſſumpſerit appetitus ſenſitiui paſſiones, nec non Animæ. 926
Quæſtio IV. Vtrum in voluntate Chriſti fuerit vera triſtitia. 929
Quæres 1. An Paſſio Chriſti in generali ſpectata fuerit maxima. 934
Quæres 2. An corpus Chriſti fuiſſet putrefactum, ſi reſurrectio non fuiſſet accelerata. 936

DISPVTATIO IX.

De Sanctiſſima, & Immaculata Deigenitrice.

Quæſtio I. Vtrum Conceptio B. Virginis in vtero materno fuerit naturalis, vel miraculoſa. 938
Quæſtio II. Vtrum B. Virgo in primo inſtanti ſuæ Conceptionis contraxerit peccatum originale. 940
Quæres. An Deipara contraxerit debitum incurrendi peccatum originale. 948
Quæſtio III. Vtrum B. Virgo fuerit verè, & naturaliter Mater Chriſti. 950
Quæres 1. An B. Virgo dici poſſit Mater naturalis Chriſti. pag. 956
Quæres 2. An Deipara fuerit ſanctificata in vtero Matris, idque de fide ſit credendum. 957
Quæres 3. An in tali ſanctificatione infuſa ſint Deiparæ omnes virtutes, atque dona ſupernaturalia. ibid.

Quæ-

Quæres 4. An gratia Deiparæ fuerit conſumata, & in gratia fuerit confirmata. ibid.
Quæres 5. An ſit de fide B. Virginem permanſiſſe Virginem ante partum, in partu, & poſt partum. 958
Quæres 6. An ſit de fide Deiparam aſſumptam fuiſſe in Cœlum in Anima, & corpore. 959

DISPVTATIO X.

De Adoratione.

Quæſtio I. Vtrum vnica Adoratione ſit adoranda Diuinitas Chriſti, & eius humanitas. 961
Quæres 1. An Sanguis Chriſti in triduo mortis adorari debuiſſet latria. 965
Quæres 2. An liceat adorare hominem tamquam imaginem Dei. 966
Quæſtio II. Vtrum Chriſti Crux adoranda ſit adoratione latriæ. 967
Quæſtio III. Quinam cultus debeatur Sanctis, atque eorum imaginibus, & reliquijs. 969

In Laudem

BREVIARII VNIVERSÆ THEOLOGIÆ

A P. ANTONIO GAVELLO

DE CANDELARIA

Lect. Generali elaborati.

ELOGIVM.

Ne amplius mireris
Scientiarum qui æquoras æquor,
Quò enim
Nauigationem abbreuies,
Hic adeſt BREVIARIVM.
Quod
Tuto pro Gaulo
Tibi præſtat GAVELLVS.
In hoc
Quot ſunt Paginæ,
Tot Nauigationis ſunt Tabulæ.
Cui
Sua FAX ne deſit,
Ipſa CANDELARIA Lumina præbet,
Lumina verò tanti Splendoris,
Vt
SCOTI tenebras
Dilucidando expellant.
Hoc tibimet Opus,
Par ſibi neſciens, Gaudibundus nunc para;
Hoc etenim duce
In vaſto Scientiarum Pelago
Scopulos difficultatum non timens,

Fal-

Fallacium Breuia non metuens
Breui Portum attinges.
Sicquè
Experieris admirans,
Veluti
Omnibus ad Scientias
Non latam, ſed breuem in BREVIARIO viam
Anteponit ANTONIVS,
Ante forſan edoctus,
Vti
Non datur ad Muſas currere lata Via.

D. Seraphini Thaddæi.

DE BREVIARIO VNIVERSÆ THEOLOGIÆ

P. ANTONII GAVELLI

DE CANDELARIA

Strict. Obſeru. Lectoris Eximij.

SCotus habet tenebras, Tu Candelaria lumen
Duns Subtilis erat, Tu breuitate nites.

Anterior licèt eſt Scotus, Tu lumine præis
Subtilis Scotus dogmate, vel Tu breuior.

D. Philippi Petri.

Si

Si celebra l' Ammirabile Opera

DEL P. ANTONIO DA CANDELARA

MINORE RIFORMATO,

Intitolata

BREVIARIVM VNIVERSÆ THEOLOGIÆ,

Nempe

SPCVLATIVÆ, DOGMATICÆ, AC MORALIS.

In Quatuor Partes diſtributum

Stampata nell' Inclita Città di Bologna.

Sonetto

Di Giulio Ceſare Toſi Nobile della Città di Ieſi.

EPilogar *con ammirabil modi*
Di Scienza Celeſte, *anzi* Diuina
Triforme *interminabile Marina*
Merta Encomj del Cielo, etheree lodi.

Tu del Triplice *Mar ſedi, e cuſtodi*
Quattro Conchiglie *feſti entro* Felſina,
O Grande Antonio, *e quindi à te s'inchina*
Ogni Liceo, come già 'l vedi, & odi.

Speculante, Dogmatico, *e* Morale
E' il Triplicato *Mar di* Theologia,
Che tu Compendiaſti *in dir non frale.*

Onde Vrania dal Ciel Lauri t' inuia,
E di Corona d' Or Serto immortale;
E da Stelle al tuo crin la Gran Sofia.

NEL

NEL MEDESIMO SOGGETTO.

Sonetto

Dell'iſteſſo Autore.

PRenci, che de la terra in Reggie d' Oro
Gli Scettri hauendo, e in biſſi, e in gemme, & oſtri,
D' Armi recinti, e ricchi di Teſoro
Sembrate Dei ſopra i Gran Sogli voſtri.

E pur nulla voi ſiete, e nulla foro
I Tolomei, gli Arſacidi, e i Seſoſtri
In paragon de l' innocente Alloro,
E de l' aurea Virtù de' Sacri Chioſtri.

Ella d' Antonio *il Merto à l' Etra eſtolle*
Sopra i Regi, e gli Auguſti, e fà, ch' abbondi
D' Inoccìduo ſplendor sù etbereo colle.

Ella d' Antonio *il crin d' Eterne frondi*
Cinge, che ſaggio in humil Chioſtro volle
De Theologia Compendiar Trè Mondi.

PARS

PARS TERTIA BREVIARII VNIVERSÆ THEOLOGIÆ,

NEMPE

SPECVLATIVÆ, DOGMATICÆ, ET MORALIS.

PRÆFATIO.

EXpletis Breuiarij Theologici prioribus partibus, tertiam partem aggredior, quam, ſicut rerum diuinarum, atque humanarum pleniorem concipio, ita partum eiuſdem difficiliorem præſentior. Enimuerò hic de virtutibus tum moralibus, tum theologalibus nobis agendum eſt, quibus veluti immarceſcibilibus Empyrei floribus homo viator pulchrè ornatur, potenter adiuuatur, ſuauiter confortatur, atq; heroicè nedum in politia humana, verùm etiam chriſtiana, & diuina perficitur; adeout huiuſmodi ſupernaturalibus dotibus homines, vel adhuc in terris degentes, in cœleſtes, ac diuinos Heroes fęliciter tranſeant. Poſtremò arcana inæffabilis Incarnationis D. Verbi reſerare conuenit, quæ eò difficiliora intellectu dignoſcuntur; quò magis humanæ mentis captum tranſcendunt. Ea propter humili corde D. Numinis imploro auxilium, vt ſua immenſa bonitate meis votis, quamuis indignis, dignetur fauere, eaquè fouere; nec non mentis vires augere, atquè corporis.

TRACTATVS PRIMVS
DE VIRTVTIBVS IN COMMVNI.
DISPVTATIO PRIMA
De natura virtutis.
QVÆSTIO I.
Quid ſit virtus.

NOt. 1. Quòd nulla ratione in dubium reuocari poteſt virtutis exiſtentia; ſolus certè negare audebit virtutem; qui apud feras educatus, inquit quidam Sapiens, beluinis vrgetur paſſionibus. Quare virtutis exiſtentia ab omnibus iure admiſſa, eius eſſentiam inueſtigare oportet; ad cuius conſecutionem aduertendum, quod ſi nomen virtutis latè ſpectetur habet varias ſignificationes. Siquidem primò ſignificat cuiuſcunque rei vigorem, & perfectionem, præſertim ſi in facultate aliquid faciendi conſiſtat, vt Pſal. 32. ***Spiritu oris eius omnis virtus eorum***, ideſt Cœlorum: ſimili ſenſu Ariſt. 2. Eth. cap. 6. deſcribens virtutem ait, eſſe, quæ bonum facit habentem, & opus eius bonum, & exemplificat de virtute viſiua, & virtute equi ad currendum: 2. ſumitur pro effectu facultatis operatiuæ, præſertim excellentis, vt Marci 6. ***Non poterat ibi virtutem vllam facere:*** aut pro fructu alicuius potentiæ, ſeu facultatis generaliter acceptæ, vt Ioel. 2. ***Lignum attulit fructum ſuum, ficus, & vinea dederunt virtutem***. 3. Sumitur pro principio permanente potentiam proximè inclinante ad benè operandum, quo ſenſu virtutes intellectuales inclinant intellectum ad benè intelligendum, morales ad benè moraliter operandum: 4. ſumitur pro virtute morali generatim dicta, quæ ſola eſt propriè virtus; ceteræ au-

autem analogicè tantum, eò quod non faciant hominem ſimpliciter bonum, ſed ſolum bene intelligentem; ſimpliciter verò bonum efficiunt, quæ dant bonum vſum liberi arb. quales ſunt virtutes morales; de quibus hic agimus.

Not. 2. Quod virtus in genere, ſeu in communi diuiditur primò in infuſam, & acquiſitam. Prior eſt, quæ proprijs viribus acquiri nequit, ſed eam Deus nobis, ſine nobis largitur. Hæc iterum duplex, nempe infuſa per ſe, & per accidens. Prima eſt, quæ viribus naturæ comparari non poteſt, ſed à ſola Dei bonitate nobis donatur, vt virtutes theologicæ; 2. eſt, quæ per ſolas naturæ vires acquiri poteſt, ſed non cum tanta facilitate, & promptitudine, nec cum ea perfectione, qua fulget, cum infunditur. Tales ſunt virtutes morales, quæ ſimul cum gratia ſanctificante nobis tribuuntur; de quibus infra redibit ſermo. Acquiſita pariter eſt duplex, nempe intellectualis, & moralis; intellectualis eſt quintuplex, ideſt, Intelligentia, Sapientia, Prudentia, Scientia & Ars; moralis autem eſt triplex, nempe Iuſtitia, fortitudo, & temperantia, quibus additur prudentia, non quia ipſa voluntatem afficiat, & dirigat, ſed quia ad alias moderandas, & regulandas ita eſt neceſſaria, vt illæ deſinerent eſſe virtutes, ſi à prudentia non regularentur.

Concl. Virtus moralis generatim ſumpta rectè diffinitur ſic. *Eſt habitus electiuus in mediocritate conſiſtens; quæ mediocritas à recta ratione ſit præfinita, ſeu determinata*. Eſt Ariſt. lib. 2. Eth. & à Theologis communiter recipitur. Prob. Hæc definitio conſtat omnibus conditionibus bonæ definitionis; ergo &c. etenim ly habitus ſe habet vt genus, per quod indicatur, virtutem habere rationem principij permanentis, in ordine ad eliciendas operationes morales: Dicitur electiuus, quia virtus moralis in rigore pertinet ad ſolam voluntatem, cuius eſt propriè eligere, ac proinde per hanc particulam virtus moralis ab intellectuali diſtinguitur. Ponitur in mediocritate conſiſtens, quia virtutes morales habent tenere medium, quatenus nec in exceſſum, neque in defectum poſſit inclinare. Denique dicitur quod talis mediocritas à ratione ſit determinata, quia virtus moralis debet regulari à prudentia, quæ ex Ariſt. 6. Eth. eſt recta ratio agibilium.

Arg. 1. cont. conc. Virtus moralis potiùs definiri debet per comparationem ad intentionem, quàm ad electionem; nam hæc eſt circa finem, & illa circa ea, quæ ſunt ad finem, ergo definitio non eſt bona &c. Reſp. Quod definitur in comparatione ad electionem, & non ad intentionem, quia electio includit intentionem, & non è contra. Vnde operans virtuosè operatur eligens; eligens autem propter finem, ac proindè in electione includitur appetitus finis, qui eſt intentio: aliud enim eſt incluſio, aliud ordinatio ad finem, quia ſic intentio includit intentionem medij, virtus autem oſtendit, & eligit media, quæ aſſumenda ſunt ad finis aſſecutionem. Electio igitur includit intentionem, non verò ordinat, cum intentio præcipiat conſultationem mediorum, & eorumdem electionem.

Arg. 2. Virtus moralis melius explicatur ſi dicatur virtus eſt inueniens, ac eligens medium, quàm dicere, quod conſiſtat in mediocritate, ergo &c. Reſp. noſter Doctiſſimus Geraldus Odonis lib. 2. Eth. quod Philoſ. in definitione aſſignata voluit exprimere multiplicem modum medietatis, quæ eſt in virtute, & in qua virtus exiſtit: virtus enim exiſtit in medietate habitus, ſicut in cauſa materiali, vti ſanitas in complexione media; & exiſtit in conformitatis medietate illius habitus, tanquàm in ratione formali, & exiſtit in medietate operis, tanquam in obiecto materiali, & in medietate conformitatis illius operis ad operandum debitum tanquàm in obiecto formali; ideoque poſuit Ariſt. virtutem potius in medietate exiſtere, quàm medietatem inuenire, vel eligere.

Arg. 3. Definitio alicuius rei debet dari per notiora, ſed hæc non ſic ſe habet, quia datur per rationem, qua virtus eſt certior, & notior, ergo &c. Reſp. idem Doctor, conc. mai. ad min. dicit, quod virtus definitur per rationem, tanquàm per prius origine, & tanquam per poſterius perfectione, ſicut definitur eadem virtus per propriam operationem, tanquàm per poſteriùs origine, & tanquam per prius perfectione, ac proinde definitio aſſignata datur per notiora.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum omnis virtus conſiſtat in medio.

NOt. 1. quod triplex eſt medium, nempe aliud per abnegationem, aliud per participationem, & aliud per ſimilitudinem. Medium per abnegationem non eſt verum medium; quia fit tranſitus à non eſſe ad eſſe abſque medio ſubiecto, & hoc reperitur inter contradictoria. Medium per participationem dicitur illud, quod videtur participare de extremis, de quo exemplificat Scot. in 1. diſt. 17. q. 1. exemplo albi, nigri, & fuſci, dicendo, fuſcum eſſe medium per participationem: 3. denique eſt medium per ſimilitudinem, quatenus medium videtur cum extremis habere aliquam ſimilitudinem; ſic liberalitas reſpectu auaritiæ videtur prodigalitas,& reſpectu prodigalitatis apparet auaritia.

Not. 2. quod aliud eſt, virtutem eſſe medium quoddam inter duo extrema vitia, aliud verò virtutem efficere, vt homo in ſuis actionibus teneat medium, hic agimus de hoc ſecundo. Vnde in hoc conueniunt virtutes morales, vt paſſim tradunt Doct. cum D. Thoma, & paulò ſuperius indicauimus cum Odone, quod iuſtitia, temperantia, fortitudo, manſuetudo &c. conſtituant medium in affectu, in actionibus, in materia, & circumſtantijs; & quidem in affectu formaliter, in actionibus effectiuè, in materia, & circumſtantijs obiectiuè; in eo autem diſcrepant, quod iuſtitia conſtituit medium rei aliæ medium rationis; quia iuſtitia reſpicit potiſſimum æqualitatem rei ad rem, nempe, vt tantum detur alteri, quantum illi debetur; at aliæ ſpectant potiſſimè qualitatem operantis; nimirum quod à ratione conſideretur, quomodo huic, vel illi perſonæ operanti conueniat. Cæterum, quia omne medium debet eſſe conſentaneum rationi, & in omni virtute re ipſa aliquod medium exiſtere debet, ſequitur, quod omnis virtus attingat medium rationis, & rei; vt clariùs in concl. 2. explicabitur.

Concl. Omnis virtus moralis, vel formaliter, vel ſaltem materialiter inter duo vitia in medio conſiſtere debet. Eſt communis, & prob. 1. ex Ariſt. qui, vt ſuprà indicauimus docet lib. 2. Eth. virtutem conſiſtere in mediocritate, ſeu

in medio; eò quia extrema ſunt vitioſa. Prob. etiam ex S. Scrip. & ſignanter Iſai. c. 38. vbi ſic habetur. *Hæc eſt via, ambulate in ea, & non declinetis neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*; vbi per dexteram, & ſiniſtram Doct. intelligunt duo virtutum extrema, ergo virtus in medio conſiſtit. Prob. ratione deſumpta ab inductione omnium virtutum moralium. Eſt omnibus compertum, quod fortitudo mediat inter puſillanimitatem, & temeritatem, liberalitas inter prodigalitatem, & auaritiam, prudentia inter calliditatem, & imprudentiam, & ſic diſcurrendo de alijs virtutibus, ergo omnis virtus aliquo modo, vel formaliter, vel materialiter conſiſtit in medio.

Notanter dicitur formaliter, vel materialiter, eò quod, etſi virtus moralis vtrique vitioſo extremo formaliter non opponitur; opponitur tamen vni ſaltem formaliter, & alteri materialiter: cenſetur autem virtus moralis formaliter opponi vtrique extremo vitioſo, ſi vtrumque ſit prauum, & difforme per oppoſitionem ad ipſammet virtutem moralem; ſic v. g. formaliter opponitur fortitudo puſillanimitati, & temeritati, quia vtraque immediate eſt difformis à fortitudine; materialiter verò, ſi ex vna parte contingat peccari formaliter contra ipſam virtutem; at ex altera parte in materia eiuſdem virtutis contingat peccari per oppoſitionem ad aliam virtutem ob alias rationes, & circumſtantias annexas. Sic materialiter tantum opponitur temperantiæ nimia abſtinentia a cibis, qua deſtrueretur vita humana, formaliter verò opponitur charitati erga ſeipſum.

II. Concl. Medium, in quo virtus moralis conſiſtit, non eſt medium rei, ſed rationis. Eſt Scoti in 3. d. 34. q. 1. & paſſim Scotiſt. Prob. 1. Per Ariſt. habetur in lib. 3. Eth. virtutem moralem eſſe habitum electiuum in medietate conſiſtentem à recta ratione præſinienda, ergo medium virtutis eſt medium rationis, & non rei. Prob. 2. ratione, & peculialiter de iuſtitia, & quidem primò de Iuſtitia diſtributiua. Iuſtitia diſtributiua verſatur circa diſpenſationem proportionatam proportione geometrica præmiorum, officiorum &c. tali lege, vt iuxta gradus meritorum ſuadeat eſſe conferenda præmia maiora Dignioribus, & magis qualificatis, & pariter iuxta gradus qualitatum danda eſſe officia

cia

cia publica &c. ſed huiuſmodi diſtributio non eſt medium rei, ſed rationis, taxatum, & dictatum à ratione recta; ergo iuſtitia diſtributiua procedit ſecundùm medium rationis. Prob. etiam de iuſtitia commutatiua. Hæc ſiquidem verſatur circa humana commercia, & contractus politicos, ideſt venditionis, emptionis &c. in quibus ſeruat medium rationis, & non rei, ergo &c. Prob. ant. Medium rei ſemper manet idem, rationis verò variatur, vt ſupradictum eſt; ſed medium, quod tenet iuſtitia comutatiua non poteſt ſemper manere idem, cum variari debeat; pretia namque rerum vendibilium, ac emibilium variantur ſecundum rationes temporum, locorum, & paucitatem, vel multiplicitatem emptorum; idquè præſtat recta ratio, ergo iuſtitia comutatiua, cum ſeruet medium rationis, in eo conſiſtere debet; Verùm eſt tamen, quod, poſtquàm ratio medium prædefiniuit; debet ſeruari tale medium ſecundum proportionem aritmeticam. Itaque eſtò ratione menſuræ aritmeticæ iuſtitia comutatiua exigat medium rei; ac in eo videatur conſiſtere, vt clariùs dicetur in tract. de iuſt. & iure, nihilominus primariò reſpicit medium rationis; ita etiam tradit Buridanus in Eth.

Arg. cont. 1. concl. Humilitas habet vnicum tantum extremum vitioſum, nempe ſuperbiam; ſiquidem peccari non poteſt nimia humilitate. Idem videtur de Religione, cui ſola opponitur irreligio. Item de pœnitentia, cui ſola cordis duritio videtur opponi, ergo nòn omnis virtus conſiſtit in medio inter duo extrema vitioſa. Reſp. neg. ant. Nam etiam humilitas habet duo extrema vitioſa qualia ſunt ſuperbia, & abiectio, in quod vitium caderet, qui moderatos, & licitos honores reſpueret, quos recta ratio hic, & nunc ſuaderet admittendos. Similiter Religio habet irreligioſitatem, & ſuperſtitionem qua exhibetur Deo cultus indebitus. Denique pœnitentia mediat inter duritiem cordis, & immoderatam pœnitentiam.

Arg. 2. Magnanimitas, quæ circa maximos honores, & magnificentia quæ circa maximos ſumptus verſatur, ſicut etiam paupertas euangelica, quæ omnibus diuitijs renuntiat, & inſuper Virginitas non ſunt conſtitutæ inter oppoſita vitia, ergo non omnis virtus in mediocritate conſiſtit.

Reſp. ex D. Thoma. Quod media, & extrema in acti-

 bus,

bus, & affectibus animi ſpectantur ſecundum diuerſas circumſtantias: quod enim eſt extremum in virtute, ſi alicuius circumſtantiæ ratio habeatur, medium erit: Etenim eò tendunt virtutes, vt fiat debitis circumſtantijs; hoc eſt, vbi, quando, quomodo oporteat, ac ratio dictat. Hinc Ariſt. de Magnanimo loquens ait, eum eſſe magnitudinis extremum, medium autem in eo, quod oportet. Quarè cum Virginitas, & paupertas euangelica ſint propter quod oportet, nempe propter vitam æternam; & etiam vt oportet iuxta Dei mandatum, aut conſilium, in medietate verſantur, & conſiſtunt: tunc verò eſſent ſuperfiuæ ſi illicitam ſuperſtitionem, aut inanem gloriam ſectarentur; ſicut è contra, qui votum Virginitatis, aut paupertatis frangunt defectu peccant.

Arg. 3. Virtus omnis ex Ariſt. eſt ſummum ſeu extremum potentiæ, ergo non eſt in mediocritate poſita.

Reſp. diſt. ant. Virtus eſt quid ſummum ratione obiecti formalis, nempe honeſtatis; conc. ant. quia nemo eſt, aut nimis iuſtus, aut nimis temperatus in ratione virtutis; ratione materiæ, circa quam verſatur, eſt quid ſummum, nego ant.

Arg. 4. Iuſtitiæ opponitur ſola iniuſtitia, ergo non habet duo extrema &c. Reſp. diſt. ant. opponitur ſola iniuſtitia, quæ aut infra, aut ſupra modum peccat; conc. ant. quæ ſemper infra modum, & defectum deuiat à mediocritate; neg. ant. Quarè fatemur nullum eſſe vitium oppoſitum iuſtitiæ, quod exceſſu peccet; ſi ratio obiecti formalis, ideſt honeſtatis habeatur, idque omni virtuti commune eſt; at ſi officium iuſtitiæ, vel materia ei ſubiecta ſpectetur, non eſt dubium, quin iuſtitia vindex culpæ, & pœnæ æqualitatem exigat, quæ quidem æqualitas exceſſu, aut defectu deſtrui poteſt; ac proinde vtroque modo à iuſtitia deuiatur, & peccatur.

Arg. cont. 2. conc. Medium iuſtitiæ commutatiuæ conſiſtit in medio aritmetico, ſed huiuſmodi medium non eſt medium rationis, ergo &c mai. prob. Quia iuſtitia commutatiua procedit ſecundum æqualitatem rei, tali pacto; vt ſi quis det alteri determinatam menſuram frumenti, eandem quantitatem debeat reſtituere, vel in æquiualenti, ideſt in pretio taxato; min. patet, quia medium rationis eſt me-

medium geometricum. Reſp. diſt. mai. Iuſtitia commutatiua in medio arithmetico primariò, itaut tale medium ſit independens à ratione determinante; neg. mai. ſecundario, hoc eſt dependenter à ratione conc. mai. quia vt in probatione concluſionis oſtendimus, medium iuſtitiæ commutatiuæ non ſemper manet idem, ſed variatur ſecundum diuerſas circumſtantias, nempe loci, temporis &c. quæ à ratione ſunt rectè conſiderandæ &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum Virtutes Theologicæ conſiſtant in medio.

NOt. Quòd medium virtutis poteſt ſe tenere dupliciter, vel ex parte obiecti formalis, vel ex parte actus, priori modo nequit virtus theologica conſiſtere in medio, quia, cum Deus ſit obiectum formale virtutum theologicarum, nimirum ſummæ veracitatis, ſummæ bonitatis, & ſummæ amabilitatis, idcirco nunquam poteſt peccari per exceſſum, videlicet ſemper plus credendo, ſemper plus ſperando ſummum bonum poſſidendum, & plus amando: poſteriori autem modo poteſt virtus theologica habere medium; nam poteſt quis indebitè colere, ſperare, & amare, atque credere, vt magis patebit in probatione ſequentis concluſionis.

Concl. Virtus theologica ſeruare debet aliquod medium, non quidem ex parte ſui obiecti formalis, ſed tantum ex parte actus. Eſt communis Theologorum ſententia; & docetur à Scoto in 3. diſt. 26. q. 1. Prob. 1. pars concl. Virtutibus theologicis duplex aſſignatur menſura à Theologis, altera ſecundum ipſam rationem virtutis, eſtque ipſemet Deus: fides namque noſtra regulatur ſecundum veritatem diuinam, ſpes ſecundum magnitudinem omnipotentiæ, & pietatis eius; charitas autem ſecundum bonitatem eius, ſed iſta menſura excedit omnem humanam facultatem; non enim poteſt homo tantum diligere Deum, quantum diligibilis eſt. Vnde ait D. Bernard. modus diligendi Deum eſt ſine modo diligere; nec pariter poteſt tantum credere, aut ſperare in ipſum Deum, quantum exigit Diuina veritas, atque bonitas, ergo ex parte obiecti forma-

lis

lis virtutis theologicæ non datur medium. Altera menſura aſſignatur ſecundùm rationem actus; & hinc probatur. 2. pars concl. diſcurrendo ſigillatim per omnes tres virtutes. Et quidem in primis fides habet duo extrema vitioſa formaliter oppoſita, nempe leuitatem, & pertinaciam, in leuitatem labitur quis dum citò abſque rationabili motiuo adhæret alicui propoſitioni iuxta illud Eccleſ. cap. 10. *Qui citò credit, leuis eſt corde*: in pe tinaciam; dum quis contemnit aſſentiri articulo fidei ſufficienter propoſito, ſed inter hæc duo mediat fides theologica, ergo fides ex parte tenet medium: 2. Spes pariter habet duo extrema vitioſa; ideſt præſumptionem, & deſperationem; præſumptione quis peccat, ſi deſideret beatitudinem abſque gratia, auxilijs diuinis &c. Deſperatione, ſi omnem ſpem conſequendi beatitudinem abijciat, ſed inter hæc mediat ſpes theologica rationabiliter ſperando beatitudinem ergo &c. 3. Charitati opponitur duobus extremis vitioſis, quorum vnum eſt odium Dei, alterum inordinatio in diligendo ipſum Deum; puta ſi quis nimiam, & indiſcretam adhiberet vehementiam in diligendo, vel aſſumeret medium peccaminoſum ad amorem Dei ſuper omnia ſignificandum, v.g. inferendo ſibi necem ob amorem Dei, ſed inter hæc mediat charitas diligendo Deum ſuper omnia; ſed ordinatè iuxta conſiliũ Apoſtoli ad Rom. 12. Rationabile obſequium veſtrum; ergo &c.

Quæres. An virtutes intellectuales debeant ſeruare aliquo modo medium.

Reſp. cum noſtro Gerardo Odone Epiſcopo Anthiocheno affirmatiuè; Ratio, quia virtus intellectualis conſiſtit in veritate media inter falſitates extremas. Veritas enim eſt conformitas enuntiationis ad intellectum, de qua enunciatur: Falſitas autem eſt difformitas oppoſita: & hæc conformitas habet tantum vnum medium in affirmatiuis, & vnum medium in negatiuis: vnde Ariſt. lib. 10. meta. ait, quod dicere verum eſt dicere eſſe quod eſt, vel non eſſe quod non eſt. Quarè ab hac conformitate deuiat difformitas falſitatis dupliciter, nempe per ſuperabundantiam, & per defectum; primo modo plus affirmando de re, quàm ſit, puta dicendo eſſe quod non eſt: ſecundo modo dicendo minus, quàm eſt, puta dicendo non eſſe, quod eſt, & ſic patet modus habendi medium in virtutibus intellectualibus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum habitus virtutis ſit intrinſecè, & eſſentialiter bonus, adeòut vitiari nequeat.

NOt. Quod in hac quæſtione ſunt duæ opiniones, altera eſt Thomiſtarum contendentium, virtutem eſſe habitum intrinſecè, & eſſentialiter bonum, adeòut nunquàm habitus bonus poſſit euadere malus. Fundamentum illorum eſt, quia diuiſio habituum moralium in bonos, & malos eſt generis in ſuas ſpecies; ſicut numeri in parem, & imparem, & animalis in rationale, & irrationale, ac proinde ſicut numerus par nequit euadere impar; ita pari ratione habitus moralis bonus nequit declinare in malum, & vitioſum. Altera eſt Scoti in 1. d. 17. q. 3. §. quantum igitur ad iſtam, & §. ad argumenta pro quinta opinione, vbi docet, diuiſionem habitus moralis in bonum, & malum non eſſe generis in ſpecies, ſed ſubiecti in accidentia, vt corporis in album, & nigrum; & conſequenter poſſe eundem numero habitum de bono in malum, & vitioſum tranſire; ſit igitur.

Concl. Habitus virtutis moralis in ſua entitate phyſica inuariatus, poteſt fieri vitioſus; & ad actum malum inclinare. Prob. Virtus moralis in ſua phyſica entitate non eſt intrinſecè bona moraliter, ſed indifferens ad bonitatem, & malitiam moralem, vt etiam in tract. de actib. human. tactum fuit, ergo habitus moralis in ſua entitate inuariatus poteſt de bono fieri malus, alioquin non eſſet indifferens, & extrinſecè bonus moraliter.

Prob. 2. Habitus virtutis moralis ideò dicitur virtuoſus, & vitioſus, quia inclinat ad actus, vel conformes, vel difformes rectæ rationi tanquàm communi regulæ actionum humanarum, ſed idem numero habitus quoad entitatem phyſicam poteſt nunc inclinare ad actus rectæ rationi conformes, nunc ad difformes, ergo idem habitus in ſua phyſica entitate inuariatus, modo poteſt eſſe virtuoſus, & deinde vitioſus: mai. patet; quia moralitas virtutis, & vitij, tam in actum, quàm in habitum ab eadem regula deriuatur. Minor exemplo probatur, & declaratur, deſumpto ex habitu temperantiæ in Ethnico, qui iuxta erroneum dictamen

rationis poſt plures actus temperantiæ in venerationem ſui Idoli exercitos, tandem acquirit habitum temperantiæ, virtute cuius, ad fidem catholicam poſtea conuerſus, abſtinere ſolet eadem promptitudine ob cultum veri Dei ſequendo dictamen rectæ rationis; ſed in tali homine prius Ethnico, & deinde catholico reperiuntur actus conformes, & difformes rationi, prouenientes ab eodem numero habitu, ergo idem habitus temperantiæ tranſiuit de malo in bonum. & hæc eadem ratio militat de alijs habitibus.

Reſp. Thomiſtæ moderni, negando talem Ethnicum ab eodem habitu inclinari ad honeſtos temperantiæ actus, à quo antea ad vitioſos inclinabatur: Verùm hæc reſponſio inſufficiens eſt, ideoque tali pacto improbatur: Dentur duo homines, quorum vnus Bacco ſeruierit, & alius conſueuerit in honorem alicuius Idoli ieiunare; & poſtea conuertatur vterque ad Chriſti fidem: indubiè ille, qui ſolebat ieiunare in honorem Idoli, erit magis diſpoſitus ad ieiunandum tempore ab Eccleſia præſcripto, quàm alius; ergo liquidò patet, facilitatem illam oriri ex priori habitu jam acquiſito, qui erat malus, & poſtea bonus ex eo, quod habeat debitas circumſtantias; ac proinde habitus, ſeu virtus moralis in ſua entitate, ſeu materialiter includit tantùm facilitatem illam operandi circa obiectum propoſitum v. g. temperantiæ, cui entitati, vt ſubiecto indifferenti accidit, quod ſit bona, vel mala.

Arg. cont. conc. Ariſt. lib. 2. Eth. cap. 8. tradit, virtutem eſſe habitum, à quo bonus efficitur homo, & qui opus eius reddit bonum, ergo non poteſt idem habitus eſſe à quo homo efficiatur malus, & opus eius reddatur malum. Reſp. Ariſt. loqui in ſenſu materiali, quatenus videlicet virtus pro materiali eſt habitus, à quo homo efficitur bonus &c. & opus eius redditur bonum non ex natura habitus talis, ſed ſi adſit formalitas, ideſt conformitas ad rectam rationem, à qua pro formali habitus habet efficere hominem, & eius opus bonum, qua variata, idem habitus materialiter efficere poteſt hominem, & eius opus malum.

Arg. 2. ratione. Si habitus virtutis in entitate phyſica inuariatus poſſet inclinare ad malum, ſequeretur, quod poſſet inclinare ad actus diſſimiles illis actibus, à quibus fuit generatus, ſed hoc eſt contra naturam cuiuſcunque habi-

bi-

bitus, qui habet inclinare ad actus conſimiles; ergo &c. Prob. min. Habitus non generatur niſi ex actibus eiuſdem rationis, ergo pariter ad ſolos actus eiuſdem rationis pariter inclinat ex natura ſua; ſubſumo min. ſed actus diſſimiles non ſunt eiuſdem rationis, ergo eſt contra naturam habitus ad eos inclinare. Reſp. diſting. mai. ſequelam: habitus virtutis poteſt inclinare ad actus diſſimiles &c. ex circumſtantia, & in genere moris, neg. mai. ex obiecto, ſeu in ſpecie, & entitate phyſica, conc. mai. Itaq; licet actus temperantiæ, qui elicitur ob cultum Idoli ſit ex circumſtantia finis, & in genere moris diſſimilis ab actu elicito ob cultum veri Dei; ex obiecto tamen, & in entitate phyſica ambo ſunt ſimiles, cum ſint actus temperantiæ: & ſic patet quid ſit dicendum ad probationem &c.

Arg. 2. Habitus virtutis dicit ſpecialem ordinem ad rectam rationem, & prudentiam; ità ut eam indiſpenſabiliter ſequatur, ergo habitus bonus virtutis nequit vllo caſu fieri vitioſus: conſ. pat. Nam quod importat ſimilem ordinem ad rectam rationem, in nullo caſu poteſt eſſe vitioſum. Reſp. diſting. ant. Si habitus virtutis ſumatur in ſenſu reduplicatiuo, conc. ant. quia virtus, vt virtus importat eſſentialem ordinem ad rectam rationem, & prudentiam; in ſenſu ſpecificatiuo, neg. ant. Vel dicendum. In genere entitatiuo, ſeu pro materiali neg. ant. in genere moris, ſeu pro formali; conc. ant.

Arg. 4. probando, quod virtus moralis formaliter, & eſſentialiter importet habitum de genere qualitatis, ac proinde non conſiſtere in relatione ſuperaddita conformitatis ad rectam rationem. Ariſt. in prædicam. cap. de qualitate conſtituit vitia, & virtutes ſub genere habitus, tanquam ſpecies illius; & lib. 2. Eth. c. 5. & 6. docet, habitum eſſe genus reſpectu virtutis; Ariſt. autem loquitur de virtute formaliter ſumpta, alioquin non explicaret genus virtutis formaliter ſumptæ; ergo virtus formaliter conſtituitur talis non per relationem conformitatis ad prudentiam, ſed per rationem formalem ipſius ad genus qualitatis.

Confirm. Etenim virtus formalis ſimul cum potentia effectiuè cõcurrit ad productionem actuum bonorum; ſed hoc munus ſolus habitus de genere qualitatis exercere poteſt, quia omnis relatio eſt de genere ſterilium, ergo virtus

eſſen-

eſſentialiter eſt habitus &c. Reſp. Reponi in prędicam. virtutem pro materiali; & eſſe illius ſpeciem, & connotatiuè per habitum definiri ſicut definiri ſolet accidens per ſubiectum; quo ſenſu definiuit virtutem Ariſt. loc. cit. Ad confirmationem reſpondet Scot. in 1. d. 17. q. 2. nullam cauſalitatem habere virtutem in actum, niſi vt eſt talis qualitas naturalis, & ad illum actum in ſe inclinat habitus ex natura ſua; ad bonitatem verò ex conſequenti, quatenus in cauſando vnitur prudentiæ tribuere namque bonitatem moralem eſt tribuere conformitatem ad rectam rationem, quod præſtat qualitas illa habitus, non vt qualitas phyſica ſolum, ſed quatenus in cauſando coniungitur prudentiæ ſimul inclinanti.

Quæres: An idem habitus virtutis intellectualis inclinans ad verum, in ſua entitate inuariatus poſſit inclinare in falſum; & ſimiliter idem ſuo modo poſſit virtus infuſa theologica. Reſp. affirmatiuè de habitibus naturalibus. Ratio, quia habitus inclinans Philoſophum infidelem ad iudicandum generaliter omne accidens habere ſuum ſubiectum ſubſtentans, inclinare poteſt eumdem ad iudicandum in particulari, hæc accidentia habere ſubiectum ſubſtentans &c. hoc autem iudicium falſum eſt in Sacramento Altaris: ergo &c. Reſp. 2. negatiuè de virtute infuſa. Ratio eſt, quia habitus virtutis infuſæ eſt ſua natura ſupernaturalis, & ordinatur præciſè ad actus ordinis ſupernaturalis; & inſuper, quia ex ſpeciali Dei gratia procedit, ac proinde nequit inclinare ad actus malos, & quia ſunt mali, & quia ſunt ordinis naturalis.

DISPVTATIO II.

De virtutum ſubiecto, connexione, diſtinctione &c.

QVÆSTIO I.

Vtrum virtutes morales ſint in voluntate, vel in appetitu ſenſitiuo, tanquam in ſubiecto.

NOt. 1. Quòd virtutes morales, vt apud Doctores catholicos eſt in confeſſo non inſunt nobis à natura, nec à temperamento, ſed per voluntariam aſſuetudinem

eas

eas comparamus: non ſunt quidem à natura, nam quæ naturalia ſunt, nunquàm imutantur, & poſito quocunque actu contrario. Vnde lapis quantum vis ſurſum proijciatur, nunquàm adhunc motum aſſueſcet, ſed ſemper natura impellente deorſum labitur. Virtus autem comparatur etiam ſępiùs renitente naturali ſenſuum propenſione. Tum quia ſequeretur, quod omnes homines ab exordio formationis eſſent virtute præditi; ac proinde vanæ eſſent inſtitutiones, educationes, leges, & præcepta. Neque ex temperamento. Etenim ſi virtus, & mores à temperamento, tanquàm ex cauſa adæquata perfluerent, omnia bruta eſſent virtutibus prædita, cum temperamenta ipſis inſit æquè ac hominibus; immò ſæpiùs perfectiùs temperamentum in eis reperitur, quàm in hominibus. Tum quia non eſſent virtutes in noſtra poteſtate; ac proinde non efficerent nos laude, vel præmio dignos. Nihilominus fatendum eſt, temperamentum in homine eſſe aliqualiter cauſam inadæquatam morum, ac virtutum: mores ſiquidem multum variantur temperamento, & conſtitutione naturali: hinc quidam ad vitia, alij ad virtutes magis, vel minus ſunt procliues, vt etiam adnotauit Ariſt. lib. 6. moral. cap. 17.

Not. 2. Quòd aliqui ſentiunt, Ariſt. tenuiſſe virtutes morales etiam in parte ſenſitiua reperiri, excepta iuſtitia; non alia ratione ducti; niſi quia huiuſmodi virtutes ſunt circa paſſiones, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo, non autem in voluntate. Cæterùm diſcrepant etiam Theologi in hac quæſt. Siquidem D. Thom. cum ſuis p. 2. q. 56. art. 4. docet, virtutes, quæ ad alterum non ordinantur, quales ſunt temperantia, & fortitudo, non reperiri in voluntate, ſed in appetitu ſenſitiuo; alias verò virtutes ad alterum ordinatas, qualis præſertim eſt iuſtitia, concedunt Thomiſtę, in voluntate ſubiectari: ita ſignanter Caiet. Capreol. Conimbric. Salas, & alij. Verùm Scot. in 3. d. 37. D. Bon. diſt. ead. art. 1. q. 3. quos ſequuntur Scotiſtæ, & paſſim Recentiores Neutrales, aſſerunt omnes virtutes morales, etiam quæ ad alterum non ordinantur ſubiectari immediatè in voluntate; in appetitu autem ſenſitiuo admittunt ſolummodo habitus quoſdam virtutibus ſimiles: ideo ſit.

I. Concl. Omnes virtutes morales ſunt ſubiectiuè immediatè in voluntate. Prob. ex Scoto ſi c. Licet voluntas ſine

habitu poſſit actum rectum elicere, & moraliter bonum; & ſimiliter intellectus poſſit in rectum iudicium ſine omni actu intellectuali, quia primus actus intellectus, & prima actio recta voluntatis præcedunt habitum ſecundum quemcunque actum, eò quòd ex ipſis generatur quicquid primò ineſt de habitu; tamen ſicut in intellectu, vel per primum actum rectum, vel per plures actus elicitos rectè generatur habitus prudentiæ; ita etiam per ipſam rectum elicere, ſeu per ipſam rectam electionem conſonam rectæ rationi, vel per multas tales electiones generatur in voluntate virtus rectè inclinans ipſam ad rectam electionem, ergo omnis virtus moralis ſubiectatur in voluntate.

Confirmatur. Nam voluntas prius naturaliter elicit aliquid in ſe, quàm imperet actum appetitui ſenſitiuo, & potentiæ inferiori: non enim quia imperat potentiæ inferiori, ideò vult, ſed è conuerſo; ergo in illo priori poteſt voluntas, cum ſit indeterminata, & determinabilis, ſicut intellectus, enerare in ſe ipſa ex rectis electionibus habitum inclinantem ad rectè eliciendum; ergo habitus talis immediate in voluntate ponitur. Prob. 2. ex D. Bon. Virtus eſt principium operis laudabilis, ergo eſt in illa potentia, circa cuius actum conſiſtit laus, ſed talis potentia eſt voluntas; ergo &c.

II. Concl. In appetitu ſenſitiuo ponimus aliquos habitus bonos, qui tamen non ſunt virtutes propriè dictæ, ſed ſolum quædam virtutis vmbræ ex Scot. loc. cit. Prob. 1. pars. Appetitus ſenſitiuus per actus à ratione, & à voluntate imperatos frequenter paſſiones ſuas reducit ad mediocritatem, & redditur promptior ad actus cum tali mediocritate exercendos, ſed hoc non poteſt eſſe niſi ex habitu comparato, ergo in appetitu ſenſitiuo ſunt ponendi habitus; maior clarè patet; Nam qui diu ſe exercuit in abſtinentia à cibo, & potu, & à venere faciliùs, & promptiùs reſiſtit carnis delectationibus, & ab alijs delectabilibus ſe abſtinet, quàm qui ſe totum tradidit carnis voluptatibus, & veneri indulſit. Prob. 2. pars; quod talis habitus ſit bonus &c. Habitus ille dici poteſt, & debet bonus, ac virtuoſus, qui retrahit ab eo, quod eſt inhoneſtum, & inclinat in id, quod eſt honeſtum ex natura ſua intrinſeca, etiamſi ex ſe non tendat in illud, quatenus honeſtum eſt; quia vt docet

Scot.

Scot. diſt. 37. §. ad quæſt. non eſt habitus electiuus, nec inclinans ad electiones; ſed habitus in appetitu ſenſitiuo ſic ſe habet, ergo talis habitus dici poteſt virtuoſus, ſeu virtus ſenſitiua moralis; & veluti vmbra virtutis. Quod autem non ſit propriè virtus ſic Scot. probat contra Thomiſtas. Videtur impoſſibile illud, per quod laudabiliter, vel vituperabiliter operatur, eſſe præcisè in eo, quod eſt ſibi commune cum brutis, ſed per virtutem homo laudabiliter operatur, ergo virtus propriè dicta non poteſt eſſe in appetitu ſenſitiuo, qui eſt communis ſibi, & brutis.

Nec valet reſponſio Caiet. p. 2. q. 56. art. 6. quod virtutes ſunt in appetitu ſenſitiuo, non quatenus communis eſt nobis, & brutis, ſed quatenus ſubijcitur rationi, quo pacto non eſt nobis, & brutis communis; non valet, inquam, quia licet appetitus ſenſitiuus in homine rationi ſubijciatur, non autem in bruto, adhuc tamen ſemper erit verum dicere in opinione Caiet. quod virtutes ſunt in aliquo, quod eſt commune homini, & bruto; eò quòd ordo ille ad rationem non ponit in appetitu ſenſitiuo entitatem aliquam, ratione cuius ſit ſubiectum virtutis; alioquin dicere poſſemus, viſionem albedinis in oculo humano non eſſe in aliquo, quod ſit commune brutis, quia potentia viſiua hominis rationi ſubijcitur.

Arg. cont. 1. concl. Ariſt. 3. Eth. c. 10. docet, fortitudinem, & temperantiam eſſe in parte intentionali, ideſt in parte iraſcibili, & concupiſcibili appetitus ſenſitiui; & D. Paulus ad Rom. 17. indicat, totam difficultatem noſtrorum actuum originari à paſſionibus rebellibus appetitus irrationalis, dum ait. Video aliam legem in membris meis &c. & ad Galat. c. 5. caro concupiſcit aduerſus ſpiritum; ergo virtutes morales ad ſe ipſum ordinatę ſubiectiuè ſunt in appetitu ſenſitiuo, vt motus inordinatos compeſcant.

Reſp. Ariſt. loc. cit. ſolum velle, quod fortitudo, & temperantia non ſubiectiuè, ſed obiectiuè ſint in parte irrationali: quaſi diceret, quod obiectum, & materia circa quam verſantur ſint in parte irrationali, non verò ipſæ virtutes; & hic eſt germanus ſenſus, vt etiam deducitur ex textu lib. 2. Eth. c. 6. Similiter D. Paulus ſignificauit nobis luctam, & bellum appetitus ſenſitiui contra rationem, ad quam ſpectat coercere appetitus motus inordinatos: ad confirm.

dicimus, poſſe poni in parte ſenſitiua aliquem habitum, qui non eſt propriè virtus.

Arg. 2. Virtus moralis eſt moderatiua paſſionum, & in voluntate non ſunt paſſiones, ſed tantum in appetitu ſenſitiuo, ergo in ipſo ſolo, & non in voluntate ſunt ponendę virtutes morales. Confirm. Nam in ea potentia eſt collocanda virtus moralis, eam rectificans, quæ maximè declinat à bono ſimpliciter, ſed ſolus appetitus ſenſitiuus eſt huiuſmodi; ergo &c. Reſp. conc. mai. & neg. min. Siquidem paſſiones reperiuntur non ſolum in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in voluntate, inclinantes eam ad oppoſitum boni, ad quas temperandas, vel tollendas, vt rectè docet Scot, vtilis eſt habitus virtutis, cum in voluntate, etiam teſte D. Aug. lib. 4. de Ciuit. c. 5. & 6. ſint paſſiones gaudij, & triſtitiæ, timoris, & audaciæ &c. Immò etiam ſi voluntas non haberet in ſe huiuſmodi paſſiones, & in appetitu tantum eſſent, adhuc tamen voluntas virtute indigeret, vt facilius, his non obſtantibus, bonum proſequatur, cuius proſecutionem paſſiones illæ impedirent, & maximè quia voluntas nata eſt condelectari ſenſui.

Arg. cont. 2. concl, probando, quod in appetitu ſenſitiuo ſit propriè virtus. Actus temperantiæ, & fortitudinis ſunt actus appetitus ſenſitiui, ergo temperantia, & fortitudo tanquam veræ virtutes ſunt in appetitu ſenſitiuo; conſ. pat. Nam ibi eſt virtus, vbi illius actiones apparent. Reſp. diſt. ant. Actus imperati à temperantia, & fortitudine ſunt in appetitu ſenſitiuo, conc. actus imperantes, neg. ant.

Contra. Ibi eſt virtus, vbi eſt illius effectus primarius, ſed talis effectus primarius virtutis moralis eſt perturbationum moderatio, quæ ſunt in appetitu ſenſitiuo, ergo virtus eſt in appetitu. Reſp. diſt. min. Effectus primarius eſt moderatio actiua perturbationum, conc. min. paſſiua neg. min. Iam modo eſt partis rationalis regere appetitum, ac proinde illa moderatio actiua, & primaria eſt actus liber, cuius motiuum eſt bonum honeſtum, quod non reſpicit actus appetitus ſenſitiui.

Arg. 2. Virtus, quæ ponitur in appetitu ſenſitiuo reddit hominem bonum, ſed hoc præſtat virtus propriè dicta; ergo &c. Reſp. diſting. mai. Virtus &c. reddit hominem bonum bonitate extrinſeca conc. mai. bonitate intrinſeca, &

ſimpliciter, neg. Nam bonus eſt homo ſimpliciter, cum recta ratione vtitur, & conſtantem voluntatem habet ad perficiendum, quod recta ratio præſcribit. Quando autem accedit etiam laudabilis operatio corporis, ſeu externa, puta ſi compeſcatur ira, tunc exterior bonitas interiori bonitati ſuperuenit.

QVÆSTIO II.

Vtrum virtutes morales ſint inter ſe connexæ.

NOt. 1. Quòd quædam virtutes ſunt communes omni hominum generi, ac conditioni, regulantes omnes homines ad rectè viuendum; tales ſunt virtutes cardinales. Aliæ ſunt virtutes peculiares, quæ competunt tantum alicui ſtatui, ſeu hominum conditioni; tales ſunt virtutes Religioſorum, puta caſtitas, paupertas, obedientia &c. Similiter virtutes, quæ Principem decent, vt magnificentia, iuſtitia vindicatiua &c. Vnde præſens quæſtio non eſt de virtutibus poſterioris generis, eſt enim omnibus exploratum, quod habens aliquam virtutem moralem, non tenetur habere eas, quæ ad ſpecialem ſtatum ſpectant, ſed eſt de virtutibus primi generis. An videlicet habens vnam virtutem moralem, habeat neceſſariò alias virtutes, adeout vna virtus moralis neceſſariò alias concomitetur.

Not. 2. Quòd virtus moralis tripliciter poteſt conſiderari. Primò in ſtatu imperfecto: 2. in ſtatu perfecto: 3. in ſtatu heroico, & ſuperexcellenti. Primo modo non eſt propriè virtus, ſed diſpoſitio quædam, quam nata eſt ſequi virtus perfecta: 2. modo eſt virtus perfecta, & intenſa, atque firma, ſed verſatur tantum circa propriam materiam; vt temperantia circa frenandas voluptates. 3. modo, ideſt in ſtatu heroico tunc eſt, quando extra proprium obiectum ſe extendit, vt temperantia moderans voluptates, etiam propoſito mortis periculo; quo modo videtur extendi ad fortitudinem, quam doctrinam tradit etiam Ariſt. 5. Eth. cap. 1. licet ſub diuerſis terminis, vt refert Maſtrius in hac quæſt. tom. 3. ſuæ Theologiæ.

Not. 3. Quòd quælibet virtus ſpectari poteſt dupliciter; vel ſecundum propriam perfectionem intrinſecam, quam

habet in ſua ſpecie; vel iuxta perfectionem extrinſecam; quæ ei aliunde prouenit v. g. temperantia conſiderari poteſt ſecundum ſuam perfectionem intrinſecam propriam; & quatenus in eodem homine eſt coniuncta cum fortitudine: virtus priori modo ſumpta poteſt eſſe perfecta ſine connexione aliarum virtutum, excepta prudentia, quæ virtus, vt inquit Scot. cum omnibus, quæ ſunt per ſe de ratione virtutis, generatur ex actibus conſentaneis rectæ rationi, itaut vltra intenſionem actus, vel habitus virtuoſi non requirat aliud, quàm conformitatem ad rationem. Inſuper ex D.Bon. in 3. d. 36. q. 3. obſeruandum, quod de virtutibus politicis conuenit loqui, vel quantum ad propria, vel quantum ad appropriata, ſi quantum ad appropriata, ſic eſt in virtutibus politicis, ſeu moralibus connexio, quia cuiuslibet virtutis eſt diſcernere quid eligendum, & tenere medium, & rectè tendere in finem, & negotiari circa arduum, & difficile; primum eſt prudentiæ, ſecundum temperantiæ, tertium iuſtitiæ, quartum fortitudinis. Si verò loquamur quoad propria, hoc poteſt eſſe dupliciter, aut ſecundum quid, aut ſecundum ſtatum perfectionis; primo modo non ſunt connexæ; benè tamen 2. modo ita D. Bonau.

Not. 4. Pro intelligentia ſupradictorum, & infra dicendorum, quod virtus imperfecta, ſeu perfecta ſecundùm quid eſt virtus inclinans ad actum bonum, & firmans animum contra contraria, puta tentationes ſibi, ſed non contra quaſcunque alias; v. g. communis, & ordinaria virtus caſtitatis firmat animum habentis eam contra tentationes luxuriæ, ſed non metus, infamiæ turpis lucri &c. Virtus autem perfecta ſimpliciter eſt quæ inclinat ad actum bonum perſeueranter continuandum, & firmat animum contra quaſcunq; tentationes etiam non contrarias virtuti; & hæc quodamodo coincidit cum virtute heroica; quæ tantum ſuperaddit virtuti perfectæ excellentiam actus; nam virtus hæroica eſt virtus ſimpliciter perfecta obiecto ſuo inexpugnabiliter inhærens, atque producens actus excellentes, adeout, commodis, vel incommodis contrarijs omnibus illud præferat, nec ab honeſto remoueri poſſit; de qua virtute aliqua dicta fuere in tract. de gratia Dei actuali.

Not. 5. Quòd circa præſentem quæſtionem ſunt plures opi-

opiniones. Prima fuit Stoicorum, qui putabant, virtutes ita eſſe inter ſe connexas, vt qui vna careat, cæteris careat, hoc fundamento ducti, quod virtus non eſt in aliquo niſi in ſapiente, ſapiens autem ſecundùm ipſos, vt refert D. Aug. apud D. Bonau. loc. cit. eſt ille, in quem nulla cadit perturbatio; ad hoc autem, vt in homine nulla cadat perturbatio, debet eſſe connexio omnium virtutum. Secunda eſt Theologorum, qui non ſatis inter ſe conueniunt; Quidam enim aſſerunt, omnes morales virtutes eſſe inter ſe connexas, adeout vna ſine alia dari non poſſit; idque ratione prudentiæ, quia cum ipſæ virtutes ſine prudentia eſſe non poſſint, neceſſariò ſequitur, ipſas virtutes debere eſſe ſimul connexas. Ita communiter Thomiſtæ cum D. Thoma q. 65. art. 1. Alij abſolutè negant eſſe aliquam connexionem neceſſariam inter illas (ſi excipiatur prudentia, de qua infra) ſed poſſe vnam ſine alia reperiri. Ita Scotiſtæ cum Scoto in *3.* d. *36.* q. vn. quibus conſentiunt Nominales, & quam plures ex Recentioribus, vt Vaſquez Lorca, Auerſa &c. Alij denique media via incedunt, nempe diſtinguendo. Virtutes ſiquidem morales acquiſitæ, aiunt, poſſunt dupliciter conſiderari, vel in ſtatu imperfecto, vel in ſtatu perfecto: primo modo dicunt non eſſe inuicem connexas; ſecundo autem modo eſſe neceſſariò connexas ratione perfectæ prudentiæ, in qua quodammodo copulantur. Ita Moriſanus, Granad. Suarez, & alij; quæ videtur ſententia D. Bonau. & noſtri Ricardi de media villa.

I. Concl. Virtutes morales non ſunt neceſſariò inter ſe connexæ, etiam in ſtatu perfecto ſecundum quid, hoc eſt ſecundum propriam, & intrinſecam perfectionem tam phyſicam, quam moralem. Eſt Scoti loc. cit. & prob. ratione à priori de qualibet virtute. Virtutes morales inter ſe ſunt diſtinctæ, neque vna per ſe dependet ab alia, neque vna ex illis eſt pars intrinſeca alterius, ergo vna virtus perfectiſſimè haberi poteſt ſine alia, etiam de facto, ſed raro; ſicut vna ſcientia poteſt haberi ſine altera: ant. prob. Nam poteſt quis exercere aliquos actus virtutis v. g. temperantiæ, vel fortitudinis potius, quàm exerceat actus aliarum virtutum; ac proinde ſic acquirere habitum virtutis illius, prius quàm alias acquirat.

Reſp. Thomiſtæ. quod ſic arguendo, ſolum probatur,

nullam eſſe rationem neceſſariæ connexionis virtutum, inter ſe immediate, aut moralis, aut phyſicæ, quantum eſt ex formalibus rationibus earum; non tamen probatur quin habeant neceſſariam connexionem ratione tertij, in quo vniuntur, nempe ratione prudentiæ, ſine qua virtutes eſſe non poſſunt, atquè prudentia ſine ipſis. Verùm hæc Thomiſtarum reſponſio non ſatisfacit, quia vt Scot. docet loc. cit. §. quoniam ergo ad iſtam. Sicut ars reſpicit factibilia, ita prudentia agibilia; nec eſt maior connexio virtutum agibilium, vt reſpiciantur ab vno habitu, quàm factibiliùm; ſicut ergo factibilia reſpiciunt diuerſas artes proprias, ita diuerſa agibilia prudentias aliquas proprias; & ſic reſpectu diuerſarum virtutum moralium poſſunt eſſe plures particulares prudentiæ: nec poteſt poni vna omnium virtutum prudentia, niſi collectiuè, ſumendo nimirum prudentiam in tota ſua latitudine, prout omnem materiam moralem complectitur, & ſingulas particulares prudentias ſingulis diuerſis virtutibus correſpondentes. Quo pacto prudentia particularis indubiè poteſt eſſe ſine alia. Itaquè cum dari poſſit exercitium vnius prudentiæ in materia vnius virtutis, & non alterius, exiſtimandum non eſt, prudentiam eſſe vnam virtutem indiuiſibilem, in qua omnes virtutes copulentur, ſed vel conſiſtit in pluribus habitibus, vt inquit Scotus, itaut ſint diſtinctæ prudentiæ pro ſingulis virtutibus; vel ſi eſt vnus habitus, erit cum diuerſis modis extenſionis ad varias virtutum materias, non neceſſariò ad omnia ſimul, cum poſſit eſſe ad vnam, & non ad aliam.

II. Concl. Virtutes morales ſunt neceſſariò inter ſe connexæ in ſtatu perfecto; & tanto magis in ſtatu heroico: Eſt Scoti vbi ſupra. Prob. Status perfectus ſimpliciter, vt in notabilibus indicauimus, complectitur omnes virtutes morales in ſtatu perfecto ſimpliciter, ergo tantò magis in ſtatu heroico ſunt neceſſariò connexæ: ant. pat quia virtuoſus perfectè, & ſimpliciter nequit eſſe talis, niſi poſſideat omnes virtutes. Similiter virtus heroica ſuperaddit actus excellentes, adeout paſſiones ſint ferè compræſſæ, neque vnquàm, aut ſaltem rariſſimè rectæ rationi repugnent, vel repugnantes præualeant; at hoc contingere nequit, niſi quando virtutes ſunt ſibi inuicem aſſociatæ, & mutuum ſibi

bi præſtant auxilium in virtuosè operando; quo ſenſu ait Ariſt. 6. Eth. cap. 13. Simul cum prudentia ineſſe virtutes omnes, loquens de prudentia in tota ſua generalitate.

Cæterùm, an homo ſolis viribus naturæ peruenire poſſit ad huiuſmodi ſtatum perfectum, ac heroicum philoſophicè ſumptum, licet Philoſophi gentiles medium docuerint, ac monſtrauerint ad talem ſtatum perueniendi; immò quidam Philoſophi eſſe verè ſapientes ſe iactauerint, ac proinde poſſidere in ſuis operationibus ſtatum heroicum; fatendum tamen eſt iuxta veritatem catholicam, hominem pro ſtatu iſto ſolis naturæ viribus non poſſe ad tam perfectum ſtatum pertingere; eò quia, vt oſtenſum eſt in tract. de grat. actuali, nequit homo naturę viribus omnes tentationes ſuperare, neque totam legem naturalem ſeruare; præſtaret autem hæc omnia, ſi ſtatum heroicum obtinere poſſet, eſtò citra præmium vitæ æternæ.

Quod autem hæc concluſio ſit Scoti, liquidò patet ex diſcurſu, quem habet loc. cit. vbi docet, quod homo non eſt ſimpliciter moralis ſine omnibus virtutibus moralibus, ſicut non eſt perfectè ſentiens ſimpliciter ſine omnibus ſenſibus; at eſſe ſimpliciter moralis idem eſt, ac poſſidere ſtatum heroicum philoſphicè ſumptum; ergo, ſi homo non habeat omnes virtutes connexas, non dicitur ſimpliciter moralis; & tantò minus heroicus.

Arg. cont. concl. 1. Sancti Patres, & ſignanter D. Ambroſ. lib. 5. in Luc. docet, quod connexæ, & concatenatæ ſunt virtutes, vt qui vnam habeat, omnes habere videatur, & pariter D. Bernard. lib. 1. c. 6. dicit. Suauiſſimum eſſe quendam concentum, complexumque virtutum, atque alteram dependere ex altera, ergo &c. Reſp. Quod Patres loquuntur de virtutibus in gradu perfecto, ac heroico, non autem de virtutibus in gradu perfecto ſecundum quid.

Arg. 2. Omne quod fit, ait Seneca, fit iuſtè, fortiter, & temperanter, ſed opus cuiuslibet virtutis benè fit, ergo neceſſe eſt, quod fiat iuſtè, fortiter, & temperanter; ac per conſequens ad quodlibet opus virtutis concurrunt omnes quatuor virtutes morales, ſed hoc non poſſet eſſe, niſi eſſent connexæ, ergo &c. Reſp. ex D. Bonau. diſting. mai. quoad adpropriata conc. mai. quoad propria nego: vt ſupra adnotauimus.

Arg. 3. Illa non eſt virtus perfecta, quæ compatitur ſecum obliquitatem illius potentiæ, cuius eſt, circa aliquam materiam virtutis, ſed omnis virtus, quæ non habet alias aſſociares, eſt huiuſmodi; ergo &c. min. pat. Nam mulier in caſtitate habituata; ſi aliàs ſit auara, vel timida, ob pecuniam, vel timorem facilè induci poteſt ad peccandum contra caſtitatem. Reſp. ex Scoto maiorem eſſe veram de perfectione extrinſeca, & accidentali, non verò intrinſeca, & eſſentiali. Vnde virtus caſtitatis in muliere non redditur eſſentialiter imperfecta ex defectu fortitudinis, quia ad eam non pertinet dirrigere hominem circa omnia obiecta, ſed tantum circa propria.

Contra. Illa virtus nequit dici perfecta, quæ non ducit ad finem virtutis, nec ipſum aſſequitur, ſed virtus compatiens ſecum vitium illi oppoſitum ad talem finem non perducit, quia non facit virum politicum, & ſimpliciter moralem, ergo &c. Confirm. Nam habens vnam virtutem neceſſariò eſt virtuoſus, ſed virtuoſus non eſt, qui habet aliquod vitium, ergo habens vnam virtutem, nullum habet vitium; quia vna virtus comparari nequit ſine altera.

Reſp. diſting. mai. quæ non ducit ad finem totalem virtutis nequit dici perfecta conc. mai. ad finem proprium ſibi præciſè correſpondentem, neg. mai. vt Doctor ait, quælibet virtus in ſe perfecta perfectione intrinſeca perducere poteſt ad proprium finem, circa quem habet negotiari. Ad confirm. diſting. pariter mai. Neceſſariò eſt virtuoſus abſolutè, & ſimpliciter circa totam materiam moralem, neg mai. eſt virtuoſus ſecundum quid, hoc eſt ſecundum illam virtutem, quam poſſidet, conc. mai.

Contra. Nulla virtus moralis eſt perfecta in ſuo genere, niſi ſit potens reſiſtere omnibus contrarijs eius; vnde Ariſt. 2. Eth. c. 4. ait, virtutem non habere ſtatum virtutis, niſi firmo, ſtabili, atque immutabili operetur, ſed virtuti non ſolum contrariatur vitium, quod eſt circa eandem materiam, verum etiam omnia alia vitia, quæ ſunt circa materias aliarum virtutum, ergo &c. Prob. min. Quia mediocritas virtutis, e. g. temperantiæ non ſolum habet pro contrario vitium intemperantiæ, ſed etiam alia vitia; nam caſtitas fœminæ non ſolum deſtrui poteſt per veneream delectationem, ſed etiam per lucrum, vel propter ti-

mo-

morem alicuius mali', ergo omnia illa ſunt aliquo modo contraria cuilibet virtuti. Reſp. diſting. mai. Nulla virtus moralis eſt perfecta perfectione extrinſeca, & accidentali, quam vna virtus trahere ſolet ex conſortio alterius virtutis, conc. mai. perfectione intrinſeca, & formali, quam habet in ſua ſpecie, neg. mai. Non enim ſpectat ad vnam virtutem dirrigere hominem circa materias aliarum, nec reſiſtere vitijs alteri virtuti oppoſitis; alioquin omnes virtutes coaleſcerent in vnam ſimpliciter virtutem, vel eſſent partes illius, & ſic ſufficeret homini acquirere vnam ſolam virtutem, vt omnes haberet, quod eſt contra rationem, & experientiam. Ex qua doctrina patet reſponſio ad probationem minoris, & ad auctorit. Ariſt.

Quæres 1. An virtutes morales ſint neceſſariò connexæ cum virtutibus theologicis.

Reſp. ex Scot. in 3. d. 36. art. 3. negatiuè. Ratio. Quia diſpoſitio, ſupple remota, poteſt eſſe ſine forma, ad quam diſponunt; Virtutes autem morales ſunt diſpoſitiones ad theologicas, ſicut felicitas naturalis ad ſupernaturalem; ergo poſſunt eſſe perfectæ in ſua ſpecie virtutes morales abſque theologicis. Cæterùm ſi admitteremus, virtutes morales infuſas, ſecundum ſpeciem à moralibus acquiſitis diſtinctas (de quibus infra) vt opinantur Thomiſtæ, dicendum eſſet, virtutes morales infuſas cum theologicis virtutibus fore connexas quoad infuſionem, & exiſtentiam.

Quæres 2. An virtutes morales ſint neceſſariò connexæ cum prudentia, & prudentia cum ipſis.

Reſp. Prudentia, vt paulò ſuperiùs indicauimus, poteſt ſummi dupliciter. Vel ſecundum ſuam totam latitudinem, vel ſecundum particularem prudentiam correſpondentem vni ſoli virtuti: ſi primo modo ſumatur, virtutes morales ſunt neceſſario connexæ cum prudentia; ſi ſecundo modo, non ſunt connexæ; quælibet enim virtus exigit ſuam prudentiam particularem.

Cæterùm maior eſt difficultas de 2. parte quæſiti, nempe. An prudentia neceſſariò connectatur cum virtutibus. Et quidem affirmant Thomiſtæ cum D. Thom. q. 65. art. 1, hac ratione ducti. Quod, ſtante iudicio recto prudentiæ in vniuerſali, & in particulari, non poteſt voluntas non eligere

re conformiter ad rectam rationem, putantes, vt vidimus in tract. de act. human. voluntatem determinari ad ſic, vel ſic agendum ab vltimo iudicio practico intellectus, & per conſequens non poteſt virtus moralis acquiri ſine prudentia, nec prudentia ſtare ſine ipſa, quia de ratione prudentiæ ex Ariſt. 6. Eth. eſt confeſsè, ſeu conformiter ſe habere appetitui recto. Verùm dicendum eſt cum Scoto, cui conſonant preter Scotiſtas, etiam Nominales, & quam plures Recentiores prudentiam non neceſſariò ſemper connecti cum virtute morali. Ratio, quia cum intellectus non determinet voluntatem; & poſſit voluntas abſque errore præcedente in intellectu peccare, & à bono deficere, poteſt dari actus prudentiæ in intellectu, & per plures actus poteſt augeri habitus prudentialis abſque recta electione ex parte voluntatis, & abſque habitu acquiſito virtutis moralis; quia, vt arguit etiam Baſſolius diſt. 36. Sicut ſe habet actus ad actum; ita ſuo modo habitus ad habitum, ſed actus prudentiæ ſtare poteſt ſine actu moralis virtutis; ergo & prudentia vt habitus ſine virtute morali.

QVÆSTIO III.

Vtrum dentur aliquæ virtutes morales per ſe infuſæ.

NOt. Quòd hic non mouetur quæſtio de virtutibus moralibus infuſis per accidens, ſed de infuſis per ſe, quatum diſcrimen ſupra monſtrauimus. In hac igitur quæſtione ſic intellecta ſunt duæ opiniones. Altera D. Thomæ p. 2. q. 63. art. 3. & 4. D. Bonau. in 3. d. 33. art. 2. q. 5. & Ricardi ibidem, aſſerentium præter virtutes morales acquiſitas admittendas eſſe virtutes morales per ſe infuſas, quæ ſpecie differant à moralibus natura acquiſitis, quam ſententiam ita veram, & Sanctis PP. S. Scrip. & Concilijs conſentaneam dicit Medina in D. Thom. loc. cit. adeout negare virtutes morales infuſas ſit ingens temeritas. Verùm tam rigoroſa cenſura danda eſt non rationi, ſed affectui Medinæ, quo ductus nimis inconſideratè eſt locutus; cum altera Orbis Eccleſiaſtici Schola, nempe Scotica oppoſitum rectè aſſerat, & propugnet.

Concl. Quàmuis Deus de potentia abſoluta poſſit virtu-

tes

tes morales per ſe infuſas hominibus largiri; de facto tamen huiuſmodi virtutes regulariter non infunduntur. Ita Scot. in 3.d.36.q.vn. & quam plures Nominales cum ſuo Principe Ocham. Prob. 1. pars. Non apparet ex quo capite repugnet, Deum poſſe virtutes morales per ſe infundere, cum in receptis legendis Sanctorum legamus, Deum de facto quibuſdam Sanctis ſimiles virtutes morales ſupernaturaliter infudiſſe; & de Anima Chriſti certum eſt apud Theologos, nempe fuiſſe ei infuſas omnes virtutes morales; ergo &c.

Prob. 2. pars. Neque ex S. Scrip. neque ex aliquo Concilio generali, neque ex Sanctis PP. neque tandem ex ratione efficaci colligitur dari huiuſmodi virtutes morales per ſe infuſas, ergo &c. ant. patebit quoad S. Scrip. in ſolutione argumentorum, probatur igitur quoad reliqua. Nullum Concilium reperitur quod definiat oppoſitum concluſionis. Siquidem Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. agens de infuſis virtutibus in iuſtificatione Animæ ſpecificat ſolas virtutes theologicas: Viennenſe pariter, vt probabiliorem iudicat illam opinionem, quæ aſſerit, paruulis infundi in baptiſmo gratiam, & virtutes, ideſt theologicas, de quibus ſolis erat controuerſia tempore Concilij inter Scholaſticos, neque reperitur aliud Concilium definiens virtutes morales infundi, ergo ex nullo Concilio conſtat eas infundi. Neque Sancti PP. aſſerunt virtutes morales infuſas, vt videre eſt apud noſtros Doctores, & ſignanter apud Aretinum, de quibus fusè agit in 3. d. 36. Neque tandem ex aliqua ratione efficaci: Nam ſi quæ eſſet ratio efficax id probans, maxime eſſet aliqua neceſſitas ſpiritualis poſtulans earum infuſionem, vt contendunt Thomiſtæ, ſed huiuſmodi non datur, ergo &c. Prob. min. Tota virtutum neceſſitas in viatore eſſet, vt ijs mediantibus attingere valeret ſuos debitos fines, nempe naturalem, & ſupernaturalem, ſed naturalem finem attingere poteſt virtutibus moralibus acquiſitis, & ſupernaturalem theologicis, ergo nulla ſpiritualis neceſſitas poſtulat infuſionem virtutum moralium; minor oſtendetur in quæſtione ſequenti.

Arg. 1. ex S. Scrip. Salomon Sap. 7. ait. *Optaui, & datus eſt mihi ſenſus, & inuoni, & venit in me Spiritus Sapientiæ*: & paucis interpoſitis. Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa, hoc eſt virtutes morales infuſæ: & D. Pauli ad

Ga-

Galat. inquit. *Qui ergo tribuit nobis ſpiritum, & operatur virtutes in nobis*; quibus verbis perſpicuè indicat infuſionem virtutum moralium. Inſuper Sancti PP. vocant actus virtutum moralium dona Dei particularia, ergo virtutes morales ſunt dona particularia per ſe infuſa.

Reſp. Scripturas allatas parum, vel nihil fauere Aduerſarijs. Etenim ex prima ſolum colligitur Salomonem à Domino accepiſſe varias ſcientias naturales ſibi per accidens infuſas. Et quamuis concederetur eum accepiſſe etiam aliquas virtutes morales infuſas ex particulari gratia Dei, quod de aliquibus Sanctis legitur; non ob id ſemper huiuſmodi virtutes de facto omnibus regulariter infundi, vt in concluſione dictum eſt. Ex 2. pariter ſolum deducitur, quod Deus ſuo concurſu ſpeciali concurrit ad actus virtutum moralium, exhibendo particulare auxilium gratiæ ad eliciendos tales actus, e.g. caſtitatis, fortitudinis &c. & maximè vbi ſunt eleuatæ, & imperatę à charitate. Tandem ad Sanctos PP. reſpondetur, quod dum ipſi actus virtutes moralium vocant dona Dei, volunt nobis indicare, illos procedere ex concurſu ſupernaturali gratiæ ſpecialis per modum doni ſe habentes.

Arg. 2. Niſi admittantur virtutes per ſe infuſæ paruuli in Patria nullas haberent virtutes morales, ſed hoc videtur præiudicare ſtatui beatitudinis, ergo &c. Reſp, Scot. loc. cit. dupliciter; at breuitatis gratia primam reſponſionem tantum affero, quæ mihi videtur magis quadrare argumento; conc. mai. & neg. min. Ratio eſt, quia, etſi aſſeratur. Pauulos in Patria carere virtutibus moralibus, nullum præiudicium infertur eorum ſtatui, cum adhuc in eo ſtatu ſufficienter diſponantur per charitatem circa omnia appetibilia illius ſtatus; ſicut enim nullum præiudicium illis infertur non habere ſcientiam omnium rerum in proprio genere, quia ſufficit eis ſcire omnia in Verbo, ita pari ratione nil eis præiudicatur.

Arg. 3. Pænitentia eſt virtus per ſe infuſa, & non acquiſita, ſed pænitentia non eſt virtus theologica, ergo eſt virtus moralis infuſa. Similiter virtus Religionis eſt virtus moralis per ſe infuſa, eò quòd aliquo modo reſpiciat Deum, non immediatè vt virtus theologica, ſed mediate quatenus præſcribit cultum Deo exhibendum, tanquam ſupræmo

Do-

Domino, & Creatori. Reſp. neg. aſſumptum in mai. Docet namque Scot. in 4. quod pœnitentia eſt virtus, & pars iuſtitiæ vindicatiuæ, quæ ſi ſit à principio naturali, eſt naturalis, ſi à ſpeciali gratia Dei eſt ſupernaturalis, loquendo de actu ex tali principio elicito. Ad ſecundum de Religione reſpondetur eodem modo, cum etiam virtus religionis ſit pars iuſtitiæ præſcribens cultum Deo debitum; ac proinde actus Religionis poteſt eſſe naturalis, & ſupernaturalis, vti actus pœnitentiæ.

Arg. à Caietano. Neceſſarium eſt aſſignare virtutes morales infuſas, quæ verſentur circa media relata ad finem ſupernaturalem, ergo de facto debent dari virtutes morales per ſe infuſæ: ant. patet; nam ſi ſolum dentur virtutes theologicæ, & non eſſent aliæ eiuſdem ordinis, ideſt ſupernaturalis, circa media ad talem finem relatæ, non eſſet in nobis completa perfectio ſupernaturalis. Reſp. neg. ſuppoſitum. Siquidem falſum eſt, virtutes eſſe aſſignandas propter media; cum vnaquæque virtus reſpiciat ſuum finem honeſtum; neque vna virtus deſeruit alteri præparans illi media, quia omnis virtus eſt propter honeſtatem tanquàm propter finem; qui finis naturalis à virtutibus theologicis eleuatus tranſit in finem ſupernaturalem. Ita diſcurrit Aret. in 3. d. 36. q. vn. art. 12.

QVÆSTIO IV.

Vtrum virtutes Euangelicæ, Beatitudines, dona, & fructus Spirit. S. & etiam gratiæ gratis datæ ſint virtutes diſtinctæ à virtutibus moralibus, & theologicis.

NOt. 1. quod per vitutes Euangelicas intelliguntur illæ virtutes, quarum èxercitium ſuadetur, & commendatur in Euangelio, ac proinde important ſpecialem perfectionis gradum; huiuſmodi ſunt tres, nempe paupertas voluntaria, caſtitas perpetua, & obedientia religioſa. Per Beatitudines intelliguntur illæ virtutes, quibus homo ſpecialiter, & proximè diſponitur ad conſequendam beatitudinem; vnde faciunt homines beatos, non quidem actu, ſed certa ſpe, quatenus faciunt eas recta via ad beatitudi-

nem

nem tendere, ſunt autem numero octo, vt habetur Matt. c. 6. nimirum Paupertas, Spiritus mititas, Eſuries, & ſitis, miſericordia, mundities cordis, pacificatio, & tollerantia perſecutionum. Per dona hic veniunt intelligendæ quędam ſpeciales perfectiones à Spirit. S. Chriſto, & quibuſdam alijs viatoribus communicatæ, & ſunt ſeptem, vt exprimuntur Iſai. 11. nempe *Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus conſilij, & fortitudinis, Sapientiæ, & pietatis, & Spiritus timoris Domini*. Per fructus Spiritus S. intelliguntur particulares operationes ſalutares, quas operatur Spirit. S. in viatore, & ſunt duodecim, vt habetur ad Galat. 5. videlicet. *Fructus autem spiritus eſt charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo fides, modeſtia, continentia, caſtitas.*

Cæterum quid intelligatur per gratias gratis datas, ſatis explicatum eſt in tract. de grat. actuali; ex qua doſtrina deducuntur ſequentes diffinitiones. Prima eſt doni Spiritus S. eſt quid ſupernaturale, quo homo benè diſponitur ad inſpirationem extraordinariam, ideſt excellentioris actus promptè recipiendum, & exequendum; 2. eſt beatitudinis; quæ nimirum eſt virtutis opus eximium conferens in præſenti inchoatam beatitudinem, & ſingulariter diſponens ad æternam: 3. eſt fructus, & eſt huiuſmodi. Fructus Spiritus eſt actus humanus ſupernaturalis delectabilis auxilio Spiritus Sancti productus &c.

Not. 2. Quòd multum variant Doctores in hac quæſt. explicanda. Henricus ponit diſtinctionem inter virtutes, & dona; dicens, quod virtutes perficiunt hominem modo humano; & dona modo inhumano, & quaſi diuino; vnde priori modo eſt ſuſtinere cum debitis circumſtantijs, ſed cum triſtitia; ſic ſuſtinet moralis, teſte Ariſt. 1. Eth. cap. 11. poſteriori modo eſt quando aliquid terribile ſuſtinetur cum gaudio; vt fecerunt Sancti Martyres; 3. modo, quando non ſolum gaudet cum ſuſtinet, ſed deſiderat; quo ſenſu D. Paulus ad Philip. cupio diſſolui, & eſſe cum Chriſto, & iſte modus vltimus eſt virtus heroica, quam virtutem indicat Ariſt. 7. Eth. cap. 1. opponi beſtialiralitati; D. Bon. & Alenſ. docent, virtutes, beatitudines, & dona ex eo diſtingui debere, quod virtutes diſponant, vt rectè, dona, vt expeditè, & beatitudines, vt perfectè quis operetur. D. Thom. p. 2. q. 88. art. 1. exiſtimat, virtutes à donis diſtingui,

gui, quia per virtutes diſponitur voluntas, quatenus eſt mobilis à recta ratione, & per dona, quatenus eſt mobilis à Spiritu S. Cæterùm quę ſit Scoti ſententia oſtendit ſequens concluſio.

Concl. Virtutes, dona, & beatitudines, nec non gratiæ gratis datæ non diſtinguuntur ab inuicem, comprehendendo inter virtutes etiam theologicas. Eſt Scoti in 3. d. 36.

Prob. conc. à priori. Homo viator per ſeptem virtutes, nempe morales, & theologicas perficitur adæquatiſſimè in politia ciuili, & morali, chriſtiana, & diuina, ſeu theologica, ergo gratis ponuntur dona, beatitudines, ac fructus tanquam habitus inter ſe, & ab illis ſpecificè diſtincti.

Prob. aſſumptum à Doctore Subt. ſic. Omne obiectum, circa quod poteſt perfici homo viator, non poteſt eſſe niſi Deus, vel creatura, ſed circa Deum ſufficienter perficitur tribus virtutibus theologicis, nam circa ipſum, vt immediatè cognitum in via ſufficienter perficit fides; vt diligibilem in ſe ſufficienter perficit charitas, & vt appetibilem quatenus bonum ſibi ſufficienter perficit ſpes: non enim contingit, viatorem habere circa Deum actus ordinatos præter intelligere, ſeu credere, diligere, & appetere, ac proinde tribus virtutibus theologicis ſufficienter perficitur homo circa Deum. & hoc perfectiſſimè quantum perfici poteſt, ſi illi tres habitus ſint perfectiſſimi in ſuo genere.

Similiter circa obiectum creatum Viator quantum ad intellectum, non loquendo de ſpeculatiuis, quæ non numerantur inter virtutes cardinales, quia non perficiunt hominem ad benè operandum, & rectè viuendum, ſufficienter perficitur per prudentiam, & quidem perfectiſſimè ſi prudentia ſit perfectiſſima; Ipſa namque eſt de omni agibili, & quantum ad omnem conditionem agibilis perfectiſſimè perficitur tribus virtutibus moralibus, ſi ſint perfectiſſimæ: nam, vel appetitus verſatur circa alium, & appetibile alteri, quod fit per iuſtitiam, vel circa ſe, & appetibile ſibi; & hoc dupliciter, vel primò, & directè, quod fit per temperantiam, vel ſecundariò propter illa prima quod fit per fortitudinem, ergo à primo ad vltimum homo viator perficitur tribus virtutibus theologicis, & virtutibus intellectualibus ſpeculatiuis, & practicis, & virtutibus moralibus ordinantibus ad ſe, & ad alterum, quantum compe-

petere poteſt viatori; & ideò non videtur aliqua neceſſitas ponendi alios habitus ab iſtis per dona, beatitudines, & fructus importatos. Quare ex mente Doct. virtutes, & dona ſunt idem in re, & ſolùm differunt ratione, & ex diuerſa comparatione; nam ijdem habitus quatenus inclinant ad opera virtuoſa dicuntur dona, vel quatenus à Deo liberaliter donantur, & infunduntur, vt patet de virtutibus theolegicis, vel quatenus perficiuntur à charitate, quæ eſt virtus à Deo liberaliter donata, & ſic virtutes morales acquiſitæ, licèt non ſint immediatè à Deo infuſæ, dicuntur tamen dona ſecundùm illud eſſe perfectum quod recipiunt à donis ſupernaturalibus; nec habent ex ſe quatenus acquiſitæ ſunt, ſed per aliquod liberaliter à Deo donatum; Vnde ſapienter Scotus in 4. d. 14. q. 3. docet, virtutes morales eleuatas ſub regula fidei dici chriſtianas, Euangelicas, & dona Dei ex imperio charitatis, extrinſecè habentes proprios actus in ſua ſpecie honeſtos ad vltimum finem meritoriè directos. Cæterum qualiter omnia dona, beatitudines, & fructus, nec non gratiæ gratis datæ reducantur ad ſeptem virtutes, ideſt morales, & theologicas legi poteſt Scot. loc. cit. vbi eleganter, & clarè omnia expendit, atque explicat; aduertens inter alia ipſe Doctor, quod inter duodecim fructus Spiritus S. quidam recenſentur, qui propriè non ſunt virtutes, ſed delectationes conſequentes, vel concomitantes virtutis actum, vt gaudium, & pax.

Hinc facilè reijciuntur opiniones contrariæ noſtræ concluſioni, ſuperius recenſitæ. Et quidem ad primam, quæ eſt Henrici, dicimus cum Scoto, quod ſi eſſet vera ſequeretur, dari aliquod donum, vel beatitudinem eſſentialiter perfectiorem charitate, quod eſt falſum; cum charitas ſit excellentiſſimum Dei donum, teſte Auguſt. lib. 15. de Trin. cap. 19. Subditque Scotus in opinione, ſeu ſententia Hent. eſſe verba mètaphorica; cuiuſmodi eſt dicere, aliqua agere modo ſuperhumano &c. Neque ſecunda opinio videtur admittenda, quia nulla poteſt aſſignari perfectio, vel expeditio, aut facilitas particularis attributa dono, vel beatitudini, quæ à virtute prouenire non poſſit, cum per eandem virtutem rectè, perfectè, & expeditè quis agere poſſit, etſi de habitibus infuſis, & ſupernaturalibus, quales ponuntur dona à Thomiſtis, nequeat verificari, quod expeditè, & fa-

& faciliter per ipſas agatur, quia habitus ſupernaturales, & infuſi non præſtant facilitatem ad agendum, vt patet de nouiter conuerſo; & notat ex Scoto Maſtrius in tom. 3. q. 10. diſp. 7. Neque tandem opinio D. Thomæ amplectenda videtur, quia vt docet Scot. in 1. d. 17. q. 2. §. igitur ad ſecundum de ſecunda via: Spiritus S. cooperatur de lege communi homini exiſtenti in charitate, ſicut ex lege communi cooperatur Deus omni cauſæ ſecundæ ad connaturalem eius effectum; cum igitur virtutes morales per charitatem eleuatæ ſub ſpeciali aſſiſtentia Dei modum habeant, & finem ſupernaturalem, in quantum charitas eſt forma omnium virtutum; gratis ſanè apparet, ſub ſpeciali motione Dei diſtinguere dona ſecundum rem, & in ratione habitus à virtutibus, ſed ſufficit, quod diſtinguantur ſecundùm diuerſas habitudines, ſeu per connotata.

Arg. 1. cont. conc. auct. Patrum, & præſertim D. Greg. lib. 1. c. 28. moralium diſtinguentis ſeptem dona ſignificata per ſeptem filios Iob, à tribus virtutibus theologicis, & ſignificatas per tres filias Iob. & p. 2. moral. c. 36. eadem dona diſtinguit à quatuor virtutibus Cardinalibus ſignificatis per quatuor angulos domos eiuſdem Iob, ergo &c. Reſp. D. Greg. non abſolutè diſtinguere dona à virtutibus theologicis, & moralibus in genere qualitatis, ſeu habitus, ſed reſpectiuè, & ſecundùm diuerſas habitudines, ſuperius indicatas.

Arg. 2. ratione. Habitus, & virtutes per actus ſpecificantur, ſed dona Spiritus S. habent actus omninò diuerſos; ergo ſpecie diſtinguuntur: min. prob. Nam actus procedentes à virtutibus ſunt ordinarij, & conſueti, actus verò procedentes à donis ſunt extraordinarij, & excedentes dictamen rectæ rationis, vt conſtat de Sampſone, Eleazaro, Apollonia, & alijs Sanctis; ergo &c. Reſp. conc. mai. diſt. min. Habent actus diuerſos eſſentialiter, neg. accidentaliter, conc. Vel negatur min. ad cuius probationem, conc. ant. & neg. conſ. eò quia nullus poteſt aſſignari actus hominis, quo v. g. mortem ſubire velit, & cum gaudio appetat, qui non ſit actus alicuius virtutis. Etenim ſi id faciat ob Dei amorem, erit charitatis, ſi ad fidei tuendam, erit fidei, ſi ad beatitudinem conſequendam, erit ſpei, & ſic de alijs virtutibus. Quare benè ait Arriaga diſp. 38. ſect. 3. quod talis actus extraordinarij, & admirandi potius, quàm

 imi-

ſinitandi, quales ſunt Sampſonis, Apolloniæ &c. ad ſummum ſolum requirere poſſunt ſpecialem Dei illuſtrationem, qua conſtet de licentia ad illos actus excedentes; quia alioquin ſine tali licentia eſſent peccata.

Arg. 3. Scot. negat dari virtutes morales per ſe infuſas, & ſolum admittit acquiſitas, ergo ſaltem cum iſtis dona coincidere nequeunt; illæ enim proprijs actibus acquiruntur, ac proinde non poſſunt dici dona data. Deinde in Chriſto fuerunt ſeptem dona Spiritus S. non tamen fuerunt in illo omnes virtutes, non enim Chriſtus habuit, fidem, & ſpem, ergo &c. Reſp. ad 1. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia dona, vt ſupra oſtendimus, non diſtinguuntur à virtutibus eſſentialiter, ſed accidentaliter, ideſt ſecundùm diuerſas habitudines. Virtutes ſiquidem morales eleuatæ per theologicas dicuntur dona Dei.

Ad 2. conc. mai. & diſting. min. quoad 2. part. nempe, non fuerunt in Chriſto fides, & ſpes; non fuit fides in Chriſto quatenus eſt virtus theologica includens obſcuritatem, & ineuidentiam, conc. min. non fuit fides, quatenus eſt donum, nullam includens imperfectionem, hoc eſt qua importat in Chriſto notitiam certam, & euidentem diuerſorum myſteriorum, neg. min. Similiter fuit in Chriſto ſpes eo modo, quo admittitur in Beatis; Itaque fuerunt fides,& ſpes in Chriſto,ſed alterius rationis in ipſo,& in nobis, non quidem ex ſua ratione formali, ſed ratione ſtatus.

Arg. 4. Non eſt idem numerus virtutum, beatitudinum, ac fructuum; nam virtutes ſunt ſeptem, beatitudines octo, & fructus duodecim, ergo nulla ratione poſſunt coincidere cum virtutibus. Reſp. ex Sco. d. 34. in fine §. ad argumenta in oppoſitum vbi ſic habet. Etſi numerus non ſit idem, hoc non eſt habituum ab habitibus, ſed ſpecierum intermediarum, vel ſpecialiſſimarum contentarum, ſub iſtis ſunt alij numeri, vel ſi omittuntur aliquæ illarum alicubi, & alicubi non, numerata tamen hic, & ibi ſunt eadem, vt clarè declarat Doctor §. his ſuppoſitis. Itaque ijdem habitus vocantur virtutes, quatenus tendunt in obiectum cum debitis circumſtantijs: vocantur dona, quatenus in aliqua eminenti perfectione conferuntur per gratiam particularem Spirit. S. Vocantur beatitudines, quatenus præmium aliquod particulare beatificum promiſſum eſt ipſis à

Chri-

Chriſto,& fructus denique quatenus ſequuntur ad gratiam adoptionis, aut ad aliquam particularem diligentiam alicuius hominis mediante gratia factam.

Quæres. An virtutes morales acquiſitæ maneant in homine poſt hanc vitam. Reſp. affirmatiuè: ita Doct. communiter in 3. d. 33. loquentes tam de beatis, quàm de damnatis. Ratio ſpecialiter de Beatis eſt, quia congruum videtur, vt Deus huiuſmodi virtutum ornamenta in hac vita labore comparata, & ſtatui beatitudinis non repugnantia conſeruet; & fortaſſe, inquit noſter Herincx, virtutes, quæ hic defuerunt, per accidens infundat; Quæ quidem ratio proportionaliter militat in Animabus Purgatorij. Nec refert, quod Beati non patiantur difficultatem in bono; nam ex natura ſua pati poſſunt. Vel dicendum, & fortaſſe meliùs, ſufficere, quod habitus acquiſiti pro ornamento Animæ relinquantur. Nec refert pariter, quod multarum virtutum moralium materia illis deſit e.g. temperantiæ: poſſunt enim elicere actum circa materiam præteritam, vel circa mediocritatem virtutis, vt ſic. Cæterum de damnatis ratio eſt; quia virtutes non deſtruuntur, niſi vel per deſtructionem habitus, vel per ſuſpenſionem influxus conſeruatiui, quem non videtur congruum ſuſpendere, ſed potius congruit, vt naturales perfectiones hic habitæ relinquantur in damnatis quouſque ijdem ſe illis priuent per actus contrarios, qui eſt tertius modus deſtruendi virtutes; qui modus in damnatis obſtinatis in malo reperiri veriſimilius apparet.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus de potentia abſoluta poſſit infundere aliquod vitium, ſeu habitum vitioſum in hominis voluntate.

NOt. 1. quod vitium eſt habitus electiuus à mediocritate declinans, ſiue eſt habitus inclinans in actus contra regulam rectæ rationis. Quarè vitium opponitur virtuti non quidem in genere quia iuſtitia, & luxuria ſæpè reperiuntur in eodem ſubiecto, ſed gratia ſuorum inferiorum e.g. temperantiæ intemperantiæ, caſtitati luxuriæ &c. op-

ponuntur. Similiter quoque inter vitium, & virtutem infuſam non eſt phyſica oppoſitio, ſeu contrarietas, nam vitium, & virtus infuſa poſſunt ſe compati etiam in gradu intenſo vt conſtat de eo, qui vitijs contra virtutes infuſas acquiſitis, præditus feruenti diſpoſitione iuſtificatur, maximè ſi accedat ſuſceptio ſacramentorum. Verum eſt tamen, quod actus vitioſi quadam ratione opponuntur actibus virtutum infuſarum, v. g. odium Dei actui ſupernaturalis amoris, quia, etſi vnus ſit ſupernaturalis, & alius naturalis, attamen ambo tendunt in idem obiectum ſub eadem ratione repugnanti, & hæc phyſica repugnantia eſt inte e. ſdem actus, eſtò actus odij ſit indeliberatus, aut tantum venialiter malus. Cæterum moraliter, & theologicè cenſentur vitia etiam virtutibus infuſis oppoſita e. g. habitus odij charitati, infidelitas fidei &c.

Not. 2. Quòd cauſa efficiens vitiorum eſt ipſa voluntas humana mediantibus actionibus, ſeu actibus prauis; vnde è conuerſo vitioſos habitus malè viuendo comparatos, contrarijs virtutum actionibus pęnitentes tollunt iuxta Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. Difficultas tamen eſt, an habitus vitioſus à ſolo Deo de potentia abſoluta infundi poſſit in hominis voluntate. Sunt qui affirmant, vt Vaſquez, Tannerus tom. 2. diſp. 4. q. 1. Arriaga tom. 3. diſp. 39. ſect. 4. & noſter Herincx part. 3. diſp. 1. q. 8. Verùm alij plures negant, ex eò quòd videatur id repugnare bonitati Dei.

Concl. Deus de potentia abſoluta poteſt habitum vitioſum in homine infundere. Hæc videtur conformior principijs noſtri Doctoris, & Magiſtri. Prob. Non repugnat Deo, nec D. bonitati, ergo &c. ant. prob. Etenim Deus producendo ſe ſolo habitum vitioſum, producit tantum concauſam peccati, minus principalem, eamque ſubmittit arbitrio voluntatis, non aliter ac creando voluntatem, creat propriam, & principalem cauſam peccati, ergo Deus ſe ſolo poteſt habitum vitioſum in hominis voluntate infundere. Confirmatur. Poteſt Deus creare hominem, etiam ſecluſo peccato originali cum formitæ concupiſcentiæ, ſed talis formes fortius excitat ad motus inordinatos, ac ad peccandum inclinat, ergo & habitum vitioſum poteſt in eo infundere. Prob. 2. Si Deo repugnaret, hoc maximè eſſet ob malum effectum producendum ab habitu vitioſo, ſed Deus huiuſ-

huiuſmodi effectum non intendit, neque talis effectus eſt neceſſariò annexus habitui; immò ſubordinatur libero arbitrio, ergo non repugnat Deo bonum finem intendenti, ideſt pugnam ſpiritualem, ſicut in fomite concupiſcentiæ producere in homine habitum vitioſum in genere qualitatis.

Arg. cont. conc. Repugnat D. Bonitati præbere homini occaſionem peccati, ergo repugnat Deo producere habitum vitioſum in homine. Prob. ant. Repugnat D. Bonitati præbere conſilium, ſeu ſuadere peccatum, ſed præbere occaſionem peccandi, & ſuadere peccatum videntur omninò idem; ergo &c. Reſp. diſt. ant. argumenti. Repugnat D. bonitati &c. per accidens, & remotè per ſe, & proximè conc. Vel reſp. neg. conſeq. ad cuius probationem negatur paritas; aliud enim eſt conſulere, ſeu alteri ſuadere peccatum, & aliud concurrere remotè, & materialiter ad peccatum; primum indicat in ſuadente peccati deſiderium; vel ſi non indicat ex intentione, eſt mendacium, & vtrunque repugnat Deo: infundere autem habitum vitioſum eſt præbere occaſionem per accidens, & remotè ad peccatum; cuiuſmodi eſt etiam fomes concupiſcentiæ, quæ materialiter, & remotè eſt cauſa peccati.

Arg. 2. Habitus vitioſus ex natura ſua ſolum habet effectum malum, & ad illum ordinatur, ergo non poteſt à ſolo Deo in homine creari; ſicut non poſſet à Deo creari voluntas, quæ poſſet tantum inclinare ad malum.

Reſp. diſt. ant. Habet effectum malum neceſſariò connexum, & independenter à libero arbitrio, neg. ant. habet effectum malum remotè, quatenus poteſt inclinare voluntatem ad illum, conc. ant. imò habitus vitioſus poteſt etiam habere actum non malum; puta ſi quis operaretur ex ignorantia inuincibili, exiſtimando talem actum eſſe bonum; ſicut etiam actus ex indeliberatione ex habitu vitioſo prouenieus excuſaret ſaltem à peccato formaliter.

Quæres 1. Quomodo vitium diuidatur.

Reſp. Vitium cum proportione diuidi poteſt in tot genera, & ſpecies vitiorum, quot ſunt genera, & ſpecies virtutum: immò in longè plura, cum eidem virtuti plura regulariter vitia aduerſentur. Quarè vitia ſunt ſine comparatione plura, quàm virtutes, quod etiam tradit eruditiſ-

ſimus Emanuel Theſaurus in ſua Philoſophia morali lingua vernacula edita, dicens, hoc ſolo argumento demonſtrari poſſe, vitia eſſe longe plura quam virtutes, quia in mundo duplo maiores ſunt vitioſi ipſis virtuoſis. Ratio autem à priori eſt; quia vnico tantum modo attingitur virtutis ſcopus, ſed ferè infinitis à virtute deuiatur.

Quæres 2. An vitia perſeuerent in homine poſt hanc vitam. Reſp. Videtur indubitatum, perſeuerare in damnatis vitia, cum nulla appareat ratio, cur ab eis gratuitò tollerentur; Quin potius, per actus malos frequentiſſimè eliciendos, noua vitia ab ipſis comparantur, vel ſaltem vetera augentur. Nihilominus infundatum eſt, inquit Herincx, quod omnes generis vitia ab ipſo Deo infundantur, vt quidam perperam opinati ſunt. Cæterùm, an vitia remaneant in Animabus Purgatorij, dubium videtur, verior tamen opinio eſt negatiua, quia etſi gratia in ijs non dum ſit conſumata quoad beatitudinis poſſeſſionem, eſt tamen conſumata in ordine ad exercitium operationum honeſtarum, & negationem omnis prauæ operationis. Hactenus de virtutibus in communi.

TRA-

TRACTATVS SECVNDVS DE VIRTVTIBVS THEOLOGICIS.

DISPVTATIO I.

De fide diuina ſecundum ſe.

QVÆSTIO I.

Quid ſit fides diuina.

NOt. 1. quod fides multipliciter accipitur, vt paſſim tradunt Doct. aliquando ſumitur prò fidelitate, ſeù veracitate in ſeruandis promiſſis, vt ad Rom. 3. *Nunquid incredulitas eorum euacuabit fidem Dei*, ideſt nunquid faciet, vt Deus non ſteterit promiſſis: aliquando capitur prò ipſa promiſſione, quæ ex fidelitate eſt implenda, vt 1. ad Timoth. 5. *Primam fidem irritam fecerunt*, ideſt, vt explicat D. Aug. in Pſal. 75. nouerunt, & non rediderunt: aliquando prò conſcientia, quæ eſt aſſenſus quidam, & credulitas, quo ſenſu communiter accipitur illud ad Rom. 14. *Omne quod non eſt ex fide (ideſt iuxta conſcientiam) peccatum eſt*; aliquando prò fiducia conſequendi promiſſa iuxtà illud Iacobi: *Poſtulet autem in fide nihil haſitans*, quo ſenſu hæretici, vt notatum fuit in tract. de Gratia vſurpant fidem Chriſtianam, & iuſtificantem, nempè pro fide, ſeù fiducia ſuæ ſpeciali; deniquè ſumitur ſecundùm præſentem diſput. prò credulitate, ſeù aſſenſu, quo intellectus aſſentitur dictis alterius ob illius authoritatem, quæ ſi ſit humana, erit fides humaná, ſi ſit diuina erit fides Theologica.

Not. 2. Quòd Apoſt. ad Hebr: c. 11. ſic deſcribit fidem: *Eſt autem fides ſperandarum rerum ſubſtantia, argumentum non apparentium*; In qua deſcriptione continetur, vt docent Theologi, non ſolum quoddam fidei encomium, ſed vera illius

definitio, ſaltem per eius proprietatem, & effectum; vnde per ſubſtantiam non intelligitur vera ſubſtantia, quæ eſt ens per ſe, ſed fundamentum, & baſis, cui ſpes, & ſalus noſtra innititur, quia proprium eſt fidei fulcire ſpem, & fiduciam non enim poſſet homo ſperare, niſi crederet: Argumentum eſt idem ac oſtenſio, demonſtratio, & conuictio intellectus, ſiue iudicium infallibile innixum certitudini reuelationis: non apparentium, quia res fidei cum ſint obſcuræ, non apparent, ſed latent; cæterum fides actualis ſic communiter deſcribitur; eſt actus intellectus ſupernaturalis, quo intellectus creatus firmiter aſſentitur omnibus reuelatis à Deo tanquam à prima veritate, fides autem habitualis eſt habitus intellectus ſupernaturalis productiuus actus fidei actualis &c.

Not. 3. Quòd fides actualis diuina diuidi ſolet in fidem euidentem in atteſtante, ſeu reuelante, quæ innititur reuelationi Diuinæ euidenter cognitæ, & in obſcuram, quæ innititur reuelationi diuinæ obſcuræ cognitæ. Inſuper diuiditur fides ratione annexorum in fidem informem, ſeù mortuam. & in fidem formatam, ſeù viuam. Prima eſt quę caret habitu charitatis: 2. quæ habet habitum charitatis. Rurſus diuiditur fides in explicitam, & implicitam; prior eſt, qua credimus articulos fidei, ſub proprijs terminis, & ſigillatim; vt e. g. Verbum caro factum eſt; Chriſtus mortuus eſt &c. poſterior eſt, qua credimus articulos in aliqua propoſitione vniuerſali virtualiter contentos v. g. credo quicquid credit Eccleſia: fides autem habitualis diuiditur in infuſam, & acquiſitam; Acquiſita eſt ea. quam acquirimus ex frequenti credentia articulorum fidei: Infuſa eſt, quæ in Baptiſmate infunditur Animæ, & veluti qualitas, ſeù habitus in intellectu ſubiectatur, de quibus omnibus infrà redibit ſermo.

Concl. Tam definitio tradita ab Apoſt. quàm altera diffinitio aſſignata à nobis iuxtà communem mentem Theologorum eſt rectè tradita Prima definitio iam patet ex declaratione facta, & clariùs in ſolutione argumentorum innoteſcet. Secunda definitio explicatur, & ſimul prob. Dicitur actus, quia per fidem intellectus fertur in obiectum credibile: dicitur intellectus, vt oſtendatur fidem eſſe actum intellectus, & non voluntatis elicitum; dicitur

ſu-

ſupernaturalis, vt diſtinguatur à fide naturali, quam intellectus viribus naturæ ſine vllo comprincipio poteſt producere, huiuſmodi fidem habent hæretici, credentes Chriſtum natum, mortuum &c. Dicitur omnibus, quià ſi vni tantum diſſentiat intellectus cum pertinacia, amittit fidem omnium, quia amittit fidei rationem formalem, ideſt deſinit aſſentiri creditis, tanquam à Deo prima veritate reuelatis: dicitur reuelatis, hoc eſt interna, vel externa Dei loqutione intimatis ſimpliciter, & obſcurrè, ideſt ſine probatione, & abſque euidentia; dicitur à Deo, quia, ut infrà oſtendetur, Deus eſt obiectum formale fidei, & ratio credendi, vtpotè in quam ſit vltima reſolutio aſſenſus fidei. Inſuper habet omnes conditiones, quas poſtulat bona definitio, ergo &c.

Arg. cont. definitionem ſuperiùs aſſignatam ex D. Paul. & ſignanter, quod non ſit argumentum. Nulla virtus eſt argumentum, nec è conuersò; ergo ſi fides eſt virtus, non poteſt eſſe argumentum. Si dicatur, quod argumentum ſumitur in definitione fidei impropriè, & tranſumptiuè.

Contrà arg. probando, quod nec etiam tranſumptiuè fides dici poſſit argumentum non apparentium ſic. Proprietas argumenti eſt arguere ipſam mentem, & eam conuincere de eo, quod facit eſſe clarum; ergo nullo modo fides dici poteſt argumentum; alioquin eſſet implicatio duplicis contradictionis. Quæ enim habent argumentum, hoc ipſo quod habent argumentum, apparent eſſe vera; quæ etiam habent argumentum, hoc ipſo quod habent argumentum, conuincuntur eſſe vera; ergo ratio argumenti repugnat, tàm rei non apparenti, quàm ipſi habitui fidei: ergo eſt implicatio &c. Reſp. D. Bonau. reg. totum diſcurſum, & prò adæquata reſponſione aduertit, quod argumentum dicitur dupliciter, nempè propriè, & tranſumptiuè; propriè quidem accipitur ſecundùm quadruplicem acceptionem; nam vno modo dicitur argumentum, ratiocinatio; ſecundum quod diuiditur in quatuor ſpecies argumentationis; alio modo dicitur argumentum prolixæ ſententiæ breuis collectio: 3. modo dicitur argumentum ipſum medium, in quo conſiſtit tota vis argumentationis; 4. modo dicitur argumentum ipſa maxima propoſitio, in qua conſiſtit firmitas totius illationis. In omnibus autem his

acceptionibus argumentum dicitur, quià mentem arguit, & illuminat ad aliquid intuendum, & ei firmiter adhærendum, & ſecundùm hanc proprietatem poteſt tranſumptiuè dici argumentum, quicquid illud ſit, quod mentem arguit, & illuminat ad videndum aliquid occultum, & hoc modo fides dicitur argumentum rerum non apparentium.

Arg. 2. In hac definitione non ponitur genus, & differentia: ergo non eſt bona. Antec. pat. quià non ponitur genus fidei, quod eſt virtus, neque ponitur differentia, quià non poteſt aſſignari quænam ſit: ergo &c. Reſp. ex Ricar. in 3. d. 23. neg. ant. nàm in prædicta definitione continentur omnia, etſi implicitè, quæ requiruntur ad rectam fidei definitionem; reperitur namquè genus, quod eſt ſubiectum, & reperitur etiam differentia, quæ attenditur in habitu ex ſui comparatione ad rationem formalem ſui obiecti. Accidens enim ex Ariſt. 7. Metaph. definitur per additamenta, cum de ipſo non poſſit haberi vera ratio definitionis, niſi per comparationem ad ſubiectum, & ad obiectum formale, quod reſpicit accidens; vt habitus, ſeù virtus.

Arg. 3. Finis fidei potiùs eſt obiectum charitatis, quàm obiectum ſpei, quia fides eſt magis ſubſtantia rerum diligendarum, quàm ſperandarum: ergo &c. Reſp. ex eodem Ric. neg. ant. eo quia res diligendæ ſunt tàm præſentes, quàm abſentes, res autem ſperandæ futuræ ſunt iuxtà illud Apoſt. ad Rom. quod videt quis, quid ſperat? & ideò obiectum ſpei magis videtur eſſe appropriatum fini fidei, quàm obiectum charitatis, in quantum fides eſt eorum, quæ non videntur.

Arg. 4. Virtus conſtituitur in ſpecie ex ſui comparatione ad obiectum: ergo cum definitio indicet ſpeciem rei, non debet in definitione vnius virtutis alterius virtutis obiectum poni: ſed res ſperandæ, quæ ſunt obiectum ſpei, ponuntur in definitione fidei: ergo &c. Reſp. ex eodem Ric. diſt. primum conſeq. non debet poni vna virtus in definitione alterius virtutis ad indicandum eſſentiam, conc: ad indicanda obiecta nego, nam definitiones virtutum non tantum indicant earum eſſentias, ſed etiam ſubiecta, finem, & obiecta, ideoquè non eſt inconueniens, quod obiectum vnius ponatur in definitione alterius vir-

tu-

tutis, vt eius finis, quæ ordinatur ad illam virtutem, cuius eſt obiectum.

QVÆSTIO II.

Quodnam ſit obiectum materiale fidei diuinæ?

NOt. 1. Quòd obiectum, vt etiam dictum eſt in quæſt. 3. proœm. eſt duplex, ſcilicet materiale, & formale: materiale eſt ipſa res conſiderata; formale eſt ratio ſub qua conſideratur, quæ quidem ratio formalis additur materiali, tùm ad reſtringendum obiectum nimis amplum, vt alibi dictum fuit, tum quia ratio formalis eſt motiua, & ſpecificatiua ipſius actus, ſeu determinatiua potentiæ, & habitus ad agendum circa materiale obiectum: ſic pariter in propoſito præſentis quæſt. obiectum fidei duplex eſt; materiale, & formale. Materiale, vt Deus &c. formale ſub ratione reuelantis, ſeu primæ veritatis. Inſuper quia obiectum formale virtutis eſt medium, per quod voluntas inclinat in obiectum materiale talis virtutis, obſeruandum, quod huiuſmodi medium aliquando eſt intrinſecum obiecto, qualiter eſt in obiecto ſcientifico ipſa intrinſeca connexio prædicati cum ſubiecto, quæ ſe ipſa mouet ad aſſenſum concluſionis, aliquando verò eſt extrinſecum, vt bonitas intrinſeca Dei eſt medium, quod voluntati propoſitum, mouet illam ad dilectionem ipſius, & in fide humana, ac diuina medium, quod mouet intellectum ad aſſentiendum rei atteſtatæ, ſeu reuelatæ, eſt ipſum teſtimonium hominis, vel Dei atteſtantis; quod quidem teſtimonium eſt quid extrinſecum rei atteſtatæ.

Not. 2. Quòd licet omnis virtus theologica habeat prò obiecto immediato Deum ſupernaturaliter cognitum, tamen non omnes habent idem obiectum formale, imò ratione diuerſitatis obiecti formalis differunt inter ſe ſpecificè virtutes theologicæ; nam fides habet Deum vt primam veritatem reuelantem pro obiecto formali. Spes habet Deum vt ſummum bonum noſtrum; Charitas deniquè habet pro obiecto formali Deum vt ſummum bonum in ſe. Habent igitur omnes virtutes theologicæ idem obiectum materiale, non autem formale, quia vnitas, & diſtinctio habituum deſumenda eſt ab obiecto formali.

Not.

Not. 3. Quòd obiectum materiale aliud eſt incomplexum, & aliud complexum; complexum eſt integra propoſitio, quæ ab habitu fidei attingitur, vt Deus eſt Trinus, & Vnus. Incomplexum eſt ſolum ſubiectum talis propoſitionis, nempè Deus. Iterum obiectum incomplexum fidei diuiditur in primarium, ſeu principale, & attributionis, ſeu adæquatum, quod etiam totale dicitur. Primum eſt Deus, quia idem eſt ſubiectum fidei, & Theologiæ. 2. eſt id, ad quod omnia partialia fidei obiecta referuntur.

I. Concl. Obiectum materiale fidei Diuinæ generaliter, & adequatè ſumptum eſt omne ens reuelabile à Deo. Eſt Scoti in 3. d. 2. vbi ait; teneri poteſt, quod ſit vna fides omnium credibilium, quia non reſpicit credere ſub proprijs rationibus illorum, ſed vt reuelata ſunt à Deo, & credit omnia reuelata ab ipſo, tamquàm vera eſſe eodem habitu, quo credit reuelantem eſſe veracem. Prob. conc. Illud dicitur obiectum attributionis alicuius habitus, in quo omnes actus ab eodem habitu eliciendi directè, & per ſe tendunt, ſed omnes actus fidei tendunt imediatè, & directè in ens reuelabile à Deo; ergo &c.

Prob. 2. Illud eſt obiectum adęquatum attributionis alicuius habitus, circa quod operari poteſt, ſed fides non poteſt operari, niſi circa obiectum reuelatum à Deo; ergo ens reuelabile eſt obiectum &c. mai. patet, nam omnis materia, quę informari poteſt à ratione formali alicuius habitus, pertinet ad ipſius obiectum materiale, & ſub eo compræhenditur, at omne ens reuelabile poteſt informari teſtimonio Diuino, quod eſt obiectum formale fidei Diuinæ; ergo &c. Nihilominùs etiam ipſe Deus aliquo ſenſu dici poteſt obiectum adæquatum attributionis fidei, quatenùs videlicet omnia, quæ per Diuinam fidem percipiuntur, directè, vel indirectè referuntur ad Dei notitiam, quæcunque enim per fidem appræhenduntur, dicunt reſpectum ad Deum, vel cognoſcendum, vel ſperandum, amandum, poſſidendum &c. vel ſunt Perſonæ diuinæ, vel attributa Diuina, vel effectus miſericordiæ, & bonitatis Dei, vel iuſtitiæ illius, ita vt Incarnatio quoque ipſa referatur ad Deum.

II. Concl. Deus eſt obiectum primarium, & principale fidei Diuinæ ſub ratione Deitatis. Eſt Scot. in 3. d. 27. vbi

ſic

ſic docet: Oportet ponere fidem infuſam propter firmum aſſenſum, vt reſpiciat Deum pro obiecto primo, de quo ſicut de obiecto formantur aliæ veritates, quę continentur in Articulis mediatiùs, vel immediatiùs, ſecundum quod ipſum ſic, vel ſic reſpiciunt. Prob. rat. Illud eſt obiectum primum, & principale ſcientiæ, vel habitus, circà quod ſcientia, vel habitus verſantur, ſed fides diuina in Deum tendit, & circà Deum verſatur teſte D. Paulo 1. ad Teſalon. fides veſtra, quæ eſt ad Deum, & ad Hebr. 11. Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt: cui conſonat D. Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei c. 29. fidei primum, & maximum officium eſt tendere in Deum: ergo cum fides primo tendat in Deum, & circà ipſum verſetur, vt eſt Trinus &c. eſt obiectum primarium, & principale.

Prob. 2. pars, ideſt ſub ratione Deitatis, quod ſit obiectum, non verò ſub ratione extrinſecæ denominationis, puta Redemptoris, Sanctificatoris, & glorificatoris, vt nonnulli Theologi opinantur. Idem eſt obiectum Theologiæ, ac fidei diuinæ ex Scot. q. 3. prol. licet diuerſimodè tendat Theologia in Deum, nàm fides tendit in Deum per ſimplicem aſſenſum; Theologia verò per illationem, quam infert ex ipſa Dei notitia accepta per fidem, ſed Deus ſub ratione deitatis eſt obiectum in Theologia, ergo Deus ſub ratione Deitatis eſt obiectum fidei.

Prob. 2. Deus eſt ponendus obiectũ adæquatum fidei ſecundum eam rationem. quæ primariò, & principaliter per fidem intenditur, ſed Deus primariò intenditur ſub ratione Deitatis, quàm ſub alia ratione: ergo Deus ſub ratione Deitatis poni debet obiectum adæquatum fidei. Mai. pat. min. prob. nàm duo ſunt prædicatorum, & perfectionum ordines in Deo, quarum quædam ſunt omninò intrinſecæ, quales ſunt vnum, Trinum, Verum &c. aliæ verò extrinſecæ, vt eſſe de facto Creatorem, ſanctificatorem &c. ſed priùs ordo diuinarum perfectionum per fidem attingitur, quià in Deum immediatè fertur, quatenùs Deus eſt, quàm attingantur perfectiones poſterioris ordinis; ergo Deus primò, & principaliter ſub ratione Deitatis eſt obiectum fidei &c.

Arg. 1. cont. 1. Concl. Obiectum adæquatum alicuius habitus non debet excedere virtutem, & attingentiam

ipſius habitus, ſed ens reuelabile excedit virtutem, & attingentiam ipſius habitus fidei: ergo &c. prob. min. fides non poteſt tendere niſi in id, quod de facto reuelatum eſt, teſte Apoſt. fides ex auditu, auditus autem per verbum Chriſti; ergo &c. Reſp. conc. mai. & neg. min. ad probat. diſt. anrec. non poteſt tendere in omne reuelabile actu, ſeu actualiter conc. virtute, & aptitudine, nego, licet ergo fides non poſſit actum aſſenſus elicere niſi circa ea, quę reuelata ſunt, tamen ipſe habitus fidei ex ſe capax eſt, vt inclinet intellectum ad aſſenſum cuiuſcunque reuelabilis, quod de facto reuelatum fuerit, ideoque dicimus ens reuelabile eſſe obiectum materiale fidei.

Arg. 2. omne id eſt obiectum fidei, quod poteſt fide diuinà à nobis credi, at Verbum non eſſe incarnatum eſt à Deo reuelabile, abſolutè loquendo, non facta Incarnationis ſuppoſitione; ergo eſt à nobis credibile per fidem infuſam, quam modo habemus. Reſp. diſt. mai. omne id eſt obiectum fidei, vel actu, vel virtute conc. mai. quia, ad hoc vt fides diuina tendat actualiter in obiectum, debet eſſe reuelatum; & reuelabile non poteſt eſſe obiectum actu, ſed tantum aptitudine, ac proindè fides diuina non tendit in Verbum Diuinum eſſe incarnatum, non ſuppoſita Incarnatione.

Arg. 1. cont. 2. Concl. Humanitas Chriſti æquè ſtatui debet obiectum fidei, ac Deus ſub ratione Deitatis. Vndè Caluinus reprehendit Theologos, eò quòd aſſerant Deum, vt Deum eſſe obiectum primarium fidei, & non etiam Chriſtum, ſeù Deum, vt hominem; ergo humanitas Chriſti ingreditur rationem obiecti adæquati, & principalis. Ant. pat. ex illo Ioan. 17. hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum, & c. 2. hæc autem ſcripta ſunt, vt credatis, quia Ieſus eſt Chriſtus Filius Dei; ergo &c. Reſp. neg. ant. nam primò obiectum fidei eſt Deitas, & ſecundariò humanitas Chriſti, vt elicitur ex Verbis Chriſti Ioan. 14. Creditis in Deum, & in me credite, vbi ponit ordinem, quem debemus ſeruare in credendo, primo in Deum, deinde in humanitatem; neque authoritates adductæ fauent Caluino, imò contrà ipſam ſtant. Indicatur enim in illis ordo prior, & poſterior credendi; temeraria eſt igitur reprehenſio Caluini, cum Theologi reuerà comprehendant Deum vt hominem ſub obiecto materiali fidei.

Arg.

Arg. 2. Omnis ſciẽntia, ſeù habitus intellectiuus ex Ariſt. 1. Poſt. ſupponit de ſuo ſubiecto quod ſit, & quid ſit: ergo, cum fides ſit habitus intellectiuus, non tendit in Deum vt exiſtentem, & vnum, & Trinum; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. habitus ſcientificus conc. habitus theologicus, qualis eſt fides, nego, nam fides immediatè tendit in Deum, credendo Deum eſſe &c.

Arg. 3. plura cadunt ſub fide, & per illam certò creduntur, qu e nulla ratione ordinari poſſunt ad notitiam Dei; ergo non omnia credibilia reducuntur ad Deum ſub ratione Deitatis. Ant. pat. de Cane Tobiæ, de quo dicitur c. 11. quaſi nuntius adueniens blandimento ſuæ caudę gaudebat. Reſp. neg. ant. Ad illud Tobiæ dicimus pertinere ad Deum, quatenùs eſt author Scrip. ſummæ veracitatis: ordinatur igitur ad Deum primam veritatem.

QVÆSTIO III.

Quodnam ſit obiectum formale fidei Diuinæ.

NOt. 1. Quod ſenſus præſentis quæſtionis eſt, quodnam ſit medium, ſiuè motiuum, ſeù ratio formalis, ſub qua intellectus noſter aſſentitur rebus fidei; circà quam referuntur diuerſæ opiniones. Quidam enim putarunt fidem vltimò reſolui in ſupremum Dei dominium, allegantes illud Apoſt. 2. ad Corinth. c. 10. In captiuitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti, & hæc opinio, vtpote omni fundamento deſtituta, meritò à Theologis reijcitur; ſupremum enim dominium non confert ad eliciendum actum fidei per modum obiecti, ſeù motiui, quàmuis ſit radix, ſeù titulus, ex quo oritur Deum nobis poſſe imperare actus fidei, ſicut alios actus præceptos. Vnde authoritas Apoſt. non eſt ad rem; Alij, vt Aureolus relatus à Capreolo exiſtimarunt fidem reſolui vltimò in ipſam Deitatem, hac ratione ducti: quia diuina veracitas, quæ reſoluitur, primò in infinitatem Dei ſapientiam, & bonitatem: tandem in ipſam Deitatem reſoluitur, verùm hæc quoque opinio communiter reijcitur, quia, etſi veracitas reſoluatur in Deitatem, tanquàm in vltimam rationem eſſendi, quaſi metaphyſicam, & quoad notitiam ſcientificam, non

ta-

tamen tanquam in rationem formalem credendi, quæ potiùs ſiſtit in ipſa veracitate, fide non attendente, vndè ipſa Deo competat; Aliud eſt enim Deitatem eſſe cauſam, cur Deus ſit ſummè verax, & aliud eſt ipſam eſſe rationē formalem, cur credamus, vt eleganter diſcurrit Herincx in diſp. 2. de fide q. 3. Alij putarunt fidem reſolui in authoritatem Eccleſiæ; Alij denique dixerunt, quod vltima reſolutio fidei ſtet penes ipſum fidei lumen infuſum, de quibus vltimis fortaſſe in corpore quæſtionis &c. communis verò doctrina Theologorum eſt fidem noſtram pro obiecto formali quo, ſiuè motiuo in quod vltimatè reſoluitur, habere primam, & infallibilem veracitatem Dei, ſeù veritatem in reuelando &c.

Not 2. Quòd Deus tripliciter dici poteſt prima veritas, Primo in eſſendo, quatenus includit perfectionem infinitam ſuæ naturæ, quæ cognoſci poteſt, & denotat veritatem tranſcendentalem: 2. dicitur prima veritas in cognoſcendo, quatenus includit ipſam cognitionem infinitè perfecta, ratione cuius à nemine falli poteſt, vel aliquid abſconditum ignorare: 3. dicitur prima veritas in dicendo, ſeu reuelando, quæ in nobis eſt virtus moralis inclinans ad dicendum verum. In Deo autem eſt ſumma inclinatio ad dicendum verum in ijs omnibus, quæ vel per ſe, vel per alios enunciantur, adeout nunquàm poſſit loqui falſum, ac neminem fallere.

Concl. Deus ſub ratione primæ veritatis in dicendo, ſeu reuelando rectè ſtatuitur pro obiecto formali fidei theologicæ, quod idem eſt, ac dicere fidem noſtram vltimatè reſolui in primam, & infallibilem veracitatem Dei, adeout ſi quæratur formalis vltima ratio, cur catholicus hoc, vel illud credat, reſp quia prima veritas id reuelauit. Eſt Scot. in 3. d. 27. & Scotiſt. Prob. conc. ex Scot. Ideo aſſentimur propoſitis articulis fidei, quia in eis relucet teſtimonium, & reuelatio Dei, ſed teſtimonij auctoritas in veracitatem teſtis reſoluitur, ergo veracitas Dei reuelantis eſt ratio motiua fidei, ac proinde obiectum formale eius. Mai. patet ex S. Scrip. quæ, dum res fidei nobis credendas proponit, non aliam rationem motiuam ad aſſenſum adducit, quam quod Deus ſummè verax hoc dixerit, vel reuelauerit, vt habetur Matt. 16. Caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus,

meus, & Ioan. 5. Spiritus eſt qui teſtificatur, quoniam Chriſtus eſt veritas, & paulò infra, qui non credit filio, mendacem facit eum, ideſt Deum, quia non credit in teſtimonium, quod teſtificatus eſt Deus de Filio ſuo.

Prob. 2. Illud eſt obiectum motiuum fidei diuinæ, à quo ipſa ſumit ſuam infallibilitatem; per hanc enim diſtinguitur à fide humana, ſed ſuam infallibilitatem ſumit à Deo ſub ratione primæ veritatis in dicendo; ergo &c. Confirmatur, quia in omni fide aſſentimur propoſitioni ob auctoritatem dicentis; ergo per fidem diuinam aſſentimur propoſitioni ob veracitatem Diuinam.

Arg. 1. Sicut pro ratione aliquid credendi aſſignatur, quod prima veritas id reuelauerit, ita etiam aſſignari poterit pro ratione, quod Eccleſia id declaret, ſeu tradat. Imò, ſi quæratur à Catholico, cur credat, ſeu ſciat primam veritatem, ille tandem recurret ad auctoritatem Eccleſiæ proponentis res credendas, ergo vltima reſolutio fidei videtur eſſe, ſeu tendere in Eccleſiam, & conſequenter veracitas Dei non erit ſola ratio formalis, ad quam reſoluitur fides.

Reſp. neg. paritatem, quia Eccleſia per infallibilem aſſiſtentiam Spiritus S. mediante reuelatione, qua Deus reuelauit huiuſmodi infallibilem aſſiſtentiam, participat de ratione formali obiectiua fidei, non tamen ſequitur, quod ſit vel prima, vel æqualis ratio cum veracitate Dei, quæ eſt à priori. Vnde Eccleſia à poſteriori oſtendit, proponit, & applicat omnibus reuelationem veracem Dei, vel Eccleſiæ; propoſitio eſt tantum præuia diſpoſitio, vel conditio ſine qua non ad eliciendum vltimatè aſſenſum ſidei, & hæc eſt germana mens Doctoris in 3. d. 27. q. vn. quem perperam quidam Recentiores reprehendunt, quaſi docuiſſet credibilitatem noſtram reſoluendam eſſe in fidem humanam, tanquam in vltimum, eò quia dixerat cum Aug. non crederem Euangelio, niſi crederem Eccleſiæ catholicæ, à qua calumnia eum vindicat etiam Caſpenſis in tract. de fide diſp. 1. ſect. 3. vbi ſic habet: Scot. ergo ſolum voluit aſſenſum fidei in nobis non fieri, niſi præuia fide humana, qua inſtruimur per prædicatores, & Parentes, & per Eccleſiam iuxta illud Pauli fides ex auditu, adeout fides humana Parentum &c. præcedat, & præueniat, tamquàm conditio, ſine qua non fidem Diuinam.

Arg. 2. Ratio vltimata, cur credamus firmiter videtur referenda in lumen fidei infuſum, quo Deus teſtatur credenti rem ita ſe habere, ergo &c. Reſp. neg. aſſumptum, quia habitus, ſeu lumen fidei efficit quidem actum fidei diuinæ, non tamen ad illud obiectiuè mouet, ac proinde potiùs ſe tenet ex parte potentiæ, quàm obiecti; formale autem obiectum alicuius aſſenſus non mouet ad illum, niſi media ſui cognitione, licet non negemus lumen fidei concurrere in genere cauſæ efficientis, vt ſupra &c.

Arg. 3. diuerſorum habituum debet poni diuerſum obiectum quo, ſeu diuerſa ratio, ſub qua tendunt in ſuum obiectum, ſed fides, & Prophetia ſunt habitus diſtincti, ac proinde diuerſæ ſunt illarum rationes, quibus tendunt in obiectum, quia Prophetia tendit in Deum, vt in primam veritatem infallibilem in cognoſcendo, & reuelando, ergò fides vt habitus diſtinctus nequit ſub eadem ratione tendere in Deum. Reſp. conc. mai. & diſt. min. Prophetia tendit in primam veritatem &c. eodem modo, quo fides, nego min. diuerſo modo, conc. nam fides tendit in primam veritatem modo inæuidenti, & obſcuro; Prophetia autem indifferenter ſe habet ad obſcuram, vel euidentem obiecti propoſitionem. Hinc eſt, quod etſi fides in Chriſto locum non habuerit, tamen in eo fuit Prophetiæ donum.

Arg. 4. Scot. in prol. ſent. pluribus rationibus probat nullam rationem attributalem, qualis eſt etiam veracitas Dei, poſſe eſſe obiectum primum Theologiæ, ergo neque poteſt eſſe obiectum fidei, cum ex Doct. idem ſit obiectum Theologiæ, & fidei. Reſp. rationes Scoti procedere de obiecto primario, & adæquato Theologiæ, & ſic eſt verum, quod nulla ratio attributalis poteſt eſſe obiectum, ſed ſola Deitas, quam etiam nos admittimus pro obiecto primario, & adæquato fidei. Vel ſi contendatur illas rationes procedere etiam de obiecto formali: reſp. Scot. loqui de Theologia Beatorum, non autem noſtra, vt ipſe indicat in 3. d. 39. q. 2. & dictum eſt in quæſt. 3. proæmial. part. 1.

QVÆSTIO IV.

Quomodo reuelatio diuina pertineat ad obiectum formale fidei.

NOt. 1. Quod reuelatio, ſeu locutio diuina eſt poſitio ſigni facta à Deo, eo fine, vt aliquam rem, & conſequenter conceptum ſuum de eadem re manifeſtet, cui loquitur iuxta capacitatem audientis, & hæc reuelatio dicitur actiua, quæ diuerſimodè fieri poteſt; vel enim fit immediatè à Deo, vel mediantibus Angelis perſonam Dei repræſentantibus, eiuſque nomine loquentibus, prout facta eſt Prophetis, vel fit mediatius per ipſos homines nomine Dei loquentes alijs hominibus, prout Prophetæ, & Apoſt. & cæteri Sancti Dei homines, Spiritu S. inſpirante, nobis loquti ſunt. Ad quod varijs ſignis Deus vti poteſt in manifeſtationem myſteriorum, nimirum verbis, qualiter loqutus eſt nobis in Filio, & per Filium: ſcriptis, qualiter loquitur nobis in Scripturis; infuſione iudicij certi de myſterio, tanquàm à Deo loquente procedentis, nec non alijs ſignis iuſta illud Scripturæ, Multifariam, multiſque modis &c.

Not. 2. Quòd manifeſtatio alia eſt publica, alia priuata; publica dici ſolet, quæ eſt conſequenter Regula communis fidei, & hæc fit Eccleſiæ; priuata eſt, quæ interdum fit particularibus Sanctis, vt B. P. N. Franciſco, D. Petro Alcant. &c. Denique reuelatio alia eſt omninò expreſſa, ſeu explicita, alia implicita, quæ ſcilicet in priori continetur, vt v.g. particularis in vniuerſali, de quibus clariùs infra.

Not. 3. Quòd plures Recentiores cenſent ipſam reuelationem eſſe partiale obiectum formale fidei, & quidem plerique non diſtinguunt inter reuelationem actiuam, & paſſiuam, imò potiùs de vtraque loquntur. Reuelatio autem actiua eſt quæ nectit primam veritatem, ſeù diuinam authoritatem materiæ credibili. Paſſiua eſt quæ applicat intellectui ipſam primam veritatem, & reuelationem actiuam. Verùm communis opinio Theologorum cenſet reuelationem non eſſe obiectú formale partiale fidei, ideo ſit.

I. Concl. Reuelatio diuina non ingreditur motiuum fidei, quod eſt obiectum formale, ſed ſe habet tanquàm con-

ditio vniens, ſeu applicans motiuum articulo reuelato, aut intellectui credendis. Ita Smiſing. q. 2. proœm. Franc. Caſtillo d. 1. q. 3. de fide. Henrix, & plures alij Scotiſtæ, adeout dixerit Herincx, in ſcholis noſtris hic modus loquendi eſt receptior, & ſubdit, dico modus loquendi, de hoc enim, potiùs quam de re videri poteſt eſſe controuerſia.

Prob. concl. quæ etiam colligitur ex Scot. d. 27. q. vn. ſic. Teſtimonium, vel dictio præciſè ſumpta, ſeu ratione ſui nihil habet, quod moueat ad aſſenſum, vel fidem mereatur, ſed totum habet ex authoritate dicentis, ratione cuius eſt differentia inter dictum ab Homine, ab Angelo, & à Deo ergo ipſum teſtimonium, ſeù reuelatio eſt mera conditio obiectiua, ſiuè applicatio obiecti motiui ad materiam credendam. Prob. 2. Illud eſt obiectum formale motiuum fidei, in quod ipſa adæquatè reſoluitur in ratione infallibilitatis, ſed ſic reſoluitur in ipſam Dei authoritatem, cuius rei ſit, tam reuelationem, quàm rem reuelatam eſſe infallibilem; ergo &c. Prob. 3. eodem modo concurrit cognitio boni appetibilis ad appetendum bonum per actum voluntatis, ſed cognitio boni appetibilis concurrit tantum vt conditio ad actum appetitionis: ergo & reuelatio ad aſſenſum fidei.

II. Concl. Priuata reuelatio non requiritur in credente, ad hoc vt aliquid credat fide Diuina; eſt cont. Hæreticos Recentiores, qui, vt pro libidine ſua quaſdam fidei veritates admittant, quaſdam reijciant, iudicem controuerſiarum ſtatuunt ſpiritum priuatum, cuique in particulari res fidei reuelantem, & fundamentum deſumunt ex 1. Ioan. c. 4. Nolite omni ſpiritui credere, ſed probate ſpiritum; an ex Deo ſit, quoniam multi Pſeudoprophetæ venerunt; vnde colligunt Apoſt. loqui omnibus indifferenter, & vnumquemque conſtituere iudicem ſecundùm proprium ſenſum, atque Spiritum de rebus credendis. Verùm clariſſimè patet, quàm pernicioſus ſit hic error, & quantum perturbet ordinem rationalis Eccleſiæ, eo namque admiſſo nihil haberetur de fide certum, ſed quæ vnuſquiſque fingeret, ſinguli crederent, quod eſt facere primam veritatem mendacem, quod enim vnus crederet, poſſet ſic alius non credere.

III. Concl. Reuelatio ſufficiens ad credendum, non ſo-

lùm

lùm eſt illa, quæ eſt omninò explicita, ſed etiam ſufficit reuelatio facta in æquiualenti. Hæc videtur communis inter Theologos. Prob. reuelato v. g. quod ad peccandum requiratur libertas, etiam reuelatum eſt neminem peccare ex neceſſitate. Item damnato quod prò ſolis electis Chriſtus ſit mortuus, definitum cenſetur, quod ſit mortuus prò reprobis, & generaliter damnato vno contradictoriorum, cenſetur reuelatum oppoſitum, ſiuè contradicens in terminis, ſiuè ſignificans contradictorium. Vnde facta reuelatione, quod Chriſtus non ſit phantaſma, ſed verus homo, etiam reuelatum eſt quod conſtet vero corpore, & Anima, ac proinde contradicentes, vel non aſſentientes ſunt, & habentur tanquam hæretici. Hinc ſequitur in reuelatione propoſitionis vniuerſalis cenſeri reuelatam particularem, metaphyſicè contentam in vniuerſali, quare eſt de fide fuiſſe in Arca Noe Oues, Boues Columbas &c. quià ſignificatum termini vniuerſalis coincidit cum particularibus v. g. hic terminus omnis generis animantia conuenit cum Bobus, Columbis &c. vndè in reuelatione huius. Omnis homo eſt creatus in ordine ad Beatitudinem, continetur etiam reuelatio de ordinatione huius, & illius hominis ad vitam æternam.

Arg. cont. 1. Concl. Reuelatio eſt æquè ratio mouens ad credendum, vt quis eliciat actum fidei; ergo eſt æquè pars eſſentialis obiecti formalis, ſicuti prima veritas. Prob. ant. Reuelatio habet æquè certitudinem quamdam, & infallibilitatem, ratione cuius poteſt ei credi: ergo &c. Reſp. neg. ant. ad eius probationem diſt. ant. habet certitudinem, & infallibillitatem quamdam ex ſe nego antec. quatenùs informatur moraliter certitudine primæ veritatis, conc. anteced.

Arg. 2. ex Comptone, & Arriaga. Plures ſcripturæ teſtantur nos credere ob teſtimonium, vel reuelationem à Deo immediatè, vel mediatè factam; ergo ipſa eſt pars obiecti formalis fidei: ant. patet Ioan. 5. Si crederetis moyſi, crederetis forſitan & mihi &c. Reſp. diſt. ant. ob reuelationem tamquàm conditionem, conc. ant. tamquam rationem formalem, nego, & in hoc ſenſu applicanda venit ſententia ſuper allata &c.

Arg. 3. Reuelatio determinat ad aſſenſum fidei, tanquam

obiectum cognitum; ergo non tantum vt conditio. Reſp. diſt. ant. determinat per ſe, & gratia ſui, neg. ant. gratia diuinæ veracitatis, quatenùs à Deo informatur, conc. ant. nam ſic etiam obiectum materiale determinat ad aſſenſum tanquam obiectum cognitum, ſed informatum à veracitate Diuina.

Quæres 1. An reuelatio priuata à Deo facta ſit ſufficiens ad fundandum actum ſidei diuinæ.

Reſp. negatiuè, licet regulariter loquendo nihil teneamur credere, niſi quod ſola proponit Eccleſia; nam ſi poſſet quis credere priuatæ reuelationi alteri factæ, ſequeretur quod meritò hæretici nos reprehenderent, dicendo nos quoque ſequi ſpiritum priuatum, notanter dicitur alteri factæ, quia ille, cui à Deo facta eſt reuelatio, adeout non poſſit dubitare de tali reuelatione, credere tenetur. Idem enim eſt obiectum reuelationis priuatæ, ac publicæ, ac proin ſe eadem fide D. credenda eſt reuelatio priuata, etſi nonnulli contendant, vt Sot. & Canus habitibus diſtinctis credi reuelationi priuatæ, & publicæ. Ita Vega lib. 9. in Trid. Bellar. Herincx &c.

Quæres 2. An reuelatio virtualis ſit ſufficiens ad fundandum actum fidei D. Reſp. neg. ex D. Thom. & alijs contra Canum, & Vega. Ratio quia illud non poteſt credi fide D. quod credi nequit ob puram Dei auctoritatem, ſed quod non eſt reuelatum, niſi virtualiter, credi nequit propter Dei auctoritatem; ergo credi non poteſt fide D. prob. min. quia non poteſt credi, niſi quod euidenter infertur ex eo, quod eſt reuelatum, & quia eſt cum eo connexum, non poteſt credi ob puram Dei authoritatem, ſeu fide D. ſed eſſe reuelatum virtualiter creditur tantùm, quia euidenter infertur ex re reuelata, eo quia eſt cum eo connexum; ergo illud non creditur propter veram reuelationem, ſeu fide D. neque eſſet hæreticus, qui negaret hanc connexionem proprietatis in tali cauſa, nihilominus quod euidenter infertur ex reuelato eſt concl. theologica, quia deducitur ex vna præmiſſa fidei, & altera naturali.

QVÆSTIO V.

Vtrum Deus poſſit per ſe, vel per alium mentiri: vel. Vtrum obiectum fidei ſit ita verum, vt nullo modo ei falſum ſubeſſe poſſit.

NOt. 1. Quod mentiri ſecundum D. Aug. *Non eſt aliud, quàm dicere aliquid ſcienter aliter ſentimus.* Qui diſcrimen ponit in Enchir. c, 26. inter mentiri, & falſum dicere, poteſt enim aliquis dicere falſum abſque mendacio exiſtimando illud verum, quià duplex falſitas in verbis diſtingui poteſt, vna materialis, & eſt, quandò aliquis putans eſſe verum quod dicit, decipitur, & decipit. Altera formalis, & eſt, quando quis cognoſcens falſum eſſe quod dicit, illud tamen affirmat pro verò, aut è contra, & in hoc conſiſtit ratio, & malitia mendacij. Prima falſitas ideſt materialis nequit in Deo habere locum, quià cum Deus ab æterno neceſſariò nouerit eſſe verum, non poteſt falli, & conſequenter non poteſt loqui falſum, quin mentiatur, & loquatur contra mentem, quæ eſt formalis falſitas.

Not. 2. Quod Deus tunc cenſeretur mentiri per ſe, ſi reuelaret ipſemet immediatè nobis aliquod falſum, quod ob reuelationem crederemus vt verum. Tunc autem cenſeretur per alium mentiri, ſi tribus ſequentibus modis mentiretur: 1. præcipiendo alicui vt Dei nomine aliqua falſa, tanquam à Deo dicta alijs enunciet: 2. præcipiendo alicui, vt à ſe,& proprio nomine falſum dicat: 3. ſine vllo pręcepto aliquem directè incitando ad mentiendum eo modo; quo de facto per gratiam preuenientem nos incitat ad bonum.

I. Concl. Deus neq; per ſe,neq; per alium mentiri,poteſt etiam de potentia extraordinaria. Eſt de fide contra Hæreticos Priſcillianiſtas, & Armenos, qui, vt refert noſter Caſtro lib. 5. aduersùs hæreſes, putarunt Deum poſſe mentiri, & aliquando per Prophetas eſſe mentitum: nec non contrà Aliacenſem, & Goddam, qui opinati ſunt Deum poſſe de potentia extraordinaria mentiri. Prob. Concl. quoad 1. part. & primò ex S. Scrip. Apoſt. ad Rom. cap. 7. & 4. ſcribens ſic ait. *Eſt autem Deus verax, omnis homo mendax,* & num. 27. *Non eſt Deus quaſi homo vt mentiatur:* quæ authorita-

tes intelligendæ ſunt de veracitate non ſolum in actu: 2. ſed etiam in actu primo, vt ſenſus ſit: Deum eſſe ità veracem, vt etiam non habeat potentiam, vel actum primum ad mentiendum per ſe, ac proindè nec per alium. Hanc tandem veritatem tradunt apertè SS. PP. & ſignanter S. Athanaſius lib. de Incarn. Verbi aiens: *Abſurdum eſt Deum in ſuis verbis mentiri; non enim Deus fuiſſet*, & D. Aug. lib. 1. de Symbolis c. 1. *Deus, cum ſit omnipotens, mori non poteſt, falli non poteſt, mentiri non poteſt*: ergo nec de potentia extraordinaria Deus poteſt mentiri. Prob. ratione. Sicut ſe habet falſitas ad veritatem, ità malum ad bonum, ſed Deus ob ſuam ſummam bonitatem non poteſt eſſe malus, neque habere peccatum in ſe, nequè directè inſtigare hominem ad peccandum: ergo ſimiliter ob ſuam ſummam veritatem, nec de potentia abſoluta poteſt eſſe falſus, vel mentiri.

Confirm. Veritas D. eſt perfectio ſimpliciter ſimplex excludens omnem imperfectionem; ergo Deus non poteſt eſſe infinitè verax, & per ſe mentiri; ſicut non poteſt eſſe infinitè ſapiens, & aliquid ignorare &c. Prob. quoad 2. part. Æquè certum eſt Deum non poſſe mentiri per alium, ac non poſſe mentiri per ſe ipſum, quia mentiendo per alium, veluti miniſtrum, & internuncium Dei nomine loquentem reuerà Deus ipſe mentiretur moraliter loquendo; ſicut qui per miniſtrum occidit, eleemoſynam dat &c. verè dicitur inſtar cauſę principalis occidiſſe &c. adeout moraliter idem ſit dicere per ſe, vel per alium etiam iuxta axioma legale lib. 2. p. 1. ff. de adminiſtratione rerum. *Quod alicui non licet facere per ſe ipſum, neque per alium licet*. Quare in S. Scrip. Angelo tanquam Dei miniſtro loquente, dicitur Deus loqui, vt habetur Exod. c. 3. & alibi. Accedit etiam, quod omnia ferè myſteria fidei loqutus eſt nobis per miniſtros, Angelos, ſiuè homines; ac proindè vaccillaret fides noſtra, ſi Deus per alium loquens poſſet mentiri.

II. Concl. Fidei D. non poteſt ſubeſſe falſum, nec etiam ex parte credentis. Concl. videtur de fide, traditur enim communiter à SS. PP. & D. Paulus ad Timoth. *Scio cui credidi, & certus ſum*. Hinc Conc. Trid. reprobans inanem fiduciam hæreticorum ſeſſ. 6. c. 9. ait. *Quilibet, dum ſe ipſum, ſuamquè ſapientiam, infirmitatem, & indiſpoſitionem reſpicit, de ſua gratia formidare, & timere poteſt, cum nullus ſcire valeat certitudinem fi-*

dei,

dei, etiã non poteſt ſubeſſe falſum, ſe gratiam Dei eſſe conſequtum. Prob. ratione. Vera, ac perfecta virtus non poteſt inclinare ad id, quod per ſe malum eſt, ſed aſſenſus erroneus, & falſus eſt per ſe malus; ergo &c. Conf. ſi fides poſſet eſſe principium actus falſi, & erronei, ſequeretur, quod Deus poſſet eſſe cauſa ſaltem mediatè falſitatis, & erroris, ſed conſeq. conſtat eſſe falſum; ergo &c.

Arg. 1. In S. Scrip. dicitur, Deum adiuuaſſe, vt aliqui loquerentur falſum, & præſertim lib. 3. Reg. c. 22. vbi ſic habetur. *Et dixit Dominus, decipies, & præualebis*, ita enim loquebatur ad Ioab. Item Ezechiel. 14. dicitur. *Et Propheta cum errauerit, ego Dominus decepi Prophetam illum*, & alia conſimilia; ergo Deus per alium mentiri poteſt.

Reſp. ad prædictas authoritates, & ad ſimiles eſſe intelligendas in ſenſu permiſſiuo, hoc eſt, Deus permittit deceptiones, & falſitates, ſicut permiſit alia plura mala; ſæpè enim Scrip. in hebræo vtitur ſimili phraſi, vt habetur etiam 2. Reg. c. 28. vbi dicit Dauid, Deum præcipiſſe Semei, vt malediceret Dauid: ideſt ex intentione puniendi peccatum Dauidis, hæc ei permiſiſſe, vnde dicit D. Aug. lib. 67. qq. q. vlt. Deum aliquando decipere homines per ſpiritus nequam, quatenus permittit Dæmonibus, vt homines decipiant.

Arg. 2. Abraham Dei inſtinctu mentitus eſt, quando dixit Gen. c. 22. pueris ſuis: *Expectate hic cum Aſino, ego & puer eoſque properantes reuertemur ad vos*; cum tamen non cogitauerit reuerti cum puero, quem volebat immolare: ergo &c. Reſp. cum D. Aug. Abraham non fuiſſe mentitum, ſed magna fide crediſiſſe ſe reuerſurum cum puero Iſaac, etiam ſi ipſum immolaret, quia habuit infallibilem promiſſionem Dei de multiplicatione ſuæ gentis in Iſaac.

Arg. 4. Quod poſſit mentiri de potentia abſoluta. Deus poteſt ſeparare à mendacio omnem malitiam moralem, & peccaminoſam; ergo Deus ſaltem per alium poteſt mentiri: ant. patet, quia Deus poteſt diſpenſare ſecundùm quamplures Theologos in præceptis Decalogi, maximè in omnibus præceptis ſecundæ Tabulæ: ergo &c. Reſp. mendacium eſſe intrinſecè malum, ac proinde non poſſe à Deo diſpenſari ſecundum vtramque malitiam, nempe moralem, & theologicam; licet igitur Deus tolleret præceptum

de

de non mentiendo, nihilominus remaneret malitia moralis, quatenus ſemper eſſet contra rationem mentiri. Itaque Deus nequit propriè diſpenſare, quia huiuſmodi diſpenſatio vim habet faciendi licitum, quod eſſet illicitum, vt ſatis dictum eſt in tract.de legibus quęſt.de diſpenſat.legis D.

Arg. 1. cont. 2. conc. Poſſet aliquis ex antiquis PP. qui præceſſerunt Chriſti Incarnationem continuare etiam poſt Chriſti Natiuitatem aſſenſum fidei circa hanc propoſitionem: Chriſtus naſcetur, ſed hic aſſenſus poſt Chriſti natiuitatem eſſet falſus; ergo ex parte credentis poteſt fidei ſubeſſe falſum. Reſp. neg. mai. & ratio eſt, quia aſſenſus fidei ſupernaturalis habet neceſſariam dependentiam à diuina reuelatione vera, & exiſtente, & non ab apparente. Vnde ſequitur, quod talis aſſenſus non poſſit haberi, nec conſeruari, niſi pro tempore, quo reuelatio eſt vera, & realis de obiecto reuelato. In propoſito igitur, tranſacta Chriſti natiuitate, non poteſt eſſe vera reuelatio de hac propoſitione Chriſtus naſcetur.

Dices. Poteſt Deus de potentia abſoluta conſeruare primum aſſenſum, etiam poſtquàm Chriſti natiuitas eſt poſita in eſſe; ergo &c. Reſp. conc. ant. ſed in tali caſu ille aſſenſus ex ſe formaliter tantum haberet virtutem determinandi intellectum ad credendum Chriſtum eſſe naſciturum pro aliquo tempore ſubſequente primam productionem ipſius actus; in quo ſenſu aſſenſus ille ſemper eſſet verus, quia obiectum ſemper eſſet verum.

Arg. 2. Actus aliarum virtutum ſupernaturalium, & moralium poſſunt verſari circa aliquod obiectum fictum, & falſum: ergo pariter fides inclinare poteſt ad aſſenſum circa illud, quod quis credat à Deo reuelatum eſſe, quamuis de facto ita non ſit, quod eſt inclinare ad aſſenſum falſum ex parte credentis. Prob. ant. vnico exemplo. Per virtutem Religionis adoramus hoſtiam, data hypotheſi, non conſecratam, quam reuerà conſecratam cenſemus qui quidem actus eſt falſus, ergo pari ratione virtus poteſt inclinare ad falſum. Reſp. conc. ant. ad probat. nego conſeq.& ratio diſparitatis eſt inter virtutes intellectuales, & morales, quod illæ verſantur circa verum, ac proindè tota earum perfectio conſiſtit in conformitate cum obiecto, à quo veritas, & falſitas immediatè deſumitur, at virtutes morales,

rales verſantur circa bonum propoſitum ab intellectu, & earum perfectio conſiſtit in conformitate cum obiecto, non prout eſt à parte rei, ſed vt proponitur per rationem; Tunc enim operatur benè voluntas, quando ſe ſe conformat dictamini rationis, ſiue internum obiectum ſit reuerà bonum, vel non à parte rei; maximè ſi ſupponat obiectum à parte rei ſibi propoſitum eſſe bonum, vt in exemplo allato &c.

Arg. 3. Ruſticus v.g. eamdem facilitatem experitur, præbendo aſſenſum obiecto falſo ab hæretico Paſtore propoſito, ac in credendis articulis veris ab eodem Paſtore propoſitis, ſed hoc non eſſet, niſi circa vtrumque articulum per fidem D. tenderet: ergo eadem fide credit obiectum falſum, quod verum eſſe, exiſtimat. Reſp. neg. aſſumptum, quia illa facilitas non prouenit ab habitu fidei infuſæ, ſed acquiſitæ; habitus enim infuſi non conferunt facilitatem potentiæ, ſed tantùm virtutem ſupernaturalem, vt poſſit producere actus ſupernaturales.

Quæres. Vtrum Deus vti poſſit locutione anphibologica. Reſp. quod duobus modis poteſt aliquis vti voce anphibologica, ſeu æquiuocatione; primò formaliter, intendendo ſcilicet ſignificare verbis alium ſenſum verum, diuerſum tamen ab eo, quem Auditores hic, & nunc concipiunt, & ſignificari putant, adeout nullæ adſint circumſtantiæ, ex quibus audiens deuenire poſſit in cognitionem ſignificationis, vel ſenſus verborum à loquente intentus: 2. materialiter, quando ſcilicet ſunt aliquæ circumſtantiæ, ex quibus audiens concipere poſſit quis nam ſit verus ſenſus verborum prolatorum à loquente, maximè ſi audiens ſit vir prudens, & ſagax, licet fortè ob defectum attentionis ad verba, & conſiderationis circumſtantiarum non percipiat mentem loquentis expreſſam verbis equiuocis. Itaque Deus nequit vti anphibologia formali, quia eſt ſpecies mendacij, cum talis oratio ſecundum ſe ſumpta ſit ſimpliciter falſa ratione intentionis dicentis, aut orationis merè internæ, quam loquens ſubintelligit; poteſt tamen vti anphibologia materiali, quo ſenſu locutus eſt Chriſtus, quando dixit hebræis; Vos aſcenditis ad diem feſtum hunc, ego autem non aſcendam, ideſt palam, vt paſſim DD. interpretantur; nam reuerà Chriſtus aſcendit; Alia ſimilia ſunt in S. Scrip. de quibus agitur in materia de mendacio.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrum obiectum fidei debeat eſſe obſcurum.

NOt. 1. Quòd duplex poteſt eſſe obſcuritas in ſide, alia ex parte obiecti formalis, quod creditur, ſeu medij, cui innititur, alia verò ex parte ſubiecti, ſeù credentis: 1. conſiſtit in hoc, quod medium iſtud, etſi certam cognitionem efficiat, non tamen illam efficit claram, & intuitiuam, nec ſcientificè euidentem: 2. conſiſtit in eo, quod talis intellctus credit quidem Deum, & ea, quæ ab ipſo reuelata ſunt propter eius diuinum teſtimonium, non tamen euidenter ipſum Deum, nec ab eo reuelata. Quæſtio igitur procedit vtroque modo, & inſuper procedit de actibus fidei, & ſcientiæ; An ſimul repugnent; ac proinde, an obiectum fidei ſit ità neceſſariò obſcurum, vt credenti non ſit aliunde actu euidens.

Not. 2. quòd controuertitur à Doctoribus (eſtò omnes ſupponant rem reuelatam, ſeù obiectum materiale fidei, cum per hoc differat ab obiecto ſcientifico) An obſcuritas, ſeu ineuidentia ſe habeat in ordine ad obiectum fidei formaliter, ſeu vt ratio formalis integrans, & complens illud; an verò ſolum concomitanter, ſeu vt pura conditio. Prima ſententia affirmat, ſpectare ad illud per modum rationis formalis. Ita Suarez diſp. 3. ſect. 3. Turrian. 2. 2. diſp. 8. dub. 1. & alij plures, tam veteres, quàm Recentiores. Secunda negat, eſſe rationem formalem, ſed aſſerit, eſſe puram conditionem, neceſſariò tamen ad actum fidei præerequiſitum. Ita Scot. in 3. q. vn. ideoque ſit.

I. Concl. Obſcuritas rei reuelatæ, vel obiecti materiaris non pertinet ad rationem formalem, ſed eſt pura conditio neceſſariò prærequiſita ad actum fidei Eſt Scot. loc. cit. & Scotiſt. aliorumque extrà noſtram Scholam. Prob. illud pertinet ad rationem formalem obiecti, quod integrat ipſam rationem formalem aſſentiendi, ſed obſcuritas obiectiua materialis in fide non integrat rationem formalem aſſentiendi; ergo non pertinet ad rationem formalem obiecti, ſed eſt pura conditio &c. Mai. pat. ex ipſa diffinitione rationis formalis obiectiuæ, quæ eſt cauſa motiua potentiæ ad actum eliciendum: min. verò prob. Obſcuritas obie-

ĉti retardat potiùs, quàm conducat, ſeù moueat ad veritatem obiecti reuelati; ergo non poteſt pertinere ad rationem formalem aſſentiendi, ſed concomitanter, & materialiter ſe habet: ergo &c.

II. Concl. Obiectum fidei neceſſariò habet annexam obſcuritatem, tam ex parte obiecti, quàm ex parte ſubiecti. Eſt Scot. loc. cit. Prima pars ex dictis patet, & inſuper prob. per D. Paul. 1. ad Corinth. c. 3. vbi ait: *Videmus nunc per ſpeculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem*; ſpeculum autem, & enigma obſcuritatem diuinæ reuelationis, cui fides innititur, apertè declarant. Vnde S. Cyrill. *Fidei myſteria appellat perfectiſſima fidei enigma.*

Prob. 2. pars. Fides innititur reuelationi; ac proindè talis eſt eius actus, quale medium, & motiuum, per quod tendit in obiectum, ſed D. reuelatio, quæ eſt medium, & motiuum, eſt prorsùs ineuidens, & obſcura; ergo & ipſe fidei actus &c. hæc autem ineuidentia commendat ipſam fidem, teſte Aug. in Ioan. tract. 79. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod creditur, non videtur.* Ex quo infertur primò, quod actus fidei, nequè de potentia ordinaria, nequè abſoluta poteſt ſimul ſtare cum viſione beatifica, ſeù notitia intuitiua, quam habent Beati de eadem re, vt docent Scot. D. Bon. D. Thom. & communiter omnes Theologi, idq; colligitur apertè ex Apoſt. 1. ad Corint. vbi inter alia docet, cùm autem venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, & ratione euidenti prob. tàm de potentia ordinaria, quàm de abſoluta: Nam viſum, & non viſum, cùm ſint contradictoria, nequeunt ſimul ſtare reſpectu eiuſdem intellectus, & obiecti: ſed actus fidei eſt ad obiectum non viſum, & actus viſionis beatificæ tendit ad obiectum viſum: ergo nulla ratione poſſunt ſimul ſtare &c. Infertur 2. quod fides actualis, & actus ſcientificus nec etiam de potentia abſoluta poſſunt ſimul ſtare in eodem intellectu de eodem obiecto, quicquid contendant quamplures Recentiores neutrales cenſentes, nedum de potentia abſoluta, ſed etiam ordinaria poſſe ſimul eſſe actum fidei, & actum ſcientiæ. Prima pars apud Scotiſt. & Thomiſt. eſt certa, & ex dictis patet &c. 2. pars prob. ratione Scot. in 3. d. 24. ad 3. principale; ſi enim in eodem intellectu duplex medium ad cognoſcendam eamdem propoſitionem ſimul reperiatur ſci-

licet demonſtratiuum,& opinatiuum,non mouetur intelle-ctus ad eliciendum actualem operationem à demonſtratiuo; ergo pari ratione ſi in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti reperiatur medium demonſtratiuum,& medium fidei, hoc non mouebit intellectum ad actum fidei.

Nec valet dicere cum Recentioribus repugnare quidem idem obiectum eſſe ſimul viſum, & non viſum per idem medium, non tamen per diuerſa media. Non valet inquàm, quia ipſa media, quæ fidem, & ſcientiam cauſant, opponuntur contradictoriè, quia medium actus ſcientifici habet prò ſuo effectu formali reddere in ſe obiectum euidens, reuelatio verò obſcura habet illum reddere obſcurum, ſeù non euidens: ſed euidens,& non euidens ſunt contradictoria formaliter, vel ſalem virtualiter, hoc eſt talia, ex quibus ſequitur contradictio; ergo etiam per diuerſa media repugnat idem obiectum eſſe euidens, & non euidens. Hinc meritò docet Scot. in 3.d.34. Petrum, & Ioan. qui viderunt Chriſtum Dominum crucifigi non potuiſſe fidem actualem habere de illius crucifixione, habebant tamen habitum, quo credidiſſent crucifixionem, ſi non vidiſſent.

Arg. 1. cont. 1. conc. Euidentia, & claritas pertinent ad rationem formalem obiecti ſcientiæ; ergo ineuidentia, & obſcuritas pertinent ad rationem formalem obiecti fidei: conſeq. patet, quia ſicut obiectum cognoſcibile per rationem intrinſecam eſt eſſentialiter clarum, ideſt eſſentialiter motiuum ad claram cognitionem, ita obiectum cognoſcibile per rationem extrinſecam eſt eſſentialiter motiuum ad obſcuram ſui notitiam. Reſp. neg. conſ. diſpar enim eſt ratio de euidentia, & ineuidentia obiectiua, quia euidentia eſt poſitiua obiecti perfectio, & maximè conferens ad veritatem obiecti manifeſtandam, & ideò poteſt intellectum mouere ad actum eliciendum. Obſcuritas autem non confert ad veritatem obiecti crediti, ſed potiùs retardat, ac proinde obſcuritas, ſeu ineuidentia non eſt ratio formalis obiecti fidei.

Arg. 2. Fides eſſentialiter diſtinguitur à ſcientia, & alijs virtutibus intellectualibus infuſis, ſed non diſtinguitur niſi per ineuidentiam, & obſcuritatem obiecti, omnis enim alia differentia eſt accidentalis, ſed omnis differentia

eſſen-

eſſentialis actus, vel habitus deſumitur ex obiecto formali; ergo quod fundat talem inæuidentiam, & obſcuritatem in actu fidei, eſt ratio formalis in obiecto fidei. Reſp. diſt. mai. fides per obſcuritatem, & ineuidentiam diſtinguitur tanquam quid poſteriùs, & concomitans rationem formalem obiecti fidei, conc. mai: tanquam per rationem formalem poſitiuam, quam accipit ab obiecto formali ex ratione aſſentiendi, quæ eſt ipſa prima veritas infallibilis in teſtificando, quatenùs ſtat ſub applicatione obſcura, quæ eſt conditio ſine qua non, neg.

Arg. cont. 2. conc. Obſcuritas nil aliud eſt, quàm negatio euidentiæ, & viſionis, ſed nulla negatio ſpectare poteſt neceſſariò ad obiectum, & actum fidei, ergo &c. mai. patet, quia obiectum, & actus fidei ſunt aliquid poſitiuum, nulla autem negatio eſt de ratione neceſſaria entis poſitiui.

Reſp. diſt. mai. formaliter conc. materialiter nego; nam de materiali importat aliquid poſitiuum, eſtò de formali ſignificetur per nomen negatiuum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ſimul cum obiecto fidei poſſit ſtare euidentia reuelationis.

NOt. Quòd euidentia poteſt eſſe duplex, alia atteſtationis, ſeu reuelationis, quæ etiam vocatur euidentia in atteſtante, vel euidentia teſtimonij D. & conſiſtit in hoc, nimirum, quod ei, cui fit reuelatio ſit euidens eſſe Deum, qui loquitur, ſeu eſſe locutionem, & teſtimonium Dei, quæ iuxta communem ſententiam DD. contigit Angelis præſertim ſuperioribus in ſtatu viæ; idque colligitur ex eò quòd illi ſpiritus clarè nouerant Creaturam, quæ loquebatur: alia eſt euidentia rei atteſtatæ, & tunc eſt, quando perſpicuè, & clarè manifeſtatur veritas infallibilis ipſius obiecti, certum eſt autem apud Theol. atteſtationem, reuelationem, ac teſtimonium Dei, quatenùs eſt obiectum formale fidei noſtræ de facto reſpectiuè ad nos nullam habere euidentiam, ſed eſſe obſcurum. Vndè diſcordant ſolummodò inter ſe DD. an, data hypotheſi, quod alicui euidens fieret huiuſmodi reuelatio, cum tali euidentia poſſet ſtare fides infuſa.

Concl.

Concl. Cum obiecto fidei, ſeu cum fide D. poteſt ſimul ſtare euidentia reuelationis, ita Scot. in 3. d. 24. & Scotiſt. vbi cenſet canonicos Scriptores S. Scrip. & Prophetas habuiſſe euidentiam reuelationis Dei dictantis S. Scrip. & vaticinia, & tamen myſteria, quæ ſcribebant, aut vaticinabantur, non niſi per fidem attingebant, & hanc ſententiam ſequuntur plures extra noſtram Scholam, eamque tenent etiam Thomiſtæ. Prob. conc. poſſet Deus de potentia abſoluta cauſare in intellectu creato euidentiam ſuæ reuelationis, itaut ſit euidens habenti reuelationem de hac propoſitione (Antichriſtus erit) ſe habere D. reuelationem, ſeu Deum ſibi loqui, ſed in tali euentu ille indubie aſſentitur iſti propoſitioni reuelatæ, non quidem aſſenſu ſcientiæ, & opinionis: ergo aſſenſu fidei, ac proinde euidentia reuelationis poteſt ſtare cum actu fidei.

Prob. 2. Illa ſola manifeſtatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens, vel viſum id, de quo principaliter eſt fides: ſed euidentia reuelationis non reddit apparens, vel viſum id, de quo principaliter eſt fides, qualis eſt res reuelata, quæ, non obſtante huius teſtimonij euidentia, manet in ſe intrinſecè obſcura; ergo &c.

Confirmatur. Quamuis enim illud omne, quod à Deo reuelatur ſit verum in ſe, non tamen ob id, qui euidenter cognoſcit aliquod eſſe reuelatum, videt illud eſſe verum in ſe, quia, licet id, quod à Deo reuelatur, ſit verum in ſe, non tamen cognoſcitur in ſe, nec penetratur veritas eius obiectiua, ſed ſola reuelatione externi teſtimonij innoteſcit, & creditur; ergo &c.

Arg. 1. Actus fidei eſt intrinſecè, & neceſſariò obſcurus, ſed actus obſcurus non poteſt inniti motiuo claro, & euidenti, ergo euidentia reuelationis non poteſt ſtare cum fide.

Reſp. conc. mai. & diſt. min. actus obſcurus non poteſt &c. ſi ex vi ipſius motiui clari innoteſceret veritas obiectiua in ſe: conc. ſi non innoteſcat veritas obiectiua, nego, ſic eſt in propoſito, quia obiectum in ſe remanet in ſua obſcuritate, ergo quamuis mihi eſſet euidens, quod aliquis mihi diceret hanc propoſitionem: Piſaurum eſt maius Senogallia, non obid iſta propoſitio eſſet mihi euidens, quia obiectum non eſt mihi euidenter propoſitum, prout in ſe eſt.

Arg.

Arg. 2. ex Suarez. Cum euidentia in atteſtante nequit ſtare obſcuritas rei atteſtatæ, ergo nec fides, quæ eſſentialiter requirit obſcuritatem obiecti: ant. prob. hoc ſyllogiſmo. Quicquid Deus euidenter reuelat, eſt euidenter verum, ſed Deus euidenter reuelat Verbi Incarnationem; ergo euidens eſt Verbum D. incarnatum fuiſſe.

Reſp. neg. ant. Ad ſyllogiſmum, quo prob. ant. poſſet primò reſponderi aſſenſum tali veritati non eſſe actum fidei, ſed aſſenſum theologicum, quia infertur ex præmiſſis. Verùm reſp. in forma diſt. mai. eſt euidenter verum euidentia intrinſeca, vel extrinſeca, conc. mai. intrinſeca tantum, neg. mai. Reuelatio autem Incarnationis eſſet euidens tantum euidentia extrinſeca.

Arg. 3. aſſenſus, ſeu actus fidei intellectus creati debet eſſe liber, ſed poſita euidentia reuelationis conuincitur intellectus ad aſſenſum rei reuelatæ; ergo poſita euidentia reuelationis, non poteſt conſiſtere aſſenſus fidei. Reſp. conc. mai. & diſt. min. conuincitur intellectus euidentia intrinſeca, & neceſſaria deducta ex obiecto, neg. ex euidentia extrinſeca conuincitur intellectus, conc. min. hæc tamen poteſt ſtare cum aſſenſu. Vel dicimus quod ſi actus eſſet neceſſarius, id proueniret non ſecundum regulas ordinarias fidei, ſed ex ſpeciali beneficio ipſius Dei, eſſet tamen liber quoad exercitium, quatenus voluntas intellectum liberè applicat, aut applicatum tenet in conſideratione motiui notitiæ euidentis &c.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Articuli fidei, ſeù eius myſteria ſint euidenter credibilia.

NOt. 1. quod aliundè ſumitur veritas alicuius propoſitionis, & aliundè eius credibilitas, vt in ſuperiori q. aliqualiter notauimus, veritas enim petitur ex connexione intrinſeca prædicati cum ſubiecto; credibilitas autem ex teſtimoniis, ſignis, & motiuis extrinſecis, quæ reddunt illam credibilem, ſeù dignam, cui fides adhibeatur. Vndè huiuſmodi credibilitatis euidentia non eſt metaphyſica, neque phyſica, ſed moralis, quo ſenſu intelligendum eſt il-

lud Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; quid autem ſit euidentia notatum fuit ſuperiùs; ſicut etiam quid ſit articulus in q. 7. proœm.

Conc. Myſteria, & articuli fidei ſunt euidenter credibilia. Eſt communis apud Theol. Prob. 1. authorit. S. Scrip. & ſignanter ex illo Dauidis. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis;* vbi Sapientiſſimus Lyranus ſic ait: *Credibilia facta ſunt nimis, idest magis, quàm prima principia ſcientiarum:* & meritò, quia fides iuxtà communem ſententiam Theologorum eſt certior quacunque ſcientia philoſophica. Hinc D. Aug. lib. 7. Confeſſ. c. 10. ait. *Faciliùs dubitarem me viuere, quam eſſe vera, quæ audiui.* Idem infertur ex illo Ioan. 15. vbi Chriſtus de Iudæis incredulis loquens, dicit; *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo:* quibus verbis indicat motiua fidei generare poſſe euidentiam credibilitatis, nam ſi ſolam probabilitatem efficerent, excuſationem habere poſſet, qui ſequeretur aliud judicium probabile, quo exiſtimarent hæc myſteria non eſſe credibilia.

Tum quia cum Deus velit nos firmiſſimè, & indubitanter credere, quæ ipſe nobis reuelat, & ea negantes æterna ſalute priuet, atquè æternis pœnis ſubijciat, omninò ad eius prouidentiam ſpectat oſtendere media, ex quibus certò cognoſcamus quæ ſint ab ipſo reuelata, & quæ non; ergo &c.

Arg. 1. Si myſteria noſtræ fidei eſſent euidenter credibilia, poſſet quilibet Philoſophus illorum poſſibilitatem naturaliter cognoſcere, ſed id fieri poſſe negant Theologi, ergo &c. prob. ſeq. mai. quod iudicatur impoſſibile, eſt incredibile; ergo quod iudicatur euidenter credibile, iudicatur etiam non eſſe euidenter impoſſibile, ſed poſſibile, & non impoſſibile ſunt termini æquipollentes, ergo quod iudicatur non eſſe impoſſibile, iudicatur euidenter eſſe poſſibile; benè enim arguitur ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum ant. v. g. Petrus currit, ergo mouetur, & arguendo ab oppoſito, non mouetur, ergo non currit.

Reſp. neg. ſequel. mai. ad cuius probationem dicit Fraſſen hanc conſeq. non valere; Aliquid iudicatur euidenter eſſe credibile, ergo iudicatur euidenter non eſſe impoſſibile, ſed inferri debet, ergo euidenter iudicatur illud non apparere impoſſibile, vt enim aliquid ſit credibile, non eſt

neceſſe, quod iudicetur non eſſe reuera impoſſibile, ſed ſufficit, quod eius impoſſibilitas non appareat. Vnde ad regulam logicam dicendum eſt, quod ab oppoſito conſeq. bene arguitur ad oppoſitum ant. in oppoſitis contradictorijs, non verò in oppoſitis contrarijs v. g. Petrus eſt homo, ergo eſt Animal, non tamen bene argueretur Petrus non eſt Animal, ergo eſt Brutum.

Arg. 2. Omnia argumenta contra noſtram fidem euidenter ſoluuntur; ergo etiam euidenter oſtenditur illa myſteria, non ſolum eſſe euidenter credibilia, ſed etiam euidenter vera, vbi enim oſtenditur inefficacitas Argumentorum, apparet quod falſum probant. Reſp. neg. conſeq. aliud enim eſt, quod argumenta illa non conuincant intentum, aliud verò probare, quod tendant ad falſum probandum. Vnde, licet poſſimus primum oſtendere euidenter, non tamen ſecundum euidenter oſtendi poteſt. Ita Fraſſen.

Arg. 3. Non apparet ad quem habitum ſpectet elicere iudicium de euidentia credibilitatis myſteriorum fidei: e. g, iudico hanc propoſitionem, Deus eſt Trinus, & vnus, eſſe dignam fide D. propter rationes, & teſtimonia, quæ oſtendunt illam à Deo eſſe reuelatam, non enim ſpectant ad habitum fidei, quia tale iudicium non eſt obſcurum, ſed clarum, non ad habitum Theologiæ, quia hic ſemper ſupponit aliquod principium creditum fide diuina, nec tandem ad habitum prudentię infuſæ, vt nonnulli putant, quia hæc ſupponit obiectum creditum fide diuina, nec tandem ad habitum prudentiæ infuſæ, vt nonnulli putant, quia hæc ſupponit obiectum creditum fide infuſa; ergo &c.

Reſp, omiſſis aliorum reſponſionibus, tale iudicium elici ab actu ſcientifico per actus ſcientificos, quibus euidenter aſſentimur credibilitati obiecti fidei, & talis actus eſt naturalis quoad ſubſtantiam, ſupernaturalis quoad modum, quatenùs Deus concurſu extraordinario iuuat credentem ab huiuſmodi iudicium formandum.

DISPVTATIO II.

De Scriptura Sacra, & Traditionibus.

DIſcuſſis ijs, quæ ad obiectum materiale, & formale fidei, cui innititur ipſa fides, ſpectare videbantur; In

præſentiarum nobis agendum eſt de Regulis fidei, vt reuelatio nobis innoteſcere poſsit; quæ, vt communiter tradunt Doctores, ſunt quatuor, nempe S. Scriptura, traditiones, Eccleſia, & Concilia; & quidem in primis de Scriptura, & Traditionibus, quæ primum locum obtinent. Vnde ſit.

QVÆSTIO I.

Vtrum S. Scrip. ſit vera Regula fidei.

NOt. Quod plura eſſent dicenda de S. Scrip. niſi de ea, & de eius ſenſibus ſatis actum eſſet in prol. igitur ſolùm hic aduerto quod variæ ſunt Scrip. S. editiones, ſed vulgatam, vti autenticam declarauit Trident. ſeſſ. 4. habendam eſſe tanquam regulam fidei, adeout in fidei, & morum diſciplina non liceat Catholicis ad hebraica, vel gręca exemplaria prouocare, maximè quia Rabini Chriſtianiſmi hoſtes iurati Scripturas, vt ad ſuum ſenſum traherent, violarunt, truncarunt, deprauarunt. Accedit etiam, quod ſi ſemper recurrendum foret ad hebraicos, vel gręcos fontes, mira, & confuſa eſſet diuerſitas ſententiarùm prò diuerſo modo explicandi interpretum, qui omninò varius eſt, vt videre eſt in viſione Aquilæ, Theodotionis, Vatabuli, & aliorum, ſed id magis claret in Hæreticorum commentarijs, qui non modò ab alijs diſsident, ſed à ſe ipſis ſæpiùs diſcordant; his prænotatis ſit.

Concl. Scrip. S. ſe ſola non eſt ſufficiens regula fidei. Hęc eſt contra Lutheranos, & Caluiniſtas, qui ſolam Scripturam pro regula fidei admittunt, quam priuati iudicio interpretari audent, & ſuas opiniones pro dogmatibus fidei aſſumunt. Prob. conc. 1. ex S. Scrip. obſcuritate. Regula fidei debet eſſe perſpicua, itaut omnes illam cognoſcant; aliàs fides, quæ eſt ignota, per ignotum regularetur, ſed Scrip. S. eſt obſcura; ergo &c. prob. min. ex 2. Petri c. 3. *Quædam ſunt in Epiſtolis D. Pauli difficilia intellectu, quæ indocti homines, & inſtabiles ſicut & cæteras ſcripturas deprauant ad ſuam ipſorum perditionem*. Ex quo patet Epiſtolas D. Pauli non eſſe ſole clariores, vt volunt Hæretici, itaut Sartores, Sutores, Ruſtici, & mulierculæ, vt ipſi contendunt, illas facili-

liter intelligere valeant. Nec dicant Hæretici hoc intelligi de profundioribus fidei quæſtionibus, quarum cognitio non eſt neceſſaria ad ſalutem; nam quid magis neceſſarium, quàm cognitio Baptiſmi, & tamen, quando dicitur. *niſi quis &c.* quærunt diuerſas explicationes.

Prob. 2. Regula fidei debet eſſe certa, & infallibilis, nè vna regula pro alia acceptetur, ſed poteſt oriri dubium ſuper Scripturam ipſam, vel ſecundum ſe totam, vel ſecundum partes, an ſit reuelata à Deo, quæ quidem dubitatio non poteſt tolli per ſcripturam; ergo &c. Reſp. Caluinus lib. 1. inſtitut. cap. 7. Scripturam canonicam à non canonica per ſe ipſam dignoſci poſſe, ſicut album à nigro, frigidum à calido: ſed quàm ſtulta ſit iſta reſponſio, manifeſtè apparet; ſi ita eſſet, vndè tanta diſputatio de librorum canonicorum numero nedum inter Caluinum, & nos, ſed inter Caluinum, & Lutherum, & alios hæreticos?

Arg. cont. concl. ex illo Ioan. 5. vbi dicitur: *Scrutamini ſcripturas &c.*; ergo ſcrutando Scrip. poſſumus diſcernere verum ſenſum &c. Reſp. Boyuin, hoc verbum, ſcrutamini non eſſe imperatiui modi, quaſi Deus præcipiat lecturam Scripturæ, ſed indicatiui, quaſi dicat. Scrutamini Scripturas: ſed illæ de me teſtimonium perhibent. Verùm quia hæc reſponſio leuis apparet. Reſp. cum Becano in compendio controuer. lib. 5. cap. 1. obiectione 2. Quod Chriſtus in illo cap. diſputat cum Iudęis, qui negabant ipſum eſſe Filium Dei: Ipſe autem probat, ſe eſſe, quatuor teſtimonijs. Primo teſtimonio. Ioan. Bapt. 2. miraculorum, quæ patrabat: 3. Dei Patris: 4. Scripturarum. Scrutamini q. d. ſi non vultis recipere tria priora teſtimonia, quæ tamen efficaciſſima ſunt (alioquin illa non produxiſſem) ſaltem non poteſtis reijcere teſtimonium Scripturarum, de quibus tantopere gloriamini. Illæ ſi attentè ſcrutemini perhibent de me, quod ſim Meſſias à Deo promiſſus. Cur ergo non creditis. Reſp. 3. cum noſtro Caſtro contra hæreſes lib. 4. V. Concilium; quòd ex illa auctoritate ſolum habetur Scripturas locum tenere teſtium, non verò Iudicis: at teſtium officium non eſt ferre ſententiam, ſed ſolum teſtimonium dicere. Ad Iudicem verò Eccleſiæ, qualis eſt Papa, ſpectat teſtes audire, ac ſcrutari, quibus auditis ſententiam dicere: & hæc reſponſio videtur magis ad rem.

QVÆSTIO VI.

Vtrum obiectum fidei debeat eſſe obſcurum.

NOt. 1. Quòd duplex poteſt eſſe obſcuritas in ſide, alia ex parte obiecti formalis, quod creditur, ſeu medij, cui innititur, alia verò ex parte ſubiecti, ſeu credentis: 1. conſiſtit in hoc, quod medium iſtud, etſi certam cognitionem efficiat, non tamen illam efficit claram, & intuitiuam, nec ſcientificè euidentem: 2. conſiſtit in eo, quod talis intellctus credit quidem Deum, & ea, quæ ab ipſo reuelata ſunt propter eius diuinum teſtimonium, non tamen euidenter ipſum Deum, nec ab eo reuelata. Quæſtio igitur procedit vtroque modo, & inſuper procedit de actibus fidei, & ſcientiæ; An ſimul repugnent; ac proinde, an obiectum fidei ſit ità neceſſariò obſcurum, vt credenti non ſit aliunde actu euidens.

Not. 2. quòd controuertitur à Doctoribus (eſtò omnes ſupponant rem reuelatam, ſeù obiectum materiale fidei, cum per hoc differat ab obiecto ſcientifico) An obſcuritas, ſeu ineuidentia ſe habeat in ordine ad obiectum fidei formaliter, ſeu vt ratio formalis integrans, & complens illud; an verò ſolum concomitanter, ſeu vt pura conditio. Prima ſententia affirmat, ſpectare ad illud per modum rationis formalis. Ita Suarez diſp. 3. ſect. 3. Turrian. 2. 2. diſp. 8. dub. 1. & alij plures, tam veteres, quàm Recentiores. Secunda negat, eſſe rationem formalem, ſed aſſerit, eſſe puram conditionem, neceſſariò tamen ad actum fidei prærequiſitum. Ita Scot. in 3. q. vn. ideoque ſit.

I. Concl. Obſcuritas rei reuelatæ, vel obiecti materiaris non pertinet ad rationem formalem, ſed eſt pura conditio neceſſariò prærequiſita ad actum fidei Eſt Scot. loc. cit. & Scotiſt. aliorumque extrà noſtram Scholam. Prob. illud pertinet ad rationem formalem obiecti, quod integrat ipſam rationem formalem aſſentiendi, ſed obſcuritas obiectiua materialis in fide non integrat rationem formalem aſſentiendi; ergo non pertinet ad rationem formalem obiecti, ſed eſt pura conditio &c. Mai. pat. ex ipſa diffinitione rationis formalis obiectiuæ, quæ eſt cauſa motiua potentiæ ad actum eliciendum: min. verò prob. Obſcuritas obie-

ctj

ƈti retardat potiùs, quàm conducat, ſeù moueat ad verita-
tem obieƈti reuelati; ergo non poteſt pertinere ad rationem
formalem aſſentiendi, ſed concomitanter, & materialiter
ſe habet: ergo &c.

II. Concl. Obieƈtum fidei neceſſariò habet annexam ob-
ſcuritatem, tam ex parte obieƈti, quàm ex parte ſubieƈti.
Eſt Scot. loc. cit. Prima pars ex diƈtis patet, & inſuper
prob. per D. Paul. 1. ad Corinth. c. 3. vbi ait. *Videmus nunc
per ſpeculum, & in enigmate, tunc autem facie ad faciem*; ſpecu-
lum autem, & enigma obſcuritatem diuinæ reuelationis,
cui fides innititur, apertè declarant. Vnde S. Cyrill. *Fidei
myſteria appellat perfectiſſima fidei enigma*.

Prob. 2. pars. Fides innititur reuelationi; ac proindè
talis eſt eius aƈtus, quale medium, & motiuum, per quod
tendit in obieƈtum, ſed D. reuelatio, quæ eſt medium, &
motiuum, eſt prorsùs ineuidens, & obſcura; ergo & ipſe fi-
dei aƈtus &c. hæc autem ineuidentia commendat ipſam fi-
dem, teſte Aug. in Ioan. traƈt. 79. *Hæc eſt laus fidei, ſi quod
creditur, non videtur*. Ex quo infertur primò, quod aƈtus fi-
dei, neque de potentia ordinaria, neque abſoluta poteſt ſi-
mul ſtare cum viſione beatifica, ſeù notitia intuitiua, quam
habent Beati de eadem re, vt docent Scot. D. Bon. D. Thom.
& communiter omnes Theologi, idq; colligitur apertè ex
Apoſt. 1. ad Corint. vbi inter alia docet, cùm autem vene-
rit, quod perfeƈtum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt, &
ratione euidenti prob. tàm de potentia ordinaria, quàm de
abſoluta: Nam viſum, & non viſum, cum ſint contradi-
ƈtoria, nequeunt ſimul ſtare reſpeƈtu eiuſdem intelleƈtus,
& obieƈti: ſed aƈtus fidei eſt ad obieƈtum non viſum, &
aƈtus viſionis beatificæ tendit ad obieƈtum viſum: ergo
nulla ratione poſſunt ſimul ſtare &c. Infertur 2. quod fides
aƈtualis, & aƈtus ſcientificus nec etiam de potentia abſo-
luta poſſunt ſimul ſtare in eodem intelleƈtu de eodem obie-
ƈto, quicquid contendant quamplures Recentiores neu-
trales cenſentes, nedum de potentia abſoluta, ſed etiam
ordinaria poſſe ſimul eſſe aƈtum fidei, & aƈtum ſcientiæ.
Prima pars apud Scotiſt. & Thomiſt. eſt certa, & ex diƈtis
patet &c. 2. pars prob. ratione Scot. in 3. d. 24. ad 3. princi-
pale; ſi enim in eodem intelleƈtu duplex medium ad co-
gnoſcendam eamdem propoſitionem ſimul reperiatur ſci-

licet demonſtratiuum,& opinatiuum,non mouetur intelle-ctus ad eliciēdum actualem operationem à demonſtratiuo; ergo pari ratione ſi in eodem intellectu reſpectu eiuſdem obiecti reperiatur medium demonſtratiuum,& medium fidei, hoc non mouebit intellectum ad actum fidei.

Nec valet dicere cum Recentioribus repugnare quidem idem obiectum eſſe ſimul viſum, & non viſum per idem medium, non tamen per diuerſa media. Non valet inquàm, quia ipſa media, quæ fidem, & ſcientiam cauſant, opponuntur contradictoriè, quia medium actus ſcientifici habet prò ſuo effectu formali reddere in ſe obiectum euidens, reuelatio verò obſcura habet illum reddere obſcurum, ſeù non euidens: ſed euidens,& non euidens ſunt contradictoria formaliter, vel ſalem virtualiter, hoc eſt talia ex quibus ſequitur contradictio; ergo etiam per diuerſa media repugnat idem obiectum eſſe euidens, & non euidens. Hinc meritò docet Scot. in 3.d.34. Petrum, & Ioan. qui viderunt Chriſtum Dominum crucifigi non potuiſſe fidem actualem habere de illius crucifixione, habebant tamen habitum, quo credidiſſent crucifixionem, ſi non vidiſſent.

Arg. 1. cont. 1. conc. Euidentia, & claritas pertinent ad rationem formalem obiecti ſcientiæ; ergo ineuidentia, & obſcuritas pertinent ad rationem formalem obiecti fidei: conſeq. patet, quia ſicut obiectum cognoſcibile per rationem intrinſecam eſt eſſentialiter clarum, ideſt eſſentialiter motiuum ad claram cognitionem, ita obiectum cognoſcibile per rationem extrinſecam eſt eſſentialiter motiuum ad obſcuram ſui notitiam. Reſp. neg. conſ. diſpar enim eſt ratio de euidentia, & ineuidentia obiectiua, quia euidentia eſt poſitiua obiecti perfectio, & maximè conferens ad veritatem obiecti manifeſtandam, & ideò poteſt intellectum mouere ad actum eliciendum. Obſcuritas autem non confert ad veritatem obiecti crediti, ſed potiùs retardat, ac proinde obſcuritas, ſeu ineuidentia non eſt ratio formalis obiecti fidei.

Arg. 2. Fides eſſentialiter diſtinguitur à ſcientia, & alijs virtutibus intellectualibus infuſis, ſed non diſtinguitur niſi per ineuidentiam, & obſcuritatem obiecti, omnis enim alia differentia eſt accidentalis, ſed omnis differentia

eſſentialis actus, vel habitus deſumitur ex obiecto formali; ergo quod fundat talem inæuidentiam, & obſcuritatem in actu fidei, eſt ratio formalis in obiecto fidei. Reſp. diſt. mai. fides per obſcuritatem, & ineuidentiam diſtinguitur tanquam quid poſteriùs, & concomitans rationem formalem obiecti fidei, conc. mai: tanquam per rationem formalem poſitiuam, quam accipit ab obiecto formali ex ratione aſſentiendi, quæ eſt ipſa prima veritas infallibilis in teſtificando, quatenùs ſtat ſub applicatione obſcura, quæ eſt conditio ſine qua non, neg.

Arg. cont. 2. conc. Obſcuritas nil aliud eſt, quàm negatio euidentiæ, & viſionis, ſed nulla negatio ſpectare poteſt neceſſariò ad obiectum, & actum fidei, ergo &c. mai. patet, quia obiectum, & actus fidei ſunt aliquid poſitiuum, nulla autem negatio eſt de ratione neceſſaria entis poſitiui.

Reſp. diſt. mai. formaliter conc. materialiter nego; nam de materiali importat aliquid poſitiuum, eſtò de formali ſignificetur per nomen negatiuum.

QVÆSTIO VII.

Vtrum ſimul cum obiecto fidei poſſit ſtare euidentia reuelationis.

NOt. Quòd euidentia poteſt eſſe duplex, alia atteſtationis, ſeu reuelationis, quæ etiam vocatur euidentia in atteſtante, vel euidentia teſtimonij D. & conſiſtit in hoc, nimirum, quod ei, cui fit reuelatio ſit euidens eſſe Deum, qui loquitur, ſeu eſſe locutionem, & teſtimonium Dei, quæ iuxta communem ſententiam DD. contigit Angelis præſertim ſuperioribus in ſtatu viæ; idque colligitur ex eò quòd illi ſpiritus clarè nouerant Creaturam, quæ loquebatur: alia eſt euidentia rei atteſtatæ, & tunc eſt, quando perſpicuè, & clarè manifeſtatur veritas infallibilis ipſius obiecti, certum eſt autem apud Theol. atteſtationem, reuelationem, ac teſtimonium Dei, quatenùs eſt obiectum formale fidei noſtræ de facto reſpectiuè ad nos nullam habere euidentiam, ſed eſſe obſcurum. Vndè diſcordant ſolumodò inter ſe DD. an, data hypotheſi, quod alicui euidens fieret huiuſmodi reuelatio, cum tali euidentia poſſet ſtare fides infuſa.

Concl.

Concl. Cum obiecto fidei, ſeu cum fide D. poteſt ſimul ſtare euidentia reuelationis, ita Scot. in 3. d. 24. & Scotiſt. vbi cenſet canonicos Scriptores S. Scrip. & Prophetas habuiſſe euidentiam reuelationis Dei dictantis S. Scrip. & vaticinia, & tamen myſteria, quæ ſcribebant, aut vaticinabantur, non niſi per fidem attingebant, & hanc ſententiam ſequuntur plures extra noſtram Scholam, eamque tenent etiam Thomiſtæ. Prob. conc. poſſet Deus de potentia abſoluta cauſare in intellectu creato euidentiam ſuæ reuelationis, itaut ſit euidens habenti reuelationem de hac propoſitione (Antichriſtus erit) ſe habere D. reuelationem, ſeu Deum ſibi loqui, ſed in tali euentu ille indubie aſſentitur iſti propoſitioni reuelatæ, non quidem aſſenſu ſcientiæ, & opinionis: ergo aſſenſu fidei, ac proinde euidentia reuelationis poteſt ſtare cum actu fidei.

Prob. 2. Illa ſola manifeſtatio excludit fidei rationem, per quam redditur apparens, vel viſum id, de quo principaliter eſt fides: ſed euidentia reuelationis non reddit apparens, vel viſum id, de quo principaliter eſt fides, qualis eſt res reuelata, quæ, non obſtante huius teſtimonij euidentia, manet in ſe intrinſecè obſcura; ergo &c.

Confirmatur. Quamuis enim illud omne, quod à Deo reuelatur ſit verum in ſe, non tamen ob id, qui euidenter cognoſcit aliquod eſſe reuelatum, videt illud eſſe verum in ſe, quia, licet id, quod à Deo reuelatur, ſit verum in ſe, non tamen cognoſcitur in ſe, nec penetratur veritas eius obiectiua, ſed ſola reuelatione externi teſtimonij innoteſcit, & creditur; ergo &c.

Arg. 1. Actus fidei eſt intrinſecè, & neceſſariò obſcurus, ſed actus obſcurus non poteſt inniti motiuo claro, & euidenti, ergo euidentia reuelationis non poteſt ſtare cum fide.

Reſp. conc. mai. & diſt. min. actus obſcurus non poteſt &c. ſi ex vi ipſius motiui clari innoteſceret veritas obiectiua in ſe: conc. ſi non innoteſcat veritas obiectiua, nego, ſic eſt in propoſito, quia obiectum in ſe remanet in ſua obſcuritate, ergo quamuis mihi eſſet euidens, quod aliquis mihi diceret hanc propoſitionem: Piſaurum eſt maius Senogallia, non obid iſta propoſitio eſſet mihi euidens, quia obiectum non eſt mihi euidenter propoſitum, prout in ſe eſt.

Arg. 2. ex Suarez. Cum euidentia in atteſtante nequit ſtare obſcuritas rei atteſtatæ, ergo nec fides, quæ eſſentialiter requirit obſcuritatem obiecti: ant. prob. hoc ſyllogiſmo. Quicquid Deus euidenter reuelat, eſt euidenter verum, ſed Deus euidenter reuelat Verbi Incarnationem; ergo euidens eſt Verbum D. incarnatum fuiſſe.

Reſp. neg. ant. Ad ſyllogiſmum, quo prob. ant. poſſet primò reſponderi aſſenſum tali veritati non eſſe actum fidei, ſed aſſenſum theologicum, quia infertur ex præmiſſis. Verùm reſp. in forma diſt. mai. eſt euidenter verum euidentia intrinſeca, vel extrinſeca, conc. mai. intrinſeca tantum, neg. mai. Reuelatio autem Incarnationis eſſet euidens tantum euidentia extrinſeca.

Arg. 3. aſſenſus, ſeu actus fidei intellectus creati debet eſſe liber, ſed poſita euidentia reuelationis conuincitur intellectus ad aſſenſum rei reuelatæ; ergo poſita euidentia reuelationis, non poteſt conſiſtere aſſenſus fidei. Reſp. conc. mai. & diſt. min. conuincitur intellectus euidentia intrinſeca, & neceſſaria deducta ex obiecto, neg. ex euidentia extrinſeca conuincitur intellectus, conc. min. hæc tamen poteſt ſtare cum aſſenſu. Vel dicimus quod ſi actus eſſet neceſſarius, id proueniret non ſecundum regulas ordinarias fidei, ſed ex ſpeciali beneficio ipſius Dei, eſſet tamen liber quoad exercitium, quatenus voluntas intellectum liberè applicat, aut applicatum tenet in conſideratione motiui notitiæ euidentis &c.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Articuli fidei, ſeù eius myſteria ſint euidenter credibilia.

NOt. 1. quod aliundè ſumitur veritas alicuius propoſitionis, & aliundè eius credibilitas, vt in ſuperiori q. aliqualiter notauimus, veritas enim petitur ex connexione intrinſeca prædicati cum ſubiecto; credibilitas autem ex teſtimoniis, ſignis, & motiuis extrinſecis, quæ reddunt illam credibilem, ſeù dignam, cui fides adhibeatur. Vndè huiuſmodi credibilitatis euidentia non eſt metaphyſica, neque phyſica, ſed moralis, quo ſenſu intelligendum eſt il-

lud Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; quid autem ſit euidentia notatum fuit ſuperiùs; ſicut etiam quid ſit articulus in q. 7. proœm.

Conc. Myſteria, & articuli fidei ſunt euidenter credibilia. Eſt communis apud Theol. Prob. 1. authorit. S. Scrip. & ſignanter ex illo Dauidis. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*; vbi Sapientiſſimus Lyranus ſic ait: *Credibilia facta ſunt nimis, idest magis, quàm prima principia ſcientiarum*: & meritò, quia fides iuxtà communem ſententiam Theologorum eſt certior quacunque ſcientia philoſophica. Hinc D. Aug. lib. 7. Confeſſ. c. 10. ait. *Faciliùs dubitarem me viuere, quàm eſſe vera, quæ audiui*. Idem infertur ex illo Ioan. 15. vbi Chriſtus de Iudæis incredulis loquens, dicit; *Si non veniſſem, & locutus fuiſſem, peccatum non haberent, nunc autem excuſationem non habent de peccato ſuo*: quibus verbis indicat motiua fidei generare poſſe euidentiam credibilitatis, nam ſi ſolam probabilitatem efficerent, excuſationem habere poſſet, qui ſequeretur aliud judicium probabile, quo exiſtimarent hæc myſteria non eſſe credibilia.

Tum quia cum Deus velit nos firmiſſimè, & indubitanter credere, quæ ipſe nobis reuelat, & ea negantes æterna ſalute priuet, atquè æternis pœnis ſubijciat, omninò ad eius prouidentiam ſpectat oſtendere media, ex quibus certò cognoſcamus quæ ſint ab ipſo reuelata, & quæ non; ergo &c.

Arg. 1. Si myſteria noſtræ fidei eſſent euidenter credibilia, poſſet quilibet Philoſophus illorum poſſibilitatem naturaliter cognoſcere, ſed id fieri poſſe negant Theologi, ergo &c. prob. ſeq. mai. quod iudicatur impoſſibile, eſt incredibile; ergo quod iudicatur euidenter credibile, iudicatur etiam non eſſe euidenter impoſſibile, ſed poſſibile, & non impoſſibile ſunt termini æquipollentes, ergo quod iudicatur non eſſe impoſſibile, iudicatur euidenter eſſe poſſibile; benè enim arguitur ab oppoſito conſequentis ad oppoſitum ant. v. g. Petrus currit, ergo mouetur, & arguendo ab oppoſito, non mouetur, ergo non currit.

Reſp. neg. ſequel. mai. ad cuius probationem dicit Fraſſen hanc conſeq. non valere; Aliquid iudicatur euidenter eſſe credibile, ergo iudicatur euidenter non eſſe impoſſibile, ſed inferri debet, ergo euidenter iudicatur illud non apparere impoſſibile, vt enim aliquid ſit credibile, non eſt

ne-

neceſſe, quod iudicetur non eſſe reuera impoſſibile, ſed ſufficit, quod eius impoſſibilitas non appareat. Vnde ad regulam logicam dicendum eſt, quod ab oppoſito conſeq. bene arguitur ad oppoſitum ant. in oppoſitis contradictorijs, non verò in oppoſitis contrarijs v. g. Petrus eſt homo, ergo eſt Animal, non tamen bene argueretur Petrus non eſt Animal, ergo eſt Brutum.

Arg. 2. Omnia argumenta contra noſtram fidem euidenter ſoluuntur; ergo etiam euidenter oſtenditur illa myſteria, non ſolum eſſe euidenter credibilia, ſed etiam euidenter vera, vbi enim oſtenditur inefficacitas Argumentorum, apparet quod falſum probant. Reſp. neg. conſeq. aliud enim eſt, quod argumenta illa non conuincant intentum, aliud verò probare, quod tendant ad falſum probandum. Vnde, licet poſſimus primum oſtendere euidenter, non tamen ſecundum euidenter oſtendi poteſt. Ita Fraſſen.

Arg. 3. Non apparet ad quem habitum ſpectet elicere iudicium de euidentia credibilitatis myſteriorum fidei: e. g. iudico hanc propoſitionem, Deus eſt Trinus, & vnus, eſſe dignam fide D. propter rationes, & teſtimonia, quæ oſtendunt illam à Deo eſſe reuelatam, non enim ſpectant ad habitum fidei, quia tale iudicium non eſt obſcurum, ſed clarum, non ad habitum Theologiæ, quia hic ſemper ſupponit aliquod principium creditum fide diuina, nec tandem ad habitum prudentię infuſæ, vt nonnulli putant, quia hæc ſupponit obiectum creditum fide diuina, nec tandem ad habitum prudentiæ infuſæ, vt nonnulli putant, quia hæç ſupponit obiectum creditum fide infuſa; ergo &c.

Reſp. omiſſis aliorum reſponſionibus, tale iudicium elici ab actu ſcientifico per actus ſcientificos, quibus euidenter aſſentimur credibilitati obiecti fidei, & talis actus eſt naturalis quoad ſubſtantiam, ſupernaturalis quoad modum, quatenùs Deus concurſu extraordinario iuuat credentem ab huiuſmodi iudicium formandum.

DISPVTATIO II.

De Scriptura Sacra, & Traditionibus.

DIſcuſſis ijs, quæ ad obiectum materiale, & formale fidei, cui innititur ipſa fides, ſpectare videbantur; In

præſentiarum nobis agendum eſt de Regulis fidei, vt reuelatio nobis innoteſcere poſsit; quæ, vt communiter tradunt Doctores, ſunt quatuor, nempe S. Scriptura, traditiones, Eccleſia, & Concilia; & quidem in primis de Scriptura, & Traditionibus, quæ primum locum obtinent. Vnde ſit.

QVÆSTIO I.

Vtrum S. Scrip. ſit vera Regula fidei.

NOt. Quod plura eſſent dicenda de S. Scrip. niſi de ea, & de eius ſenſibus ſatis actum eſſet in prol. igitur ſolùm hic aduerto quod variæ ſunt Scrip. S. editiones, ſed vulgatam, vti autenticam declarauit Trident. ſeſſ. 4. hahabendam eſſe tanquam regulam fidei, adeout in fidei, & morum diſciplina non liceat Catholicis ad hebraica, vel gręca exemplaria prouocare, maximè quia Rabini Chriſtianiſmi hoſtes iurati Scripturas, vt ad ſuum ſenſum traherent, violarunt, truncarunt, deprauarunt. Accedit etiam, quod ſi ſemper recurrendum foret ad hebraicos, vel gręcos fontes, mira, & confuſa eſſet diuerſitas ſententiarùm prò diuerſo modo explicandi interpretum, qui omninò varius eſt, vt videre eſt in viſione Aquilæ, Theodotionis, Vatabuli, & aliorum, ſed id magis claret in Hæreticorum commentarijs, qui non modò ab alijs diſsident, ſed à ſe ipſis ſæpiùs diſcordant; his prænotatis ſit.

Concl. Scrip. S. ſe ſola non eſt ſufficiens regula fidei. Hęc eſt contra Lutheranos, & Caluiniſtas, qui ſolam Scripturam pro regula fidei admittunt, quam priuati iudicio interprætari audent, & ſuas opiniones pro dogmatibus fidei aſſumunt. Prób. conc. 1. ex S. Scrip. obſcuritate. Regula fidei debet eſſe perſpicua, itaut omnes illam cognoſcant; aliàs fides, quæ eſt ignota, per ignotum regularetur, ſed Scrip. S. eſt obſcura; ergo &c. prob. min. ex 2. Petri c. 3. *Quædam ſunt in Epiſtolis D. Pauli difficilia intellectu, quę indocti homines, & inſtabiles ſicut & cæteras ſcripturas deprauant ad ſuam ipſorum perditionem.* Ex quo patet Epiſtolas D. Pauli non eſſe ſole clariores, vt volunt Hæretici, itaut Sartores, Sutores, Ruſtici, & mulierculæ, vt ipſi contendunt, illas facili-

liter intelligere valeant. Nec dicant Hæretici hoc intelligi de profundioribus fidei quæſtionibus, quarum cognitio non eſt neceſſaria ad ſalutem; nam quid magis neceſſarium, quàm cognitio Baptiſmi, & tamen, quando dicitur. *niſi quis &c.* quærunt diuerſas explicationes.

Prob. 2. Regula fidei debet eſſe certa, & infallibilis, nè vna regula pro alia acceptetur, ſed poteſt oriri dubium ſuper Scripturam ipſam, vel ſecundum ſe totam, vel ſecundum partes, an ſit reuelata à Deo, quæ quidem dubitatio non poteſt tolli per ſcripturam; ergo &c. Reſp. Caluinus lib. 1. inſtitut. cap. 7. Scripturam canonicam à non canonica per ſe ipſam dignoſci poſſe, ſicut album à nigro, frigidum à calido: ſed quàm ſtulta ſit iſta reſponſio, manifeſtè apparet; ſi ita eſſet, vndè tanta diſputatio de librorum canonicorum numero nedum inter Caluinum, & nos, ſed inter Caluinum; & Lutherum, & alios hæreticos?

Arg. cont. concl. ex illo Ioan. 5. vbi dicitur: *Scrutamini ſcripturas &c.*; ergo ſcrutando Scrip. poſſumus diſcernere verum ſenſum &c. Reſp. Boyuin, hoc verbum, ſcrutamini non eſſe imperatiui modi, quaſi Deus præcipiat lectuꝛam Scripturæ, ſed indicatiui, quaſi dicat. Scrutamini Scripturas: ſed illæ de me teſtimonium perhibent. Verùm quia hæc reſponſio leuis apparet. Reſp. cum Becano in compendio controuer. lib. 5. cap. 1. obiectione 2. Quod Chriſtus in illo cap. diſputat cum Iudęis, qui negabant ipſum eſſe Filium Dei: Ipſe autem probat, ſe eſſe, quatuor teſtimonijs. Primo teſtimonio. Ioan. Bapt. 2. miraculorum, quæ patrabat: 3. Dei Patris: 4. Scripturarum. Scrutamini q. d. ſi non vultis recipere tria priora teſtimonia, quæ tamen efficaciſſima ſunt (alioquin illa non produxiſſem) ſaltem non poteſtis reijcere teſtimonium Scripturarum, de quibus tantopere gloriamini. Illæ ſi attentè ſcrutemini perhibent de me, quod ſim Meſſias à Deo promiſſus. Cur ergo non creditis. Reſp. 3. cum noſtro Caſtro contra hæreſes lib. 4. V. Concilium; quòd ex illa auctoritate ſolum habetur Scripturas locum tenere teſtium, non verò Iudicis: at teſtium officium non eſt ferre ſententiam, ſed ſolum teſtimonium dicere. Ad Iudicem verò Eccleſiæ, qualis eſt Papa, ſpectat teſtes audire, ac ſcrutari, quibus auditis ſententiam dicere: & hæc reſponſio videtur magis ad rem.

Si dicatur ab Hæreticis, quod in Pſal. 18. habetur: *præceptum Domini lucidum illuminans oculos.* Reſp. hoc intelligi, dummodo accedat priùs Eccleſiæ explicatio. Etſi adducant Ioannem in prima Epiſt. c. 2. dicentem. *Non neceſſe habetis, vt aliquis vos doceat, ſed vnctio docebit vos de omnibus.* Reſp. Apoſtolum alloqui baptizatis tantùm, qui erant ſatis imbuti per prædicationem Euangelij, ac proindè alijs Doctoribus non indigebant. Cæterùm aliæ obiectiones, quæ poſſunt fieri ab hæreticis, poſſunt videri ſolutæ apud noſtrum Alphonſum à Caſtro, Bellarminum, & alios &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum Traditiones admittendæ ſint pro Regula fidei.

NOt 1. Quod traditio latè ſumpta poteſt ſumi tripliciter. Primò pro quadam ampla ſignificatione, quâ ratione quælibet doctrina dici poteſt traditio, ſiue voce, ſiue ſcripta tranſfuſa; nam traditio vt ſic, *eſt doctrina ab vno alteri communicata, viua voce, vel ſcripto:* 2. magis ſtrictè, & ſic doctrina transfuſa, & accepta per viuam vocem, & deinde ſcripturæ mandata dicitur traditio iuxta illud ad Corint. 1. c. 11. *Ego autem accepi à Domino, quod & tradidi vobis*, & in hoc ſenſu non eſt controuerſia cum hæreticis. Siquidem fatentur & ipſi, multas eſſe huiuſmodi traditiones, eaſque regulas fidei: 3. ſumitur propriè, & ſtrictiſsimè; & ſic ſola doctrina per viuam vocem tantum transfuſa; & poteſt ita deſcribi. *Eſt doctrina per viuam vocem communicata, & continuata, quodam temporum ſucceſſione ad nos vſque perducta.*

Not. 2. Quòd traditio mox deſcripta eſt triplex iuxta triplicem fontem, & originem, vnde promanat, *Nempe traditio D. quæ eſt ipſum Verbum D. non ſcriptum*; hæc autem duplex alia interna; alia externa; prior eſt fidei doctrina à Spiritu S. Interius dictata, reuelata Apoſtolis, & ab ijs viua voce tranſmiſſa fidelibus; huiuſmodi eſt doctrina de inuocatione Sanctorum, de cultu Sacrarum imaginum, de Virginitate B. Mariæ Deigenitricis: poſterior eſt fidei doctrina ore Chriſti exterius reuelata Apoſtolis, & ab ijs viua voce fidelibus tranſmiſſa; huiuſmodi eſt doctrina de materia, forma, & Miniſtro, quorundam Sacramentorum, de nume-

ro illorum, de baptiſmo Infantium &c. vtramque diuinam traditionem expreſſit Trident. ſeſſ. 4. ſupra citata, vbi proteſtatur, ſe ſuſcipere traditiones, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquàm vel oretenus à Chriſto, vel à Spiritu S. dictatas, & continua ſucceſſione in Eccleſia catholica conſeruatas. *Triditio apoſtolica eſt obſeruantia Sacra, vel ſalutaris ab Apoſtolis viua voce tranſmiſſa fidelibus ad ritus religioſos, & mores fidelium formandos.* Prioris membri ſunt cærimoniæ miſſæ, Sacramenta &c. poſterioris eſt obſeruatio diei Dominicæ, quadrageſimæ, &c.

Aduertendum tamen, quod interdum contingit traditiones Apoſtolicas à Doctoribus appellari diuinas; dupliciter enim aliqua traditio dici poteſt Apoſtolica; vel quia eſt accepta ab Apoſtolis, non tanquam à Doctoribus, & Inſtitutoribus illius, ſed quia, cum ſit à Deo inſtituta, non tamen fuit propoſita Eccleſiæ à Chriſto, ſed mediantibus Apoſtolis; vel quia ab ipſis Apoſtolis eſt inſtituta, adeout in illius inſtitutione non ſe habuerint propriè vt inſtrumenta, ſed velut cauſæ ſecundæ; et ſic traditiones Apoſtolicæ ſunt iuris humani, ac proinde mutabiles. *Traditio denique Eccleſiaſtica eſt obſeruantia ſalutaris, quæ ſenſim obtinuit vim legis, vel ſpontaneæ conſuetudinis.* Obſeruantia quidem ab antiquis Eccleſiæ Prælatis obtinuit vim legis e. g. ieiunium quatuor temporum, abſtinentia Carnis die Veneris &c. ſpontaneæ conſuetudinis laudabilis e. g. vſus, & mos formandæ Crucis, aſperſionis Aquæ benedictæ, Cinerum &c.

Not. 3. quod traditio alia eſt ſpeculatiua, & hæc non ordinatur ad praxim v. g. de lana coccinea, & de hiſſopo, quę hodiè ad praxim non pertinent. Item quod Chriſtus in nocte cœnæ inſtituerit Sacramentum confirmationis, Extremæ vnctionis, & ritum conſecrandi Chriſma, quæ Sacramenta, etſi prectica ſint, inſtitutio tamen eſt ſpeculatiua; alia eſt practica, & hæc per ſe ordinatur ad praxim v.g. Baptiſmus paruulorum, admixtio Aquæ in Calice &c. Inſuper traditio alia eſt perpetua, alia eſt ad tempus: prioris generis ſunt duraturæ vſque ad finem mundi; poſterioris autem ſunt quæ per aliquod tempus durarunt, vt abſtinentia à ſuffocato, & ſanguine Act. cap. 15. cuius obſeruantia ab initio fuit neceſſaria, vt iudæi faciliùs acceptarent Euangelium: ſimiliter collatio baptiſmi in nomine Chriſti, vt

tale nomen deſineret eſſe odioſum: item quòd omnes communicarent ſacramentaliter in vtraque ſpecie.

Concl. Traditiones quædam admittendæ ſunt, ad quas recurrere debemus velut ad partialem regulam fidei. Hæc intellecta de traditionibus D. & Apoſt. eſt de fide, vt conſtat ex Trident. ſeſſ. 4. Prob. ex D. Paul. 1. ad Corint. c. 2. *Laudo autem vos fratres, quia per omnia mei memores; & ſicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis. Item 2. ad Teſſal. c. 2. Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Item ad Timot. c. 2. Quæ audiſtis à me per multos teſtes, hæc commendo fidelibus: & Ioan. epiſt. 2. c. 2. ait: Multa habui tibi ſcribere, ſed nolui per cartam, & atramentum ſcribere tibi; ſpero enim me futurum apud vos, & os ad os loqui.* Eandem veritatem vnanimi conſenſu tradunt Sancti Patres.

Prob. 2. ratione conuincenti. Nam ab Adamo vſque ad Moyſem fuit indubiè vera Eccleſia, & homines colebant Deum fide, ſpe, & charitate, necnon ritibus externis, vt clarè conſtat ex Geneſ. ſed tunc nulla fuit Scrip. S. nam Moyſes fuit primus ſacer Scriptor; ergo per ſpatium duorum millium annorum fuit Religio in Eccleſia Dei conſeruata per ſolam traditionem diuinam, ac proindè falsò, & ſine fundamento hæretici negant non eſſe admittendas diuinas traditiones veluti partialem regulam fidei. Et quamuis à Moyſe vſque ad Chriſtum extiterit S. Scrip. attamen ſolum deſeruiebat Iudæis; nam reliquæ gentes, apud quas etiam vigebat religio, & fides, ſola traditione D. in rebus fidei, & morum regebantur, vt Iob, & alij, qui actibus internis, & externis Deum colebant. Prob 3. Remedium contr peccatum originale tempore legis naturæ, & etiam legis ſcriptæ pro fœminis non erat ſcriptum, ſed ſolummodò per traditionem ad alios transfuſum; ergo &c.

Arg. 1. ab hæreticis. D. Paul. 2. ad Timot. c. 1. ait: *Omnis ſcriptura diuinitùs inſpirata vtilis eſt ad docendum &c.* ergo omnia, quæ pertinent ad ſalutem credentium, continentur in S. Scrip. ac proindè S. Scrip. ſola eſt Regula fidei. Reſp. S. Scrip. eſſe quidem vtilem, non tamen plenè ſufficientem ad diſcendum, & arguendum, ad corripiendum, & ad erudiendum in iuſtitia; & vt obſeruat Herincx, Apoſt. ſpecialiter agit ibi de ſcriptura veteris Teſtam. quæ certè non eſt ſufficiens: & addit Scripturam ſufficienter hominem

in-

inſtruere, & omnia continere partim explicitè, partim implicite, quatenùs multa expreſsè continet, & quę non continet, oſtendit, vndè ſint petenda, nempe ex traditionibus, quas ipſa commendat.

Arg. 2. In Deutoron. c. 4. *Hoc eſt verbum, quod loquor vobis; nec auferetis, nec addetis ex ea quidquam; & in Apocal. c. vlt. dicitur. Si quis appoſuerit ad hæc, apponet Deus ſuper illum plagas ſcriptas in libro iſto: D. Paul. ad Galat. 1. Si nos, vel Angelus de Cœlo euangelizzet vobis &c. & Matth. 5. Quare & vos tranſgredimini mandata Dei propter traditiones veſtras &c.*

Reſp. quod nullius ſunt valoris huiuſmodi hæreticorum argumenta; nam in locis citatis ſolum prohibentur additiones corrumpentes S. Scrip, vel mutantes verum ſenſum earum, quales erant traditiones Fariſæorum, quas Chriſtus reprehendit. Nos verò dicimus recipiendas eſſe traditiones, non quaſcunque, ſed diuinas ab Apoſtolis, & ab Eccleſia ad nos tranſmiſſas.

Arg. 3. ratione. Videtur impoſsibile conſeruare traditiones, ergo non poſſunt admitti tanquam Regula infallibilis fidei: ant. patet, quia non ſemper poteſt pro certo haberi, qualis ſit vera traditio; ſunt enim quamplurima impedimenta, nempe obliuio, negligentia, morum peruerſitas &c. Reſp. neg. ant. nam ad D. prouidentiam ſpectat cura conſeruandi traditiones, ſicut regimen Eccleſię, quam poſuit, velut fundamentum, & columnam immobilem veritatis. Vnde ſicut doctrina fidei per traditionem conſeruauit vſque ad tempus legis ſcriptæ; ſic conſeruat traditiones, ex quibus ipſius Scripturæ puritas innoteſcere debet: & inſuper, quia licet traditiones non ſint ſcriptæ in diuinis litteris, ſunt tamen ſcriptæ in monumentis veterum, & in Biblijs Eccleſiaſticis, & continua Eccleſiæ obſeruatione conſeruatæ.

Quæres. Vnde poſſimus dignoſcere veras traditiones tam diuinas, quàm Apoſtolicas.

Reſp. Communiter aſsignari quatuor Regulas; prima eſt, quod Eccleſia vniuerſaliter admittit, & amplectitur tanquam dogma fidei, quod non inuenitur in S. Scrip. 2. Regula quod vniuerſalis Eccleſia aliquid obſeruat, quod nemo poterit conſtituere niſi Deus, & tamen in Scrip. non reperitur: ratio vtriuſque eſt, quia, ſicut Eccleſia non po-

teſt

teſt errare in credendo, ità nec in operando, præſertim in ritu, & cultu diuino; ergo quod ab vniuerſa Ecclesia obſeruatur reputari debet tanquàm traditio infallibilis: 3. reg. deſumitur ex Aug. lib. 4. cont. Donatiſt. c. 24. *Id quod in vniuerſa Eccleſia omnibus retrò temporibus obſeruatur, meritò ab Apoſtolis creditur inſtitutum, etiam ſi illud tale ſit, vt potuerit ab Eccleſia inſtitui, ſi Chriſtus ſecundum aliquos, vel ſaltem Apoſtoli ſecundum alios non inſtituiſſent*: 4. reg. quando omnes Doct. Eccleſiæ communi conſenſu docent aliquid ex Apoſtolica traditione deſcendere ſiuè in Concl. generali congregati ſint, ſiuè ſeorſim in libris ſcribendis, credendum eſt eſſe Apoſtolicam traditionem: habet ſiquidem magnam vim ad hoc credendum vnanimis conſenſus omnium Doctorum, vt infrà magis patebit, de quo etiam in prol. part. 1. aliquid dictum eſt.

DISPVTATIO III.

De Eccleſia.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Eccleſia militans.

NOt. 1. quod nomen Eccleſiæ multitudinis conuocationem ſignificans, variè in ſcripturis vſurpatur, primò prò quacunque multitudine, ſeù cætu hominum, & ſic in Pſal. 25. *Odiui Eccleſiam malignantium*: 2. prò ſtatu Beatorum, quæ eſt Eccleſia triumphans: 3. pro præſentis Eccleſiæ congregatione, & ſic Matth. 28. *Dic Eccleſiæ (ideſt Prælatis:) ſi Eccleſiam non audierit &c.* 4. ſumitur prò loco, vbi fideles conueniunt; Vltimò ſumitur prò cætu, ſeù Congregatione fidelium. Hoc autem modo Eccleſia poteſt ſumi, vel generaliter, proùt ab Adam, & Abel iuſto cœpit, vt cum lege naturæ, & Sinagoga Iudæorum concurrit, vel ſpecialiter pro Eccleſia noui teſtamenti à Chriſto conſtituta.

Not. 2. quod Eccleſia in ſtatu imperfecto incæpit ab Adamo, & Eua, & tempore Abelis ratione vtentis perfectionem accepit, Adam enim, & Eua fidem interiùs habebant, quam exterius profitebantur, tum quia Adamus ex

ſe erat dux Eccleſiæ, ad quem ſpectabat filios ſuos erudire in fide, ac proindè ab illo potiùs, quàm à filijs incępit Ecclęſia, tum quia extrà Eccleſiam nullum verum eſt ſacrificium: non eſt autem probabile Adamum toto tempore inter peccatum, & liberorum procreationem fuiſſe ſinę aliquo ſacrificio, offerendo prò eſpiatione peccati, prò gratijs agendis Deo &c. in quibus Patrem imitatus eſt Abel, à quo Eccleſiæ perfectionem accepit ſocietas, quia iuxtà Canoniſt. tres faciunt Capitulum, quatenùs vnus eſt ſuperſor, & alij inferiores, quæ quidem Eccleſia eſt ex Aug. corpus viuum, quia in eo eſt Anima, & Corpus; Anima ſunt interna dona, fides, ſpes, charitas &c. Corpus ſunt externa profeſsio fidei, communicatio Sacramentorum, dependentia, & vnio cum capite; hæc quidem viſibilia, illa inuiſibilia.

Concl. Eccleſia ſtrictè, & propriè accepta eſt cætuſs, ſeù congregatio hominum, qui vniuntur in eadem fidei profeſſione, & Sacràmentorum participatione ſub legitimo Paſtore in terris Chriſti Vicario; dicitur cætus, ideſt vniuerſalis, indè enim dicitur Eccleſia Catholica, de cuius excellentia augetur Dei cultus, dicitur hominum, quia præcipuè per Sacramentum Baptiſmi, quod eſt ianua Eccleſiæ, incipit homo Chriſto incorporari, & per hanc particulam excluduntur ab Eccleſia noui Teſtamenti omnes non Baptizati, vt Iudæi, Gentiles, Pagani, Turcæ, & alij Infideles, imò & cathecumeni nondum Baptizati, dum propriè ad Eccleſiam non pertineant, etſi oppoſitum ſentiat noſter Alphonſus de Caſtro, quia vt ait Optatus Milleuitanus contrà Parmenianum lib. 5. *Cathecumenus vi Sacramenti tranſit in fidelem*; per alias particulas excluduntur omnes ij, qui à vera fide receſſerunt, vt hæretici, & etiam Schiſmatici, qui verum Paſtorem non agnoſcunt. Quarè errant Pelagiani putantes Eccleſiam eſſe tantùm multitudinem perfectorum, qui nullum habent peccatum; errant Vuiglefiſtæ opinantes ſolùm prædeſtinatos facere Eccleſiam, errant Nouitiani, & Donatiſtæ aſſerentes omnes peccatores excludi ab Eccleſia, & non ſolùm illos, qui lapſi ſunt circà fidem, & eius profeſſionem: errant deniquè Calu. & Luther. qui volunt Eccleſiam ex iuſtis prædeſtinatis tantùm componi: fatentur enim nobiſcum, fideles eſſe in Eccleſia, ſed contendunt illos, qui ſemel fidem accèperunt, ipſam amittere

non

non poſſe, & nulla peccata mortalia, aut venialia illis imputari.

Quod autem Hæretici,& Apoſtatæ ſint extrà Eccleſiam, expræsè conſtat ex illo Ioan. 1. c. 1. *Ex nobis exierunt, ſed non erant ex nobis*, ideſt ex nobis exierunt, quia erant nobiſcum in eadem Eccleſia, ſed non erant ex nobis ſecundùm diuinam electionem, vt exponit D. Aug. lib. de bono perſeuerantiæ c. 8. Idem prob. ex Concil. Nicæno, vbi hæretici dicuntur poſſe recipi in Eccleſia, ſi redire velint; ergo euidens eſt illos ante fuiſſe extra eam, & ità tradunt etiam omnes SS. PP. & ratio eſt, quia cum Eccleſia ſit multitudo vnita, & hæc vnio maximè conſiſtat in profeſſione vnius fidei, & earumdem legum, & rituum obſeruatione, euidenter ſequitur illos non eſſe de Corpore Eccleſiæ, ſeù membra illius, qui cum eo nullam talem coniunctionem habent. Item prob. de Schiſmaticis, quià licet Schiſmatici ſint fideles Catholici, & in hoc differant ab hæreticis,& infidelibus; attamen ex hoc, quod non ſubſunt capiti Eccleſiæ, nec ab eo influentiam recipiunt, non poſſunt dici membra Eccleſiæ vnita, ſed potiùs abſciſſa; ſchiſma enim ab eo ſeparationem ſignificat.

Arg. 1. probando, quod hæretici ſint membra Eccleſiæ. *Eccleſia non iudicat de his, qui foris ſunt* 1. ad Corint. 5. ſed Eccleſia poteſt iudicare de hæreticis, & iudicat; ergo &c. Confirmatur ex D. Aug. exponente parabolam Chriſti de Zizania ſimul cum tritico creſcente, vbi per Zizaniam intelligit hæreticos, & per triticum fideles; ergo &c.

Reſp. Eccleſiam non iudicare de his, qui foris ſunt, ideſt qui nunquam fuerunt in Eccleſia, qui verò ad Eccleſiam pertinebant, & poſtmodum per hæreſim ab ipſa ſe ſepararunt, poſſunt ab Eccleſia puniri, vel ad credendum compelli. Ad illud de Zizania: reſp. cum eodem Auguſt. per agrum non ibi intelligi Eccleſiam, ſed mundum vniuerſum, in quo fatemur eſſe hæreticos; Scopus enim parabolæ erat oſtendere in mundo ſemper futuros aliquos malos, & reprobos in die iudicij eradicandos, & in ignem conijciendos.

Arg. 2. Baptiſmus facit homines eſſe membra Eccleſiæ, quia per ipſum incorporantur Eccleſiæ, ſed hæretici ſunt baptizati, ergo &c. Reſp. diſt. mai. Baptiſmus facit &c.

mem-

membra Eccleſiæ ſecundum quid (loquendo de hæreticis) conc. ſimpliciter, nego, quia ſunt omninò ſeparati ſecundùm profeſſionem fidei; licet ſint ſubditi Eccleſiæ ſecundum caracterem baptiſmalem.

Arg. 3. probando quod fideles non ſint membra Eccleſiæ. D. Paul. ad Epheſ. 5. vocat *Eccleſiam non habentem maculam*, & Cant. 1. dicitur: *Et macula non eſt in te*; ergo peccatores etiam fideles non ſunt membra Eccleſiæ, quia haberet maculam, & rugam. Reſp. Eccleſiam multis titulis dici Sanctam, vt inferiùs oſtendetur, quod autem attinet ad authoritatem D. Pauli, & Cant. dicimus cum Caſpenſi intelligendam eſſe de Eccleſia triumphante; paſſus eſt enim Chriſtus, vt Eccleſia talem exiberet, qualis erat in gloria; vel reſp. quod ſi intelligatur de Eccleſia militante, vt intelligunt S. Chriſoſt. Theophilactus &c. dicendum, quod Apoſt. per ſinecdochem tribuit toti Ecccleſiæ, quod vni parti conuenit, ideſt Eccleſiæ iuſtorum, & perfectorum.

Arg. 4. ex Auguſt. lib. 2. contra Creſcent. cap. 21 habetur, *Quod damnati à Chriſto, in corpore Chriſti non ſunt, quod eſt Eccleſia*: ergo &c. Reſp. D. Aug. tantùm velle, quod damnati adhuc viuentes non ſint de Corpore Chriſti eo modo, quo boni, ſed ſunt vt ipſe loquitur tract. 3. in Ioan. *Tanquam humores corrupti manentes in corpore.*

Arg. 5. Fideles excommunicati ſunt reuerà ſeparati ab Eccleſia; ergo etiam ipſi excluduntur ab Eccleſia: ant. patet ex Iure canon. d. 11. q. 3. vbi dicuntur à gremio Eccleſiæ, & totius Chriſtianitatis conſortio diminui, & Matth. c. 18. dicitur, habendos eſſe tanquam Etnicos, & publicanos. Reſp. excomunicatos priuari ex Iure canon. ſolùm communi conſortio fidelium, neque ob id dici poſſunt ſeparati, cum retineant fidem, ſpem, & charitatem, & etiam poſſe recuperare gratiam, per quam vniantur Chriſto capiti &c. Ad illud Matth. dicitur cum Caſpenſi Chriſtum dixiſſe, excomunicatum habendum eſſe tanquam Etnicum, nimirum quantum ad communicationem cum alijs, non verò abſolutè, & ſimpliciter dixit eſſe Etnicum &c.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum Eccleſia vera, & catholica ſemper fuerit viſibilis.

NOt. 1. Quòd Donatiſtæ, vt refert D. Auguſt. de hæreſi, olim docuerunt veram Chriſti Eccleſiam toto orbe fuiſſe extinctam, & in ſola Aphrica occultam remanſiſſe, aſſumentes S.Scrip.pro fundamento talis aſſertionis,& præſertim illud Cant. 1. *Indica mihi, vbi paſcas, vbi cubes in meridie*, & Lutherus lib. de abiurganda miſſa ſic delirando loquitur, quis nobis Eccleſiam monſtrabit, cum ſit occulta in ſpiritu, & tantùm credatur, Idem cenſent alij plures recentiores hæretici, qui, cum videant non poſſe ſuam Eccleſiam falſam, & hæreticam per continuam ſucceſſionem à Chriſto, & ab Apoſtolis deducere, & conuicti a Doctoribus catholicis apertis rationibus, nimirum; vbi nam ante luteraniſmum, & alias nouas hæreſes concreſcentes, perſtiterit Eccleſia Dei vera, quæ etiam per ipſos eſt indefectibilis, recurrunt ad inuiſibilitatem, aſſerentes eam nuſquam eſſe, & nunquam fuiſſe viſibilem, ſed conſtare ex certis pijs, paucis tamen fidelibus occultis, quaſi reliquijs omni tempore à Deo conſeruatis, quos non oportet (aiunt) digito demonſtrare: certè delirant ſemper hæretici, & ſemper ſtudent in ſenſum prauum S. Scrip. detorquere.

Not. 2. quod Eccleſia dupliciter poteſt intelligi viſibilis, nempè materialiter, & formaliter; materialiter, quidem, quia cætus hominum Deo ſeruientium in Eccleſia viſibilis eſt, ſicut etiam res, & ſigna ſenſibilia formaliter, quia, licet fides, quæ eſt forma Eccleſiæ non videatur per ſe, ſicut nec ſubſtantiæ videntur, cognoſcitur tamen per externam ſui profeſſionem, quæ fit per actus, ſeù per verba, ſicut cognoſcitur ſubſtantia per accidentia. Vndè Eccleſia ipſa ideo viſibilis dicitur, quia oculis notari poteſt illa hominum ſocietas, de qua per ſingulares eius,& perſpicuas notas credere meritò, & infallibiliter debemus, quòd ſit Eccleſia Chriſti, itàut per ſe aliud videamus, nempè materialem hominum cætum, & ſigna quædam illius, & aliud credamus, id eſt ipſum cætum eſſe Eccleſiam, & ſponſam Chriſti.

Concl. Eccleſia Dei ſemper fuit, & eſt viſibilis. Eſt de fide contrà hæreticos &c. Prob. 1. pars. Eccleſia Chriſti nunquam defecit ab Adamo huiuſque neque deficit: ergo Eccleſia Chriſti ſemper fuit, & eſt viſibilis. Ant. pat. a tempore Adæ vſque ad Chriſtum: conſtat enim incæpiſſe ab Adam, & non defeciſſe vſque ad tempora Moyſis; conſtat etiam à tempore Moyſis viguiſſe fidem, & cultum Dei in Populo Iſrael ſaltem quoad magnam partem: ſimiliter à Moyſe vſque ad tempus paſſionis Chriſti, & licet Sinagoga, ſeù Pontifices grauiſſimè errauerint, nec tamen ob id defecit Eccleſia, nam, vt omittam veri Dei cultores non Iudæos, multi Iudæi per totum orbem diſperſi, nec actorum contrà Chriſtum, nec doctrinæ Chriſtianæ conſcij, in vera fide perſeuerabant: ità inter alios eruditè diſcurrit Herincx tom. 3. diſp. 5. de Eccleſia: iam modò conſ. prob. auct. Sac. Scrip. Iſaiæ c. 39. *Hoc fœdus meum cum eis dicit Dominus, Spiritus meus, qui eſt in te, & verba mea, quæ poſui in ore tuo, non recedent de ore tuo, & de ore ſeminis tui, dicit Dominus, modo, & vſque in ſempiternum*; quem textum intelligunt SS. PP. de Eccleſia Chriſti, & fatetur Biblia Anglicana impreſſa 1613. in ſcholijs huius capitis; hinc ſic arguitur. Vel ergo defecit vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia, vel non: ſi non, ergo nunquam defecit vera fides, vera Religio, verus Dei cultus, cum hæc omnia ſint forma veræ Dei Eccleſiæ; quia ſine vera fide, religione, & Dei cultu non datur vera Eccleſia, alioquin ſecta Turcarum, quæ hæc non habet, eſſet vera Eccleſia, ſi defecit vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia: ergo ſi defecit ab illa ſpiritus Dei poſitus in ore Chriſti, defecerunt verba de ore ſeminis illius, ac proindè falſa eſt prophetia.

Prob. ratione theologica. Ab orbe condito omnes fidei D. profeſſores erant viſibiles, vt ante diluuium Adam, Eua, Abel, & alij; tempore diluuij Noè, & Filij, poſt hos Abraham, Iſaac, Iacob, & alij, & Sinagoga ex 12. tribubus conflata ſub viſibilibus Paſtoribus, Sacerdotibus, & Doctoribus directa vſque ad aduentum Chriſti, qui cum ſuis Apoſtolis, & ſequacibus viſibilem conſtituit congregationem: ergo Eccleſia Dei ſemper fuit, & eſt viſibilis.

Prob. ad hominem contra Caluinum. Illa eſt vera Eccleſia, in qua intratur ad vitam, in qua aluntur, & gubernantur fideles, vt fatetur Calu. lib. 4. Inſtitut. cap. 1. ſed hæc

eſt

eſt Eccleſia viſibilis: ergo &c. Item Deus alligauit Eccleſiam magiſtris, & prædicationi externæ, vt fatetur Calu. loc. cit. ſed hæc ſunt ſigna viſibilis Eccleſiæ; ergo &c. tum quia deſignatio miniſtrorum fit ab Eccleſia etiam ſecundum Calu. qui ſunt viſibiles: ergo &c. tum quia externa confeſſio fidei, occurrente occaſione, eſt de neceſſitate ſaluris Matt. 10. ſed externa confeſſio eſt ſenſibilis actio ex D. Paulo ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem ſit confeſſio ad ſalutem*, certè non in occulto, ſed coram hominibus: ergo illa Eccleſia, quæ requirit externam, fidei confeſſionem, ſemper fuit, & eſt viſibilis. Præterea vera Chriſti Eccleſia eſt ea, quam non audiens habetur prò Etnico, & publicano Matth. 18. falſa enim Eccleſia audiri omninò non debet, quia veræ oues Chriſti non audiunt voces alienorum, ſed de illa dixit Chriſtus; Dic Eccleſiæ: ergo vera Eccleſia eſt viſibilis; nam apud incognitam, & inuiſibilem Eccleſiam incorrigibilis accuſari non poteſt.

Arg. 1. ab hæreticis. Tempore Antichriſti videtur Eccleſia defectura, ſic ſaltem vt non appareat; nam Luc. 18. dicitur: *Filius hominis veniet, putas, inueniet fidem in terra:* & 2. ad Teſſal. cap. 2. Niſi venerit diſceſſio primum &c. Ideſt generalis apoſtaſia à fide tempore Antichriſti, qui ibi dicitur homo peccati, Cuius etiam tempore, vt prædicitur Dan. 12. *Auferetur iuge ſacrificium*, ideſt Euchariſticum.

Reſp. cum Herincx, etiam tunc Eccleſia in ſuis firmiſſimis eminebit, vt etiam loquitur D. Aug. quamuis enim non apparebit tunc in ſuo exteriori ſplendore, quem modo habet tempore pacis, ob perſecutionem Antichriſti, attamen perſeuerabit in fidelibus. Ad verba Lucæ dicitur ſolum ſignificare, quod, abundante tunc iniquitate, fides præſertim eminuerit, non tamen multorum. Illud autem ad Teſſal. intelligitur ſiuè pro diſceſſione à Romano imperio, ſiuè à fide, & obedientia Romanæ Eccleſiæ, valdè quidem generalis, non tamen vniuerſalis. Denique in Daniele ſolum dicitur auferendum, quantum ſcilicet eſt ex parte Antichriſti, qui omninò interdicet vſum ſacrificij Euchariſtici, quod tamen in pluribus non habebit effectum.

Arg. 2. Fides non eſt viſibilium, ſed credimus Eccleſiam, dicendo; credo in Eccleſiam: ergo Eccleſia non eſt viſibilis; aut ſi eſt viſibilis, dicendum eſt, video, ſeu clarè cognoſco

Ec-

Eccleſiam. Reſp. quod duo ſunt in Eccleſia, vnum eſt manifeſtum, nempè congregatio fidelium, qui Deum colunt in Sacramentis, & ſacrificijs ſenſibilibus, & hoc proprophiè non creditur, aliud eſt obſcurum, nimirum, quod Eccleſia regatur à Spiritu S. quod Sacramenta Eccleſiæ conferant gratiam inuiſibilem, & hoc ſecundum propriè creditur; nam etiam Chriſtus cognoſcebatur ſecundum humanitatem, & credebatur ſecundum Diuinitatem.

Arg. 3. Eccleſia tempore Eliæ ita latuit, vt Elias ſe ſolum relictum putaret: ergo non ſemper fuit viſibilis. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. nam aliquando Eccleſia vno tempore eſt minus conſpicua, vel etiam in vno loco, adeout fuerit cognitio difficilis iuxta Hilarium contra Auxentium Epiſcopum Arianum, admonentem tempore Arianorum non fuiſſe tunc Eccleſiam in exteriori pompa quærendam, ſed potiùs in Carceribus, & ſpeluncis. Ad illud de Elia dici poteſt, quod, licet fideles, qui erant ſub dominatione Acàb eſſent occulti reſpectu Eliæ, inter ſe tamen erant cogniti. Addi etiam poteſt, quod in alijs duabus tribubus, quæ non parebant Acab, erant multi fideles, vt in tribù Beniamin, & Iuda, vt ſcribit D. Paulus ad Rom. 10. *An neſcitis in Elia quid dicit Scriptura; reliqui mihi ſeptem millia virorum, qui non curuauerunt genua ante Balaal*. Ad alias authoritates, quæ poſſent ab hæreticis ſecundum eorum ſenſum adulteratas afferi, reſpondderi poteſt, quod ſi aliqua Scriptura videatur indicare Eccleſiam eſſe inuiſibilem, talem inuiſibilitatem eſſe omninò connexam cum viſibilitate, vt ex dictis conſtat.

Dices Synagoga Iudeorum, quæ erat vera Eccleſia, defecit; ergo non ſemper fuit viſibilis, nec demuit.

Reſp. Synagoga non erat tota, & vniuerſalis Eccleſia, nec ratione loci, quia non fuit diffuſa per totum orbem nec temporis, quia erat tantum duratura vſque ad mortem Chriſti, nec ratione ſaluandorum, quia poterant homines extra Synagogam ſaluari, vt conſtat de Iob, de Niniuitis, & alijs; Chriſti autem Eccleſia eſt catholica ſeu vniuerſalis vndequoque vt dictum eſt paulò ſuperius.

QVÆSTIO III.

Vtrum Eccleſia ſit vera, & infallibilis fidei Regula, adeòut neq; in fide, neq; in moribus errare poſſit.

NOt. 1. quod, vt ſuperiùs diximus in ſententia SS. PP. ac Theologorum, ſola Scriptura, & ſolæ traditiones ſunt quædam regulæ infallibiles fidei, ſed quodammodo partiales, ideoque non ſufficiunt ad aliquod diffiniendum de fide, ſed inſuper requiritur Eccleſiæ iudicium, de quo impræſentiarum quærimus: An ſit infallibile tam in fide, quàm in moribus. Quarè obſeruandum, quod Eccleſia poteſt accipi dupliciter: primò pro tota collectione fidelium baptizatorum, quæ per Baptiſmum nomen dedit: 2. pro paſtoribus, eiuſque Doctoribus, qui ſunt præcipua eius membra, & in quibus Reipublicæ Catholicæ auctoritas potiſſimùm reſidet; ſicut & optimates plebis dicuntur Ciuitas iuxta Ariſt. 9. Eth. c. 9. docencem, Ciuitatem id maximè eſſe, quod eſt in ea principale. Indè enim, quod Primates, & Gubernatores Ciuitatis faciunt, & ſentiunt, ea Ciuitas facere, & ſentire dicitur. Cuius rei extat exemplum Reg. 3. c. 8. *Congregati ſunt omnes maiores natu Iſrael cum Principibus Tribuum, Duces familiarum in Iſrael*, & infra. *Conuertit Rex faciem ſuam, & benedixit omni Eccleſiæ Iſrael; omnis enim Eccleſia Iſrael ſtabat*. Hic autem non loquimur de Eccleſia primo modo, ideſt collectim ſumpta pro omnibus omninò membris. Eſſet enim ridiculum immò impoſſibile, & vanum ſingulorum iudicium exquirere, vt clarè patet etiam in Republica humana, & ciuili; ſed loquimur de Eccleſia 2. modo ſumpta, quatenus comprehendit omnes eos, qui ad id conſtituti ſunt, ſiuè ſit Monarca, ſiue cum eo, ſiue ſine eo optimates, ſiuæ cætus aliquis communitatem repreſentans. Itaque conuenit hoc iudicium Eccleſiæ in Concilijs congregatæ, & præſertim eiuſdem Eccleſiæ ſupremo capiti; de quibus infrà &c.

Not. 2. Quod ad Eccleſiæ infallibilitatem in docendo ſatis eſt, vt ſit infallibilis in ſubſtantia fidei, & publico dogmate, & rebus ad ſalutem neceſſarijs: ad hunc ſiquidem finem priuilegium infallibilitatis à Deo datum eſt Eccleſiæ. Etenim Deus, & natura, ſicut non deficit in neceſſa-

rijs,

rijs, ita nec ſuperabundat in ſuperfluis. Nec ad quæuis particularia ſpecialis Dei prouidentia extendenda eſt, quæ ſicut multos particulares defectus in gubernatione Vniuerſi permittit ad illius decorem, vt notat D. Aug. lib. 11. de Ciuit. c. 18. ità multos priuatos errores in Eccleſia. Vnde loquendo de erroribus particulàribus ferè infiniti ſunt. Errauit Arrius, errauit Lutherus, errauerunt quotquot ab Eccleſia deuiarunt. Nunquam tamen fuit error vllus vniuerſalis, ideſt totius Eccleſiæ; etſi Lutherani, & Caluiniſtæ impudenter aſſerant, Eccleſiam Romanam ſeu Chriſti per primos quingentos annos fuiſſe veram Chriſti ſponſam, nec vllo modo erraſſe toto tempore illo, ſed poſtea cæpiſſe paulatim deficere à vera fide, & religione, & tandem omninò apoſtataſſe, & adulteram factam eſſe. Idque aſſerunt, vt ſuos errores foueant, quos Eccleſia ſemper damnauit. Quod ſi eius infallibilitatem admitterent, nihil illis amplius ſupereſſet, quo ſuas hæreſes tuerentur.

Not. 3. Quòd donum infallibilitatis dupliciter conſiderari poteſt, nempe paſſiuè, & actiuè; paſſiuè quidem quatenus alios in errorem inducere nequit. Infallibilitas actiua data eſt Eccleſiæ corpori, & eius Paſtoribus in Concilio legitimè congregatis, & aliquid definientibus; at infallibilitas paſſiua corpori Eccleſiæ, ſeu collectioni omnium fidelium, quatenùs collectiuè ſumptæ vi promiſſionum Chriſti, & perpetuæ Spiritus S. aſſiſtentiæ, falſum pro vero nunquàm acceptare poterunt. Vtitur autem Eccleſia hoc priuilegio circa tria obiecta. Primo circa Verbum Dei ſcriptum, & non ſcriptum: 2. circa veram intelligentiam, & intèrpretationem Verbi Dei: 3. circa rem per Verbum Dei ſignificatam; hæc enim res eſt completa ſumma Euangelij, ideſt veritas fidei, & diſciplinæ morum: ſit exemplum; hic textus: *Hoc eſt Corpus meum*; De hoc Verbo Dei examinat ſignificationem; an figuratiuè; an vero realiter hæc verba ſignificent: 2. an res ſignificata, ſcilicet Corpus Chriſti ſit ſub ſpeciebus: 3. iudicat, quid tenendum.

Concl. Eccleſia Dei eſt vera, & infallibilis fidei regula in doctrina fidei, & morum. Eſt de fide, & prob. 1. Matth. 16. *Super hanc petram ędificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam*. Vnde ſic formatur ratio. Vel vera, & viſibilis Chriſti Eccleſia potuit errare in doctrina mo-

gum, vel non; ſi non, ergo concluſum eſt contra Sectarios; ſi poteſt errare, vel de facto errat, & errauit, vel de facto non errat, nec errauit: ſi 2. vtique hoc eſt ex priuilegio Dei, ſi primum, vtique hic error erit, vel circa fidem, vel circà mores: ſi circà fidem, ergo docebit falſa, ſi circà mores, ergo docebit iniuſta, ſeù illicitia; ſed Diabolus, qui eſt pater mendacij toto conatu Eccleſiam impugnat; ergo ſi facit Eccleſiam errare in doctrina fidei, & morum, iam portæ inferri præualuerunt, & præualent aduersùs illam, ac proindè, vel Chriſtus falſum dixit, quod eſt impoſſibile, vel Eccleſia non poteſt errare.

Neque dicant hæretici; quod peccata Eccleſiæ fuerint cauſa, vt hoc priuilegium infallibilitatis non duraret, quia hoc falſum eſt; Eſt enim perpetuum, nec peccata particularia à Deo præuiſa tollere poſſunt, vel priuare Eccleſiam infallibilitate. Prob. 2. Matth. 18. Dic Eccleſiæ: Si Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus, & publicanus: ergo Eccleſia errare nequit, quod ſi errare contendas, ò Luthere; ergo tanta pœna imponitur à Chriſto illi, qui errantem Eccleſiam non vult audire? Hoc nefas eſt dicere: ergo &c Prob. 3. Ioan. 14. *Paracletus autem ſpiritus, ſcilicet quem Pater mittet in nomine meo; ille vos docebit omnia, & ſuggeret vobis omnia:* & cap. 16. *Cum autem venerit ille ſpiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem*, ſed per vos intelligitur cætus fidelium, qui veram fidem ſequuntur, & Eccleſia eſt congregatio eorumdem fidelium, ergo &c

Prob. 4. Matth. 28. *Et ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſæculi*: ergo durauit, & durat continuè ſine vlla interruptione Chriſti aſſiſtentia viſibili Eccleſiæ. Eandem veritatem tradunt luculenter SS. Patres, qui videri poſſunt apud Caſtro, Bellarm. Matthias Hauſeur, & Bernardin. VVetuuæis.

Prob. 5. ratione theologica. Si Eccleſia non eſſet infallibilis regula fidei, ergo Eccleſia non eſſet certa, ac proinde ſua fides non eſſet vera, quia poſſet ei ſubeſſe error: ſed ſi fides Eccleſiæ ſit incerta, multò magis fides ſingulorum fidelium, qui fidem Eccleſiæ ſequuntur erit incerta: ergo qui infallibilitatem Eccleſiæ negat, deſtruit certitudinem fidei, ſine qua Eccleſia conſiſtere nequit: ergo habet priuilegium non errandi. Tum quia ſi Eccleſia non eſt infallibilis quo-

mo-

modo poſſumus infallibiliter ſcire vllam Scripturæ partem eſſe puram, & incorruptam? hunc eſſe verum Scripturæ ſenſum, illum autem non eſſe? ergo ſi ſemel dubitemus, ruit omnis fidei certitudo.

Reſp. Lutherani, & Caluiniſtæ iudicium de auctoritate Scripturæ non aliunde deſumendum eſſe, quàm ex ipſa Scriptura, vel ex ſecreta Spiritus S. reuelatione, vel quatenus ſubſtat iudicio diſcretionis, ſeu interpretationis cuiuslibet priuati, adducentes in confirmationem tam ſtupendi, & ſtupidi iudicij priuati illud *Apoſt. 1. ad Corint. c. 2. Spiritualis iudicat omnia*. O ſtupenda reſponſio! planè regula proprij iudicij eſt ſeminarium omnium errorum. Inde enim Tertullianus, Origenes, cæterique ingenio, & eruditione præſtantiſſimi in barathrum errorum lapſi ſunt, de quorum miſeria dolet S. Vincent. Lyrin. in commonit. cap. 23.

Cæterum quod ad illum priuatum, & occultum ſpiritum attinet hoc breui dilemmate conuincuntur. Vel Apoſtoli erant inſtructi hoc ſpiritu, vel non? ſi non, ergo ſpiritus ſectariorum non eſt Apoſtolicus, ſed potiùs diabolicus; ſi erant inſtructi, quarè conuenerunt Apoſtoli, & Seniores populi Hieroſolymis? quarè magna conquiſitio fiebat? quid opus fuit Concilio, ſi quilibet habebat ſpiritum internum? Item ſi ſpiritus iſte pertinet ad ſolos electos, vt aiunt, peto; an fuerint electi de quibus dicitur Lucæ 22. *Et tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos*; ſi electi habebant eumdem ſpiritum, quem Petrus, cur ergo iubetur eos confirmari, ſed ad hominem arguo. Illi, quos miniſtri, & prædicantes docent, dum interpretantur Scripturam, ſunt ne electi, an reprobi, ſi electi, fruſtra docentur, cum habeant eumdem ſpiritum; Si Reprobi; rectè etiam fruſtrà, quia cum careant hoc ſpiritu, non habent vnctionem internam ſolis electis propriam.

Præterea vel ille ſpiritus eſt infallibilis, vel aliquando fallit; ſi fallit à Diabolo eſt: ſi ſemper eſt infallibilis, cur Lutherani, & Caluiniſtæ diſcordant in multarum Scripturarum interpretatione? Igitur ſtultiſſima temeritas eſt quemlibet priuato ſuo iudicio plus deferre quàm Sanctæ, & vniuerſalis Eccleſiæ iudicio, ſeu totius corporis ipſius Eccleſiæ, cui donatum eſt infallibilitatis priuilegium. Ad Eccleſiam ergo & non ad ſpiritum priuatum, vt potè diabo-

bolicum recurrere debent omnes ij, qui à veritate deuiare non ſtudent.

Arg. 1. ab hæreticis contendentibus Scripturam ſufficere pro regula fidei Ioan. 7. *Si quis voluerit voluntatem eius facere, qui miſit me, agnoſcent de doctrina mea, vtrum ex Deo ſit*: ergo præter ſpiritum dilectionis Dei, non requiritur aliud magiſterium ad Scripturas intelligendas. Reſp. quod non hoc dicit Dominus, vt oſtendat omnes viros bonos per ſe intelligere poſſe omnia loca ſcripturarum; ſed docet viros probos per ſe carere impedimentis quibuſdam, propter quæ alij quidam nec per ſe, nec per alios fidei veritatem intelligere poſſint; nam cupiditas gloriæ, rerum, & ſimilia excecat oculos iuxtà illud Ioan. 5. *Quomodò vos poteſtis credere, qui gloriam ab inuicem accipitis*, quo ſenſu intelligenda venit alia authoritas 1. ad Corint. c. 2. *Spiritualis iudicat omnia, & ipſe à nemine iudicatur*, & vt clariùs loquamur, dicimus cum Chryſoſt. Anſel. D. Thom. apud Cornel à lapide, quod ſpiritualis vocatur, qui fidem, prudentiam, atque doctrinam Spirit S. ſequitur, qui ſpiritum Animæ habet, & Doctorem, & ipſe à nemine iudicatur, ideſt redarguitur, & condemnatur, quatenùs ſpiritualiter, ideſt regulam ſpiritus iudicat.

Arg. 2. per Ierem. 21. habetur: *Dabo legem meam in cordibus eorum, & in cordibus eorum ſcribam eam, & non docebit vir iuxtà proximum ſuum dicens, cognoſce Dominum. Omnes enim ſcient me à minimo eorum vſque ad maximum eorum*: ergo &c.

Reſp. cum D. Aug, lib. de ſpiritu, & litera c. 4. illis verbis, dabo legem meam &c. ſignificari gratiam teſtamenti noui, ideſt fidem per charitatem operantem, quam Deus diffundit in cordibus noſtris, vt non ſolum ſciamus, ſed etiam impleamus diuina mandata: illis autem verbis, & non docebit vltrà, ſignificari præmium fidei ideſt beatitudinem, in qua omnes electi videbunt Deum facie ad faciem.

Si dicant illud Ioan. 1. c. 2. *Et non neceſſe habetis vt aliquis doceat vos, ſed vnctio docet vos de omnibus*. Reſp. Ioan. non loqui abſolutè de cognitione rerum diuinarum, quaſi non egeat Magiſtro in nulla re, qui Spirit. S. acceperunt, nam ſi ita eſſet, cur Ioannes hanc Epiſt. ſcriberet, & moneret, & inſtrueret eos, quos vnctio docebat de omnibus? ſanè ſuperuacanea fuiſſet talis inſtructio. Loquitur igitur de his

tan-

tantùm dogmatibus, quæ iàm acceperant ab Apoſtòlis, & gratia Spirit. S. didicerant, & crediderant.

Si dicant, quod Beroenſes, vt ſcribitur Act. 17. *Scrutabantur Scripturas, an ità ſe haberent, quæ Paulus prædicabat:* ergo ſi illis licuit, & alijs licet examinare Verba ſcripturę. Reſp. etſi D. Paul. erat Apoſt. & non poterat falſam doctrinam prædicare, tamen non conſtabat hoc initio Beroenſibus, nec tenebantur mox credere, niſi priùs viderent miracula, aut alias probabiles rationes credendi, ſecùs autem de Chriſtianis, quibus conſtat Eccleſiam non poſſe errare in explicanda doctrina fidei.

Arg. 3° redarguendo nos committi circulum vitioſum, nàm ſi quæratur à Catholicis, vndè ſcimus has ſcripturas eſſe canonicas, & diuinas? reſponderent, quia Eccleſia, vel Papa ſua infallibili auctoritate id docet, & cum quæritur. Vndè ſciunt Eccleſiam, vel Papam ſic docentem habere infallibilem auctoritatem. Reſp. quia ſcriptura id dicit, & ſic in circulo verſantur probando Eccleſiam per ſcripturam, & ſcripturam per Eccleſiam; ergo &c. Similiter circulus nobis obijcitur. Si fidelis credit myſterijs fidei, qua ratione credit. Reſp. quia ſic reuelauit Deus, & iterum ſi eis dicatur, cur credat diuinæ reuelationi. Reſp. propter aucthoritatem Eccleſiæ, & ſic committitur circulus, quia fideles crederent Eccleſię propter diuinam reuelationem, & diuinæ reuelationi propter auctoritatem Eccleſiæ.

Reſp. retorquendo argumentum contrà hæreticos, qui in talem circulum reuerà incidunt, cum Scripturam, & eius verum ſenſum non certò cognoſcant, niſi ex ſpiritu priuato, & ſpiritum priuatum non aliundè probant, quàm ex ipſa ſcriptura eodem ſpiritu priuato in hunc ſenſum intellecta; nihilominùs reſp. ad augumentum, quod à nobis nullus committitur circulus, quia circulus vitioſus apud Phyloſophos eſt, quando duo probantur, nempè vnum per aliud apud eum, qui vtrumque negat: v. g. Si nego matrem, & filium eſſe probum, & probas matrem eſſe probam, quia filius id dicit, & iterum probas filium eſſe bonum, quià mater dicit; ſic in propoſito ſi Infideli, & Ethnico probarem Eccleſiam per ſcripturam, & ſcripturam per Eccleſiam, cum vtramque neget, vtique committerem circulum, tamen contrà hæreticum, qui Scripturam admit-

tit, non eſt circulus &c. Eccleſiæ infallibilitatem per ſcripturam probare, & ſcripturam per Eccleſiam; hæc enim notitia non tam à Scriptura, & Eccleſia, quàm à diuina auctoritate deriuatur; vndè ad alium circulum nobis obiectum, dicendum nullum eſſe inconueniens, neque circulum fieri, quia ſit tranſitus de vno in aliud ſecundum diuerſam rationem, & in diuerſo genere cauſæ. Credit enim fidelis myſterijs reuelatis propter diuinam reuelationem, tanquàm propter formalem cauſam credendi: reuelationem verò propter auctoritatem Eccleſiæ tanquàm propter conditionem applicantem, ſeù regulam proponentem ea, quæ credenda ſunt, & diſcernentem credibilia à non credendis, quod ad genus cauſæ directiuè, ſeù diſpoſitiuæ reducitur.

QVÆSTIO IV.

Quæ ſint notæ, quibus vera Eccleſia à falſa diſcernitur.

NOt. 1. Quòd per notas Eccleſiæ, vt ex communi notat Boyuin, intelliguntur quædam qualitates, quæ ſunt ita propriæ veræ Eccleſiæ, & legitimæ ſponſæ Chriſti, vt nullo modo adulterinis Eccleſijs competere valeant; quas quidem notas admittunt etiam hæretici ad dignoſcendam ſuam falſam Eccleſiam, & inter alios Lutherus quinque notas aſſignat, quas ad numerum binarium, nempe veram, & inconcuſſam prædicationem Euangelij, & Sacramentorum adminiſtrationem reducit Caluin Ex catholicis autem alij admittunt quindecim notas, vt Bellarm. alij ſeptem, vt Caſpenſis, alij denique admittunt tantum quatuor, quæ veram Eccleſiam infallibiliter deſignant, idque conformiter Symbolo Concilij Conſtantinop. quales ſunt Vnitas, Sanctitas, Vniuerſalis, ſeu catholica, & Apoſtolica. Ita communiter Doctores recentiores, Herincx, Boyuin, Gonet, & alij.

Not. 2. Quòd licet Synagoga ſumpta pro vera Eccleſia habuerit plures prærogatiuas, & notas; attamen Eccleſia Romana perfectior eſt Eccleſia Iudæorum in multis. Primò Synagoga fuit Ancilla, euangelica verò libera vt habetur ad Galat. 4. non ſumus filij Ancillæ, ſed liberæ: 2. Synago-

ga

ga vt Ancilla fuit repudiata. ibidem, eijce Ancillam; at Eccleſia, cum ſit diuina, nunquam repudiatur Iſai. 54. *Noli timere, quia non confunderis, nec erubeſces:* 3. Sinagoga accepit à Moyſe nudam legem, quæ præcipiebat; Eccleſia autem accepit à Chriſto legem præcipientem, & gratia abundantem: 4. Synagoga fuit exigua, & intra Paleſtinæ terminos compræhenſa; Eccleſia verò eſt catholica, & toto orbe diffuſa: 5. Synagoga non fuit mater omnium fidelium, quia multi extra illam ſaluabantur, vt Niniuitæ, & alij Gentiles; Eccleſia autem eſt mater omnium, & extra illam nemo ſaluari poteſt. Vnde S. Cyprian. lib. de veritate Eccleſiæ. ait; non habet Deum Patrem, qui matrem non habet Eccleſiam, quod licet in Deuteron. dicatur in cap. 4. non eſt alia natio tam grandis &c. hoc intelligendum eſt per reſpectum ad alias gentes, quæ tunc erant, non verò per reſpectum ad Eccleſiam, quæ nunc eſt &c.

Concl. Eccleſia Chriſti habet quatuor prærogatiuas. & notas, ad quas comodè reduci poſſunt omnes aliæ, ac proinde ſola Eccleſia Romana eſt vera Chriſti Eccleſia; & inprimis dicitur vna, quod non ſolum verum eſt de Eccleſia noui teſtamenti, ſed etiam vt conſideratur ab initio mundi vſque ad conſumationem ſæculorum, itaut credentium vniuerſitas, quæ fuit ante legem, ſub lege, & euangelio ſemper eadem fuerit. Vnde nil refert, quod alia ſit forma nunc colendi Deum, alia ſacramenta, aliaque ratio fidei, hæc enim non tollunt vnitatem Eccleſiæ, ſed ſolum indicant diuerſos ſtatus, & diuerſas ætates, manente ſemper eadem Eccleſia: ſicut nullus homo eſt alius à ſe ob diuerſas qualitates ætatum, aut incrementa membrorum, ita nec Eccleſia in diuerſis illis tribus ſtatibus non minùs vna, & eadem cenſenda eſt, & fatenda cum præfato Concil. Credo in vnam S. Eccleſiam, quæ quidem vnitas in tribus potiſſimum conſiſtit. Primo in vnitate Capitis perpetuò, & indefectibiliter in Corpus totum, & membra influentis: 2. in membrorum ſingulari connexione, & armonia conſonante tam reſpectu ſui capitis, quod ad inuicem: 3. in eo quod in vnum, & eumdem finem, nempe beatitudinis æternæ omnia membra conſpirent. Addi etiam poteſt, quod ſit vna vnitate Patris, nempe Dei vocantis, & Chriſti fundantis, & inſtituentis Eccleſiam: 2. quod ſit Sancta, & quidem in pri-

primis vocatur Sancta, quia Eccleſia, & cœtus fidelium ſunt Deo per Baptiſmum dicata, & conſecrata iuxta illud ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ:* 3. vocatur Sancta, quia, velut Corpus, & ſponſa Sancto Sanctorum inſeparabiliter eſt coniuncta, qui vt in 1. ad Corint. cap. 1. dicitur, *Factus eſt nobis ſapientia à Deo, & iuſtitia, & ſanctificatio, & redemptio:* 4. vocatur Sancta, quia in illa ſola dicitur remiſſio peccatorum, ſiuè per Baptiſmum, per quem omnes ſanctificantur, ſiue per pœnitentiam, per quam peccatores ad ſanctitatem, & gratiam reuertuntur: 5. vocatur ſancta, quia quicunquè ad Eccleſiam vocantur, & veniunt, ad ſanctitatem, & puritatem vocantur, & ſe quodammodo obſtringunt: 6. vocatur ſancta à doctrina fidei, & morum, quæ in Eccleſia non ſolum incorrupta eſt, ſed etiam incorruptibilitatem continet: 7. vocatur ſancta à fine, ad quem fideles ſunt vocati, qui eſt facere fideles ſanctos, & immaculatos, vt docet Paulus ad Epheſios c. 3. Tertia prętogatiua eſt quod vocatur catholica, quod idem eſt ac vniuerſalis, nam quamuis vnica ſit, & in morali entitate ſua indiuidua, & indiuiſibilis, nihilominùs ex omni ſua conditione vniuerſalis eſt, & vniuerſalitatem habet, primò à loco, quià per vniuerſum orbem diffuſa eſt, nequè vnius regni, aut prouinciæ terminis definitur, vt hæreticorum cœtus. Vnde Aug. ait Eccleſiam eſſe vbique, & hæreſim pariter cum hoc diſcrimine, quod Eccleſia eſt vbique vna, hæreſis verò vbique diuerſa, & hęc fundatur in diuerſis ſcripturæ locis, vt Marci cap. vlt. *Euntes in mundum vniuerſum &c.* Matth. vlt. *Docete omnes gentes &c.* 2. ab omni hominum conditione, qui nullus ab illa excluditur, ſed, omnes ad illam reuocantur, & in illa ſimul habitant, vt vnius corporis membra, ſiuè Barbarus, ſiuè ſcita &c. iuxta illud Apoſt. *Apparuit gratia Dei &c.* 3. ab vniuerſalitate temporum, quia ſemper fuit, & ſemper erit, aliæ autem ſectæ poſt eam inceperunt, & paulatim interierunt; ſiquidem facile eſt oſtendere cuiuslibet locum, ortum, oppugnationem, & damnationem: 4. ab vniuerſalitate doctrinæ fidei, & neceſſariorum ad ſalutem vna eſt in omnibus, tum quia vocat, & recipit omnes cuiuſcunque ſtatus, & conditionis; Vndè non eſt diſtinctio Iudæi, & Græci &c.

Cæ-

Cæterùm hoc nomen Catholicum ità celebre fuit, & orthodoxæ fidei, & Eccleſiæ proprium, vt quamuis hæretici illud vſurpare ſtuduerint, nullo tamen iure ceſſit errori, quarè cæpit Eccleſia vocari Catholica poſt tempora Apoſtolorum, vt aduertit Marchant. tom. 3. ex Paciano Epiſcopo, quo hæreſes multiplicari cæperunt, vt veri fideles, & Eccleſia Chriſti ab hæreticis, & conuenticulis eorum, qui ſe ſegregabant, etiam nomine diſcernerentur, & quamuis Eccleſia vocetur vniuerſalis, nihilominùs retinet R. E. nomen, per quod deſignatur catholica, & orthodoxa Eccleſia, non à ratione Vrbis Romanæ, aut Diœceſis, ſed à Sede primaria Petri, vt Vicarij vniuerſalis Chriſti, qui Romæ Cathedram vniuerſalem reliquit iuxta Gelaſium in decreto Gratiani diſt. 32. cap. quamuis.

Quarta, & vltima nota eſt, quod vocatur Apoſtolica. Primò quia ſuper Petrum, & Apoſtolos fundata eſt, & quidem ſuper Petrum immediatè à Chriſto fundata Matth. 16. *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus* &c. ſuper Apoſtolos autem ad Epheſ. 2. vbi dicuntur *Fideles superædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum* &c. 2. quia per illos initiata eſt prædicatio Euangelij: 3. quia tota diſpoſitio, adminiſtratio, diſpenſatio Eccleſiæ Apoſtolis commendata fuit, vnde Paul. ad Rom. 1. *Græcis, & Barbaris ſe debitorem agnoſcit*: ergo vera Eccleſia habet recenſitas notas, & prærogatiuas, & hæc ſola eſt Eccleſia Romana.

Hinc euidenter infertur alias Eccleſias, ſeu potiùs ſectas hæreticorum non habere huiuſmodi notas: non quidem primam habent, quia non eſt vna, imò eſt diuerſa, nam Lutherus, & Caluinus in multis diſſentiunt, præſertim in fide, & in canone Scripturæ, & in Sacramentorum adminiſtratione, vt latè oſtendunt DD. catholici; neq; habent 2. ideſt ſanctitatem, quia tradunt doctrinam ſanctitati repugnantem, dum docent, Deum eſſe authorem peccati, nullum peccatum ab homine committi, niſi Deo inſtigante, & impellente, præcepta Decalogi eſſe impoſſibilia, nec ab vllo quantumuis iuſto ſeruari poſſe, bona opera nullius eſſe valoris apud Deum, ſed eſſe ſordes, & inquinamenta &c. tum quia in Eccleſijs hæreticorum nullo modo poteſt eſſe ſanctitas, cum earum capita, nimirum Lutherus, & Caluinus fuerint peruerſi. De Luthero

conſtat ipſum fuiſſe infamem; nam cum duplici caſtitatis voto adſtrinctus fuerit erat enim Monachus, & Sacerdos, vtrumque votum violauit. Quantum ad Caluinum; quis ipſius infamiam ſcribere poteſt, nam ipſe Nouioduni in Piccardia propter crimen ſodomiæ publico iudicio condemnatus fuit ad pœnam ignis, quæ interceſſione Epiſcopi vſtulationem ferri candentis mutata eſt: neque habent tertiam, quià toto orbe non ſunt diffuſæ, nec duraturæ vſquè ad finem mundi, nec ratione temporum, nam verà Eccleſia antiquior eſt falſa, ſicut Deus anteà fuit, quam Diabolus eſſet, & iuxtà illud Matth. 17. *Seminatum fuit priùs bonum ſemen, quam zizzania;* nec ratione ſaluandorum dici poteſt Catholica, quià omnes hæretici extrà Eccleſiam morientes infallibiter damnantur: neq; habent vltimam, ideſt Apoſtolicam; non enim fundatæ ſunt ab Apoſtolis, nec ab eiſdem propagatæ, ſed in Luthero, & Caluino initium habuerunt, & ab illorum diſcipulis propagatæ ſunt: Nec habuerunt continuam ſucceſſionem Prælatorum ab Apoſtolis vſque ad Lutherum, & Caluinum progenitores ſuos; nec denique habent Apoſtolorum doctrinam, vt ex dictis conſtat: ergo præter Eccleſiam Catholicam Romanam nulla alia vera Eccleſia datur &c.

Arg. hæretici contra vnitatem Eccleſiæ ſic. In Eccleſia Catholica fuerunt concertationes, & diſſidia; Paulus reprehendit Petrum, vt habetur in Epiſt. ad Galat. 2. Item à Paulo diſceſſit Barnabas act. 15. Antiochiæ pariter graue oritur diſsidium inter Chriſtianos ex gentibus, & alios ex Iudæis conuerſos circa obſeruantiam legalium loc. cit. ſed hæc omnia videntur pugnare contra vnitatem Eccleſiæ; ergo &c. Reſp. & primò ad primum, quod reprehenſio Petri facta à Paulo erat fraterna, non contentioſa, neque cum ſeparatione coniuncta, ſicuti ſe habent hodiè hæreticorum ſectæ, quę in rebus fidei inuicem non conueniunt, nec communicant. Immò inuicem ſcriptis ſe accuſant, & ſe mutuò condemnant. Inſuper reprehenſio Petri erat circa conuerſationis modum non doctrinæ, vt manifeſtè conſtat ex textu ſacro: non enim errorem ſed ſimulationem Petri arguit; neque non credidiſſe, ſed non ambulaſſe, ideſt non conuerſatum fuiſſe ſecundùm veritatem; de quo ſatis dictum eſt in quæſt. de legalibus tract. de leg.

Ad

Ad 2. dicendum, quod diſſenſio Barnabæ à Paulo non fuit in materia doctrinæ, ſed circa factum communis vitæ; nam pariter Antiochiæ de re nondum definita diſceptabant, quod non ſoluit Eccleſiæ vnitatem. Si vrgent, quod inter Patres fuit diſſenſio de rebus grauibus. Reſp. diſputaſſe in rebus nondum diffinitis ab Eccleſia.

Arg. 2. In Apocalip. commemorantur plures Eccleſiæ, ſcribit enim Ioan. 7. Eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, ergo non eſt vna ſola Eccleſia. Reſp. huiuſmodi pluralitates non intelligi reſpectu Eccleſiæ vniuerſalis, quæ vna eſt in toto orbe, ſed reſpectu Eccleſiarum particularium, quæ ſunt diuerſa membra Eccleſiæ vniuerſalis.

Arg. 3. contra 2. notam. Reperiuntur in Eccleſia multi Paſtores, & quam plures oues, in quibus nulla prorſus eſt ſanctitas, vel illi non ſunt in Eccleſia, vel quia Eccleſia non eſt Sancta; ergo &c. Reſp. Eccleſiam non dici Sanctam, quaſi ſolos iuſtos contineat, vt volunt hæretici, ſed dicitur Sancta in ſe ob rationes allatas.

Contra. A maiori parte ſumitur denominatio, ſed maior pars Eccleſiæ in peccatoribus conſiſtit iuxta illud multi ſunt vocati &c. ergo &c. Reſp. falſum eſſe mai. ſuppoſ. maximè quando maior pars non eſt nobilior, homo enim dicitur pulcher, quando habet faciem pulchram, licet in alijs partibus habeat aliquas deformitates; cæterum etiam maior concedi poteſt, quia, licet omnia membra Eccleſiæ ſanctitatem non habeant, nec ad illam affectent in actionibus ſuis, tamen profitentur, & fatentur, tam externè, quàm internè fidem catholicam.

QVÆSTIO V.

Vtrum Eccleſiæ regimen ſit monarchicum.

NOt. 1. Quòd homo, teſte Ariſt. lib. 1. politicorum c. 2. eſt Animal ſociabile propenſus ex ſui natura ad viuendum in ſocietate; ſocietas autem ſecundùm nominis etimologiam dicitur quaſi ſociorum vnitas; quæ quidem ſocietas duplex eſt; vna dicitur ordinata, quæ ſcilicet habet aliquod caput, à quo regatur; alia inordinata, quæ à nullo capite regitur, in qua ſcilicet vnus alteri non ſubeſt, neque

præeſt, & de huiuſmodi inquit Ariſt. cap. cit. per contumeliam dicitur ſine tribu, ſine iure, ſine domo, nullo continetur iugo. Ordinaria autem ſocietas ordinatur in tria membra, primum vocatur Monarchia, quando nempe vnus eſt ſupremus, & abſolutus Princeps, & tanquam Rex, & Monarcha regit, & huic opponitur Tyrannus: 2. dicitur Ariſtrocatia; eſtq; quando pauci optimates in authoritate æquales gubernant, & hæc dicitur Reſpublica: 3. eſt Democratia, cuius ſumma poteſtas eſt in multis de plebe, ſeu de populo, & dicitur Reſpublica popularis.

Not. 2. Quòd quàmuis inter omnes formas boni regiminis monarchia ſimplex ſit ſimpliciter, & abſoluté ſecundùm ſe ſpectata reliquis præferenda, tamen, conſideratis circumſtantijs huius vitæ mortalis, ſeu naturæ lapſæ, conuenientior eſt monarchia mixta, & participans quodamodo de Ariſtocratia, & Democratia, hac tamen lege, vt in illo regimine vnus ſit Princeps, qui omnibus principetur, & imperet, nec vlli ſit ſubiectus, deinde habeat præſidentes prouinciarum, & ciuitatum, non quidem vt Vicarios, ſed vt veros Principes, qui & imperio ſummi Principis obediant, & interim prouinciam vt propriam, non alienam moderetur, nam diligentius fideles Principes res ſuas, quàm Vicarij aliena procurant, & ſic locum habet Ariſtocratia, quod ſi his adderetur, vt nec ſupræmus Monarcha, nec Principes inferiores dignitates illas ex hæreditaria ſucceſſione acquirerentur, ſed ex vniuerſo populo optimi ad illas dignitates eligerentur, vt ſic potiùs virtuti, quàm generi deferatur, tunc etiam democratia locum ſuum tenet; & ſic patet, quomodo optimum regimen eſt monarchia participans Ariſtociatia, & Democratia.

Concl. Regimen Eccleſiaſticum eſt optimum, ac proinde monarchicum, & aliqualiter participat de Ariſtocratia, & Democratia. Eſt contra hæreticos centuriatores contendentes totam Eccleſiaſticam authoritatem eſſe, tum in miniſtris, tum in populo, & contra Caluinum aſſerentem ſummam poteſtatem eſſe in cætu ſeniorum. Concl. explicatur quomodo regimen monarchicum Eccleſię participet de Ariſtrocatia, & Democratia; Siquidem ſummus Pontifex eſt ſupremus monarcha totius Eccleſiæ, ita tamen, vt Patriarchæ, & Epiſcopi ſint velut Principes, & Paſtores in

ſuis

ſuis locis, & non ſimpliciter Vicarij, ſic de Ariſtocratia aliquid admiſcetur. Similiter nemo eſt in tota Romana Republica, ſi dignitate, & munere etiam ſupremo dignus ſit, quin ad huiuſmodi dignitates vocari non poſſit, prout ſæpè videmus ex hominibus infimæ conditionis aſſumi in Prælatos illuſtres, & ſic de Democratia participat.

Prob. 1. regimen monarchicum eſſe optimum. Regnum Eccleſiæ, vt pote à ſapientiſſimo Principe Chriſto inſtitutum optimo modo debet gubernari, ſed monarchia eſt optimus modus, & optimum regimen: ergo &c. min. patet ex communi ſententia omnium veterum ſcriptorum &c. tum quia in populo Iudęorum à Deo inſtitutum hoc regimen, & ſemper obſeruatum eſt, vel ſub vno Patriarcha, vt tempore Abraæ, Iſaac, & Iacob &c. vel ſub vno Duce, vt Moyſe, Ioſuè &c. vel ſub vno Iudice, vt ſub Samuele, Sampſone &c. vel ſub vno Rege, vt ſub Saule, Dauide &c. ergo &c. Quod autem in Eccleſia à Chriſto inſtitutum fuerit regimen monarchicum prob. ex Proph. Daniel. cap. 2. qui prædixit tale regimen in Eccleſia. *In diebus autem regnorum illorum ſuſcitabit Deus Cœli Regnum, quod in æternum non diſſipabitur, & regnum eius alteri populo non tradetur.* Deinde ipſe Chriſtus ſub ratione regni Eccleſiam deſcribit Matth. cap. 17. *Simile factum eſt Regnum Cœlorum homini, qui ſeminauit &c. Item ſimile eſt Regnum Cœlorum grano ſinapis* &c. & denique eamdem veritatem confirmat Chriſtus Matth. 27. *Dixit itaque ei Pilatus: ergo Rex es tu: Reſpondit Ieſus; tu dicis, quia Rex ſum ego*: ſed nemo poteſt eſſe rex ſine Regno; ergo ſi Chriſtus eſt Rex, ipſius Eccleſia eſt Regnum, ac proinde erit Monarchia. Hanc veritatem, quàm hæretici deteſtantur, agnouerunt, immò probarunt etiam Animantia ſola inclinatione naturali ducta, nam vt obſeruant D. Cyprian. tract. de Idolorum vanitate, Rex vnus in gregibus, & in armentis rector vnus; Sed dicet hæreticus Reges apum ſuis aluearibus contenti ſunt, nec omnes apes totius orbis vni parent. Grues quoque in vna etiam caterua habent vnum Regem, non omnes cateruæ vnum; ergo &c. Reſp. 1. Exemplum non neceſſariò debere currere quatuor pedibus. Reſp. 2. Apes, & cæteræ aues non eſſe talis naturæ, vt cum abſentibus, & longè poſitis animatorum coniunctione copulari poſſint, poſſunt autem homines animalibus longè præſtantiores,

quia

quia iuxtà illud Ioan. 10. vnũ ouile dicitur, & poſſet vnum alueare dici, præterquam quod talis comparatio eſt nimis vilis, vt cuilibet ratione vtenti patet.

Arg. 1. Caluin. lib. 4. inſtit. c.6. Licet monarchia ſit præſtantiſsima regiminis forma, non tamen indè ſequitur ab vno homine gubernari debere, quia iam habet regem, nempè Chriſtum, à quo Eccleſia gubernatur; ergo &c. Reſp. licet Chriſtus ſi proprius Rex, & Monarcha Eccleſiæ, eamque regat inuiſibiliter, & ſpiritualiter; Eccleſia tamen, quæ corporalis, & viſibilis eſt, eget ſummo aliquo iudice viſibili, à quo lites exortæ de rebus fidei componi poſsint. Vnde, quamuis Chriſtus principaliter Eccleſiæ curam gerat, non idcircò eſt tollendus ſummus Eccleſiæ œconomus, & Chriſti vicarius, cui commiſit regimen viſibile, de quo infra &c.

Arg. 2. cum contentio eſſet inter Apoſtolos, quis eorum videretur eſſe maior; Chriſtus eam compeſcere volens, ait: *Reges gentium dominantur eorum*: ergo miniſterium Apoſtolorum in Eccleſia non eſt ſimile Regno, aut Monarchiæ.

Reſp. quod per illa verba; vos autem non ſic &c. voluit Chriſtus ſignificare Apoſtolos, & eorum ſucceſſores non debere præeſſe fidelibus, ſicut Reges gentium plerumque præſunt tyrannicè, ſed præeſſe debere vt Patres, & Paſtores animarum.

Arg. 3. Non videtur vtile mundum vniuerſum gubernari ab vno, quæ ad politicum ſtatum pertinent; ergo neque in ijs, quæ ad Religionem ſpectant. Reſp. diſſimulato ant. de quo rectè dubitari poteſt, nego conſ. quia orbis terrarum non neceſſariò debet eſſe vnum regnum, nec opus eſt, vt omnes mundi Prouinciæ eaſdem leges ciuiles obſeruent, ſed diuerſas pro locorum, & Perſonarum diuerſitate; ac proinde non currit paritas in politicis; cum enim Eccleſia dicatur vna ciuitas, vna domus, vnum ouile, & vnum regnum, debet etiam conſequenter habere eadem Sacramenta, eadem præcepta diuina, eoſdem ritus, quod fieri non poteſt, niſi ſit vnus populus, & ab vno regatur.

Arg. 4. ad Epheſ. cap. 4. Apoſt. deſcribens Eccleſiam, dicit. *Ipſe dedit quoſdam quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios autem Paſtores, & Doctores*, & non dicit, dedit vnum primum Papam: ergo &c. Argumentum hoc adæquatè ſoluetur in quæſtione ſequenti.

DIS-

DISPVTATIO IV.

De Pontifice.

QVÆSTIO I.

Vtrum Chriſtus conſtituerit Petrum, tanquam ſupremum, & viſibile caput ſuæ Eccleſiæ.

NOt. 1. Quòd nomen Capitis ſumitur duobus modis. Primò propriè pro naturali capite humani corporis, cuius officium eſt dirrigere, & gubernare membra corporis. 2. metaphoricè pro morali capite ſeu Principe communitatis, cuius officium eſt gubernare ſubditos, qui ſunt membra; in hoc poſteriori ſenſu intelligenda eſt quæſtio. Duplex autem caput aſſignari debet Eccleſiæ catholicæ; vnum primarium, quod eſt Chriſtus; alterum Vicarium, ſeu ſecundarium, quod eſt Petrus cum ſuo ſucceſſore; diuerſo tamen modo. Nam Chriſtus non ſolum eſt Caput Eccleſiæ militantis, ſed etiam triumphantis; teſte Apoſtolo ad Epheſ. 1. cap. 22. *Pontifex ſolius militantis*. Item Chriſtus eſt caput viſibile, & inuiſibile, quia, viſibiliter, & inuiſibiliter gubernat Eccleſiam; Pontifex autem viſibiliter tantum. Quod autem Chriſtus in hac vita exiſtens fuerit caput viſibile, & inuiſibile explicatur ſimilitudine deſumpta à capite naturali. Siquidem caput naturale duobus modis gubernat corpus naturale; primo per internum influxum, qui in eo conſiſtit, quod ex capite, tanquam ex fonte deriuantur ſpiritus ſenſitiui in reliqua membra ad vitales functiones peragendas: 2. per externam directionem, quæ in eo conſiſtit, quod caput per intellectum, voluntatem, viſum, & alios ſenſus, qui in eo vigent dirigit reliqua membra in externis actionibus, ne aberrent; & ſic dirrigit manus, oculum, ne quid inhoneſtum agant.

Ita pariter Chriſtus, ſeruato tamen decore, in hac vita exiſtens gubernabat Eccleſiam: primò per internum influxum donorum gratiæ Ioan. 2. c. 16. *De plenitudine eius nos omnes accepimus:* 2. per externam gubernationem ordinando Miniſtros, & Sacerdotes, condendo leges Euangelicas, docendo, hortando &c. Verum Chriſtus in Cœlo nunc exi-

ſtens, non manet Caput viſibile; adhuc tamen manet Caput Eccleſiæ inuiſibile, & manebit vſque ad conſumationem ſæculi, quia adhuc gubernat, & gubernabit Eccleſiam inuiſibili modo, nempe per internum influxum donorum gratiæ, & directionem Spirit. S. Matt. 28. *Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſæculi*; non tamen gubernat viſibili modo; quia non eſt amplius viſibiliter præſens. Hinc eſt, quod præter Chriſtum debet eſſe aliud viſibile Caput Eccleſiæ, quòd loco Chriſti eam viſibiliter gubernet, alioquin regimen Eccleſiæ; ac proinde ipſa Eccleſia eſſet mutata, quod eſt abſurdum.

Not. 2. quod Primatus Petri ſic poteſt deſcribi ex Petro Marchant. Eſt dignitas primaria poſt Chriſtum in Eccleſia à Chriſto ipſo fundata, & à Patre æterno per Filium, & Spirit. S. Petro collata, qui quidem primatus tres proprietates inſeparabiliter connexas habet, ſcilicet ſingularitatem, vniuerſalitatem, & ſtabilitatem inconcuſſam; prima conſiſtit in hoc, quod vni ſoli Petro inter Apoſtolos hæc primatus dignitas ſit conceſſa, vt conſtat ex verbis Chriſti; *Et ego dico tibi, quià tu es Petrus &c.* 2. conſiſtit in hoc, quod totius Eccleſiæ in ſe ædificationem complectatur, itaut nullus ſit in Eccleſia, ſiuè Apoſtolus, ſiuè Propheta, Rex, & Sacerdos, iuſtus, & peccator, qui in hoc fundamento non ſubſiſtat: 3. deniquè conſiſtit in duobus, nempè in doctrinæ fidei infallibilitate, & in Eccleſiæ viſibilis vſque ad finem mundi continua duratione. Huiuſmodi autem Petri poteſtas dicenda eſt miniſterialis; ſiquidem in virtute primi agentis Chriſti, & eius nomine non tantùm exercetur, ſed etiam in ſola Chriſti virtute vim, & effectum habet, vt teſtatur D. Paul. 1. ad Corinth. c. 4. *Sic nos exiſtimet homo, vt Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei &c.*

Concl. Chriſtus conſtituit Petrum totius Eccleſiæ viſibilis caput, ſeù ſuum Vicarium. Prob. authorit. S. Scrip. & 1. ex illo Matth. 16. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & tibi dabo claues regni Cœlorum*; quibus verbis ſub duabus metaphoris promittitur Petro Eccleſiæ principatus; quod eſt enim in ædificio fundamentum, idem eſt in corpore caput; in ciuitate Rector, in Regno Rege, vtpotè cui traduntur claues ciuitatis: & in hoc ſenſu intellexerunt SS. PP. tam latini, quàm Greci hunc locum: ergo &c.

Prob.

Prob. 2. ex illo Ioan. cap. 21. vbi poſtquam Dominus Petrum tribus vicibus interrogaſſet, Simon Ioannis diligis me plus his, & Petrus reſpondiſſet, *Tu ſcis, quia amo te: dicit dominus, paſce agnos meos*, quo repetito, tandem dixit *Paſce oues meas*, vbi per ly paſce ex communi vſu loquentium intelligitur omnis actus paſtoralis, nedum cibum præſtare, sed etiam ducere, reducere, docere, regere, errantes corrigere &c & per ly oues meas intellexit Chriſtus totum in terris, & vnicum ouile ſuum, intelligendo per ly agnos inferiores fideles, & per ly oues meas Epiſcopos, & Paſtores, qui veluti matres agnos iuſtos pepererunt, & ita hunc locum intellexerunt SS. Patres, vt videre eſt apud Doctores, licet ex aduerſo latret Caluin. lib. 4. inſtit. cap. 6. præfata verba in prauum ſenſum detorquens, dicendo per Petram non intelligi Petrum, ſed Chriſtum, & Luther. lib. de poteſt. Papæ vult intelligi fidem, ſeu fidei confeſſionem; nam ex verbis Chriſti manifeſtè conuincuntur, quia per pronomen, hanc, & ſuper hanc petram, deſignatur aliqua petra, de qua Chriſtus antea loqutus fuerat, loqutus autem fuerat de Petro, quem vocauerat petram. Hoc totum confirmat Conc. Calcedon. act. 3. appellans Petrum petram Eccleſiæ catholicæ; eamdem veritatem aperto ore proclamant omnes SS. PP. Prob. ex Concilijs, & ſignanter ex Conc. Nicæno lib. 3. can. 39. *Conſideret Patriarcha Petrus, cui data eſt poteſtas in omnes Principes chriſtianos, & omnes populos, & qui ſit Vicarius D. N. I. C.* ex Conc. Epheſino. *Beatiſſimus Petrus Apoſtolorum Princeps, & caput fideique columna, Eccleſia catholicæ fundamentum à D. N. I. C. claues regni cælorum accepit*; Ex Conc. Conſtantinop. *Beatus Petrus Apoſtolorum Princeps nos commonet*. Inſuper prob. nam Petrus ſupremam iuriſdictionem ſibi à Chriſto collatam in ſe agnouit, eamque exercuit, vt conſtat Act. 1. *In diebus illis exurgens Petrus in medio fratrum, dixit* (nota in medio fratrum) ſic etiam dicitur de Chriſto Ioan. 20. *Vbi erant diſcipuli congregati, venit Ieſus, & ſtetit in medio*; locus ergo medius erat honoratior; ſtans itaque Petrus in medio tanquam ſuperior ſic loquitur; *Oportet ergo ex his viris, qui nobiſcum ſunt omni tempore* &c. & infra *Teſtem reſurrectionis eius fieri vnum ex iſtis*: Vel ergo Petrus potuit iuridicè ſic loqui, & procedere, vel non; ſi non; vt quid igitur ipſe præ cæteris loquitur; vt quid ordinat fieri electionem; ſi

autem potuit iſta iuriſdictione facere; ergo ibi Petrus habuit ſupremam authoritatem in Eccleſia. Nec obſtat, quod ſuffragia aliorum poſtulauerit, quia etiam Rex, aſſiſtentibus conſiliarijs ſibi de aliquo peragendo, ſententiam exquirit. Item Petrus primus prædicat in die Pentecoſt. Act. 2. ſtans autem Petrus, & primus etiam edidit ſigna, & miracula, vt conſtat ex act. 3. vbi dicitur ſanaſſe claudum ex vtero Matris ſuæ ad portam templi; ergo &c. Accedit etiam ratio philoſophica, & theologica ſimul de optimo regimine, quod conſiſtere nequit ſinè capite, vt inſinuatum eſt: ergo &c.

Arg. 1. Petrus vocatur à Chriſto ſatanas in eodem capite, quo dicitur; *Tibi dabo claues*, ſed non videtur credibile, quod dederit Sathanæ primatum Eccleſiæ: ergo &c. Reſp. quod per ly ſathanas Chriſtus intellexit, non diabolum, ſed aduerſarium, quia Petrus aduerſabatur ex fragilitate humana Chriſti paſſionem, & volebat, ne aſcenderet Hieroſolymam, quod non repugnat verbis Chriſti, tibi dabo &c. & poteſtati traditæ.

Arg. 2. Sicut Petro promiſſæ ſunt claues, ità alijs Apoſtolis promiſſæ ſunt, dicitur enim Matth. 18. *Quacunque alligaueritis ſuper terram &c.* ſed alij Apoſtoli non habuerunt primatum Eccleſiæ totius, ergo nec Petrus. Reſp. quod licet alijs Apoſtolis omnibus collatæ ſint claues, ſicut Petro; non tamen eodem modo; illis tanquam legatis tantum, & non ordinarijs Rectoribus; Petro autem vt ordinario Paſtori, & cum quadam ſuperioritate ad reliquos, cuius euidens ſignum eſt, quia vltra ea, in quibus conferuntur claues omnibus Apoſtolis indifferenter, ſingulariter autem conferuntur Petro, quod patet ex verbis Chriſti. *Tibi dabo claues &c.*

Arg. 3. Mittitur Petrus cum Ioanne in Samariam Act. 8. ergo non erat ſummus Pontifex, conſeq. pat. quia ſuperior non mittitur à ſubditis, ſed è contra. Reſp. miſſum quidem fuiſſe, non per modum imperij, ſed conſilij, & exhortationis, miſſus eſt vt maior ad confirmandum, non vt eorum Apoſtolus, ſicut ab Eccleſia Antiochena miſſus eſt Paulus Hieroſolymam.

QVÆSTIO II.

Vtrum Romanus Pontifex ſit verus Succeſſor Petri.

NOt. 1. Quod Eccleſia non confert poteſtatem ſucceſſoribus D. Petri, ſed confertur ab ipſo Chriſto eis, quos Eccleſia legitimè nominauerit, non aliter ac Deus per ſe infundit Animam rationalem in corpus perfectè organizzatum, & homo tantùm diſponere potuit materiam ad illam recipiendam: ità ſiquidem conſtat poſſe Eccleſiam perſonas nominare, & perſonæ legitimè electæ Deum per ſe tradere poteſtatem eamdem, quam tradidit Petro; non enim poteſtas, & primatus fuit perſonalis, ſed dignitatis, & officij, ac proinde in ſucceſſores vſq; ad finem mundi tranſfundi debet. Quod autem hanc authoritatem voluerit Deus in Eccleſia perpetuam, perſpicuum eſt nam, ſicut Eccleſia, ſeù ouile eſt duraturum vſque ad finem mundi, ità etiam eius caput viſibile debet in æternum perſeuerare, cum ouile ſine Paſtore, regnum ſine Principe, corpus abſque capite viuum eſſe non poſſit; tum quia Chriſtus, qui eſt primarium fundamentum, & caput Eccleſiæ, cum eam per ſe perpetuò humano modo viſibiliter præſens non foret recturus, voluit habere Vicarium ſucceſſorem; igitur etiam Petrus; neque enim vlla ratio fingi poteſt, cur Chriſtus debuerit habere potiùs ſucceſſorem, quàm Petrus.

Not. 2. quod hoc nomen œcumenicum duplicem habere poteſt ſignificationem. Prima eſt grammaticalis, & idem ſonat ac ſolum; ità quod dicere Papam eſſe Epiſcopum vniuerſalem, ſeù œcumenicum, ſit aſſerere Papam eſſe ſolum Epiſcopum, quod falſiſſimum eſt. Vndè D. Greg. Magn. in hoc ſenſu nolebat vocari Epiſcopus vniuerſalis, & dicebat Eugenio Patriarchæ Alexandriæ, qui eum Epiſcopum vniuerſalem vocabat. *Si veſtra Sanctitas me Epiſcopum vniuerſalem nominat, negat ſe eſse Epiſcopum*, ità l. 7. Epiſt. epiſt. 3. Secũda ſignificatio eſt translatitia, & metaphorica, & ſignificat Epiſcopum ſuper alios primarium; Quando igitur dicimus Papam eſſe Epiſcopum vniuerſalem, non intelligimus de prima ſignificatione, ſed de ſecunda, quatenus Papa auctoritatem ſuper alios Epiſcopos habet, & ſuper omnes Eccleſias.

Concl. Romanus Pontifex eſt verus Petri ſucceſſor, & Chriſti Vicarius iure diuino; An autem ſupremus Pontificatus ſit ità annexus Epiſcopo Romano, vt non poſſit Pontifex Romanum Epiſcopatum deſerere, & aliò Sedem transferre, hoc non eſt ità certum apud omnes Catholicos, nam Scot. in 4. d. 24. q. 2. art. 5. tradit ſupremum Pontificatum non eſſe iure diuino annexum Epiſcopatui Romano, ſed tantum ex facto Petri, qui, cum à Chriſto primatum accepiſſet, Antiochenam Eccleſiam reliquit, & fixit ſuam Sedem Romæ. Veritas concluſionis patet ex dictis, ſed inſuper prob. auctorit. S. Scrip. nam Lucæ c. 22. Chriſtus dicit Petro. *Confirma fratres tuos*; & Ioan. 21. *Paſces oues meas*; non ſolum Petro loquitur, ſed etiam ſuis Succeſſoribus, ſicut quando loquebatur Apoſtolis, ut prædicarent, baptizarent &c. & Apoſtolis, & Apoſtolorum ſucceſſoribus loquebatur; alioquin per mortem Apoſtolorum extincta eſſet potentia baptizandi, prædicandi &c. quod nemo ſanæ mentis aſſerere audebit; ergo &c.

Nec latret Caluinus perfidus canis, dicendo, quod, licet conceſſa fuerit Petro ſumma authoritas, non ſequitur, eam tranſiuiſſe ad ſuos ſucceſſores, cum id non habeatur in Sac. Scrip. nam contrà ipſum ſuos latratus retundere poſſumus ab ipſo expoſtulando: cur prædicauit Caluinus, cur nouam ſectam inſtituit, cum id non habeatur in S. Scrip. vbi enim in illa fit mentio de Caluino, & de Caluini ſecta. Prob. 2. author. Concil. & primum ſit Conc. Nicæn. apud Alfonſum Piſanum, in quo ſic habetur. *Qui tenet Sedem Romanam, caput eſt, & Princeps omnium Patriarcharum, quandoquidem ipſe eſt primus ſicut Petrus*, & ſicut Vicarius Chriſti ſuper cunctos populos, & vniuerſam Eccleſiam Chriſtianam, qui contradixerit, à Synodo excommunicatur; Secundum ſit Concilium Epheſinum p. 2. act. 3. vbi habetur. *In omnibus ſeculis notum eſt, quod S. Petrus Apoſtolorum Princeps à Chriſto claues regni accepit, qui ad hoc vſque tempus, & ſemper in ſuis Succeſſoribus viuit, & iudicium exercet*. Idem habetur in alijs Concilijs, & ita etiam docent SS. Patres, ad quos &c.

Accedit etiam ratio. Etenim ille in Vicariatu Petri ſuccedit, qui in cathedram, quam pro vniuerſali Eccleſia Petrus fundauit, tenuit, & in cuius adminiſtratione mortuus eſt, legitimè ſuccedit, ſed Romanus Pontifex ſuccedit; ergo

go &c. mai. conſtat communi vſu, & ſenſu in ſimilibus; qui enim in ſolium Galliæ ſuccedit, Rex Galliæ eſt: Min. ex dictis ſatis, ſuperque remanet probata.

Prob. etiam, quod ſit de iure diuino. Illud dicitur eſſe de iure diuino, quod immediatè à Chriſto, vel à Deo inſtitutum eſt, vt patet de præceptis Decalogi, quæ, ideo dicuntur diuina, quia à Deo inſtituta ſunt, ſed Chriſtus inſtituit primatum Petri, non reſpectu Perſonæ ipſius Petri, ſed in ordine ad vniuerſam Eccleſiam, & gregem, quę vſque ad finem mundi eſt duratura: ergo inſtituendo Petrum ſuum Vicarium, voluit inſtituere etiam Succeſſores Petri, ac proinde Romanus Pontifex eſt Succeſſor Petri de iure D.

Arg. 1. cont. concl. Primatus datus eſt Romanis Pontificibus per Concilia generalia, vt colligitur ex Nouella Iuſtin. 131. & alijs auctoritatibus, eò quòd nimirum Roma eſſet ſedes Imperij, vndè, translata ſede Imperij, conceſſus eſt Epiſcopo Conſtantinop. primatus poſt Romanum in Concil. Calced. act. 16. ergo &c. Reſp. neg. per Concilia Pontificem recepiſse primatum, cum ſolum Concilia declaraſſent iſtum primatum, vt dicit Ioan. II. in Epiſt. ad Iuſtin. & aſſeruiſſent, & quantum in ſe erat confirmaſſent. Quarè falſiſſimum eſt, vt etiam refellitur à Leone Papa Epiſt. 54. ad Marcianum, & à Gelaſio Epiſcopo Dardaniæ, conceſſum fuiſſe à Patribus primatum ob id, quod Roma eſſet ciuitas Imperij.

Arg. 2. auctoritate Anacleti Papæ, qui in Epiſt. 2. ſic habet; *Cæteri Apoſtoli cum eo Petro pari conſortio honorem, & poteſtatem acceperunt, ipſumque Principem ſuum eſſe voluerunt*: ergo ab Apoſtolis &c. Reſp. quod Anacletus voluit tantum ſignificare Apoſtolos voluiſſe approbando, & declarando, non inſtituendo, primatum eſſe pœnes Petrum, vt expreſſit idem Anacletus Epiſt. 3. ſic. *Sancta Romana, & Apoſtolica Eccleſia, non ab Apoſtolis, ſed ab ipſo D. Saluatore noſtro primatum obtinuit, ſicut ipſe B. Petro Apoſtolo dixit. Tu es Petrus &c.*

Arg. 3. Synod. 6. *Can. 36. renouat conſtitut. 2. & 4. Synodi, quæ Epiſcopum Conſtantinopolitanum Romano Epiſcopo æquarunt, tribuentes ei paria priuilegia*: ergo Romanus Epiſcopus non eſt primus ſolus in Eccleſia vniuerſa. Reſp. 1. iſtam non fuiſſe veram Synodum generalem, ſed tantum conciliabolum, vt latè oſtendit Bellarminus. Reſp. 2. falſum eſſe 2, & 4. Synodum

æquiparaſſe Epiſcopum Conſtantinop. Romano, ſed ſolum anteposſuerunt cum Alexandrino, & Antiocheno, id tamen poſt Romanum, vt habetur can. 3. 6. Synodi in Concil. & licet Calcedon act. 16. addiderit, *Oportere Conſtantinop. habere eadem priuilegia cum Romano, tamen contra hoc reclamarunt Legati Pontificis, & idem Concil. ſcripſit ad Leonem Papam, petens confirmari Concilij decreta, nullam prorſus faciens mentionem de illa paritate priuilegiorum.*

QVÆSTIO III.

Vtrum ſummus Pontifex ſit Iudex vltimatus controuerſiarum fidei, & regula ſufficientiſſima.

NOt. 1. Quòd in ſuperioribus quæſt. probatum eſt dari in Eccleſia ſupremum, & viſibile Caput: & inde infertur ad ipſum ſpectare, & penès ipſum reſidere tribunal, ſeu ſupremam auctoritatem decidendi, iudicandi, ac dirimendi controuerſias fidei, & morum; cum Pontifex habeat omnes conditiones legitimi Iudicis, imò illas ipſas, quas hæretici exigunt. Prima eſt auctoritas: 2. infallibilitas: 3. vt ab eo prouocare, ſeu appellare non liceat: 4. vt non ducatur ſtudio partium: 5. vt ſententiam taliter ferat, vt vtraque pars videat cui cauſa adiudicatur, obligando partem aduerſam, vt deſiſtat ab erroneo iudicio ſub pœna damnationis. Et quidem habet primam, quæ exprimitur Matth. cap. 16. *Tibi dabo claues regni cœlorum:* vbi per claues ſignificatur duplex poteſtas in quocunque iudice cuiuſuis fori, vna neceſſaria ad cognoſcendum autenticè cauſam; alia iudicandi, & ſententiam ferendi; vtraque à Crriſto collata fuit D. Petro tanquam ſuo Vicario ſuper totum corpus myſticum Eccleſiæ in duplici foro, nempe in foro publico cauſarum Eccleſiaſt. & in foro ſecreto Sacramenti pœnit. Priores reſident in Maioribus Eccleſię dependenter tamen à Capite; poſteriores in alijs Sacerdotibus inferioribus.

Habet ſecundam, nempe infallibilitatem iuxta illud Lucæ 22. *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma fratres tuos:* quod indubiè ſpectat ad officium Sum. Paſtoris. Habet tertiam, vt conſtat Matth. 16. *Quodcunque ligaueris ſuper terram &c.* vnde non licet appella-

lare; quia quod definitur à Pontifice, confirmatur in cœlo. Habet quartam, quæ p tet Ioan' cap. 14. *Spiritus S. docebit vos omnia, & ſuggeret vobis omnia.* Ex quibus verbis oſtenditur Capiti Eccleſiæ conceſſam eſſe veracitatem, quæ conſiſtit tum in ſapientia infallibili, vt non decipiatur, tum in bonitate, vt non decipiat; ac proinde non ducitur ſtudio partium. Habet quintam. qu exprimitur Matth. 18 *Dic Eccleſiæ, ſi Eccleſiam non audierit ſit tibi ſicut Ethnicus &c.* Certè ſi Eccleſia non eſſet viſibilis ſub Capite viſibili, non poſſet ſenſibiliter lites dirimere, nec controuerſias decidere; & hinc fruſtra frater peccans deferretur ad tribunal Eccleſiæ.

Not. 2. Quòd maxima controuerſia eſt de Iudice controuerſiarum fidei inter hæreticos, & Catholicos. Hæretici appellati libertini, volunt ſpiritum internum priuatum, inſpirantem vnicuique veritatem, eſſe regulam, & Iudicem; Hæretici moderni aſſumunt S. Scrip. ſecundum priuatum cuiuslibet ſpiritum intellectam, neglectis tamen omnibus traditionibus. Verùm Catholici duo diſtinguunt iudicem, & normam, ſecundum quam iudicari debet. Normam eſſe, aſſerunt, S. Scrip. cum traditionibus intellectam, ſecundùm verum ſenſum Spiritus S. & Eccleſiæ catholicæ ab eodem ſpiritu ædoctæ; Iudicem verò, aiunt, eſſe Eccleſiam, quæ dupliciter ſententiam pronunciare ſolet, vel per Pontificem ex Cathedra docentem, tanquam Caput, & Paſtorem Eccleſiæ, vel per Concilium à Pontifice approbatum, & vtroque modo ſententia eſt infallibilis; ſit igitur.

Concl. Neque ſpiritus priuatus cuiuslibet, neque Scrip. S. ſecundùm cuiuſque ſpiritum intellectam, aut ſine traditionibus, ſed ſummus Pontifex, aut Concilium ab eo approbatum debet ſtatui Iudex vltimatus infallibilis controuerſiarum fidei. Eſt de fide contra omnes hæreticos.

Prob. 1. tam quoad 1. quàm quoad 2. part' Qui eſt Iudex inter duos litigantes, debet ita pronunciare ſententiam, vt vterque litigantium clarè intelligat, quænam ſit ſententia Iudicis pro qua parte ſit lata, alioquin nunquam erit finis litigandi, ſed neque ſpiritus priuatus, neque ſola Scriptura ſecundum ſpiritum priuatum intellecta hoc præſtare poteſt; ergo &c. mat. patet min. prob. & quidem de ſpiritu priuato res eſt facilis, & euidens; non enim magis litigant

Inter ſe partes ipſæ, quàm eorum ſpiritus priuatus, dum vnus ſic, alius aliter ſibi inſpiratam aſſerit à Deo veritatem: quis ergo eorum conſtituetur Iudex, & quomodo poteſt eſſe inſpirata à Deo, ſi vnus ſpiritus alteri còntradicit?

De Scriptura pariter prob. nam Lutherani, & Caluiniſtæ multis iam annis inter ſe litigant de his punctis, nempè de baptiſmo paruulorum, de reali præſentia Chriſti in Euchariſtia, de Prædeſtinatione &c. & tamen Scripturam, quam ipſi conſtituunt Iudicem, nunquam hactenùs potuis hanc litem decidere, ergo &c.

Prob. 2. Multæ ſunt controuerſiæ circa fidem, & religionem, quarum, vel nulla fit mentio in Scrip. vel certè non eſt ſufficiens ad hoc vt Scriptura clarè oſtendat quid ſit tenendum, & quid abijciendum, & maximè in controuerſia de libris canonicis contendimus cum hæreticis; an libri Tobiæ, Iudit, Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabeorum ſint canonici, negant illi, affirmamus nos, illi pro ſe nullam Scripturam poſſunt adducere, ſed ad Canonem, & traditionem Iudæorum recurrentes, dicunt, ideo prædictos libros non eſſe canonicos, quia non reperiuntur in canone Iudæorum. Mirum ſanè, quod cum ipſi prætendant eſſe veros Chriſtianos, Chriſti, & Apoſtolorum traditiones admittere nolunt, & Iudæorum recipiant traditiones: ſiquidem dicere deberent cum D. Aug. Machabeorum libros, non Iudæorum anteſignani, ſed Eccleſia pro canonicis habet; ſic de ſimilibus &c. Prob. denique, quod ſolus Pontifex, ſeu Eccleſia conuincta ſuo Capiti ſit iudex legitimus &c. In veteri teſtamento omnes lites, vel controuerſiæ fidei, vel morum dirimi, vel definiri ſolebant à Sum. Sacerdote; Vnde Exodi 18. Moyſes tanquam Princeps, & Caput illius Eccleſiæ ad omnia dubia circa legem Dei exorta, præſertim principaliora reſpondebat, nec homines remittebat ad ſpiritum priuatum, neque ad ipſam legem, de cuius intellectu dubitabatur, vel contendebatur, & hoc expreſsè habetur in Deutoron. cap. 27. *Si difficile, & ambiguum apud te iudicium eſse perſpexeris &c. deſcende, venieſque ad Sacerdotem Leuitici generis, & ad Iudicèm, qui fuerit illo tempore, quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi iudicis veritatem*; ergo cum lex gratiæ ſit nobilioris excellentiæ veteri, non debet eſſe minoris auctoritatis in iudicando, ac proinde habet Summum Pontificem, qui

velut

velut Iudex legitimus, dubitantibus, & quærentibus iudicij veritatem, dicat, ac edoceat.

Accedit praxis Eccleſiæ, etiam in ipſius exordio obſeruata. Cum enim Ieroſolymis eſſet orta controuerſia de ceremonijs legis; an eſſent ſeruandæ à Gentibus ad fidem conuerſis, celebratum fuit Concilium, in quo præſidente S. Petro controuerſia diffinita fuit, & ſic cæteræ controuerſiæ in alijs concilijs definitæ fuerunt.

Arg. 1. ab hæreticis. Iſai. 8. dicitur; *Ad legem magis, quam ad teſtimonium eſse recurrendum*: ergo non ad Papam. Reſp. neg. conſ. quia ibi agitur ſolum contrà illos, qui de futuris euentibus conſulere ſolebant Phytoniſſas, & Ariolos; Vndè Deuter. 18. remittuntur partim ad legem, partim ad teſtimonium prophetarum, qui à Deo conſtituti erant, vt futura diſcernerent.

Arg. 2. Si in rebus dubijs S. Scrip. recurrendum eſt ad Papam; ergo verbum Dei accipit robur à Papa, ac proindè Papa eſt ſuperior S. Scrip. Reſp. retorquendo argumentum. Quilibet hæreticus prætendit interpretari S. Scrip. ergo eſt ſuperior S. Scrip. quod eſt manifeſtè falſum; Verùm quia retorquere non eſt reſpondere; negatur conſ. quia Eccleſia Capiti coniuncta, & ipſemet Pontifex recepit facultatem interpretandi S. Scrip. verum ſenſum à Spirit. S. qui, ne erret, ſemper ei aſſiſtit. Non eſt ergo Pontifex ſuperior S. Scrip. ſicut Iudex humanus habens facultatem interpretandi Principis legem, non eſt ipſo Principe ſuperior.

Arg. 3. D. Paul. ad Epheſ. c. 2. ait: *Fidem fundari suprà fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum*, ſed ſi Scripturæ intelligentia penderet à Papa, & Concilijs, fides non fundaretur ſupra fundamentum horum hominum, quales ſunt Papa; & Concilium; ergo &c. Reſp. Verbum Dei miniſtratum per Apoſtolos eſſe fundamentum primarium noſtræ fidei, vel fidem noſtram adhære Chriſto, vt fundamento primario, ex hoc tamen non ſequitur, quod fides non poſſit adhærere Petro, & ſucceſſoribus eius, vt fundamento ſecundario miniſtrante, & proponente id, quod eſt credendum.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Vtrum Pontifex errare poſſit in tradendo doctrinam fidei, & morum.

NOt. 1. Quod præſens quæſtio agitari poteſt in duplici ſenſu: An videlicet Pontifex abſque Concilio generali, vel Concilio Cardinalium in rebus fidei, & morum tradendis ſit infallibilis regula; Et an Pontifex ſimul cum Concilio errare poſſit. Quarè aduertendum quod Pontifex ſolus abſque Concilio poteſt dupliciter loqui, vel ex Cathedra, vel vt priuatus Doctor. Tunc autem cenſetur loqui ex Cathedra, ſeu definitiuè, quandò non tantum id explicitè dicit, ſed etiam cum id implicitè ſignificat, v.g. cùm dicit ſe explicare fidem catholicam, contrarium aſſerentes eſſe hæreticos. Item cum doctrinam aliquam anathematizat, cum ſignificat omnibus aliquod eſſe credendum, tenendum, id eſſe ſecundum Apoſtolicam, & Euangelicam traditionem: loquitur autem tantum vt priuatus Doctor, quando loquitur per modum opinantis, v.g. ſic apparet, ſic opinamur, hoc apparet veriſimilius. Item cum aliquid affert præter illud, de quo eſt quęſtio, vel explicandi, vel confirmandi gratia, ſic rationes definitionum per ſe non ſunt infallibiles, cum Pontifex eas tantum adducat ad oſtendendum ſe non temerè definiuiſſe, ac proindè in probationibus non tam ſuſtinet Perſonam Iudicis, quàm Doctoris conſilium dantis, aut diſceptantis. Ita diſcurrit ex communi noſter Herincx part. 3. cit.

Not. 2. Quod Pontifex, vt Pontifex, etiam cum Concilio generali poteſt errare in quæſtionibus particularibus facti, vt tradit communis ſententia Theologorum, quæ ad paucos pertinent, quæque dependent à relatione hominum v.g. An talis ſit promouendus ad Epiſcopatum; an talis ſit deponendus, an talis ſit benè ordinatus &c. Vndè aliquandò excommunicantur, qui non debent excommunicari, & abſoluuntur qui abſolui non debent, quarè quidam Pontifex dicebat. *Nos ſi incompetenter aliquid egimus; & in ſubditis iuxta legis tramitem non conſeruauimus, veſtro, ac veſtrorum iudicio cuncta volumus emendari.* In quæſtionibus autem facti vniuerſalis, quæ totam Eccleſiam reſpiciunt, ut ſunt Sanctorum

rum Canonizatio, religionum approbatio, errare non poteſt, non enim eſt probabile Spirit. S. qui iugiter aſſiſtit Eccleſiæ, ſinere Pontificem labi in errorem, qui in preiudicium totius Eccleſiæ redundaret, ſi damnatos in inferis canonizaret aliquando, vt delirat Vuicleff dicendo Aug. Benedict. & Bernard. propter ſuos inſtitutos ordines damnatos eſſe.

Not. 3. Quòd quatuor diligentiæ communiter ponuntur faciendæ à Pontifice, antequam deueniat ad definitionem. Prima quod inueniatur aliquis locus S. Scrip. ex quo deduci poſſit propoſitio: 2. quod ſit concors ferè omnium Patrum, & totius Eccleſiæ conſenſus: 3. quod ſit fundamentum in aliqua reuelatione autentica, non quomodocunque, ſed confirmata varijs, & maximis miraculis: 4. quod inueniatur aliqua ratio, qua probetur, & poſſit quiuis diſcurrere talem propoſitionem fuiſſe communem Apoſtolorum ſenſum; ita obſeruat noſter Thomas Frances in tom. de Immacul. Concep. & inſuper addit cum Caſtropalao tom. 1. tract. 4. diſp. 1. eamdem diligentiam adhibendam eſſe, quam ſubiecta materia poſtulat: quarè ſi de Sanctorum Canonizatione, aut Religionum approbatione agitur, humana informatione, & hiſtoria vtatur neceſſe eſt, ſi verò determinaturus eſt dogma aliquod, vt diuinitus reuelatum, illa conſulere oportet, quibus D. reuelatio pura, & integra cuſtoditur, cuius generis eſt. Prima Scrip. S. 2. traditio Apoſtolica: 3. diffinitio priorum Pontificum, & Conciliorum: 4. concors ſententia Patrum, & Doctorum. Modus autem hæc omnia inueſtigandi non eſt vnus, & idem, ſed Pontificis arbitrio relinquitur; poteſt enim Concilium congregare, vel abſque illius congregatione ad diffinitionem procedere. Item poteſt conſulere Cardinales, vel loco illorum alios viros doctos.

Not. 4. Quòd Doctores catholici in hac quæſt. non ſatis conueniunt. Quidam putant Pontificem, etiam vt Pontificem poſſe eſſe hæreticum, & docere hæreſim, ſi abſque generali Concilio definiat, & de facto aliquando accidiſſe; Ita Gerſon in tract. de dignitate Eccleſiaſt. Ocham in Dial. Almainus in tract. de comparatione Papæ, & Concilij c. 16. & ferè omnes Pariſienſes, inquit noſter Aretinus, & alij omnes, qui Concilium ſupra Papam eſſe aſſeruerunt. Alij

exi-

exiſtimarunt non poſſe vllo modo Pontificem eſſe hæreticum in propria Perſona, nec docere publice hæreſim, etiam ſi ſolus rem aliquam definiat; ita Albert. Pichius lib. 4. c. 8. Eccleſiaſt. Hierar. Alij denique ſenſerunt Pontificem (ſiuè hæreticus eſſe poſſit, ſiuè non) non poſſe vllo modo definire hæreticum aliquid à tota Eccleſia credendum; ita D. Thom. in 2. 2. q. 1. art. 10. Vald. lib. 2. de doctrina fidei; Aretinus in 3. d. 25. q. 2. art. 4. Corduba lib. 4. qq. Theolog. & quam plures alij antiquiores, & ferè omnes Recentiores, ſignanter Hentix, Frances, Caſpenſis, adeout meritò dixerit Aretinus hanc opinionem apud catholicos eſſe certam, & receptam, etſi non de fide, immò multi cenſent eſſe de fide.

I Concl. Pontifex, nedum cum Concilio, & conſilio Cardinalium, ſed etiam ſe ſolo loquens vt Pontifex, ſeu ex Cathedra nequit errare in doctrina fidei, & morum. Hæc eſt ita certa apud Theologos, quod oppoſitam ſententiam aliqui vocant ad minus improbabilem, alij temerariam, alij erroneam, aut hæreſi proximam, alij denique, vt Suarez, Diana, & plures Recentiores, & præſertim noſter Hetincx Epiſcopus Iprenſis, hæreticam. Vnde miror Boyuin dicere in quæſt. 9. de Sum. Pontifice probabile eſſe Summum Pontificem in decretis fidei, & morum non poſſe errare: quod autem eſt probabile non eſt certum, & infallibile ac proinde poteſt ei falſum, & error ſubeſſe; vnde noſter Brunonus Neuſer, quem vidi per tranſennam Venetijs in noſtrâ bibliotheca, poſtquam hæc ſcripſeram, ita loquitur: Nullus ex ijs, quos ego vidi præter Boyuin q. 9. de Pontif. contrarium &c. & ſubdit quaſi eum excuſans: quamuis potius ex humilitate, quàm animo ſerio loquatur, dicens, ne poſt tot rumores &c. Pars 1. concl. eſt de fide, vt conſtat ex dictis.

Prob. 2. pars auctorit. S. Scrip. ſignanter Luc. 22. vbi ſic habetur; *Ego rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuerſus confirma Fratres tuos*: & prius Chriſtus dixerat in plurali: *Satan expetiuit vos, & poſtea ſubiungit in ſingulari pro nomine demonſtratiuo: ego rogaui pro te, & ſtatim ſubdit, vt non deficiat fides tua*. Quibus verbis perſpicuè ſignificatur ad Petrum, & non ad Eccleſiam dirrigi promiſſum, vt in eo, tanquam in regula fidei inueniendus ſit error, & comprob. ex ipſo contextu, dicitur enim, *Confirma fratres tuos*, ſed Eccle-

ſia

ſia non habet Fratres, niſi Filios, benè verò Pontifices, qui inter Fratres dicitur maior, & ità quotidiè Pontifices aſſerunt *Hoc fieri de Concilio fratrum noſtrorum Cardinalium*; ergo illa verba Chriſti ad ſolum Petrum, vt Pontificem relata ſunt. Quarè communiter tenent Doctores, quod definitum in Concil. gener. vſque dum approbetur à Pontifice, nullum habet valorem, nec vigorem, niſi in quantum dat ei Pontifex. Prob. etiam ex dictis SS. PP. & Pontificum, prædictam Scripturam allegantium, dum aſſerunt indefectibilitatem Sedis & Eccleſiæ Romanæ, quorum teſtimonia recitat Bellarminus lib. 4. præſertim D. Bernard. in epiſt. 190. ad Innocent. II. *Hæc quippè huius prerogatiua Sedis, cui enim alteri aliquando dictum eſt; ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua*: & *Innocent. III. cap. Quoties d. 24. q. 1. ait quoties ratio fidei ventilauit, non niſi ad Petrum, ideſt ſui nominis, & auctoritatem habentem, recurrendum eſt*; immò Xiſtus IV. *Damnauit inter alios articulos Petri Oxomenſis aſſerentis fallibilitatem Eccleſiæ Romanæ*, & denique ſufficiat teſtimonium D. Hieron. qui dubitans, an deberet dicere eſſe in Deo tres hypoſtaſes, Damaſum Papam conſulit dicens, *A Paſtore præſidium ouis flagito, diſcerne ſi placet, non timebo tres hypoſtaſes dicere ſi iubebis*.

Prob. 2. ex traditione, & praxi, ac proinde ſenſu perpetuo Eccleſiæ. Conſtat, quod plures errores ſint ab initio Eccleſiæ vſque modo condemnati à Sede Apoſtolica ſine interuentu generalis Concilij; nam priùs trecentis annis nulla generalia Concilia fuerunt celebrata, & nihilominus damnatæ ſunt hæreſes Appellianorum, Marcioniſtarum, Valentinianorum &c. poſtmodum etiam errores Pelagianorum, Semipelagianorum, Berengarij, & aliorum, & nouiſſimè ab Innocen. X. quinque propoſitiones Ianſenij; & Innocent. XI. modo feliciter regnans, & vtinam in æuum, quaſdam propoſitiones Michaelis Molinos damnauit tanquam hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, ſuſpectas &c. eamdem doctrinam docent Principes Theologiæ, Scot. & D. Thom. ille ait ſententiam, quæ habet pro ſe auctoritatem Eccleſiæ, illa, etſi nullum Patrem habeat, ſequenda eſt; iſte q. 66. art. 3. p. 3. magis ſtandum eſt auctoritati Eccleſiæ, quàm Auguſtini. Prob. ratione. Si Pontifex non poſſet è ſolo aliquid de fide definire, ſequeretur, quod non rectè fuiſſet prouiſum Eccleſiæ, cum frequenter poſsit ratione

nouitatum, ſeù hæreſum occurrere neceſsitas definiendi abſquè conuocatione Concil. gener. quæ eſt difficillima; tum quia quis poſſet facile redarguere ipſa dogmata in Concilijs deciſa, aſſerendo, quod non eſſent generalia, ſiuè ob paucitatem Patrum Concilij, ſiuè quia Papa non præſedit, vel per ſe, vel per legatos. Prob. 2. pars conc. licet ea quæ dicta ſunt de infallibilitate Pontificis in definiendis controuerſijs fidei, pari ratione procedant in decretis morum. Chriſtus Dominus fundauit ſuam Eccleſiam ſuper Pontificem, velut ſuum Vicarium, ſed ad fundamentum Eccleſiæ requiritur, non ſolum doctrina fidei, ſed etiam morum; ergo in Summo Pontifice eſt etiam morum doctrina ex aſſiſtentia diuina, quæ non permittit Pontificem tanquam Pontificem loquentem poſſe errare. Ita diſcurrunt Aretinus in 3. Corduba, & alij.

II. Concl. Pontifex vt priuatus Doctor poteſt errare in tradenda doctrina fidei, & morum. Hæc eſt communis, exceptis nonnullis Doctoribus, inter quos eſt etiam Bellarminus aſſerens Pontificem, vt Perſonam priuatam non poſſe hæreticum fieri, nec contrà fidem pertinaciter credere, ac proindè nec perſonaliter poſſe errare in fide. Prob. Intellectus Pontificis, vt priuatæ perſonæ per ſuam electionem non apparet magis illuſtratus, quam ante, nec voluntas eius magis confirmata in bono: ergo ſicut voluntas Pontificis poteſt peccare contrà præcepta D. ità etiam poteſt eſſe male affecta erga dogmata quædam fidei, ac proinde imperare intellectui, vt eliciat actum illis contrarium. Confirm. hæc ratio ex Ioan. XXII. qui ex Gerſone, & Adriano VI. de Confirmat. & alijs Doctoribus cenſuit Animas electorum Eſſentiam Diuinam antè diem iudicij, & Corporum reſurrectionem non videre, quod cum vellet proponere Eccleſiæ, D. prouidentia diſponente, morte correptus eſt; pridiè tamen quàm moreretur, ſuam retractauit opinionem.

III. Concl. Pontifex in quæſtionibus facti particularibus, etiam loquens ex Cathedra poteſt errare. Hæc videtur ità certa, vt nonnulli Doctores oppoſitum arbitrentur improbabile. Prob. à priori. Vt aliquid ingrediatur obiectum fidei, eſſentialiter requiritur, vt innoteſcat Verbo Dei ſcripto, vel continua traditione ab Apoſtolis, & Patribus ad nos deriuata: ſed facta ſingularia de nouo contin-

gen-

gentia v. g. Vtrum ille Auctor hæreticè ſenſerit, nec ne, & alia ſimilia non continentur nec in Verbo Dei ſcripto, nec per traditionem ad nos peruenit; ergo illa facta particularia ad obiectum fidei non pertinent. Mai. patet, quia Eccleſia non habet nouas reuelationes, ſed veteres tantum in Scriptura, vel in traditione còntentas proponit, vel exponit. Vnde ait D. Bonau. in 3. d. 25. *Fides quantum ad credendorum multiplicationem non potuit proficere, licet quoad implicitorum explanationem profecerit, & ita docet etiam D. Thomas q. 1. art. 7.*

Prob. 2. Obiecto fidei non poteſt ſubeſſe falſum, vt ſupra dictum eſt, ſed deciſionibus Conciliorum, vel Summorum Pontificum quoad quæſtiones facti in Scrip. non reuelati poteſt ſubeſſe falſum, vt indicauimus: ergo illæ deciſiones non poſſunt pertinere ad obiectum fidei. Notanter dictum eſt, facti in Scriptura non reuelati, nam de factis reuelatis, & apertè expreſſis in S. Scrip. nemo dubitat, quin ad obiectum fidei pertineant, cum ſubſtent D. reuelationi, quæ eſt ratio formalis, & motiuum fidei. Vnde non ſolum de fide certum eſt doctrinam Hymenæi &c. fuiſſe hæreticam, ſed etiam illos à veritate aberraſſe: minor poſſet probari pluribus deciſionibus SS. Concil. quoad quæſtiones facti, ſed videri poſſunt apud Doctores.

Arg. 1. cont. 1. part. conc. Pontifex ad hoc, vt veritatem aliquam definiat, eget præuio conſilio, & inquiſitione, & Doctorum diſputatione; ſed fieri poteſt, quod Pontifex in huiuſmodi diligentijs ſit negligens; ergo &c. Reſp. data mai. neg. min. nunquam enim præſumendum eſt à Pontifice diligentiam aliquam omitti neceſſariam in his in quibus errare non poteſt; Immò exiſtimat Caſpenſis iudicium Pontificis in rebus fidei eſſe infallibile, non ſolum ſub conditione &c. ſi ad definiendum præmittat debitam diligentiam, ſed etiam abſolutè, & vniuerſim eſſe credendum, quandocunque proponit aliquod credendum à tota Eccleſia, & videtur communis doctrina Theologorum. Vnde Barboſa reſpondendo ad authoritatem deſumptam ex cap. fund. de elect. 16. debere Papam Conſilium petere Cardinalium ait procedere iura illa, & ſimilia de honeſtate, non verò de neceſſitate, ità lib. 1. de Vniuer. Iure Eccleſiaſt. c. 2.

Arg. 2. Summus Sacerdos cum omnibus Sacerdotibus Senioribus errauit condemnando Chriſtum, tanquam reum

ad mortem; ergo Papa etiam de conſilio Cardinalium errare poteſt in doctrina fidei. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia ſinagoga non habuit priuileginm non errandi, niſi vſque ad tempora Chriſti, quo iam præſente, & docente ipſa nolens audire, poterat incipere errare prout de facto errauit.

Arg. Si Pontifex ſe ſolo abſque Concil. poſſet definire aliquid de fide, ſequeretur, quod eſſet duplex poteſtas definiendi res fidei, vna Pontificis, alia Concilij; ſed hoc eſt manifeſtè falſum: ergo eſt remouenda talis poteſtas ab altero illorum: ſubſumo min. ſed non eſt dicendum ab Epiſcopis in Concil. congregatis remoueri talem poteſtatem, alioquin votum deciſiuum non haberent; ergo dicendum erit in Pontifice independenter à Concil. non eſſe poteſtatem: ergo meliùs eſt dicere, nec Papam ſine Concil. nec Concil. ſinè Papa id poſſe. Reſp. neg. ſequel. quia vna tantùm eſt poteſtas in Eccleſia definiendi res fidei. Ad min. ſubſumptam reſp. noſter Franciſcus Caſtillo diſp. 15. de fide q. 2. quod dum Romanus Pontifex in Concil. conſimiliter fert iudicium, ità fert illud, vt etiam proponat ad hoc, vt cæteri Epiſcopi ſuffragentur, & ità cæteri Epiſcopi habent votum deciſiuum ſimul cum illo, quaſi dicat, explicat Franc. Si Epiſcoporum votum non confirmatur voto Pontificis, votum Epiſcoporum non erit deciſiuum, quod ſi omnes Epiſcopi in Concil. definirent de fide vnam propoſitionem, & Pontifex ſeorſim aliam ſuam contradictoriam proponeret, vt de fide credendam, ſtandum eſt ad ſententiam Pontificis. ita Frances.

Contrà. Si reſponſio eſſet vera, ſequeretur, quod in Concil. ſtandum non eſſet maiori parti, ſed hoc non videtur admittendum quia in omnibus electionibus ſtatur maiori parti, vel eſſet dicendum quod Epiſcopi haberent votum conſultiuum, & non deciſiuum &c. Reſp. conc. ſeq. mai. quia vt ait Caſtillo in caſu, quo Pontifex eſſet cum paucioribus, præualeret decretum factum cum illis paucis. Immò in caſu, quo omnes Epiſcopi dicerent vnum, & Papa definiret aliud, ſententia Papæ eſſet de fide. Ex qua doctrina infert Frances Epiſcoporum votum in Concil. fore deciſiuum, non in ſe formaliter, quatenùs independens, & difforme à mente Pontificis, ſed vt dependens, & confor-

me

mementi Papæ. Hinc patet, quid ſit dicendum de maiori parte, & de Papa in Concil. ſe ſolo definiente, tunc enim eſſet definitio non conciliaris, ſed papalis.

Arg. 4. Plures Pontifices errarunt; ergo &c. pat. ant. ex pluribus hiſtorijs, quæ à Doctoribus narrantur, & in primis de Liberio, de quo teſtantur Athanaſ. & Hieron. damnationem D. Athanaſij ab hæreticis arianis factam, ſubſcripſiſſe, quod fuit certe hæreſim approbare; de Felice etiam, qui Liberio ſucceſſit, Arianus fuit, vt teſtatur Hieron. in Catalogo Scriptorum, & ſic de multis alijs &c. Reſp. neg. ant. & ad primam probationem de Liberio dicitur, quod quamuis grauiter deliquerit Arianorum hæreſi, & Athanaſij damnationi ſubſcribendo, indè tamen non ſequitur illum verè fuiſſe hæreticum, aut hæreſim docuiſſe, quià inuitus, & coactus tali hæreſi, & condemnationi ſubſcripſit, hoc autem non eſt hæreſim ex Cathedra docere, ſed vt priuatam Perſonam ad euitandam exilij pœnam, in hæreſim extrinſeco ſolùm ſigno conſentire, vti etiam fecit Marcellinus, qui metu mortis thus idolis obtulit. Cæterum quid ſit reſpondendum ad alia adducta, videri poteſt apud Bellarm. Cordubam &c.

Arg. 5. quod poſſit Pontifex errare in doctrina morum. Pontifex interdum errare poteſt, approbando Religiones bonas quidem, & ſanctas, tamen hic, & nunc minùs Eccleſiæ conuenientes ob diuerſas cauſas, ſimiliter in multiplicatione legum vniuerſalium &c. ergo &c. Reſp. diſt. ant. poteſt errare contrà prudentiam, conc. contrà bonos mores, itàut præſcribat aliquod agendum, quod malum eſt, aut omittendum, quod à Deo præceptum eſt, nego.

Arg. cont. 2. concl. à Bellarmino auct. S. Scrip. Chriſtus dixit Petro: Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, quæ oratio duplex priuilegium Petro impetrauit: 1. vt nec ipſe perſonaliter errare poſſit in fide: 2. nec vt Pontifex proponere Eccleſiæ aliquid contrà fidem: ergo huiuſmodi priuilegia non ſunt deneganda ſucceſſoribus eius.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia non eſt neceſſe, quod omnia priuilegia Petro conceſſa, communicentur illius Succeſſoribus, ſed ſufficit, ſi habeant ea, quæ neceſſaria ſunt ad generalem Eccleſiæ gubernationem.

QVÆSTIO V.

Vtrum Summus Pontifex errare poſſit in Beatificatione, & Canonizatione Sanctorum.

NOt. 1. quod *Beatificatio eſt quædam facultas, & licentia à Pontifice conceſſa alicui prouinciæ ſpeciali, vel Religioni, vel Eccleſiæ, vt aliquem tanquam Sanctum, & in Cœlis exiſtentem veneretur.* Canonizatio autem *eſt canonica, & publica ſanctitatis alicuius hominis approbatio qua quis Catalogo Sanctorum adſcriptus declaratur, cunctiſque fidelibus venerandus proponitur.* Vndè olim Epiſcopi in ſuis Diœceſibus canonizabant; ſed illud eorum iudicium non erat infallibiliter certum, neque obligabat totam Eccleſiam, quę conſuetudo, ad tollendos varios abuſus abrogata fuit ab Alexandro III. adeout deinceps ſoli Romani Pontifices, vel Concil. œcumenica id præſtare poſſint. Hinc patet diſcrimen, & conuenientia inter Beatificationem, & Canonizationem; nam 1. conueniunt in poteſtate, à qua oriuntur: 2. quia per vtrumque actum decernitur hominem defunctum eſſe in gloria: 3. quia tam beatificato, quàm canonizato cultus aliquis ſacer defertur, in quo autem differant, pat. ex definitionibus.

Not. 2. quod inter Catholicos (certum eſt enim hæreticos contradicere canonizationi, & criminari canonizationem Sanctorum) diuerſæ ſunt ſententiæ: 1. eſt Caiet. & Cani aſſerentium, ſolum pie credendum eſſe Papam non errare in canonizatione Sanctorum, non autem eſſe de fide, qui prò ſe adducunt D. Thom. quol. 9. art. vlt. 2. eſt cuiuſdam Doctoris Louanienſis relati ab Herincx qui contendit in beatificatione, & canonizatione Sanctorum, communiter, & regulariter ſolum declarari præſentem ſanctitatem cum ſecuritate adipiſcendi gloriam cœleſtem, adeout non ſit certum, ſit ne Sanctus, ſit in Cœlo, vel Purgatorio, prout de Paſcaſio Diacono refert Greg. lib. 4. Dial. c. 40. & de S. Seuerino Epiſcopo Colonienſi ſcribit Petrus Damianus lib. 2. Epiſt. 15. quæ doctrina, inquit Herincx, nullatenus tolerari poteſt, vtpotè contraria communi ſententiæ non ſolum Doctorum, ſed etiam fidelium, Eccleſiæ collectis, & Bullis Canonizationis: 3. denique opinio tenet Pontificem non poſſe errare &c. iuxtà quam ſit.

Concl.

Concl. Pontifex in Beatificatione, & canonizatione Sanctorum nequit errare, ita omnes Theologi, quorum magna pars, vt tradit Henricx ſentit eſſe de fide; alij autem oppoſitum ſaltem temerariam, ſcandaloſum, & hæreticum ſapere cenſent, inter quos noſter Aretinus pronunciat abſolutè eſſe de fide. Prob. conc. & 1. auct. D. Bon. aſſerentis contra quemdam Gulielmum horribile eſſe Eccleſiam errare poſſe in tali iudicio; ergo &c.

Prob. ratione. Eccleſia habet auctoritatem infallibilem ad interpretandam legem naturalem, ita vt etiam decreta vniuerſalia circa mores credantur per fidem; ſed iudicium de ſanctitate alicuius, vt publicè venerari, & honorari poſſit à tota Eccleſia, non ſolum pertinet ad mores vniuerſales, ſed etiam quadam ratione ad interpretationem legis naturalis, nam ſi tale iudicium eſſet falſum, contineret errorem contra eamdem legem; ergo cum Eccleſia nequeat errare in doctrina morum, nec poteſt errare in canonizatione Sanctorum.

Confirmatur, nam illa propoſitio dicitur erronea, ex qua per euidentem conſequentiam ſequitur aliquid contra fidem, ſed admiſſa hac propoſitione: Papa poteſt errare in canonizatione huius Sancti, ſequitur Eccleſiam poſſe errare in re pertinente ad fidem, & mores, & Religionem catholicam; ergo &c. Prob. min. Sanctus per Canonizationem conſtituitur obiectum, tum religionis catholicæ, tum fidei, tum morum reſpectu totius Eccleſiæ; hæc enim tria ab Eccleſia exigit Papa canonizzans aliquem ſanctum, nempè actum fidei, tam internum, quàm externum, deindè proponit illum vt honorandum, & adorandum &c. deniquè proponit illum vt imitandum in moribus, & vita; ergo ſi Pontifex non eſt regula infallibilis, adſcribendo aliquem numero Sanctorum, neque ipſa Eccleſia vniuerſalis ſequens illum, regulatur infallibiliter: hoc autem eſt falſum; ergo &c. eædem rationes currunt de Beatificatione, quia Pontifex beatificans, & concedens, vt Sacrificium Miſſæ in honorem illius Beati celebretur, proponit illum toti Eccleſiæ venerandum, quia Sacrificium Miſſæ nomine totius Eccleſiæ offertur, ac proindè tota Eccleſia mediante miniſtro, ac Sacrificio oblato Sanctum illum veneratur.

Arg. 1. Auctoritas Eccleſiæ in definiendo res ad fidem pertinentes ſolum extenditur ad proponenda illa, quæ habentur in S. Scrip. reuelata per Prophetas, & Apoſtolos, ſed quod aliquis homo defunctus canonizatus, vel beatificatus futurus eſſet poſt mortem Sanctus, non fuit à Deo reuelatum: ergo ad id non extenditur authoritas Eccleſiæ.

Reſp. diſt. mai. auctoritas, & definitio Eccleſiæ, ſi cenſeantur extendi ſolum ad illa, quæ actu, & explicitè ſecundùm ſe ipſa iam fuerunt reuelata, neg. mai. ſi verò dicatur auctoritas Eccleſiæ, vel definitio extendi ad illa ſolum, quę aliqua ratione fuerunt reuelata, ideſt, vel actu ſecundum ſe ipſa, vel ſaltem virtute in aliqua re, ex qua aſſiſtentia Spirit. S. tali iudicio neceſſariò ſequatur; conc. mai. Deus igitur reuelauit in auctoritate docendi, & paſcendi Eccleſiam traditam Petro, & eius Succeſſoribus includi auctoritatem explicandi legem naturalem toti Eccleſiæ, ad quam explicationem ſpectat canonizationis iudicium,

Arg. 2. Pontifex adſcribendo aliquem catalogo Sanctorum, nititur coniecturis, & teſtimonijs humanis, quæ ſunt fallibilia, ergo &c. Reſp. diſt. ant. Nititur illis tanquam ratione definiendi, neg. ant. tanquàm conditionibus quibuſdam præuijs, conc. ant. Itaque Pontifex nititur aſſiſtentia Spiritus S. qua mediante mens eius dirrigitur, vt ferat iudicium infallibile, ne Eccleſia decipiatur.

Arg. 3. Sicut Eccleſia condemnando, & abſoluendo hæreticum accuſatum ſecundùm allegata, & probata falli, & fallere poteſt ſequendo hominum teſtimonia, vt habetur in cap. de ſent. excommunicat. ita & in canonizando Sanctos ſecundum hominum teſtimonia falli, & fallere poteſt: ergo &c. Reſp. neg. paritatem. Diſpar ſiquidem eſt ratio de hæretico condemnato, & de Sancto canonizato, quia primum eſt quæſtio facti particularis, nec ad hoc exigitur aſſiſtentia infallibilis Spiritus S. ideoque errare poteſt: at ſecundum eſt quæſtio facti particularis pertinens ad vniuerſam Eccleſiam, & verſatur circa Religionis cultum; & ob id errare nequit, vt etiam ſupra indicauimus.

Quæres. An Papa putatus verus Pontifex, cum reuerà non ſit, quia eius electio nulla eſt; etſi habeatur pro vero, & legitimo Paſtore, eò quòd aut ignoratur nullitas, aut ſi ab aliquibus ſcitur, non poteſt probari, aut ſi poſſibilis eſſet

pro-

probatio, nullus tamen negotium tentat, quia eius expeditio videtur impoſſibilis, errare poſſit in rebus fidei.

Reſp. cum Bordone tom. de S. Tribunali cap. 5. q. 36. quod Papa putatus errare non poteſt, quia gaudet iiſdem priuilegijs, quibus potitur Papa indubitatus. Ratio, quia pro bono Eccleſiæ Chriſtus hunc approbat, cum non ſit alligatus legibus humanis, & illi, non obſtante quauis nullitate electionis, tribuit dignitatem, & Pontificiam poteſtatem, quam tribuit alijs electis, qui nullum patiuntur defectum ſuæ electionis, aut perſonæ; ergo cum verus ſit Papa, ex parte Dei non caret prædictis priuilegijs, ſed omninò eſt inerrabilis, ſicut cæteri in rebus fidei, & morum.

Confirmatur. Quia Deus in tradendo claues electo nullam habet ſibi præſcriptam formam niſi perſonę deſignationem per electionem, ergo, poſita deſignatione perſonæ, ſiue per electionem, ſiue per inſpirationem, ſtatim Deus illum approbat pro paſtore ſuæ Eccleſiæ; cum Deus ad ea lege humana introducta non reſpiciat, ſed ab illis independenter confirmat electum; ideo verus eſt Paſtor Eccleſiæ quoad vſque aliud appareat. Hinc colligitur non habere locum ſupplementum iuriſdictionis, quam Eccleſia ſupplet in ijs, qui aſſumpti in miniſtros Eccleſiæ, defectu alicuius requiſiti, non recipiunt poteſtatem iuriſdictionis, quæ tamen pia Mater Eccleſia ſupplet in illis. Ratio eſt, quia iuriſdictio Pontificia à nullo homine datur deſignato Pontifici, ſed à ſolo Deo cum dignitate Papatus ſemper confertur ab eo omninò inſeparabilis. Quare non videtur ſubſiſtere ſententia Bonacinæ de elect. Pontificis diſp. 1. q. 2. dicentis; Papam putatum valide agere, quia Eccleſia ſupplet defectum iuriſdictionis, quia etſi Eccleſia non ſit ſupra Pontificem verum, eſt tamen ſupra Pontificem putatum, & præſumptum; ſiquidem nemo dare poteſt, quod non habet; ergo ſi Eccleſia vero Pontifici non dat poteſtatem; tantò minus putato, & præſumpto: & idem ſentit Neuſer in q. proœmial. Polianthcæ theologica canonica moralis.

QVÆSTIO VI.

De electione Summi Pontificis, hoc eſt, ad quos ſpectat Papam eligere.

NOt. 1. Quòd Pontifex in Hierarchia Eccleſiaſtica primum locum obtinet; cuius inſtitutio à Chriſto in Perſona Petri facta eſt;ac proinde Petrus habuit primatum, & principatum ex Chriſti inſtitutione ſuper Apoſtolos; qui licet à Chriſto immediatè acceperint Apoſtolatum, & poteſtatem Ordinis, & iuriſdictionis; tamen poteſtas data fuit Petro primaria, & independens vtpotè Chriſti Vicario, quæ dignitas non omnibus Apoſtolis, ſed ſoli Petro donata fuit, cui ſoli Chriſtus dixit: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*, Siquidem ex ea ſumma Sacerdotali dignitate Sacerdotalis ordo in cæteros emanare debebat; vt in diſp. de Pontificis primatu oſtenſum eſt. Inſuper Summus Pontifex dicitur etiam Papa; Papa autem græca vox eſt, & quaſi balbutientis pueri; qui Patrem Papam appellat, vt ait Mallet. vel dicitur Papa, quia eſt Pater Patrum; Gloſſa verbo Papa in proœm. Clement. & notat Azorius p. 2. lib. 4. c. 4. p. 1. & 3. Vnde Papatus ſic à Bordone tom. S. Tribunal. cap. 5. de Pontifice deſcribitur: *Eſt prima, & ſuprema dignitas in mundo à Chriſto Domino immediatè tradita Romanis Pontificibus cum abſolutiſſima, & ampliſſima poteſtate regendi non ſolùm totam Eccleſiam, ſed etiam vniuerſum mundum, regimine monarchico independenter à quocumque homine, & à quo omnes dependent in ſuis poteſtatibus;* quæ quidem deſcriptio patet ex dictis. Cæterùm quibus qualitatibus debeat eſſe præditus Papa inter alios tradit breuiter noſter Marchant. tom. 3. Tribunal. Sacramental. & maximè in eo deſideratur ſcientia, & probitas; vnde Greg. XIII. dicere ſolebat, vt refert Mallet. lib. 3. tit. 1. Hierarchiæ Eccleſ. militantis: *Nullum magis decere plura ſcire, quàm Roman. Pontificem; & Pius II. aiebat. In plebeio homine ſcientia argento, in nobili auro, in Rege, vel in Papa gemmis comparatur.*

Not. 2. Quòd eligentes Pontificem, ſiue ſint Cardinales, ſiue quicunque alij non tribuunt Pontifici à ſe electo pontificiam poteſtatem; ſed ſolum nominant Pontificem, deſignant, & deligunt; nominatus autem, deſignatus, & de-

lectus

lectus à Chriſto Domino immediatè poteſtatem accipit; etenim eo ipſo, quo Chriſtus Petrum, & ſucceſſorem eius Vicarium in terris conſtituit, promiſit, ſe daturum poteſtatem ei, quem ipſa Eccleſia, vel aliqui ipſius Eccleſiæ nomine in Pontificem delegiſſent. Itaque facultas Papam eligendi eſt de iure D. etſi ad Papam principaliter ſpectet præſcribere locum, formam, tempus eligendi, determinare perſonas, à quibus electio facienda eſt, & à quibus ſit eligendus Pontifex; vt liquido patet ex conſtitutionibus multorum Pontificum; ſignanter *Nicolai II. Alex. III. Greg. X. Clement. & denique Greg. XV. & Vrban. VIII. qui plura præſcripſerunt de Papæ electione.*

Not. 3. Quòd *Nicol. II. relatus cap. I. diſt. 23. huiuſmodi decretum fecit: Satuimus, vt obeunte huius Romanæ Eccleſiæ vniuerſalis Pontifice, inprimis Cardinales Epiſcopi diligentiſſimè ſimul de electione tractantes, mox Chriſti Clericos Cardinales adhibeant; ſicque reliquus Clerus, & populus ad conſenſum nouæ electionis accedat, nimirum præcauentes, ne venalitatis morbus aliqua occaſione ſubrepat, & ideo religioſiſſimi viri præduces ſint in promouenda Pontificis electione:* Vnde Bordon. loc. cit. conformiter ad tale decretum dicit, quod illi tempore Epiſcopi Cardinales negotium promouebant, cum quibus deinde concurrebant cæteri Cardinales non Epiſcopi; demùm Clerici non Cardinales cum populo accedebant ad præſtandum conſenſum in electionem iam expeditam à Cardinalibus.

I. Concl. Laicis, cuiuſcunque dignitatis ſint, non competit iure diuino electio Pontificis; non eſt tamen incapax laicus eligendi Pontificem, etſi de facto aliter ſe habeat. Ita Neuſer, Bordon. Ex communi. Immò olim ex conceſſione Eccleſiæ laici habuerunt ius largè, & impropriè acceptum Pontificem eligendi; hoc eſt, inquit noſter Neuſer in quæſt. proæm. Polianthee Theologica canonica moralis ius ferendi teſtimonio de eligendo, an eſſet aptus, ac dignus, & electioni conſentiendi, vel diſſentiendi *prout conſtat ex cap. Nullus diſt. 61. cap. Clerici, & cap. voto diſt. 63.* iuxta quos explorabantur teſtimonia illorum, qui vicem plebis repræſentabant; ita vt in eorum præſentia Pontifices eligerentur, quatenus poſſent laici de vita, & moribus eligendi teſtari. Similiter ex conceſſione Eccleſiæ olim Populo competijſſe ius poſtulandi, & deſiderandi, vt conſtat ex

epiſt.

epiſt. S. Cypriani lib. 4. epiſt. 3. neque vlli vnquam Imperatori, vel Regi, vt tradit Neuſer, fuit conceſſum priuilegium reale eligendi electione propriè dicta Pontificem: probabile tamen eſt Carlo Magno ab Adriano Papa conceſſum fuiſſe priuilegium perſonale eligendi Pontificem, *vt colligitur ex cap. Adrianus 22. diſt. 63.* quo tamen priuilegio; vt obſeruat Bordon. loc. cit. Imperator, nec alius, ſi cui alteri à Papa fuerit conceſſum, huiuſmodi priuilegium vſus fuit. Verùm Baronius, Paſſarinus, & alij paſſim putant tale decretum eſſe fictitium; quibus reponunt ſignanter Neuſer, & Bordonus: Nam ſi fuiſſet fictitium Greg. XIII. illud non permiſiſſet in Decreto Gratiani emendato, & correcto intactum: neque id repugnat; quia vt diximus in concluſionis principio laicus non eſt talis poteſtatis incapax; quia conditio perſonæ ſpectat ad formam electionis, cuius diſpoſitio pertinet ad ius humanum, & Pontificium; vt videre eſt in Bordon. cit. & in alijs.

II. Concl. Iure diuino facultas eligendi Pontificem competit Clero, non quidem omnibus indeterminatè; nec aliquibus determinatè; ſed ijs qui à Pontifice fuerint deſignati, quales de facto ſunt ſoli Cardinales, qui iure diuino eligunt Papam; ad cuius promotionem non propria auctoritate procedunt. Itaque ius eligendi habent à Deo, modum autem exequendi electionem à iure humano acquiſierunt; adeo quod iure diuino tenentur eligere Succeſſorem Petri, iure autem communi debent ſeruare modum in Concilijs, & conſtitutionibus Pontificijs præſcriptum; & hoc poſterius conſtat ex bullis paulò ſuperius citatis, & prius nempe, quod ſit de iure diuino probatur. Succeſſio vnius Pontificis Romani ad alium præmortuum eſt de iure diuino; vt ſuprà oſtenſum eſt, ſed electio noui Pontificis in locum præmortui eſt pariter ſucceſſio nouiter electi in locum præmortui; ergo electio eſt de iure diuino, ſicut ſucceſſio; non enim dabilis eſt ſucceſſio, inquit Bordonus, in effectu ſine electione noui Paſtoris in locum alterius iam defuncti; & comprobatur auctoritate Anacleti Papæ epiſt. 2. vbi ait electionem ſummorum Sacerdotum ſibi Dominus reſeruauit, licet electionem eorum bonis Sacerdotibus, & ſpiritualibus populus conceſſiſſet. Poteſtas ergo eligiendi eſt à Deo, modus verò, & forma ſeruanda eſt à Papa;

& ita

& ita conciliantur inter ſe diuerſæ Doctorum opiniones; quorum aliqui aſſerunt tale ius eligendi eſſe diuinum; quidam alij humanum. Hinc oſtenditur quàm temerè, & impiè locutus ſit Ioan. VVicleff dicens; quod electio Papæ à Cardinalibus per Diabolum eſt introducta.

Cæterùm Cardinales debent eſſe inſigniti ordine Diaconatus; quia Cardinales non Diaconi ſine Pontificis diſpenſatione non poſſunt ad electionem Pontificis ſuffragium dare; *Item Cardinales habentes os clauſum; nec adhuc pileum acceperint, poſſident ius eligiendi ex Greg. XIII. & eiuſdem ceremoniali tom. 4. Bullarij pag. 103*. Imò, etſi Cardinalis ſit excommunicatus, ſuſpenſus, interdictus ius habet &c. *quia nulla culpa, nullus defectus impedit, quo minus valide eligat ex Clement. V. ne Romani de elect. & Pio IV. conſtit. æterni Patris:* Nec omnes Cardinales renuntiare poſſunt ius ſuum; etſi quis renuntiauit, poteſt iterum reaſſumere illud ius eligendi; quare poſſunt compelli aliqui Cardinales, non verò omnes, vt ingrediantur Conclaue ad Pontificem eligendum; debentque eum eligere ex gremio Cardinalium; vt decernitur in cap. oportet diſt. 79. Nihilominus Soto lib. 4. de iuſt. q. 6. art. 5. tenet opinionem contrariam, nempe poſſe eligi, qui non ſit aſſumptus in numerò Cardin. Verùm difficultas mouetur, ad quem ſpectaret electio Sum. Pontif. ſi omnes Cardinales mortui aſſent; cui reſpondent nonnulli, ſpectare in tali caſu ad Canonicos Lateranenſes, quorum Eccleſia eſt propria Sedes Pontificis: ita D. Antonin. p. 3. Sum. tit. 22. §. 2. Decius in cap. licet de elect. Alij affirmant ſpectare ad Concilium generale: ità Hoſtien. in cap. licet; alij ſpectare ad Patriarchas; quæ autem ex iſtis opinionibus ſit probabilior videre licet apud Doctores de hac difficultate diffusè agentes.

Arg. hæretici Papatum non eſſe à Deo, ſed ab homine inuentum; vnde ſignanter Ioan. Huſſius contendit, inſtitutionem, & perfectionem Papatus emanaſſe à potentia Cęſaris ex donatione Conſtantini relata cap. Conſtantinus diſp. 96. vbi ad rem ſic dicitur. Conſtantinus Imperator quarto die ſui baptiſmatis priuilegium Romanæ Eccleſiæ Pontifici contulit, vt in toto orbe Romano Sacerdotes ita hunc habeant caput, ſicut Iudices Regem, & nituntur confirmare ſuam falſam aſſertionem etiam auctoritate *Anacleti*

Pa-

Papa, qui in ſua Epiſt. relata cap. In nouo 2. d. 21. & cap. Sacroſancta 2. d. 22. ſic ait. Et licet omnes eſſent Apoſtoli, Petro tamen à Domino eſt conceſſum; & ipſi inter ſe id ipſum voluerunt, vt reliquis omnibus praeeſſet; ergo &c. Reſp. Ioan. Hus delirare, non ratione diſcurrere. Qua enim legitima conſequentia inferri poteſt Pontificiam poteſtatem emanaſſe à Cæſare; eò quòd decreuit, vt in ſua ditione, & imperio, vt pro Pontifice ab omnibus haberetur; Non ne priuſquàm Conſtantinum baptizaſſet erat Pontifex? Quod autem attinet ad auctoritatem Anacleti Papæ; dicendum, Pontificem ſolum voluiſſe ſignificare, quòd Apoſtoli voluerunt Petrum in ſuum Superiorem volútate recognitionis, obedientiæ, & ſubiectionis, quia non coactè, ſed libenti animo eum acceptarunt in ſuum Prælatum, non voluntate electionis; iam enim à Chriſto erat electus, & illis propoſitus fuit.

Quęres 1. An eligendus in Papam debeat eſſe Sacerdos, & Epiſcopus. Reſp. ex communi. Non eſt neceſſarium quod ſit Sacerdos, quia etiam Cardinalis Diaconus eligitur in Papam; & conſtat multos non Sacerdotes imò nec Diaconos ad Pontificatum fuiſſe aſſumptos; vt videre licet apud Bordon. n. 84. Verùm, poſita creatione, neceſſe eſt, quod conſecretur in Sacerdotem, & Epiſcopum, aliter non recipit effectum ſuæ electionis, hoc eſt, non eſt verè Pontifex; cum ſit omninò inhabilis, & incapax Papatus, in quo reſidet ſumma dignitas Sacerdotalis. Quare ſi nolit ordinari electus in Papam, eius electio non tenet; ideoque Cardinales, præmiſſa proteſtatione, quod ſi nolit recipere ordines &c. poſſunt Pontificem alium eligere, quia ſedes reuerà vacat, & illum reſiſtentem caſtigare poſſunt.

Quæres 2. An Papa electus poſſit Papatum renunciare.

Reſp. Papa poteſt renunciare Papatui Deo coram Cardinalibus, vel Concilio tanquam teſtibus renunciationis ab eo factæ; vt conſtat ex renunciatione facta à Cæleſtino Papa, qui de communi Concilio, & conſenſu Cardinalium contra quoſdam dubitantes ſtatuit, & decreuit Romanum Pontificem poſſe liberè reſignare; conſultò dicitur licere, quia à nomine cogi poteſt; & etiam dicitur Deo coram Cardinalibus; quia, licet renunciatio facta in manibus non habentis ſuperioritatem, non valeat; tamen Papa non renunciat Cardinalibus, ſed Deo coram Cardinal. cum in terris non habeat Papa Superiorem.

Quæ-

Quæres 3. An Papa poſſit ſucceſſorem eligere.

Reſp. negatiuè, nec per ſe, nec per Cardinales: ita S. Ioan. à Capiſtrano lib. de auctor. Papæ, & Cconcil. tit. de elect. & communiter alij, exceptis nonnullis, inter quos eſt Bonacina. Ratio, quia Papa, & Epiſcopus ſe habent ad Eccleſiam ſicut vir ad vxorem cap. ſicut vir 8. q. 1. ſed vir non poteſt vxori ſuæ alium virum relinquere, quia, eo mortuo, ab illius lege eſt ſoluta: ergo &c. Tum quia ſi hoc eſſet licitum, poſſet Papatus iure quaſi hæreditario, ac iure ſanguinis conſtitui, quod eſt manifeſtum abſurdum. Nec obſtat, quod D. Petrus elegit ſibi ſucceſſorem Clementem Roman. *Nam Petrus id fecit non ex officio Papatus, ſed ex ſpeciali iuſſione Dei præcipientis, vt ſibi Succeſſorem eligeret, vt legitur in Epiſt. citat. quæ eſt prima Clementis, vbi ſic. Hoc enim fieri ſtatutum eſt mihi, inquit Petrus, & à quo niſi à Christo?* ergo &c.

Quæres 4. Quid ſi electio Papæ ſimoniacè facta fuiſſet?

Reſp. quod talis electio eſt ipſo iure irrita, & qui Simoniacè Papam elegerunt, cadunt ipſo facto ab omni dignitate; *Vt decreuit Iulius II. conſtit. 3. incip. Cum tam diuino edita* 1505. Vt autem ſit Simoniaca exigitur, vt ad Simoniam concurrerit ille, qui electus eſt; adeout, eo inſcio, vel contradicente, electio Simoniacè facta ex capite non ſit irrita; & inſuper quod ſit commiſſa poſt mortem Papæ Sede vacare; vt notat Neuſer. Nulla tamen exceptio ſubdit idem Doctor intrinſeca poteſt fieri; niſi nullitas electionis ſit notoria, vel ſit probabilis apparentia, quæ probari poſſit: & in tali caſu certum eſt, quod legitimus Iudex non eſt Collegium Cardinalium in dubio de validitate electionis; nec poteſt iudicialiter cauſam agnoſcere, nec ſententialiter pro, & contra validitatem decernere, nec fideles obligare ad admittendum, vel reijciendum ſic electum; ſed ſolùm Concilium generale eſt Iudex legitimus intruſi: ita Doctores, & conſtat ex Concilio Conſtantienſi ſeſſ. 39. Similiter ſi electio facta fuiſſet per metum, tunc datur exceptio non de facto, ſed de iure, hoc eſt, obijciendo nullitates electionis coram Iudice competente probandæ; interim obedientia illi præſtatur, & in poſſeſſione relinquatur, donec à Concilio deciſum fuerit; ita Paſſarin. Neuſer, & alij, & hanc admiſit Concil. Conſtant. Tempore autem Concilij non permittitur poſſidere, ſed pro tunc ſuſpenditur eius admi-

adminiſtratio: exceptio autem de facto eſt quando ei negatur obedientia, & eijcitur de poſſeſſione. Cæterum Papa ob ſolum crimen hæreſis poteſt ab officio remoueri: ità noſter Aluarus Pelagius de planctu Eccleſiæ lib. 1, c. 4. & alij communiter: non eſt tamen Papa in hæreſim lapſus ipſo iure ſua dignitate, & iuriſdictione amotus, ſed amouendus; ita Corduba lib. 4. & alij.

DISPVTATIO V.

De Sacris, ac legitimis Concilijs.

QVÆSTIO I.

Vtrum Concilium generale, ſeu œcomenicum errare poſſit in tradenda fidei, ac morum doctrina.

NOt. 1. quod *Concilium latè, ſeu in genere ſumptum nil aliud eſt, quam congregatio hominum prudentum, publica auctoritate conuocatum ad tractandum de commodis, & neceſſarijs Reſpubl.* Eſt autem duplex huiuſmodi concilium, aliud ſeculare, quod prò temporalibus congregatur; aliud eccleſiaſticum, quod prò ſpiritualibus concernentibus Eccleſiam conuocatur. Agere hic de 2. non autem de primo ſpectat ad noſtrum inſtitutum, Quarè Concilia eccleſiaſtica alia ſunt generalia, ad quæ conuocari, & conuenire debent, qui commodè poſſunt, omnes Epiſcopi orbis; alia nationalia, ad quæ conuocantur Epiſcopi vnius nationis, aut regni cum Primate, vel Patriarcha; alia prouincialia, ad quæ conueniunt Epiſcopi conprouinciales, ſeu Suffraganei cum Archiepiſcopo; denique Diœceſana, ad quæ cum Epiſcopo conueniunt Preſbyteri, ſeu Paſtores Diœceſani, & vocantur propriè Synodi, ſeù Synodalia, etſi hoc nomen ſæpè alijs Concilijs tribuatur. In Concil. generali præſidet Pontifex, vel per ſe, vel per ſuos Legatos, cæteris autem præſunt reſpectiuè ij, qui concilia intimant, vt Archiepiſcopi, Primates, Patriarchæ, & Epiſcopi.

Not. 2. quod circa conuocationem ad Concilium generale non eſt neceſſe conuocare ſingula Eccleſiæ membra ob moralem impoſſibilitatem omnia illa congregandi, nequè ei-

citandi ſunt prò ſuffragio controuerſiarum decidendarum laici, quocunque caractere præditi ſint, vti colligitur ex praxi Conciliorum. Vndè vocandi ſunt primariò, & de neceſſitate Epiſcopi prò ferendo ſuffragio, vtpote Apoſtolorum ſucceſſores. Item ſupremi præſules eccleſiarum particularium, vt oſtendit perpetuus Eccleſiæ vſus, quod Theologi extendunt ad Cardinales non Epiſcopos, ac Generales ordinum Regularium, & Abbates exemptos, ſiuè de iure, ſiue de conſuetudine, vt tradunt Doctores. Deniquè ex quadam congruentia vocantur etiam doctiſſimi Theologi prò conſultationibus ſolis, non prò ſuffragio ferendo.

Concl. Concilia generalia, & œcumenica non poſſunt errare in tradenda doctrina fidei, & morum, ſi ſint conuocata à Pontifice, & ab eodem confirmata: Eſt de fide prob. Eccleſia eſt columna, & fundamentum veritatis, aduersùs quam portæ inferi præualere non poſſunt, ſed Eccleſia potiſſimè repræſentatur in Concil. generali; ergo contrà Concilium generale portæ inferi præualere non poſſunt, ac proindè nequeunt errare. Prob. 2. Huiuſmodi Concilia ſe dicunt in Spirit. S. legitimè congregata, ac eorum ſtatuta dicuntur eſſe à Spirit. S. iuxtà illud Act. 15. *Viſum eſt Spiritui Sancto, & nobis, vt Cyril. lib. 1. de Trinit. decretum Concilij Nicani vocat Sanctum, & Diuinum oraculum, & Leo Papa Epiſt. 53. aſſerit canones Nicanos per Spirit. S. verè ordinatos eſſe, ſed vbi reperitur ſpiritus veritatis, nullus poteſt eſſe error*; ergo &c. cum quia ſi poteſt Pontifex ſe ſolo eſſe regula infallibilis veritatis in rebus fidei decidendis, à fortiori Concilium generale cum ipſo loquente, hoc eſt Pontifice, & pro probatione huius Concluſionis faciunt quæ dicta ſunt de infallibilitate Pontificis.

Arg. 1. cont. concl. Plura concilia generalia, etiam legitimè congregata, vel etiam confirmata, vt conſtat de Concil. Arimin. de Epheſino, Conſtantienſi, & de nonnullis alijs, quæ, vt Doctores referunt, errarunt; ergo &c.

Reſp. recenſita Concilia, & quædam alia, vt conſtabit ex infra dicendis, non fuiſſe legitimè concilia, vel quia non fuerunt à Pontifice congregata, vel ſi congregata, non confirmata, vel ſi confirmata, non quoad omnia, ſed quoad aliqua tantum, vt patebit infra.

Arg. 2. Si Concilium, de quo hic agimus, non poſſet errare, maximè, quia ei aſſiſtit Spiritus S. ſed hoc eſt falſum: ergo &c. prob. min. Spiritus S. non aſſiſtit ſuperfluis, ſed Concilium eſt ſuperfluum, nam Eccleſia regitur à Spiritu S. ergo &c. Reſp. neg. min. ad prob. dicitur conc. mai. & neg. min. nam Eccleſia à Deo gubernatur per ſuos miniſtros, nempè Papam, & Epiſcopos, ac proinde Spiritus S. illis aſſiſtit in rebus neceſſarijs ad ſalutem, quales ſunt res fidei, & morum.

Arg. 3. Concilia congregantur, ad hoc vt definiant de fide, & definita proponant omnibus credenda, ſed nullus tenetur credere definitis ab hoc Concilio e. g. Trid. ergo nec etiam credere tenetur definitis à Concilijs. Prob. min. licet ſit de fide, quod definita à Concilio legitimè congregato, & confirmato per Papam ſint vera, non eſt tamen de fide, quod hoc Concilium Trid. ſit legitimè congregatum, ſed de cognitione, & fide morali: ergo definita ab hoc Concilio erunt ſolum de fide morali, non autem de fide D. ant. patet, quia Concilium, vt ſit legitimè congregatum, plura rèquiruntur, nempè vt Papa congregans illud ſit verè baptizatus, ſimiliter Epiſcopi: quod Papa ſit legitimus Papa, quæ omnia videntur ſolum de fide morali, non autem diuina. Confirmatur hæc ratio à ſimili. De fide eſt, quòd ſub hoſtia ritè conſecrata eſt Corpus Chriſti, at non eſt de fide, quod ſub iſta hoſtia ſit Corpus Chriſti, quia Sacerdos potuiſſet non habere intentionem conſecrandi, ita in propoſito, quamuis ſit de fide Concilium confirmatum per Papam non poſſe errare, non videtur tamen de fide, quod hoc Concil. Trid. non poſſit errare, quia, ſicut non conſtat ex fide D. an Sacerdos conſecrans hanc hoſtiam, ſit verè Sacerdos, vel habuerit intentionem conſecrandi, ita non coſtat, an Papa congregans Concilium, ſit verè Papa: neque de fide D. pariter conſtat, an Epiſcopi congregati, ſint verè Epiſcopi; & an ad definiendum aliqua de fide ſint poſita omnia requiſita, & omnes circumſtantiæ neceſſariæ ſint ſeruatæ. Reſp. neg. min. ad cuius probationem negatur ant. quia dicimus cum catholicis auctoribus, hoc Conc. v. g. Trid. eſt legitimè congregatum eſſe de fide; nam vt inquit noſter Aretinus, eo ipſo, quod Concilium definit aliquid de fide obligans ſub anathemate omnes ad credendum, etiam cre-

credendum eſt fide D. quod ſit legitimè congregatum; vtrumq; enim definitur vnico actu: v.g. definitur in Concil. Trid. quod ſola fides non ſufficit ad iuſtificationem, & ſimul definitur eiſdem verbis, quod Concilium hoc definiens eſt legitimè congregatum, & Concil. de ſe ipſo teſtimonium perhibet, & verum eſt teſtimonium eius.

Quod autem attinet ad confirmationem factam à ſimili; negamus paritatem, cò quia, cum ab Eccleſia vniuerſali ſit receptus Papa tanquam verus Papa, de fide eſt eſſe baptizatum, & legitimè electum, & per conſequens legitimum eſſe concilium, quia Eccleſia iuncta ſuo Capiti, nequit in hac vniuerſali acceptione errare ob aſſiſtentiam Spiritus S. Quarè magnum diſcrimen eſt inter has duas propoſitiones. *Sub hac hoſtia eſt Corpus Chriſti, & hic eſt verus Pontifex, vel hoc eſt legitimum Concilium; prior enim non eſt de fide, cum in ipſa nullus adſit exterior effectus, qui ſit ſignum exiſtentiæ Corporis Chriſti, neque vniuerſalis Eccleſia recipit hanc propoſitionem vt infallibiliter veram: poſterior autem eſt de fide; quia vniuerſalis Eccleſia recipit hunc Pontificem, vt verum Pontificem, & hoc Concilium, puta Trid. tanquam verum, & legitimum Concilium*; ac proinde de fide D. credenda ſunt: ſicut quando vniuerſalis Eccleſia recipit aliquam Scripturam tanquam canonicam, eo ipſo eſt de fide illam eamdem ſcripturam eſſe canonicam. Itaque Concilium ipſum, quod eſt Eccleſia agnoſcit ſe eſſe verum Concilium, & vti verum Concilium procedere ad res fidei definiendas.

Arg. 4. multa ſunt Concilia, quæ fuerunt congregata authoritate Imperatorum: ergo prò congregatione Concilij non ſemper eſt neceſſe auctoritas Pontificis. Ant. patet de Conc. Calced. & reliquis Concilijs generalibus in Oriente celebratis. Reſp. Imperatores, ſeù Principes illi hortati ſunt, & rogarunt tantum, vt conuenirent Patres, non autem mandarunt, quod, vt meliùs intelligatur, obſeruandum, quod triplex à Doctoribus aſſignatur auctoritas, nempè hortatoria, executoria, & præceptoria: per hortatoriam petierunt Principes Chriſtiani; ſic Martianus Imperator conuocauit Calcedonenſe Concilium, vt conſtat ex eiuſdem epiſtola, in qua ſic habetur, *In Calcedonenſem Ciuitatem venire dignemini*. Auctoritas executoria, quæ ad ius facti, vt aiunt, conuenit, & tribuitur Principibus; Prin-

 ci-

cipes enim ſunt executores legum eccleſiaſticarum, & iurium Eccleſiæ defenſores, & per huiuſmodi auctoritatem præfatus Imperator, explorata S. Leonis Papæ voluntate, cuius nutu, & iuſſu Epiſcopos Orientis conuocauit Calcedonens; & ſic conſtat; & Irenes profitetur ſe Romani Pontificis hortatu, & iuſſu Epiſcopos, ad ſeptimam Synodum generalem congregaſſe. Verùm auctoritas præceptoria indicendi Concilium, non Principibus, & Imperatoribùs, ſed ſolùm capiti Eccleſiæ conuenit.

Cæterùm ex alio capite fiebat mentio Imperatoriæ auctoritatis, idquè iuſtis de cauſis; primò quia tunc vigebat illa lex prohibens ſinè Imperatoris licentia fieri congregationes, & collegia lib. 1. ff. de collegijs: 2. etſi nulla lex extaret, quià tamen Imperatores maximam orbis partem poſſidebant, Concilia fiebant in aliqua Imperiali Ciuitate, ac proindè debebat adeſſe licentia Imperatoris: 3. quia Concilia ſæpè fiebant expenſis publicis, vt notant Euſebius, & Teodoretus. Itaquè Principes in Concilio, vel ſeculares non habebant votum deciſiuum, ſed tantum conſultiuum, nequè Imperatores, ſi aliquando adfuerint, legitur ſubſcripſiſſe deciſionibus Conciliorum.

Quæres. An Concilia generalia ſint infallibilia antè confirmationem Pontificis, dum per ſuos Legatos interſit in Concilio. Reſp. Herincx p. 3. diſp. 5. de Concilijs cum diſtinctione; nam ſi Legati Pontificis habeant certam inſtructionem, quam ipſi cum Concilio ſequantur (proùt mitti ſolebant plerumque legati ad Concilia Orientis) ſatis conſtat inter Doctores tale Concilium eſſe infallibile, quià tunc conſenſui corporis adeſt conſenſus expreſſus, & veluti præuia confirmatio capitis. Quarè in huiuſmodi Concilijs fit executio mandati, & non ſolum damnantur contradictores, ſed etiam à Sacerdotio, Epiſcopatu &c. ipſo facto deponuntur. Quamuis etiam tunc Concilia ad maiorem firmitatem, & vt orbi conſtet, quod omnia iuxtà mentem, aut inſtructionem Pontificis ſint peracta, ſolita ſint petere confirmationem, prout fecit Concil. Calcedonenſe &c. Si autem legati non ſequantur inſtructionem Pontificis, ſatis conſtat apud omnes tale Concilium poſſe errare, vt de facto quædam Concilia errarunt. Quod ſi deniquè legati non habeant ſpecialem inſtructionem, tamen

ſi ſin-

ſi ſincerè ſub obedientia Pontificis cum iiſdem legatis Concilium procedat, ac materias fidei determinet, ipſum habere infallibilitatem antè confirmationem docent quamplure Doctores; tum quià antè etiam confirmationem Pontificis, & in præſenti aſſerit ſe congregatum in Spirit. S. definit, dicit anathema &c. etſi ad maiorem firmitatem (cum res eſt controuerſa) petatur, & accedat confirmatio Pontificis; tum quia tale Concilium perfectè repræſentat Eccleſiam, ſcilicet Corpus cum ſuo capite, repræſentato in ſuis Legatis habentibus, vt ſupponitur, plenariam delegationem, adeout, ſi ſententiæ legatorum accedat maior pars Concilij, ſufficienter ſaltem implicitè adeſſe videatur etiam implicitè ſententia ipſius Papæ.

Nihilominùs Bellarm. lib. 2. de Concil. c. 11. & plerique alij ſecùs cenſent, eò quòd firmitas Concilij fundetur in conſenſione corporis cum capite, quod quidem caput in quæſtionibus non dum aperuit ſenſum ſuum. Deindè infallibilitas Iudicis, ex prærogatiua perſonalis Petri, & ſucceſſorum non eſt delegabilis, ac proinde non communicabilis Legatis, qui, ſicut prædicti inſtructione poſſunt ab ea, & à veritate deuiare, ſic etiam inſtructione carentes, cui ſententiæ ſubſcribitur etiam Herincx vbi ſupra &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum Concilium generale ſit ſupra Pontificem, vel è contra.

NOt. 1. Quòd hæretici, impiè contendentes Papam non eſſe Caput totius Eccleſiæ, ſed Epiſcopum tantùm ſuæ Eccleſiæ particularis, vel ad ſummùm Patriarcham Occidentis, aſſerunt ipſum non poſſe eſſe ſupra Concilium generale, quod vniuerſalem Eccleſiam repræſentat. Inter Catholicos Cardinalis Cameracenſis, Gerſon. Almain. & quidam alij, licet contra hæreticos ſentiant Papam eſſe ſupremum Caput omnium fidelium, ac Præſulum ſeorſim ſumptorum, attamen exiſtimant Papam non eſſe ſupra Concilium legitimè congregatum, vbi Eccleſia formam corporis induit, & tota poteſtas, quæ antea erat diuiſa, ſimul vnitur; ita quod ſi comparetur Papa cum quolibet chri-

ſtiano, ipſe ſit maior, quia eſt nobiliſſimum membrum: ſi verò comparetur cum tota Eccleſia vnita in Concilio, tunc Papa eſt quid minus, quia comparatur totum corpus cum vno membro, & ſic aiunt Concilium eſſe ſupra Papam, cum totum ſit maius ſua parte.

Not. 2. Quòd huius controuerſiæ occaſio deſumpta fuit præcipuè ex Concil. Conſtant. tempore ſchiſmatis, in quo erant tres Pontifices, nempe Benedictus XIII. ſedens Auenioni, Gregor. XII. Arimini, & Ioannes XXIII. Bononiæ, ſolus Ioan. præfatus ad Concilium acceſſerat, à quo cum poſtea clam diſceſſiſſet, & remanſiſſet Concilium ſine Capite, proponere cæperunt Patres, an Concilium poſſet iudicare, ac deponere inuitum Pontificem: *Et reuerà ſtatuerunt Patres Eccleſiam à Chriſto immediate habere poteſtatem, cui omnes cuiuſcunque ſtatus, & dignitatis ſint etiam papalis, tenentur obedire in his, quę pertinent ad fidem, & extirpationem dicti ſchiſmatis: ita ſeſſ. 4. & 5. Verùm hæc controuerſia, quæ inceperat 1409. in Concil. Piſano nec manifeſtè approbato, nec reprobato, quod depoſuerat Benedictum XIII. & Gregor. XII. & continuauerat tempore Concilij Conſtant. anno 1414. maximè creuit in Concil. Baſilen. anno 1431. vbi cum Eugenius IV. Concilium inchoatum diſſoluere vellet, & eius progreſſum impedire, quærere cæperunt Patres, an tenerentur obedire Pontifici, qui eos conuocauerat, an potius teneretur Pontifex obedire generali Concilio; quod vltimum plurimi Patrum determinauerunt:* Hinc exorta eſt controuerſia inter Doctores, vt quidam dixerint de fide eſſe Concilium eſſe ſupra Papam, alij verò è contra de fide eſſe, quod Papa ſit ſupra Concilium.

Not. 3. Quòd nonnulli Doctores conantur diſtinctione prædictas duas opiniones quodamodo concordare, licet non quoad omnia. Dicunt igitur quod quoad certitudinem infallibilitatis in definiendo, vel tradendo regulam credibilium in fide, & moribus per ſe loquendo, æqualis ſunt auctoritatis Papa, & Concilium legitimè congregatum, quamuis per accidens, & regulariter potius ſtandum ſit Concilijs, quam Papæ definitioni, non verò quoad poteſtatem iuriſdictionis, ac proinde ſimpliciter Papa eſt ſupra totum Concilium, & totam Eccleſiam, cui opinioni ſubſcribitur noſter Aretinus in q. 11. de Concilijs, dicendo huiuſmodi opinionem ſibi magis placere, eamque latè explicat, & probat auctoritate præcipuè noſtri Alphonſi de

Caſtro de hæreſibus lib. 1. & de punitione hæret. lib. 1. Scoti in 4. d, 20. & aliorum, quorum fundamentum potiſſimum eſt, quod in vtroque, ideſt in Papa, & Concilio generali legitimè congregato, ſi fiat, quod in ſe eſt, certa, & infallibilis eſt diuina aſſiſtentia ſpecialis, vt in fide, & moribus definiendis errare non poſſit, & hoc dicimus per ſe vtrumque æqualis auctoritatis eſſe; per accidens autem potiùs Concilij, quàm Papæ auctoritati ſtandum ſit, non quidem ex parte ipſius aſſiſtentiæ D. promiſſæ, non enim certiùs, aut maius lumen Spiritus S. Concilio, quàm Papæ promiſſum eſt à Deo, ſed ex parte diſpoſitionis vtriuſque id contingit, quæ per accidens eſt, vt ſufficiens, vel inſufficiens in hoc, vel in illo ſit, ita diſcurrit noſter Aretinus q. cit. art. 6.

Concl. Papa eſt ſupra Concilium generalè legitimè congregatum. Ita Albertus magnus, D. Bon. D. Thom. Ricard. Paludan. Aluarus, Pelagius, & Herinx, vna cum omnibus ferè modernis, qui in q. 7. diſp. 5. adducta opinione oppoſita, ſic ait. *Verùm contraria doctrina eſt omninò certa, & catholica, quam expreſſit Concil. Lateran. ſub Leone X. ſeſſ. 11. docens, parnes ſolum Pontificem, tanquam ſuper omnia Concilia, auctoritatem habentem eſſe Conciliorum indicendorum, transferendorum, aut diſſoluendorum plenum ius, & poteſtatem, idque nedum ex S. Scrip. teſtimonio, & dictis SS. PP. ſed propria etiam eorumdem Conciliorum confeſſione manifeſtè conſtare.* Ex quibus verbis infert Herincx, quòd hodie non pateat effugium contra ſentientibus, niſi fortè dicant iſta non definiri ibidē ſub anathemate, quod quidem ad ſummùm poſſet ipſos excuſare à perfecta hæreſi, Concl. colligitur ex Scrip. & præſertim *Matth. 16. vbi traditur Petrum, & conſequenter eius Succeſſorem Pontificem eſſe caput, & rectorem, vti fundamentum, non tantùm ſingulorum fidelium, ſed & ipſius vniuerſalis Eccleſiæ;* quæ collectiuè ſumpta ſuprà iſtam Petram fundatur, & ab ea ſuſtentatur.

Similiter *Ioan. XXI. Petrus ſtatuitur Paſtor vniuerſalis ouium Chriſti,* ſed Paſtor præeſt non ſolum ſingulis ouibus, ſed toti ouili: ergo Pontifex eſt &c. *Hinc illa vox Conciliorum antiquorum, vt etiam refertur cap. Si Papa d. 40. quod Papa, ſeù prima Sedes à nemine iudicatur, quæ proindè à ſolo Deo, non ab homine poterit iudicari, vt loquitur Bonifacius VIII. in extrauag. Vnum ſanctam. De maiorit. & obedient.*

Hinc omnia Concilia ad eius examen reuocantur, *& ſolo Pontifice contradicente robur obtinere nequeunt, vt habet Paſchaſius Papa cap. ſignificaſti 4. de elect.* Prob. etiam, nam à Chriſto nulla eſt data auctoritas Eccleſiæ, nec proinde Concilio Eccleſiam repræſentanti, tradunt Panor. in cap. ſuper quibuſdam. Turrecremata in Sum. de Eccleſ. lib. 3. & alij quampiures, & præſertim octò Doctores Pariſienſes docent auctoritatem Papæ, cum ea ſit immediatè à Deo, nullis Conciliorum generalium legibus coarctari; ergo tota poteſtas Eccleſiæ, ſeù vniuerſalis Concilij pendet à Romano Pontifice, velut à Capite, & Paſtore totius Eccleſiæ. Quod ſi Concilium Conſtant. ſeſſ. 4. definiat, loquitur Concilium de tempore ſchiſmatis, *Tunc enim Concilium, durante ſchiſmate, habet poteſtatem immediatam à Chriſto iudicium ferendi ſuper illos, qui ſe Pontifices dixerint, quia vbi dubius, ibi nullus;* Accedit etiam quod, cum Eccleſia ſit Regnum, ſeu Monarchia, pœnes vnum aliquem ſit ſuprema poteſtas; hic autem non eſt niſi Pontifex; ergo &c.

Arg. 1. Papa eſt filius Eccleſiæ, ac proindè Eccleſia eſt mater eius, ſed filius non eſt ſuprà matrem; ergo nec Papa ſuprà Eccleſiam. Reſp. eſt filius &c. vt baptizatus, conc. vt Pontifex, & caput ipſius Eccleſiæ, neg. mai. non enim in moralibus, & ſpiritualibus eſt inconueniens, quod filius ſuperet Parentes ratione auctoritatis.

Contrà non eſt veriſimile, quod Chriſtus Eccleſiam ſuam alteri ſubiecerit, à quo ipſa Eccleſia tanquam eius ſponſa deturpetur, ſed tempore ſchiſmatis, & etiam Papę hæretici deturpatur Eccleſia; ergo non eſt veriſimile, quod Chriſtus non dederit Eccleſiæ, ſeù Concilio poteſtatem ſuprà Papam. Reſp. conc. mai. ad min. dicimus, quod eo ipſo, quod Pontifex ſit hæreticus, ſeu ſchiſmaticus, poſſit deponi à Concilio generali, ſeù declarare non eſſe Pontificem. Indignus eſt enim tunc tali regimine.

Arg. 2. Papa ligatur Conciliorum decretis, nec ab illis recedere poteſt: ergo Concilia ſunt ſupra Pontificem: *Ant. patet ex 25. q. 1. cap. contrà ſtatuta vbi Zoſimus Papa dicit. Contrà ſtatuta Patrum aliquid condere, vel mutare, nec huius Sedis poteſt auctoritas.* Reſp. diſt. ant. Papa ligatur &c. in cauſa fidei, vel in his, quæ ſimpliciter ad ius naturale ſpectant, quæ quidem ſubiectio oritur ex parte rei, non ex parte Concil. conc.

conc. ant. in iſs, quæ ſunt purè iuris poſitiui, & in iudicijs legitimè decernũtur, tenetur Papa non ſecundum vim coactiuam, ſed tantum ſecundùm vim directiuam, quia legibus humanis Papa non ſubijcitur, & in hoc ſenſu neg. ant. qua vis teneatur ipſe obſeruare leges Eccleſiæ ad ædificationem fidelium.

QVÆSTIO III.

Vtrum Concilium, ſeù Pontifex, in reprobandis, & probibendis quibuſdam theologicis propoſitionibus, errare poſſit.

NOt. quod quando Eccleſia determinat, & definit aliquam propoſitionem eſſe hæreticam, non eſt dubium, quin implicitè declaret contradictoriam eſſe de fide; non enim poteſt Eccleſia errare in proponendis iſs, quæ ſunt de fide, vt ſuprà oſtenſum eſt. Igitur dubitatur, vbi Pontifex determinat cenſuræ gradum, nempè propoſitionem eſſe erroneam, temerariam, ſapere hæreſim, ſcandaloſam &c. an Eccleſiæ iudicium in huiuſmodi propoſitionum qualificatione certum ſit, & infallibile.

Concl. Iudicium Eccleſiæ in cenſurandis propoſitionibus eſt certum, & infaflibile. Ità vnanimi conſenſu Doctores, vt notat Cardinalis de Lugo tom. de fide diſp. 20. ſect. 3. Quare dicere Eccleſiam in tali iudicio poſſe errare, Bannes cenſet eſſe errorem, vel errori proximum: Malderus pronunciat eſſe hæreticum id pertinaciter affirmare, & Lugo ſubſcribitur huic ſententiæ his conceptis verbis. Ego etiam id puto, vel eſſe errorem, vel errori proximum. Prob. Infallibilis Spirit. S. aſſiſtentia Eccleſiæ promiſſa non videtur limitanda ad ea ſolùm dogmata, quæ tanquam de fide proponuntur, & creduntur ab Eccleſia, ſed debet extendi ad ea omnia, quæ fideles ex præcepto Eccleſiæ credere tenentur; ergo &c.

Confirm. Nam Pontifex errare non poteſt in decretis morum, quæ prò vniuerſali proponit Eccleſia, vt tradunt communiter Theologi, alioquin poſſet proponere vitium prò virtute, & ſic decipi tota Eccleſia in iudicando honeſtum quod, eſt, inoneſtum; ergo pari ratione ſi Pontifex

 prohi-

prohibet fidelibus aſſertionem aliquam vt erroneam, temerariam &c. debent fideles obedire, & cauere ab illa doctrina tanquam erronea, & temeraria. Confirm. hæc ratio; ſicut ſi Pontifex declaret aliquem contractum eſſe vſurarium, debent ſe fideles abſtinere ab eo contractu ob turpitudinem vſuræ in eo apprehenſam, idque abſque errore, ità poteſt abſquè errore declarare doctrinam aliquam erroneam, temerariam &c. aliàs Eccleſia deciperetur, ſi doctrina eſſet ex ſe bona, ſicut ſi eſſet contractus iuſtus, & licitus; ergo &c.

Arg. 1. Pontifex non habet hanc Spirit. S. aſſiſtentiam, vt non erret, quando egreditur extra ſuos limites, vt ſi vellet de quæſtionibus phyloſophicis, medicis &c. decernere, ſed id facere videtur, quandò declarat aſſertionem aliquam eſſe erroneam; ergo &c. prob. min. nam error, vt tradunt Theologi, ſeù propoſitio erronea eſt quæ opponitur concluſioni theologicæ, quę per euidentem conſequentiam infertur ex vna præmiſſa de fide, & altera naturali euidenti; ergo decernere, quod aliqua concluſio ſit theologica, eſt declarare, quod ſequatur ex duabus præmiſſis, quarum altera ſit de fide, & altera euidens lumine naturali, quæ declaratio non videtur eſſe totaliter, & adæquate intrà ſpheram poteſtatis Pontificiæ. Ratio huius vltimi dicti eſt: nam, licet Pontifex poſſit declarare; an ſit, vel non ſit de fide altera præmiſſa, non tamen videtur poſſe declarare; an ſit, vel non ſit altera euidens lumine naturæ, ſic enim poſſet definire quæſtiones phyloſophicas, vel medicas. Sanè nequit Pontifex decernere erroneam hanc propoſitionem: Chriſtus non eſt riſibilis, quin decernat eſſe euidentem lumine naturæ hanc aliam, omnis homò eſt riſibilis; ſi enim hæc non ſit euidens in Philoſophia, nec illa erit erronea: ergo, cum Pontifex non habeat aſſiſtentiam Spirit. S. in declarandis propoſitionibus phyloſophicis, ſequitur, non poſſe huiuſmodi propoſitiones, vt temerarias, erroneas &c. declarare.

Reſp. diſting. mai. Pontifex nequit declarare propoſitiones phyloſophicas directè, conc. indirectè nego; ſicut enim, vt docent communiter Theologi, Pontifex habet poteſtatem directam in res ſpirituales, indirectam verò ſaltem in res omnes temporales, quando oportet etiam de ijs

diſponere in ordine ad finem ſalutis ſpiritualis, cui temporalia omnia debent ſubordinari, & deſeruire, ſic in propoſito dicendum, poſſe quaſi poteſtate, & aſſiſtentia directa decernere circa doctrinas reuelatas, quaſi verò indirectè circa doctrinas naturales, & naturali lumine cògnoſcibiles, quando earum cognitio deſeruit ad doctrinam ſalutis, & theologicam ſtabiliendam, & iudicandam. Hinc patet, quomodo Pontifex nequeat errare in cenſuris propoſitionum, & ſapientium hæreſim, & malè ſonantium, nam licet iudicium etiam de his cenſuris videatur pendere ex notitia aliqua humana non reuelata, vt ex ſenſu Patrum, & Doctorum, à quo recedit temeritas, ex ſignificatione vocum, & ſpecie; in hoc tamen iudicio non permictit Deus errare Pontificem, ad quem ſpectat indicare, & oſtendere fidelibus ſcopolos, & errores, quos vitare debent in doctrina pertinente ad ſalutis viam. Vnde etiam voces, quas debent vſurpare, vel fugere, vt honeſtè, & tutè, ac propriè loquantur de rebus ſalutis, Eccleſia præſcribit, prout Trident. decreuit, qualiter in materia Euchariſtiæ vſurpandum ſit à fidelibus tranſubſtantionis vocabulum.

Arg. 2. Si Eccleſiæ cenſura eſt certa, ſequitur, quod ipſa cenſura deſtruat ſe ipſam, nam ſi Eccleſia declaret aliquam propoſitionem eſſe erroneam, temerariam &c. eo ipſo conſtat eſſe falſam, ergo ſi infallibile eſt eiuſmodi Eccleſiæ iudicium, infallibile erit propoſitionem illam eſſe falſam, ac proinde repugnaret declarare illam ſolùm vt erroneam, & temerariam, quia eo ipſo in actu exercitio redderetur hæretica, & ſic ſe ipſam deſtruit ipſamet cenſura.

Reſp. neg. ſequelam, nam Pontifex quando prohibet aſſertionem aliquam erroneam, non ideo reddit illam hæreticam, nec eius contradictoriam reddit certam de fide, ſed, ſicut dicit hanc eſſe erroneam, ita dicit contradictoriam eſſe concl. theologicam, & habere gradum certitudinis correſpondentem concl. theologicæ. Quarè, cum Pontifex definit propoſitionem illam eſſe erroneam, non definit, nec declarat formaliter illam eſſe falſam, vel contradictoriam illius eſſe veram, ſed ſolùm dicit illam eſſe erroneam, ideſt opponi aſſertioni theologicæ, quæ ſequitur euidenter ex vno principio reuelato, & altero euidenti naturaliter; fatetur nihilominus Lugo ex hoc ipſo ſequi propoſitionem il-

lam eſſe falſam, & eius contradictoriam eſſe veram, id tamen non definitur à Pontifice; ſed ſequitur ex aſſertione, & definitione Pontificis. Vnde qui doceret contrarium propoſitioni erroneæ declaratæ à Pontifice, non eſſet hæreticus formaliter, ſed præſumptiuè, quatenus aſſereret eſſe verum id, cuius falſitas ſequitur ex damnatione Pontificis.

Dices. Qui affirmat eſſe veram propoſitionem, quam Eccleſia, vt temerariam damnat, dicit aliquid, ex quo per æuidentem consequentiam infertur, quod Eccleſia errare poſſit in cenſuris. Nam ſi illa propoſitio eſt vera, Eccleſia errauit iudicando illam temerariam, quia quod verum eſt, non eſt dicendum temerarium: ergo qui affirmant eſse verum, dicit aliquid erroneum, vel errori proximum, cum dicat id, ex quo euidenter ſequitur Eccleſiam poſſe decipi in ijs cenſuris. Reſp. neg. ant. neque enim verum eſt, eum, qui tenet propoſitionem, quam Eccleſia vt temerariam damnauit, cogi per æuidentem conſequentiam ad dicendum Eccleſiam deceptam fuiſſe in ea cenſura, nam, ſicut propoſitio contradictoria temerariæ non eſt de fide, nec omninò infallibiliter vera, nec eam Ecoleſia definit eſſe infallibiliter veram, ſed tantum, quod ſit iuxta communem Patrum, & Doctorum ſenſum, ideoque non ſiuè temeritate aſſeri. Ita reſp. Card. de Lugo, qui latè diſſerit de hac materià.

Quæres. An Eccleſia in decernendo aliquam opinionem eſſe probabiliorem, errare poſſit in hoc iudicio. Variant in hoc Doctores, vt videre eſt apud Lugo in tomo de fide. Quidam enim negant Eccleſiam poſſe decernere aliquam ſententiam eſſe probabiliorem; alij affirmant; mihi tamen magis quadrat ſententia affirmatiua.

Quæres 2. An ſi Eccleſia definiat concluſionem deductam ex vna reuelata, & altera euidenti ſcientifica, poſſit, & debeat credi ex fide D. Negat Molina p. 1. q. 1. art. 2. diſp. 1. & 2. dicens manere adhuc ſub certitudine theologica, quia Eccleſia non poteſt facere, quod ſit de fide, neque enim habet nouas reuelationes, aut facit noua dogmata, ſed ſolùm habet aſſiſtentiam Spiritus S. vt non erret, quando explicat quid fuerit antea reuelatum, aut quid ſequatur ex reuelatis. Dicendum tamen cum D. Bon. in 3. Scot. & communi ſententia Theologorum eſſe de fide. Vnde pro maiori intelligentia, nota quod aliquid poteſt eſſe de fide in ratione

obie-

obiecti, quod tamen adhuc non ſit de fide quoad obligationem, quia poteſt eſſe iam reuelatum à Deo, nondum tamen ſufficienter propoſita reuelatio quoad omnia obiecta in ea contenta diſtinctè, ac proinde non tenentur fideles ad illa determinatè credere; ſecùs autem ſi ab Eccleſia proponatur diſtinctè, vt in definitionibus Conciliorum; nam profitemur nos credere omnia à Sacris Concilijs definita, vt patet in ſolemni profeſſione fidei emittenda ex Trid. Vnde Theologi differentiam agnoſcunt inter doctrinam Concil. & ſcripturam canonicam: quod Scriptor canonicus ſcribit, quæ priùs reuelata non fuerant; Eccleſia autem in Concilijs ſolùm examinat reuelationes iam factas, & earum ſenſum verum proponit infallibiliter propter Spiritus S. aſſiſtentiam, & in hoc ſenſu tantum ſunt intelligenda, quæ ait D. Bon. & cæteri antiquiores, quod fides non augetur quoad obiectum; & ſic patet, quid dicendum ſit ad fundamentum Molinæ.

Quæres 3. Qualiter inueſtigandum ſit, & concludendum, aliquid de fide declarari, ac definiri poſſe.

Reſp. ex Sapientiſſimo Ioan. Serrano Ord. Min. Epiſcopo Acernenſi lib. de Immacul. Concep. quod à Doctoribus communiter duplex aſſignatur via, altera ordinaria, altera extraordinaria. Prior conſiſtit in hoc, quod extet reuelatio D. autentica, qua moueatur Eccleſia vt definiat rem de fide. Talis autem reuelatio D. vt habita pro autentica, & ſufficienti motiuo Eccleſiæ ad definiendum, triplex eſt. *Prima facta Auctoribus S. Scrip. & ad hanc refertur reuelatio facta Apoſtolis per tradita ab eis in Symbolis, ſeu ex traditione eorum non ſcripta, qualiter eſt vſus Eccleſiæ de inſtitutione quorumdam Sacramentorum, & de eorumdem materia, & forma. Secunda eſt reuelatio facta Sedi Apoſtolicæ, vel in Decretis Pontificum, aut Conciliorum, quæ à Papa approbantur; & vtraque reuelatio eſt eiuſdem roboris ad pronunciandum aliquid de fide. Tertia reuelatio eſt, quæ fit, ſeu facta eſt Doctoribus, vel Perſonis in ſanctitate conſtitutis, quorum vita, & doctrina approbata eſt ab Eccleſia in ipſorum libris, & ſcriptis tradita; cui non adhæremus tanquam neceſſarijs, ſed vt probabilibus.* Vnde Caiet. eleganter ait. Reuelationi contentæ in Scrip. S. & Decretalibus fidei inhæremus tanquam neceſſarijs, ita quod ſe hæreticum comprobat quicunque pertinaciter alicui horum aduerſatur. Reuelationi autem factæ Sanctis

quo-

quorum doctrina Eccleſia ſuſcipit, tanquàm probabiliùs inhæremus. Aduertendum tamen cum præfato Serrano, & etiam Frances, & Melchiore Cano lib. 7. de locis theol. cap. 3. Quod hæc reuelatio facta Patribus Eccleſiæ; vel poteſt intelligi, ita vt omnes vnanimi conſenſu eam amplectantur, & hoc pacto reſpuens ea, quæ vnanimiter Patres admittunt. reſpuit aliquod, quod vniuerſalis Eccleſia amplectitur, quia omnes Patres in dogmatibus fidei errare repugnat; ſic namque docet noſter Corduba in quæſt. lib. 1. q. 44. concl. In caſibus dubijs, inquit, fidem, & mores tangentibus, ſpecialis, & occulta aſſiſtentia Spirit. S. illuminantis Eccleſiam, Pontificibus Summis facientibus quod in ſe eſt, certè non extraordinaria via à Deo promiſſa dicenda eſt; & paulò poſt ſubdit. Quàmuis particulares homines per reuelationes, & miracula falſa decipi poſſint, ſicut & per prauam ſcripturam intelligentiam; non tamen Eccleſia, neque Papa faciens, quod in ſe eſt, vt ſic à Deo illuminetur. Addo ex Serrano, vt autem doctrina SS. PP. ſit fidei dogma debet eſſe recepta expreſsè ab Eccleſia, & quidem approbatione particulari, non generali, qualis fuit illa Gelaſij. Poſterior autem, nempe via extraordinaria, quæ conſiſtit in hoc, quòd in conſiderationem rei definibilis de fide approbentur vera miracula; hæc autem ſunt, quæ fiunt à Deo in confirmationem talis rei diffinibilis, & ab Eccleſia, vt talia recipiuntur, & approbantur.

Addo ex Bartholomęo de Los Ryos in Orizonte Mariano tract. 1. c. 36. communem Catholicorum applauſum haberi pro diuina reuelatione. *Vnde D. Aug. lib. de vtilitate credendi cap. 4. ait. Ego nullis me video credidiſse niſi populorum, atque gentium confirmatæ opinioni, at famæ admodum celeberrimæ;* & idem confirmans S. Doctor contra quoſdam Epiſcopos ibidem aſſerit. *Tenet me in Eccleſia conſenſus populorum, atque gentium, tenet auctoritas, miracula inchoata, ſpe nutrita, vetuſtate firmata.* Quare cernimus (pergo cum Bartholomeo mox cit.) multa diffinita, quæ neq; expreſsè in Scripturis continentur, neque per euidentem conſequentiam ex illis deducuntur, immò neque per indubitatam traditionem Apoſtolicam habentur, quale in primis eſt dogma de præſeruatione B. Virginis ab omni peccato veniali; & paulò poſt ſubdit. Exiſtimo nō ex alijs principijs ab Eccleſia fuiſſe hoc

dogma

dogma diffinitum, quàm ex Ijs ipſis, ex quibus modo de veritate immaculatæ Conceptionis conſtat. Neque obſtare poteſt ſi ſint viri docti non pauci, qui oppoſitum rei definjendæ teneant; ſiquidem praxis ipſa oſtendit id non eſſe neceſſarium; ait Bartholomęus; ideſt, quod ſit conſenſus totius Eccleſiæ exemplum ſit. *Cum Benedictus XXII. definiuit Animas iuſtorum ſtatim à morte admitti ad Dei viſionem; non eſt credibile, omnes omninò Doctores in hanc ſententiam ante definitionem conueniſse, quandoquidem Ioan. XXII. Benedicti prædeceſsor cum multis Doctoribus oppoſitum ſenſerat, quos omes ante hanc diffinitionem à ſententia receſſiſse, non eſt veriſimile.* Videantur Bellar. lib.4. de Pontifice, Ludouicus Torres Dominic. nus tom.1. in 2. 2. diſp. 16. vbi inuenientur plura eſſe definita a Pontificibus ex ſolo diſcurſu theologico deducta, quin de illis eſſet vel traditio, vel Scriptura, ex qua inferantur; qualia ſunt, quod per Sacramenta quædam imprimatur character; quod Angeli ſint incorporei &c.

Quæres 4. Quæ ſunt Concilia Generalia approbata, quæ reprobata, & quæ partim approbata, partim reprobata.

Reſponſio de Concilijs Generalibus approbatis.

I. Generale Concilium eſt Nicænum 318. Epiſcoporum temporibus D. Syluestri I. Papæ celebratum, ratione quæſtionis de celebrando Paſcha aliter quàm more Iudæorum, qui id celebrabant die quintadecima Menſis primi: Et ratione Arij negantis Diuinitatem Chiſti: Canones huius Synodi prauorum hominum inſidijs multi perierunt.

II. Conſtantinopolitanum 150. Epiſcoporum tempore Damaſi Papæ congregatum contra Macedonium Epiſcopum Conſtantinopolitanum negantem Diuinitatem Spirit. S. probatumque quoad ea, quæ de fide ibi conſtituta ſunt.

III. Epheſinum 200. Epiſcoporum tempore Cœleſtini I. contrà Neſtorium diuidentem Chriſtum in duas Perſonas, & conſequente negantem B. Virg. Mariam eſſe Deiparam.

IV. Calcedonenſe Epiſcoporum 630. tempore Leonis Papæ contrà Euthychen admittentem in Chriſto ſolum vnicam naturam; quod Leo probauit quoad acta in materia fidei.

V. Conſtantinopolitanum II. Epiſcoporum 165. tempo-

re

re Vigilij Papæ celebratum anno 553. in quo reprobantur errores Origenis, Theodori, Mopueſteni, ſcripta Theodoreti contrà S. Cyrillum, & Epiſtola Ibæ.

VI. Conſtantinopolitanum III. Epiſcoporum 289. tempore Agathonis Papæ celebratum circà annum 680. contrà Monothelitas. Per errorem tamen non leuem in Indice Conciliorum præambulo Præludijs Franciſci Longi Coriolani numerus iſte Epiſcoporum, hæreſis eadem damnata, Legati Agathonis Papæ ſtatuuntur in Concilio V. ante centum annos, antè tempora Agathonis celebrato, iuxtà ipſum Longum in Summa Conciliorum.

VII. Nicænum II. Epiſcoporum 350. tempore Adriani I. anno 787. celebratum contra Iconomachos.

VIII. Conſtantinopolitanum IV. Epiſcoporum 383. tempore Adriani II. celebratum pro Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano contra Photium intruſum; in quo etiam cultus Sacrarum Imaginum confirmatus eſt. De his octo Concilijs generalibus in Oriente celebratis extat Decretum C. Sancta diſt. 16. Vt proinde perperam Synodus Florentina appelletur.

IX. Generalis. Litteræ porrò Ioannis VIII. quaſi improbantis acta huius Synodi, ſunt à Photio falſatæ.

X. Et inter ea, quæ in Occidente celebrata ſunt primum, eſt Lateranenſe 300. & amplius Epiſcoporum, tempore Caliſti II. anno 1122. pro pace, & concordia inter Eccleſiam, & Imperium, morumque reformatione, nec non pro terra Sancta à Saracenis recuperanda. Acta huius Concilij interierunt. Vide Binium in notis.

XI. Lateranenſe II. Epiſcoporum ferè mille tempore Innocentij II. anno 1139. celebratum contra Antippas, & Arnoldum de Brixia, ac pro reformatione morum. Acta huius Concilij non extant iuxta Binium: attamen Canones ex Bibliotheca Vaticana recenſenter editos recitat Longus in Summa Conciliorum.

XII. Lateranenſe III. Epiſcoporum 300. tempore Alexandri Papæ III. anno 1179. contra Catharos (quos Vualdenſes, & Albigenſes alij appellant) & ſchiſmaticos ab Antipapis ordinatos, ac pro reformatione morum.

XIII. Lateranenſe IV. Epiſcoporum ad minùs 400. aliorum verò Patrum, puta Abbatum, Priorum Conuentualium

lium 800. tempore Innocentij III. celebratum anno 1215. contra hæreſes Albigenſium, & Almarici, ac errores Abbatis Ioachim, nec non pro recuperatione Terræ Sanctæ, ac reformatione morum.

XIV. Lugdunenſe I. Epiſcoporum 140. tempore Innocentij IV. celebratum anno 1246. cauſa Friderici Imperat. deponendi, expeditioniſque in terram Sanctam ſuſcipiendæ.

XV. Lugdunenſe II. Epiſcoporum pluſquam 700. (iuxta alios 500.) tempore Gregorij X. anno 1274. celebratum contra Græcorum errores, & pro recuperatione terræ Sanctæ, alijſque de cauſis. In quo opera, & ſtudio S. Bonauenturæ vnio Eccleſiæ Græcæ cum Latina facta eſt.

XVI. Viennenſe Epiſcoporum 300. & ampliùs tempore Clementis V. anno 1311. celebratum contra varias hæreſes, ſcilicet Fratricellorum, Bagardorum, & Beguinarum: in quo etiam ordo Templariorum extinctus, & variæ factæ Conſtitutiones, editæ ſub nomine Clementinarum.

XVII. Florentinum anno 1438. Ferrariæ inchoatum, & ratione peſtis Florentiæ anno 1439. abſolutum ſub Eugenio IV. contra errores Græcorum, qui ibidem Eccleſiæ Latinæ coniuncti, vna cum Armenis. Cui ſubſcripſere Epiſcopi 141. Cum interim diuerſi receſſiſſent.

XVIII. Lateranenſe V. & vltimum anno 1612. ſub Iulio II. inchoatum, & anno 1517. ſub Leone X. finitum Epiſcoporum 114. ad tollendum ſchiſma, quod per Conciliabolum Piſanum celebratum anno 1511. propagabatur, item ad Principum concordiam, Clerique, ac populi reformationem.

XIX. Tridentinum cœptum anno 1545. ſub Paulo III. continuatum ſub Iulio III. & finitum anno 1563. ſub Pio IV. celebratum contra hæreſes varias iſtius ſæculi, præſertim Lutheranorum. Cui ſubſcripſerunt 258. videlicet Legati 4. Cardinales 2. Patriarchæ 6. Archiepiſcopi 25. Epiſcopi 168. Abbates 7. Procuratores abſentium 39. Generales Ordinum 7. Etſi ex Villapandæo alium numerum Patrum, qui inter fuerunt referat Bellarminus l. 1. de Concil. c. 5.

Reſponſio de Concilijs Generalibus reprobatis.

I. Inter Concilia reprobata primum (quod Ariani velut Generale obtrudunt) eſt Antiochenum anno 345. (vt habet

bet Sylulus, & Longus in indice) vel potius anno 340. (vt ex Binio tranſcribit poſtea idem Longus in Notis) celebratum tempore Iulij I. factione Euſebianorum, qui verè Ariani erant, ibique Athanaſium damnarunt, viamque euerſioni Nicænæ Synodi pararunt.

II. Mediolanenſe Epiſcoporum pluſquam 300. tempora Liberij Papæ anno 353. in cauſa Athanaſij habitum, quod quidem fuit vera, inquit Herincx, tyranica conſultatio, Arianorumquè coniuratio, iuſtiſſimeque reprobatum Conciliabulum.

III. Epheſinum (quod Synodum prædatoriam Veteres vocarunt (tempore Theodoſij iunioris anno 449. in quo factione Dioſcori, occiſus eſt S. Flauianus Epiſcopus Conſtantinop. Legati Leonis Papæ fugati, hæreſiſque Eutichiana confirmata.

IV. Conſtantinopolitanum ſub Leone Iſauro coactum anno 730. contra Sacras Imagines. Cui è Patriarchis ſolus interfuit S. Germanus Eqiſcopus Conſtantinopolitanus, qui quod actis conſentire nollet, à Sede ſua deiectus eſt. Ità Bellarminus l. 1. de Concil. c. 6. Mirum tamen, huius Concilij non fieri mentionem à Baronio, aut in Tomis Conciliorum Binij, aut Summa Franciſci Longi, qui tamen in Indice præambulo illud ſtatuerat ad annum 728.

V. Conſtantinopolitanum quod VIII. Synodum appellant Iconomachis ſub Coſtantino Copronymo, & Pſeudo Patriarcha Conſtantinopolitano anno 754. Epiſcoporum 338. contrà S. Imagines, reprobatum in Synodo VII. act. 6.

VI. Piſanum ab Imperatore, & Rege Galliæ, ac aliquot Cardinalibus coactum anno 1511. contra Iulium II. reprobatum in Concil. Lateran. ſub eodem Iulio II. ſeſſ. 2. & 3.

Inter Concilia reprobata ſolet etiam recenſeri Concilium Ariminenſe, ſignanter à Franciſco Longo in Indice memorato. Qui tamen in Summa ex Binio rectiùs diſtinguit duo Concilia, vnum generale legitimum Epiſcoporum pluſquam 400. qui omnes ferè Catholici, anno 359. habitum tempore Liberij Papæ, in quo fides Ariana condemnata fuit, fideſque Nicæna confirmata. Alterum Conciliabolum illegitimum, & reprobatum, poſt aliquot Menſes à diſſolutione Concilij ibidem coactum, in quo fraude Arianorum, Vrſacij præſertim, & Valentis, ac metu, miniſque

Im-

Imperatoris, conſentientibus ferè omnibus Epiſcopis Catholicis, præter Liberium, Seruatium Tungienſem, & paucos alios, nomen Homouſion abolitum fuit. Vide Baronium ad annum 359. Binium in notis ad Concilium, & Conciliabolum Ariminenſe.

De Nouatorum Hæreticorum Synodis Vvittembergenſi, Baſilenſi, Tigurina, Bernenſi, & Nationali (ſic vocant) Doſdracena, nil attinet dicere: cuiquè enim Catholico notiſſimum eſt, fuiſſe mera Conciliabula, nomineque Concilij prorsùs indigna.

Reſponſio de Concilijs partim approbatis, partim reprobatis.

Inter Concilia partim approbata, partim reprobata, primum cenſetur Sardicenſe Epiſcoporum 376. e quibus trecentos fidem Catholicam firmaſſe, reliquos ſeptuaginta ſex Orientales Arianam fidem ſcripſiſſe, ait Bellarm. lib. 1. de Concilijs cap. 7. & Franciſcus Longus in indice Conciliorum ſummæ præambulo. Qui tamen in ipſa ſumma in notis ad d. Concilium ex Binio verbatim tranſcribens rectiùs aduertit fuiſſe duo Concilia, vnum Sardicenſe legitimum, & œcumenicum anno 347. celebratum, quod eſt Nicæni appendix, cum quo etiam velut vnum cenſetur, & ſub cuius nomine aliquando eius canones citantur; tum quia ijdem fere Patres interfuerunt; tum quia ſolum in eo fides Nicæna cum ſuis canonibus confirmata, & explicata fuit. Vnde Canones vtriuſque Concilij, quaſi vnius forent, coniuncti habentur in Romana Bibliotheca, & antiquo exemplari Monaſterij Vedaſtini Atrebati, quod ante annos mille, & centum è Græco vertit Dionyſ. exiguus. Patres pluſquam 300. qui huic Concilio interfuerunt, & ſubſcripſerunt, omnes Catholici erant, præſidentibus Legatis Sedis Apoſt. Archidamo, & Philoxeno Presbyteris. Alterum Conciliabulum Semiarianorum ementito, & diuulgato Concilij Sardicenſ. nomine celebrarunt ſub idem tempus, vel anno ſequenti, Ariani, Sardica per fugam dilapſi Philippopoli in Thracia, in quo quintam perfidiæ formulam fabricarunt, damnatis quidem ſpecietenùs quibuſdam Arij poſitionibus, at nomine Conſubſtantialitatis callidè

omnino. Et hinc occaſio deceptionis in multis Scriptoribus; inquit Herincx.

II. inter partim approbata, partim reprobata ſtatuitur poſt Bellarm. lib de Concilijs cap. 7. à Franciſco Longo in Indice citato Concilium Syrmienſe celebratum anno 357. vt probat Longus in Notis ad d. Concilium. Etſi in Indice præambulo dicat celebratum anno 356. annis quinque poſt Sardicenſe, quod celebratum fatetur anno 347. Syrmienſem porrò Conuentum eſſe Conciliabulum potius, quàm vlla ex parte probatum Concilium putat idem Longus in Notis ſecutus Baronium. In eo Photinus condemnatus eſt; ſed (vt apparet) ſpecietenùs, & ſimulatoriè, vt Ariani ſe Catholicos ſimularent. Duplex quoque in eo fidei formula fuit edita. Quarum prima nil habet quod culpetur, præter ſupreſſum callidè nomen conſubſtantialitatis: ſecunda verò apertè impia, & Ariana fuit.

III. Concilijs partim approbatis, partim reprobatis accenſetur etiam Concilium Quiniſextum, Coſtantinopoli in Trullo celebratum annò 692. ſinè auctoritate Sedis Apoſtolicæ, prætextu ſupplendi Canones Eccleſiaſticos in V. & VI. Synodo non confectos; cum tamen hæ Synodi tantùm ob cauſam fidei fuerint congregatæ. Vndè eſt Conciliabulum ab Eccleſia reprobatum. Canoneſque 102. ibidem conditi ex hac Synodo nil habent roboris; quamquàm Eccleſia eos non reſpuat, vti veritati conſentientes, qui aliàs ſunt ſecundum Decreta legitimorum Conciliorum, aut S. Romanæ Eccleſiæ. Cæteros verò Decretis SS. PP. contrarios ſemper deteſtata eſt. Canonem octuageſimum ſecundum citant quidem Patres Synodi VII. at non alia ratione, quàm vt Iconoclaſtas, eum velut Synodi œcumenicæ partum admittentes, proprio gladio iugularent.

IV. pariter annumeratur huius generis Concilis Francofordienſe 300. Epiſcoporum, præſentibus Sedis Apoſtolicæ Legatis anno 794. celebratum (quòd tamen in rigore ſolùm fuit Prouinciale, ſeù Nationale) approbatum, quoad ea, quæ reiectam ibidem adoptionem Chriſti concernunt; reprobatum autem quoad eam partem, qua ex errore damnata ab eo fertur Synodus Nicæna II. Dico, fertur: nam de veritate non ſatis conſtat: quinimò credibilius eſt, falſam eſſe hanc relationem; vt fusè probat Binius in Notis, &

con-

conſentit Longus ibidem; etſi in Indice præambulo oppoſitum ſupponat.

V. Concilium Conſtantienſe Oecumenicum, qualiter ex parte ſolùm probatum ſit, in ſupradictis diximus.

VI. Inter hæc recenſetur Concilium Baſilenſe; quod quidem à Martino V. indictum, & opera Eugenij IV. legitimè inchoatum, mox degenerauit in illegitimum, & ſchiſmaticum, nulliuſque prorſus auctoritatis Conciliabolum, & hoc nomine reprobatum in Concilio Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 11. Vnde nihil huius Concilij ratum eſt: niſi quod dudum poſtea Nicolaus V. pacis gratia approbauerit, quæ de beneficijs Eccleſiaſticis in eo conſtituta fuerant.

Denique Concilium generale Piſanum anno 1409. celebratum duobus ſe pro Pontifice gerentibus, ad tollendum ſchiſma, neque apparet clarè approbatum, neque etiam reprobatum. Nam Antoninus quidem p. 3. tit. 12. c. 5. §. 2. vocat Conciliabulum illegitimum, ſchiſma quoque per illud potiùs videtur fuiſſe auctum, dum depoſito Gregorio XII. & Benedicto Pſeudopapa, electus eſt Alexander V. à Cardinalibus vtriuſque obedientiæ, duobus alijs Pontificatum deponere nolentibus. Aliundè tamen apparet fuiſſe legitimum: tum quia Alexander V. cenſetur hoc nomine in Cathalogo legitimorum Pontificum, & Alexander VI. alias ſe quintum appellare debuiſſet: tum quia ipſe Alexander V. in articulo mortis, proteſtatus eſt ſe credere acta Concilij rectè, & integrè ſine dolo malo peracta fuiſſe: tum quia videri poterat Cardinalibus in huiuſmodi dubio, ſeu controuerſia fas eſſe prouidendi Eccleſiæ de capite non controuerſo; hæc omnia de Concilijs approbatis, reprobatis, & partim approbatis, ac partim reprobatis deſumpſi ex noſtro Herincx p. 3. Sum. Theol.

Cæterùm ex ſuperiori doctrina de fide, & de Pontifice inferuntur ſequentes regulæ, ex quibus facilè dignoſci poſſit; an aliquid ſit definitum; vel ſit de fide. Prima eſt. *Quicquid Pontifex ex cathedra pronunciat eſſe bonum, vel malum; certò tenendum eſt, quidquid ſit, an hoc ſit de fide:* ita communis ſententia Theologorum, & ſignanter ex noſtris. Cordub. tract. de Pontifice, Herinx, Ondeghem in luce meridiana cap. 31. quem refert Neuſer in Polyanthea-theologico-canonico-morali, & ſequitur.

II. Reg. *Ex definitionibus Papæ, vel Conciliorum circa quæſtiones facti, hoc eſt actiones, quas quis fecit, verborum; quæ quis protulit, ſenſum, quem quis in prolatione habuit, nullam connexionem cum fide, vel præceptis habentium, nec in aliqua propoſitione vniuerſali formaliter reuelata, virtualiter, & implicite contentorum, ſed concernentium tantum particulare quoddam delictum, ob quod infligitur excommunicatio deponitur quis ab officio, nequit erui argumentum infallibile, aliquid eſſe reuelatum:* ita Neuſer ex communi.

III. Reg. *Ex definitionibus Eccleſiæ in Concilio, vel Pontificis extra Concilium circa quæſtiones facti mixtas, ſeu connexas cum fide, vel in propoſitionibus vniuerſalibus immediatè formaliter reuelatis, implicitè, ſeu virtualiter contentis infallibiliter, eruitur aliquam propoſitionem eſſe reuelatam.* Ita Neuſer quæſt. proœm. in cit. Polianthęa; citans ex noſtris Macedo, Herincx, Cardinal. Brancatum, & Duffy; & etiam Caronum. Quam quidem regulam late probat idem Neuſer, at ego breuitati intentus potiores rationes paucis verbis perſtringam: Igitur prima ratio eſt. Quia Scriptores Canonici habent inerrabilitatem, & infallibilitatem in ſcribendis hiſtorijs, geſtis, ac factis, quæ de facto in verbo Dei ſcripto recenſentur; adeoque & Eccleſia, cum nulla poſſit aſſignari diſparitas. Quandoquidem reuelatio formalis, vel confuſa factorum particularium conducat ad Eccleſiæ directionem, ſalubrem vtilitatem; ad hunc enim finem omnia ſcripta ſunt: immò à fortiori id competit Pontifici Capiti Eccleſiæ, cui collata eſt poteſtas paſcendi oues cibo ſalutari, noxij amotione, præſeruatione à lupis, à furibus, quales maxime ſunt hæretici.

Secunda ratio. Quia omnis illa propoſitio eſt obiectum fidei, quæ ab Eccleſia, in Concilio, vel à Pontifice extra Concilium definitur virtualiter, & implicite contineri in propoſitione aliqua formaliter, & expreſsè in verbo ſcripto, ſeu tradito contenta, ſed plures quæſtiones facti ab Eccleſia ſic definitæ ſunt; ergo &c. mai, conſtat; ſic enim hæc eſt obiectum fidei: *Matthæus fuit in cænaculo: item qui moritur in peccato, damnatur, quia certum eſt omnem impænitentem vſque ad mortem damnari.* Similiter hac ratione D. Franciſcum deuixiſſe in ſanctitate, & eſſe beatum, quia reuelatum eſt omnem finaliter perſeuerantem in gratia æterna beatitudine frui: min. probatur; ſic enim definitum eſt, has propo-

ſitio-

ſitiones; nempe quod *Arrius docuit Chriſtum eſſe minorem Patris, adeoque non eſſe Deum; quod Sabellius docuit Patrem eſſe paſſum; & ſic pariter propoſitiones Ianſenij &c. vt potè contentas in propoſitione vniuerſali, & expreſſa in verbo Dei ſcripto*, vt in Epiſt. ad Timot. cap. 4. *Erit enim tempus cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros* &c. Marci cap. 13. *Exurgent pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna, & portenta*. D. Petri 2. cap. 2. *Erunt in vobis Magiſtri mendaces, qui introducent ſectas perditionis, & multi ſequentur eorum luxurias, per quos via veritatis blaſphemabitur*; & cap. 3. *Venient in nouiſſimis diebus in deceptione illuſores iuxta proprias conſcientias ambulantes*; ergo de fide eſt credendum, quæſtiones facti, quæ concernunt fidem, vel mores ſalutares; vel quæ deducuntur ex verbo ſcripto, vel non ſcripto ita ſe habere prout à Pontifice, vel Concilio definiuntur; quare eſt de fide propoſitiones illas quinque damnatas reperiri in Ianſenio iuxta ſenſum auctoris intentum, quem verba præſeferunt, vt alibi ex Herincx notaui.

IV. Reg. *Omnis, & ſola illa propoſitio eſt obiectum aſſenſus fidei, quæ immediatè, & in ſe formaliter terminat D. reuelationem in terminis proprijs, vel æquiualentibus, enuntiantem prædicatum de ſubiecto, vel illud de eo negatur*. V. Reg. *Quotieſcunque Deus affirmat aliquod prædicatum conuenire ſubiecto, aut negat; tunc ſimul formaliter, vel virtualiter, clarè, aut confuſè, explicitè, aut implicitè affirmantur, vel negantur omnia illa, & ſola prædicata de eodem, quæ niſi affirmarentur, vel negarentur, facerent, vt Dei locutio eſſet falſa*; v. g. Reuelato Dauid peccaſſe peccato adulterij, reuelatum fuit eum extitiſſe, eum peccaſſe ſcienter, & liberè; eumque, vel complicem fuiſſe Matrimonio ligatum; nam ſi hæc non reuelarentur propoſitio reuelans Dauid peccaſſe &c. fuiſſet falſa, & locutio Dei nugatoria.

VI. Reg. *Reuelato definito, reuelatur definitio*: ita Neuſer, cum noſtro Cariere in Digeſto fidei. Ratio; quia definitio, & definitum ſolum differunt explicatione terminorum; nec poteſt negari vnum eſſe aliud. VII. Reg. *Affirmato, vel negato vno correlatiuo, affirmatur, vel negatur eius correlatiuum*. Sic reuelatum quod Petrus Chriſtum negauerit reuelatur negatio ab eo producta: ita noſter Caronus, & alij à Neuſer relati. VIII. Reg. *Reuelata vna propoſitione vniuerſali diſtributiua, reuelantur omnes propoſitiones particulares ſub illa con-*

 ten-

tenet: ita Caron. Neuſer, Auerſa, & alij: ratio eſt, quia terminus communis ex vi vocis ſignificat omnia ſua ſingularia.

IX. Reg. *Affirmato, vel negato effectu formali in aliquo, affirmatur, vel negatur in eo eſse principium formale*; ſic reuelato, quod Paulus apertis oculis nihil viderit, negatur in eo fuiſſe viſionem: ita Neuſer, & alij. X. Reg. *Affirmato, vel negato prædicato, affirmatur, vel negatur eius contradictorium, contrarium, & diſparatum*: ita Franceſ. in tom. de Conception. Immacul. & Neuſer. Sic reuelato, panem tranſubſtantiari in corpus Chriſti, reuelatur in Euchariſtia non eſſe ſubſtantiam panis; ſic reuelato, quod Petrus negauerit Chriſtum, reuelatur etiam quod illo actu non meruerit, ſed demeruerit; ſic reuelato, nullum actum eſſe formaliter malum, niſi liberè ſit productus; reuelatur nullum actum neceſſariò productum, vel non ſubſtratum dictamini rationis eſſe malum.

XI. Reg. *Affirmata, vel negata aliqua propoſitione, non affirmatur, vel negatur oppoſita, niſi hæc illi opponatur, & quoad entitatem, & quoad ſtatum; quia aliàs non eſsent oppoſita*; ita Neuſer: ſic reuelata futuritione negationis Petri, ſi introeat in atrium, non reuelatur quod Chriſtum ſit abſolutè negaturus, ſed ſuppoſito introitu in atrium, nam ſub hac ſuppoſitione illa negatio futura affirmatur. XII. Reg. *Illæ propoſitiones damnantur in Concilijs etiam in Trid. quas vel docuerunt hæretici, contra quos Concilia indicta ſunt, vel aſsumpſerunt ex catholicis, & in litem tranſierunt, atque ad Concilium delata ſunt*: ita Neuſer cum Pallauicin. in hiſtoria Trident. lib. 8. cap. 3. dicens: *Non fuiſse mentem Concilij tangere controuerſias agitatas inter catholicos; Immò Pontificem ſcripſiſse ad ſuos Legatos, vt cauerent, ne in diſputationem adducerent in d. Concilio Trid. controuerſias à catholicis agitatas, idque etiam conſtat ex Bulla indictoria eiuſdem Trident. in qua habetur: Concilium indicendum eſse ad extirpandas hæreſes, & erroneas doctrinas, non ad ſtatuenda dogmata fidei quantum ad ea pertinent, quæ nemo hactenùs damnauit*. Et ideo totum Concilium, & legati Concilij Præſidentes, dum de alijs materijs tractaretur, maximè inter Scotiſtas, & Thomiſtas, monuerunt Concilium indictum eſſe ad damnandas hæreſes, & non opiniones catholicorum oppugnandas. Quarè propoſitiones, quæ tantùm incidenter, & ex aliquo ponuntur in Decretalibus, & Concilijs, quę præmittuntur in decretis, aut quę adducuntur ad propoſitiones, quæ delatæ ſunt, probandas,

non

non definiuntur: ita communiter Doctores, vt alibi etiam notaui cum Herincx; & noſter Caronus ex Scoto docet, ob eandem rationem, ſeu cauſam, non omnes canones eſſe de fide, eſtò addatur anathema, quia teſte etiam Cano propoſitiones erroneæ, & temerariæ ſæpè anathematizantur. Hinc ſubinfert Neuſer cum Carono cap. 18. inter Theologos varias reperiri opiniones, quæ tamen tolerantur, & manent ignotæ, ac ſopitæ, eò quòd in litem publicam non trahantur, & craſsè hallucinari nonnullos modernos theologos, dum inuehunt in quorumdam Catholicorum ſententias, ac ſi eſſent à Trident. damnatas.

QVÆSTIO IV.

De Symbolis Eccleſiæ.

NOt. Quòd ſicut ſpectantia ad mores ſunt redacta in Decalogo ad quoddam compendium, ſic & quæ ad fidem ſpectant in Symbolis, quæ nimirum ſunt breuis, & ſimplex collectio articulorum particularium, & præcipuorum fidei. Symbolum enim dicitur à ſin; quod eſt ſimul, & bole, quod eſt ſententia, & latinè ſignificat collectionem, qua in ſumma colliguntur fidei capita. Itaque *Symbolum fidei eſt collactio, ſeu collectio plurium fidei capitum*; Articuli namque fidei ſeruant inter ſe ordinem, ſicut prima principia in ſcientijs naturalibus: quarè, ſicut principia vniuerſalia in vniuerſalioribus includuntur, vt de hoc principio: *De quolibet eſt vera affirmatio, vel negatio, & de nullo ambo ſimul*, includuntur, cætera principia ex Ariſt. 4. metaph. ita articuli fidei minùs vniuerſales includuntur in vniuerſalioribus v. g. omnes articuli fidei ſpectantes ad diuinitatem includuntur in illo, quem ponit *D. Pauli ad Hebr.* 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*.

I. Concl. Tria ſunt fidei Symbola in Eccleſia vniuerſali vſitata, nimirum Apoſtolorum, Nicænum, & D. Athanaſij; primum autem, & principale eſt Symbolum Apoſtolorum, non quia plura contineat de quantitate ſcripturæ, vt dicit noſter Ricard. in 3. d. 25. art. 3. ſed quia articulos fidei continet pleniùs; omnes enim continentur in eo, & quia plus continet de ſententia in virtute, & quia fuit conditum

ab Apoſtolis, qui maiores fuerunt auctoritate, quam illi Patres, qui condiderunt Symbolum Nicænum, quod dicitur in miſſa, & quàm Athanaſius, qui condidit Symbolum, quod dicitur in prima, hæc enim duo ſymbola, quaſi quædam explanationes ſunt Symboli Apoſtolorum: quia autem Symbolum Apoſtolorum fuit conditum tempore veritatis, nondum publicatæ, ideò ſubmiſsè dicitur. In prima tamen dicitur, & in completorio ad ſignificandum confeſſionem fidei maximè fuiſſe neceſſariam in primitiua Eccleſia, & fore neceſſariam in temporibus vltimis. Symbolum autem Nicæni Concilij factum fuit tempore veritatis propalatæ, & ideò alta voce dicitur, & in miſſa diebus ſolemnibus poſt Euangelium, & ante communionem, quia tractum eſt ex Euangelio, & eſt præparatio ad Communionem. At Symbolum Athanaſij conditum fuit tempore veritatis propalatæ inconcuſſæ, & præualentis, & ideò dicitur alta voce poſt noctem finitam prima hora diei. Siquidem Athanaſius hanc fidei formulam non compoſuit per modum publici Eccleſiæ Symboli, ſed potiùs per modum doctrinæ; eo fine, vt manifeſtaret ſuam fidem de myſterijs D. & Chriſti: quia verò integram fidei veritatem doctrinæ eius breuiter, & clarè continebat, recepta eſt Eccleſiæ, ſeu Summi Pontificis auctoritate, vt pro Symbolo, & Regula fidei haberetur. Certum eſt enim ad ſolum Pontificem in Concilio generali, vel extra, ſpectare Symbola fidei condere, prout occaſio ſuccreſcentium hæreſum dictauerit.

Cæterùm Symbolum Nicænum, cuius hodiè vſus in miſſa eſt, prout ferè modo iacet, editum fuit in Conc. Conſtantinop. excepta particula, filioque, quæ poſtmodum adiecta fuit, id exigentibus ſuccreſcentibus hæreſibus, & quidem Symbolum Nicænum eſt multò breuius, vt videre eſt in tom. 1. Concil. in quo poſt Articulos de Chriſto, ſolùm ſubditur, & in Spiritum S. eſt quoque paulò aliter diſpoſitum quoad ſtilum; at occurrente noua hæreſi Macedonij, contendentis Spiritum S. eſſe creaturam ſolius filij, in Conc. Conſtantinop. addita fuere quæ Diuinitatem, & proceſſionem Spiritus S. à Patre concernunt cum cæteris ſequentibus.

II. Concl. Symbolum Apoſtolorum continet 14. articulos quantum ad ipſa credibilia; ſi autem diſtinguantur ſecundum

dum illos, qui primos articulos compoſuerunt, & diſtinxerunt, ſic ſunt duodecim iuxta numerum 12. Apoſtolorum. Eſt Scot. in 3. diſt. 24. quæſt. 1. & Ricar. in 3. & eſt recepta ab omnibus ferè Theologis, quod oſtenditur ſic à Scoto. Aut articuli fidei ſunt de Deo tantum, aut de Deo ratione naturæ aſſumptæ, ſi primo modo, hoc conuenit tripliciter, quia, aut de Deo ratione naturæ, vel eſſentiæ, & ſic habetur hic articulus: Credo in Vnum Deum, aut ratione Perſonarum, ſic ſunt tres articuli, ſecundum quod ſunt tres Perſonæ 1. *Patrem Omnipotentem*: 2. *Et in Ieſum Chriſtum Filium eius vnicum Dominum noſtrum*: 3. *Credo in Spiritum Sanctum*; aut ratione effectus Dei, & ſic ſunt tres articuli de Deo 1. *Quantum ad creationem; Creatorem Cęli, & terrę*. 2. *quantum ad gratificationem; & remiſſionem Peccatorum* 3. *quantum ad glorificationem; Carnis Reſurrectionem; & Vitam æternam*, & ſic habentur ſeptem ratione Dei tantum Articuli pertinentes ad Deum. Ratione naturæ aſſumptę ſunt etiam ſeptem: 1. pertinet ad Conceptionem; *qui conceptus eſt de Spiritu Sancto*: 2. ad Natiuitatem; *Natus eſt ex Maria Virgine*: 3. ad paſſionem; *Paſſus ſub Pontio Pilato*: 4. ad deſcenſionem ad Inferos; *deſcendit ad Inferos*; 5. ad Reſurrectionem; *Tertia die reſurrexit à mortuis*: 6. ad Aſcenſionem; *Aſcendit ad Cælos &c.* 7. ad iudicium. *Indè venturus eſt iudicare viuos, & mortuos*. Aliam partem concluſionis non oportet probare, quia omnibus patet.

Quæres. An Symbolum Apoſtolorum ſit Scriptura canonica. Reſp. cum noſtro Herincx, quod licet indubitatum ſit hoc Symbolum eſſe conditum iuſtinctu Spiritus S. atque profeſſionis fidei obiecta contenta in huiuſmodi formula, eſſe reuelata à Deo, tamen iuxta viſitatum loquendi modum non eſt Scriptura canonica, eo quod ſinè ſcripto ab Apoſtolis fidelibus traditum ſit, vt etiam Patres veteres teſtantur.

DISPVTATIO VI.

De neceſſitate habitus, & actus fidei.

HActenus plura præmiſimus de obiecto fidei nec non de regulis ipſius fidei; reamanent tamen alia multa diſſerenda, nempe de neceſſitate habitus fidei, & de actu ipſius, tam interno, quàm externo.

QVÆ-

QVÆSTIO I.

Vtrum præter fidem acquiſitam neceſſarium ſit ponere habitum fidei infuſæ.

NOt. 1. ex Scot. in 3, d. 23. q. vn. art. 1. quod in fidelibus adultis eſt fides reuelatorum credibilium acquiſita, quod probat ex Aug. in Epiſt. contrà Manichęum, vbi dicit, *quod non crederet Euangelio, niſi crederet Eccleſię approbanti libros iſtos, & contenta in eis;* Vnde in me, ſi non eſſet fides infuſa adhuc firmiter crederem hiſtorijs librorum Canonis propter auctoritatem Eccleſiæ, ſicut fide acquiſita credo alijs hiſtorijs à quibuſdam viris famoſis ſcriptis, & enarratis; idque manifeſtè patet de puero Iudæo nunquam baptizato, qui, ſi inter nos nutriretur, & chriſtianis moribus diſciplinaretur, habitu acquiſito ex audito crederet, & adhæreret omnibus; ac ſi eſſet baptizatus. Similiter ſi aliquis credat omnes articulos fidei, non aſſentiatur autem vni, fidem infuſam perderet, & fieret hæreticus, adhuc tamen firmiter ahæreret alijs Articulis, non fide infuſa, ſed fide acquiſita.

Not. 2. ex Scot. in 3. Repor. d. 23. q. 1. § ſed quomodò ſe habet fides reſpectu actus ſecundi, reſp. ſic. Dico quod, ſicut nec ſola charitas, nec ſola voluntas cauſat actum meritorium diligendi, ſed habitum facit formam circumſtantionatam, vt ſcilicet ſit acceptus Deo, & cum hoc eſt cauſa partialis reſpectu ſubſtantiæ actus, ſic habens intellectum benè diſpoſitum naturaliter & credens fide acquiſita, ſi tunc ſibi daretur fides infuſa, ipſa vt partialis cauſa cum alijs partialibus cauſis operatur, vt actus credendi ſit certior, quàm priùs erat ſinè fide infuſa, nec tamen ſolùm pono habitum fidei infuſæ propter gradum in actu, ſed etiam propter aſſenſum, quia aſſenſus non eſt totaliter à voluntate, quod patet experimento, aliqui enim habent maiorem voluntatem credendi, & aſſentiendi, & tamen minùs firmiter aſſentiunt, ità quod aliquando dubitant volentes fidem maiorem, ideò Apoſtoli petierunt Domino; *Adauge fidem noſtram,* & idem petitur in illa collecta Dominicæ 13. poſt Pentecoſtes. *Omnipotens ſempiterne Deus da nobis fidei, ſpei, & Charitatis augmentum &c.* quod non oporteret

ret petere, ſi dictus aſſenſus eſſet ſolum à voluntate. Hinc infertur differentia inter fidem acquiſitam, & infuſam, nam fides infuſa eſt habitus fidei ſupernaturalis quoad ſubſtantiam ſpecie diuerſum ab acquiſito, quod conſtat tum ex diuerſo motiuo, quo vterque habitus innititur; nam ille innititur teſtimonio diuino propter ſe credendo, hic autem teſtimonio humano: tum ex diuerſis effectibus, nam ille eſt productiuus ſupernaturalis actus, hic verò naturalis.

Concl. Fides infuſa præter acquiſitam neceſſariò ponenda eſt in fideli, & propter ſupernaturalitatem actus credendi, & propter maiorem eius certitudinem, & firmitatem. Eſt Scot. loc. cit. prob. 1. pars, nempe, quod fides ſit neceſſaria ad ſupernaturalitatem aſſenſus fidei. Actus ſecundus præſupponit actum primum proportionatum, vt docet Doctor in 1. d. 1. q. 4. & alibi, ſed ſic eſt, quod actus ſecundus fidei, ſeu credendi eſt ſupernaturalis; ergo debet præſupponere actum primum ſupernaturalem, quia naturale ad ſupernaturale non habet proportionem; ergo neceſſariò ponenda eſt fides infuſa ad eliciendum actum ſupernaturalem, & meritorium.

Confirmatur hæc ratio à ſimili de voluntate, quæ, inquit Scotus, ad hoc vt ſupernaturaliter operari poſſit, ſupponitur in eſſe ſupernaturali conſtituta per habitum ſupernaturalem, vel aliam qualitatem ſupplentem eius naturalem impotentiam, & imbecillitatem ad actus ſupernaturales eliciendos. Prob. 2. pars ex Scot. in 3. loc. cit. ad quæſtionem, & quol. 14. art. 1. Firmus aſſenſus nequit eſſe à fide acquiſita, ergo præter eam ponenda eſt fides infuſa: conſ. patet, prob. ant. Siquidem fide D acquiſita nullus credit alicui, niſi quem ſcit poſſe fallere, & falli, licet credat ipſum non velle fallere; fides enim acquiſita innititur veracitati teſtis creati, puta hominis, vel Angeli, quibus non omnia ſunt nota, ac proindè poteſt aſſentiri mentienti, ſed nemo poteſt perfectè aſſentiri dictis eius, quem nouit poſſe fallere, & falli in his, quæ dicit; ergo fide acquiſita nequit haberi certus, & firmus aſſenſus; ergo oportet ponere fidem infuſam propter firmum aſſenſum, quæ reſpicit Deum pro obiecto primo, de quo ſicut de obiecto formantur aliæ veritates, quæ continentur in articulis mediatiùs, vel immediatiùs. Confirmatur ex doctrina, quam Doctor habet quol.

14. vbi

14. vbi inquit, quod fides infuſa non poteſt in aliquod falſum inclinare, cum inclinet virtute luminis D. cuius eſt participatio, & ita non niſi ad illud, quod eſt conforme illi diuino lumini, at fides acquiſita communiter innititur aſſertioni alicuius teſtis, qui poteſt deficere, ac proindè iſta fides non tribuit actui credendi, in quantum innititur aſſertioni humanæ, quod non poſſit ſibi ſubeſſe falſum.

Arg. 1. Ad omnem certitudinem actus credendi, quam experimur in nobis talium credibilium ſola fides acquiſita ſufficere videtur; ergo non eſt ponenda fides infuſa; patet conſ. habitus enim non ponitur niſi propter actum. Vndè ſi vnum ſufficiat, ſuperfluit ponere plura, prob. ant. Sicut firmiter adhæremus hiſtorijs humanis fide acquiſita, ex eo quod credimus hiſtoricos veraces eſſe, ita fide acquiſita firmiter adhæremus hiſtoriæ S. Scrip. & Euangelio, quia firmiter credimus, Scriptores S. Scrip. eſſe veraces.

Reſp. Scot. loc. cit. ant. eſſe falſum, & dat rationem quia licet fides acquiſita ſufficiat ad aſſenſum, & certitudinem actus, quatenùs credere opponitur opinari, tamen non eſt ita perfectè certus, ſicut cum fide infuſa, neque eſſet actus ita intenſus tum quia fides infuſa perficit illum in actu primo, conſtituendo ipſum in ſtatu ſupernaturali, quod nequit præſtare fides acquiſita.

Arg. 2. Si aliquis infidelis habens voluntatem ſuſcipiendi religionem catholicam, rapiatur ad martyrium. & ſtatim pro Chriſto occidatur, talis nunquàm accepit habitum fidei infuſæ, quia ſuppono, quod in puncto martyrij non fuerit iuſtificatus, quia tunc fruſtrà acciperet fidem infuſam, quandò in ipſo puncto mortis amittitur fides in ijs, quibus ſuccedit viſio beatificata; ergo fides infuſa non eſt neceſſaria. Reſp. talem martyrem per actum contritionis, ſeu amoris Dei inuoluentem baptiſmum in voto fidem infuſam accipere: Nec refert, quod paulò poſt fides infuſa amittatur ob incompoſſibilitatem eius cum gloria, quia ſufficit ornaſſe pro illo tempore intellectum martyris, illumque conſtituiſſe in ſtatu ſupernaturali ad actus meritorios exercendos, quia ſine fide placere Deo non poteſt.

Arg. 3. Ex vna propoſitione de fide, & altera naturali opinabili, vel falſa inferri poteſt aſſenſus, qui ſit falſus: v. g. ex his duabus præmiſſis; vbi eſt duplex natura, ibi eſt duplex

plex perſona : ſed in Chriſto eſt duplex natura ; ergo in Chriſto eſt duplex perſona : at hæc concluſio eſt falſa ; ergo ad aſſenſum concl. falſæ concurrit vtraque præmiſſa, ac proinde præmiſſa de fide ſaltem partialiter, & mediate concurrit ad actum falſum. Reſp. ex Scoto, miſſis aliorum ſolutionibus, neg. concl. illam falſam inferri à præmiſsa fidei D. ſed procedit à præmiſſa naturali falſa, & ab alia præmiſſa naturali fidei acquiſitæ, quia ſimul cum actu ſupernaturali fidei fit alius actus naturalis circa idem obiectum, à quo poteſt procedere illa concl. naturalis, falſa abſque concurſu præmiſſæ ſupernaturalis.

QVÆSTIO II.

Vtrum differentia inter actus naturales, & ſupernaturales ſemper prouentat ex ipſo obiecto.

NOt. 1. Quòd motiua, & rationes humanæ, ſicut ſunt conditio reſpectu catholici, & veluti præuiæ diſpoſitiones non ingredientes obiectum formale fidei, ſic etiam ſunt conditio reſpectu hæretici, non ingredientes obiectum formale fidei ; Vnde hæreticus non elicit aſſenſum fidei ſupernaturalem, ex eo quod circa obiectum formale fidei ſit male affectus, ſed quia circa motiua, & conditiones fidei, per quas dirrigitur pia affectio, eſt malè diſpoſitus, ex quo fit, vt Deus nolit illi præſtare concurſum ad actum ſupernaturalem, & ſicut oportet ad ſalutem, donec prudenter moueatur, quæ quidem motio prudentialis prouenit ex conditionibus, non autem ex ipſo obiecto formali fidei, quod omnibus æquè obſcurum eſt.

Not. 2. Quòd licet dentur aliqui actus ſupernaturales, qui neceſſariò habent obiectum formale diſtinctum ab obiecto omnis actus naturalis ; vt eſt v. g. viſio beatifica, ad quam nulla creatura poteſt naturaliter peruenire, aliqui tamen actus ſecundum modum tantum ſupernaturales poſſunt habere idem obiectum formale cum aliquibus actibus naturalibus, quia licet actus ſpecificentur ab obiectis, non tamen tanquam à ſpecificatiuo adæquato, ſed ſolum inadæquato cum ſpecificentur etiam in ordine ad principia, vt infra oſtendetur.

Not.

Not. 3. quod quæſtio procedit etiam de actibus ſpei; & charitatis, nec non aliarum virtutum infuſarum, an differant ſemper ex parte obiecti formalis motiui, de obiecto enim materiali non videtur eſſe dubium, quin per actum vtriuſque generis attingi poſſit idem obiectum materiale v. g. abſtinentia à potu, tam poteſt elici per actum naturalem, quam ſupernaturalem, differunt tamen in motiuo, ſcilicet abſtinere per motiuum naturale, & ſupernaturale. Circa quam quæſtionem ſic explicatam ſunt tres opiniones. Prima affirmat actus naturales, & ſupernaturales ex parte obiecti formalis motiui ſemper differre, ita Caet. Medina, & alij Thomiſtæ: 2. negat ſemper differre actus naturales, & ſupernaturales ex parte obiecti formalis, eſtò enim quamplures ita differant; adhuc tamen plures alij ſunt, qui, ſiuè naturales ſint, ſiue ſupernaturales, ſemper habent idem obiectum materiale, & formale, & ſolum differunt ex parte principij, quatenus vnus exigit fieri à ſolo principio naturali, alter verò à principio ſupernaturali. Ita Scot. in 3. d. 25. q. 2. & d. 27. q. 1. cui adhærent plures Recentiores: 3. deniq; procedit cum diſtinctione, aſſerens quod de poſſibili non repugnat actus virtutis naturalis & infuſæ non diſtingui ex parte obiecti formalis; ſecus autem de facto: ita Lugo diſp. 9. ſect. 1. & alij.

Concl. Actus naturalis, & ſupernaturalis non neceſſariò differunt ex obiecto formali, & motiuo: hæc eſt Scoti loc. cit. cum ſuis, vbi docet, quod dilectio, qua Deus propter ſe diligitur, ſiuè ſit naturalis, ſiuè ſupernaturalis habet idem obiectum formale, ideſt bonitatem Dei, qua in ſe bonus eſt, quæ eſt eadem, ſi quis diligat Deum amore naturali, ſiuè ſupernaturali. Quarè infert Doctor vtrumque actum poſſe habere idem formale obiectum, & adducens reſponſionem quorumdam dicentium Deum eſse obiectum amoris ſupernaturalis, prout eſt auctor donorum ſupernaturalium; amoris verò naturalis, quatenus eſt aucthor naturalium, hanc reſponſionem ſubtiliter refellit ibidem §. cont. primam viam, quia eſtò hæ conſiderationes, ſiuè rationes formales poſſint in nobis diuerſos concupiſcentiæ amores excitare, quibus Deum diligimus, tanquàm nobis bonum, ſeu vt bonum noſtrum, tamen impertinentes ſunt ad diuerſitatem amorum amicitiæ, quibus Deus amatur propter

ſe,

ſe, & quatenùs in ſe bonus eſt, abſtrahendo ab eo, quod ſit auctor rerum naturalium, aut ſupernaturalium, quia ſecundùm talem rationem potiùs eſt bonus nobis, quàm in ſe.

Prob. 1. Si virtus acquiſita non poſset tendere in idem obiectum terminatiuum, & motiuum, in quod tendit infuſa, poſset quis cognoſcere, quando nam exercet actus ſupernaturales, ac proinde certus eſse poſset, non ſolum de ſua fide infuſa, ſed etiam de charitate, & gratia ſanctificante, quæ ſemper confertur homini elicienti actum ſupernaturalem dilectionis Dei ſuper omnia, ſed hoc eſt falſum; ergo &c.

Confirm. nam iuſtus amans Deum amore ſupernaturali, ob eius bonitatem percipit obiectum motiuum, & terminatiuum ſui actus, poſtea incidit in peccatum mortale, de quo confeſsus, putat ſe gratiam recuperaſſe, quam tamen ob aliquem ſuum defectum, vel Sacerdotis abſoluentis non recuperauit, certe poteſt talis homo rursùs amare Deum, ſed non amore ſupernaturali ob gratiæ defectum, vel ergo in hoc caſu ille ſentit aliquam differentiam ex parte obiecti motiui, & terminatiui amoris, quem nunc habet, & quem habuit antè, vel non ſentit, ſi primum; ergo ex tali diuerſitate euidenter deducere poteſt, quod gratiam non recuperauit, ſi 2. ergo vterque actus habet idem obiectum motiuum, & terminatiuum. Reſp. aliqui, hominem gratia deſtitutum non poſſe diligere Deum ſuper omnia amore efficaci, ſed ad ſummum amore inefficaci, amor autem efficax, & inefficax ſunt diuerſi; ergo &c. Verùm hæc reſponſio eſt nullius momenti, nam efficacitas, & inefficacitas actus ſe tenent ex parte potentiæ non autem ex parte obiecti motiui, & terminatiui; quarè vterque actus attingit omnino idem obiectum formale, licet inæqualiter, quod non valet diuerſificare rationem formalem obiecti.

Reſp. alij obiectum ſupernaturale proponi tantùm tanquam quid ſuperans vires naturæ: ſed nec iſta valet, nam quicquid per intellectionem naturalem repræſentatur, & proponitur, tanquam perfectio amabilis, quantumuis proponatur, vt ſupernaturalis, ac vires naturæ ſuperans, videtur eſse obiectum proportionatum ad aliquam volitionem naturalem, ſeù complacentiam. Imò taliter, vt etiam notauit inter alios extrà noſtram Scholam Auerſa, quod

hæc

hæc ipſa ſit ratio motiua ad appetendum, quia vt bonum ſupernaturale eſt maius bonum, ac proinde magis extimandum ab eo, quod apprehenditur.

Prob. 2. Specialiter de actu fidei, de quo hic agimus. Fides acquiſita poteſt tendere in quodcunque obiectum motiuum, & terminatiuum, in quod poteſt fides infuſa; ergo non neceſſariò diſtinguitur ab illa ex parte obiecti: prob. aſſumptum. Etenim fide acquiſita poteſt quis credere Deum eſſe vnum, & Trinum per reuelationem D. aut veracitatem Dei, ſuppoſita reuelatione, ſed reuelatio D. aut diuina veracitas, ſuppoſitâ reuelatione, eſt obiectum formale motiuum fidei infuſæ; ergo poteſt fides acquiſita tendere in quodcunque obiectum motiuum, & terminatiuum, in quod tendit infuſa. Min. eſt clara, & mai. patet de catholico, qui diſſentiens alicui articulo fidei, ob cuius crimen cadat in hæreſim, adhuc tamen tendit in alios articulos fide acquiſita ob reuelationem D. vel Dei veracitatem.

Arg. 1. Obiectum ſupernaturale eo ipſo, quod eſt ſupernaturale, excedit actum naturalem, ſed obiectum fidei eſt ſupernaturale; ergo obiectum fidei excedit actum naturalem, ac proinde actu naturali attingi non poteſt, quia alioquin non eſſet obiectum ſupernaturale, ſi attingi poſſit à naturali potentia. Reſp. diſt. min. obiectum fidei eſt ſupernaturale reſpectu conſequtionis, quia non poſſumus viribus naturæ eo frui, nec ipſius dona conſequi, & inſuper reſpectu cognitionis, quatenùs ſine vlla reuelatione non poteſt vt tale cognoſci, conc. min. ſuppoſita reuelatione nego min. nam per reuelationem factam viribus naturæ poſſumus alicui aſſentiri, narranti Deum eſſe Vnum, & Trinum, ac proinde vt talem amare, nam reſpectu huius amoris non eſt obiectum ſupernaturale, ſeu rationem talis obiecti non exercet.

Contra. Si quis poteſt attingere actu naturali veracitatem Dei, ille actus erit tam certus, quam ſupernaturalis; ergo habebit omnem certitudinem requiſitam ad ſalutem, quia diſtinctio in entitate, quod ſit naturalis, vel ſupernaturalis in ordine ad mores parum facit. Reſp. Arriaga, relatus à Maſtrio in hac quæſt. poſſe Philoſophum dicere actu naturali, Deus eſt verax, qui actus erit tam certus ex parte obiecti, quàm actus fidei, & eodem modo diſcurrit

de

de hæretico, quia quomodocumque ad hoc inducatur, dicit Verbum incarnatum eſt, quia Deus dixit, & non poteſt errare. At hæc reſponſio non conſonat noſtræ doctrinæ ſuperiùs poſitæ, quarè negamus illum actum eſſe tam certum, quam ſupernaturalem ex parte obiecti.

Arg. 2. Si actus fidei infuſæ, & acquiſitæ non diſtinguerentur, ſequeretur actus ſupernaturales, quos de facto habemus, non eſſe ſupernaturales ex ſuo motiuo, vel obiecto, cum ad idem motiuum potuiſſet terminari actus naturalis, ſed conſeq. eſt abſurdum, quia tolleretur neceſſitas gratiæ ſupernaturalis; ergo &c. Reſp. neg. ſeq. mai. nam diuerſo modo actus naturalis, & ſupernaturalis ſe habent in attingentia obiecti, licet concedamus vtrumque verſari circa motiuum ſupernaturale, ſiquidem actus ſupernaturalis habetur ex ſpeciali Dei auxilio, actus autem naturalis habetur à ſola potentia tendente circa idem obiectum formale, quod tamen non exercet, vt paulò ſuperiùs indicauimus, rationem obiecti ſupernaturalis. Vndè non tollitur neceſſitas gratiæ, quia hæc neceſſitas non probatur ex motiuó, vel obiecto, ſed ex nobili, & excellenti modo attingendi tale obiectum.

Arg. 4. Virtutes, ſeù habitus ſpecificantur ab actibus, & actus ab obiectis; ergo virtutes diuerſæ ſpeciei debent habere obiecta diuerſæ ſpeciei, ſed fides infuſa, & acquiſita ſunt diuerſæ ſpeciei; ergo debent habere obiecta diuerſæ ſpeciei, ac proindè fides infuſa, & acquiſita non habent idem obiectum. Mai. eſt Ariſt. in lib. de Anima, & min. videtur docere Scotus in 3. loc. cit. §. ad quæſt. & quol. 14. & 17. vbi fidem infuſam ab acquiſita diſtinguit ex parte obiecti motiui, & obiecti formalis, eò quod fides infuſa nititur immediatè teſtimonio Dei, acquiſita verò humano.

Reſp. diſt. ſequel. ſeù primum conſ. virtutes diuerſæ ſpeciei, quæ ſunt ordinis naturalis, ſicut etiam virtutes ordinis ſupernaturalis habent diuerſa obiecta, conc. virtutes diuerſi ordinis ſubordinatæ ordini ſuperiori, nego. Vndè, licet virtutes naturalis ordinis ſint diſtinctę ab omni virtute ſupernaturalis ordinis, non eſt tamen neceſſe, quod omnis virtus naturalis ordinis debeat habere obiectum diſtinctum ab obiecto cuiuſcumque virtutis ſupernaturalis, quia non ſunt habitus diſparati, ſed ſubordinati; ſubordinatur enim

habitus naturalis habitui ſupernaturali, velut propriæ regulæ, & perfecto extrinſeco. Quid dicendum ſit ad auctoritatem Ariſt. alibi indicatum eſt, & præſertim in tract. de Angelis diſp. 1 vbi ex Scoto notaui plùs requiri ad vnitatem, quàm ad diſtinctionem. Ariſt. autem loquitur de diſtinctione, non verò de vnitate. Cæterum, quomodò habitus, & actus diſtinguantur ab obiectis, videri poteſt Maſtr. diſp. 2. de Anima q. 4. vbi hanc materiam latè expendit. Quod attinet ad auctorit. Scoti, concedimus Scotum fidem infuſam ab acquiſita diſtinguere penes teſtimonium diuinum, & creatum; non tamen negare, quin actus fidei acquiſitæ niti poſſit teſtimonio diuino, ac eius veracitatem attingere, quia Deum eſſe primam veritatem eſt procul dubio veritas naturalis; ſimiliter Deum mentiri non poſſe eſt obiectum naturaliter notum, vt docet Scot. in 3. d. 23. quarè, vt eleganter obſeruat Maſtrius in 3. diſp. 6. q. 7. hoc motiuum non eſt ſupernaturale, niſi ratione propoſitionis, & applicationis ſupernaturalis, quæ non eſt debita hominis capacitati, ſed Dei ordinatione conceſſa; huiuſmodi autem tendentiæ naturalis, & ſupernaturalis non ſunt diuerſa motiua formalia, ſed ſunt attingibilitates diſtinctæ eiuſdem motiui.

Ex hactenus dictis de certitudine, & firmitate aſſenſus fidei euidenter conſtat, quàm meritò à Sum. Pontifice Innoc. XI. felic. mem. damnatæ fuerint hæ duæ propoſitiones, quarum prior eſt quarta inter damnatas. *Ab infidelitate excuſabitur infidelis non credens, ductus opinione minus probabili*; poſterior autem in ordine eſt 21. *Aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtat cum notitia ſolum probabili reuelationis; immò cum formidine, qua quis formidet, ne non ſit locutus Deus.* Vtraque ſiquidem propoſitio eſt falſa; certiſſimum enim eſt non dari in materia fidei D. cuius aſſenſus eſt firmiſſimus, & infallibilis, huiuſmodi minorem probabilitatem; immò aſſenſus fidei D. reijcit à ſe omnem prorsùs probabilitatem: ea quippe eſt fidei D. natura, vt excludat quamcunque minimam incertitudinem, ſeu formidinem; ac proinde falſum eſt, quod aſſenſus fidei ſupernaturalis, & vtilis ad ſalutem ſtet cum notitia ſolum probabili reuelationis; & tantò minus formidinis: vbi enim habet locum probabilitas, & formido non poteſt vlla ratione conſiſtere

fir-

firmitas, & infallibilis certitudo ; quæ fidei, & reuelationi diuinæ indiſpenſabiliter competit; quare docet noſter Herincx diſp. 9. n. 28. non poſſe eſſe ſine hæreſi iudicium tantum probabile in materia fidei D. quia iudicio probabili poteſt ſubeſſe falſum; quod fidei D. repugnat. Quod ſi Ruſticus, vel Infidelis credit non credenda, quia decipitur à Paſtore, tunc credit fide acquiſita, non fide D. cuius proprium eſt inclinare in verum reuelatum, tanquam in ſuum formale obiectum, ac proinde teſtimonium primæ veritatis, ſeu locutio, vel reuelatio diuina credenda ſunt fide D. aſſenſu firmiſſimo, ac certiſſimo, reiecta omni prorsùs probabilitate, & formidine.

Quæres 1. Vtrum in voluntate ponendus ſit habitus infuſus, ad hoc vt fides ſit in intellectu.

Reſp. ex Scot. in 3 d. 26. q. 2. non requiri in voluntate habitum aliquem infuſum, quo mediante moueat intellectum ad fidei aſſenſum. Ratio, quia ſi talis habitus daretur, priùs eſſet habitus ſupernaturalis in voluntate, quàm in intellectu, ac proinde fides ordine generationis non foret virtutum omnium prima, quod à communi ſententia Theologorum eſt prorſus alienum, tum quia difficile explicari poſſet; an virtus illa eſſet theologica, vel moralis, non enim reduci poſſet ad virtutes theologicas, cum non attingat immediatè Deum, nec ad morales, quia intellectus non indiget vt moueatur à voluntate per huiuſmodi virtutem, cum poſſit ſufficere auxilium ſpeciale Dei, quo voluntas ſit ſufficiens ad imperandum actum fidei; Nihilominùs non videtur inconueniens, nec ſuperfluum ponere in voluntate virtutem moralem eam inclinantem ad pium affectum credulitatis, quæ in ſententia noſtri Herincx vocari poſſet virtus moralis fidei, à charitate, ſtudioſitate, obedientia &c. diſtincta, & eſt affinis virtuti Religionis, vel potiùs quædam ſpecies illius; propter ſubordinationem tamen fidei ad ipſam moraliter cenſetur quid vnum cum fide.

Quæres 2. Vtrum actus fidei theologicæ ſit diſcurſiuus.

Reſp. actus fidei non eſt diſcurſiuus formaliter, nec virtualiter, eſtò quidam etiam ex Scotiſtis ſentiant eſſe diſcurſiuum virtualiter; eſt tamen communis Scotiſtis, & Thomiſtis. Ratio quia certitudo diſcurſus formalis nititur an-

recedenti, & bonitati conſequentiæ, quæ quidem bonitas ſola naturali ratione innoteſcit; ergo actus fidei non poteſt eſſe diſcurſiuus formaliter: tum quia motiuum fidei immediatum eſt ipſa auctoritas Dei reuelantis, motiuum autem diſcurſus eſt medium ſyllogiſticum, ſeu connexio illius cum extremis, ſed hoc modo D. veracitas eſſet tantùm motiuum mediatum, vel inadæquatum actus fidei, & adæquatè, & immediatè eſſet concluſio ſyllogiſtica deducta, pertinens ad habitum theologicum, qui à fide diſtinguitur; ergo actus fidei non poteſt eſſe diſcurſiuus formaliter; imò nec virtualiter, quia diſcurſus virtualis includit implicitè præmiſſas, at prima veritas reuelans eſt ratio credendi ſimpliciter, & non in virtute diſcurſus etiam virtualis; ergo nec eſt habitus diſcurſiuus virtualiter, nam proximè, & immediatè propter primam veritatem reuelantem articuli redduntur ſummè credibiles, ſicuti lumen eſt ratio videndi colorem.

QVÆSTIO III.

An actus fidei ſit liber, ſeu; an omnis fidei aſſenſus neceſſariò à voluntate dependeat.

NOt. 1. Quòd D. Aug. tract. 29. in Ioan. diſtinguit actum credendi tripliciter, nempè credere Deo, credere Deum, & credere in Deum iuxta triplicem conſiderationem obiecti fidei. Triplici enim modo conſiderari poteſt ipſum obiectum fidei: primò materialiter, ideſt pro eo, quod terminat actum fidei, & ſic dicitur credere Deum; quia nihil terminat actum fidei, niſi Deus, vel quod dicit ordinem ad Deum: 2. formaliter, ideſt pro ratione formali, quæ eſt ratio credendi, & ſic dicitur credere Deo, nam prima veritas vt reuelans eſt ratio formalis, qua credimus reuelatis: 3. mouetur à voluntate, & ſic dicitur credere in Deum. Hic enim modus loquendi addit relationem in ipſum Deum, tanquam in vltimum finem, ad quem eſt neceſſarius aliquis actus voluntatis. Hinc infertur rectè, quod ad hæc tria membra non ſunt neceſſarij plures actus, eidem enim actui poteſt competere triplex illa habitudo, cum Deus ſit obiectum materiale, & formale fidei, & etiam finis vltimus, in quem ipſa fides referenda eſt.

Not.

Not. 2. Quòd præſens quæſtio agitari poteſt de duplici actu voluntatis. Primò quidem de pia affectione, & motu ipſius voluntatis circa reuelantem, & obiectum à reuelante propoſitum, qui motus eſt quædam animi propenſio ad credendas res fidei, quæ proponuntur, qualem inclinationem habent Diſcipuli erga ſuum præceptorem, ex qua affectione pia oritur, vt quiſque inueſtiget rationes, non ſolum quibus tueatur dogmata ſui Doctoris, ſed etiam quibus mouetur, vt illis præbeat aſſenſum: 2. de actu voluntatis, qui dicitur imperium, ſeu volitio efficax, qua voluntas directe imperat intellectui, vt aſſenſum præbeat alicui propoſitioni reuelatæ, eſtò illa ſit obſcura, & ineuidens, quod quidem imperium communiter vocari ſolet pia affectio credulitatis, eò quod non tam reſpiciat Deum reuelantem, & obiecta reuelata, quàm ipſam credulitatem, ſeu aſſenſum fidei. Hic autem non agitur de priori actu voluntatis, quia non determinat directè intellectum ad credendum ſed tantum indirecte, & quatenùs mouet intellectum ad inueſtiganda motiua credibilitatis, ſed eſt ſolùm difficultas de poſteriori, ſcilicet vtrum poſſit dari actus fidei, quin ſit imperatus à voluntate.

Not. 3. Quòd circa hanc quæſtionem tres ſententiæ referuntur: prima eſt quorundam Nominalium abſolutè negantium aſſenſum fidei vllo modo pendere à voluntatis imperio, & hac præcipua ratione ducuntur, quia intellectus eſt potentia neceſſaria reſpectu ſui obiecti. Vndè ſi proponuntur motiua ſufficientia ad fidem intellectus, neceſſariò operabitur ſine voluntatis imperio; quam ſententiam amplexi ſunt nonnulli recentiores: 2. affirmat omnem aſſenſum fidei pendere directè ex imperio voluntatis, non ſolum quoad exercitium, ſed etiam quoad ſpecificationem actus, idque imperio poſitiuo, quo imperet poſitiuè intellectui, vt aſſentiat myſterijs fidei; ità communiter Thomiſtæ, & etiam Scotiſtæ, vt infrà oſtendetur: 3. verò quaſi media inter vtramque, contendit actum voluntatis directum requiri ad aſſenſum fidei diuinæ acquiſitæ, non verò ad aſſenſum elicitum mediante habitu fidei infuſæ. Vndè dicunt ſufficere, quòd voluntas non contradicat ad hoc, vt aſſenſus fidei dicatur voluntarius. Ità quidam Thomiſt. & præſertim Caſtill. diſp. 6. q. 3. putantes eſſe Scoti opinionem

§. I. Concl. Actus, ſeu aſſenſus fidei dependet immediatè ab imperio voluntatis actuali, ſeu actu efficaci. Eſt Scoti in 3. d. 25. q. 2. vbi licet priùs ſignificauerit contrariam aſſertionem non eſſe improbabilem, tamen ſubdit, exprimendo ſuam ſententiam ſic. Et eſtò, quod requiratur motio poſitiua voluntatis, etiam ſufficit voluntas ad ſic mouendum in puris naturalibus, quia, poſito vero ſupernaturali præſente intellectui, poſſet voluntas mouere intellectum ad intelligendum illud, dummodo in intellectu eſſet habitus inclinans intellectum in illud, eandem ſententiam docent D. Bonau. in 3. d. 23. art. 1. q. 2. D. Thom. q. 1. art. 4. & communiter recentiores.

Prob. 1. auctorit. S. Scrip. & præſertim ex verbis Marc. vlt. *Prædicate euangelium &c. qui crediderit, ſaluus erit, qui verò non crediderit condemnabitur.* Item ad Rom. 10. *Corde credimus ad iuſtitiam*; ſed cor innuit actum voluntatis, teſte Aug. tract. 26. in Io. dicente: *Multa poteſt facere homo non volens, credere autem non poteſt niſi volens. Item Lucæ vlt. O ſtulti, & tardi corde ad credendum; & Marc. 16. Exprobrauit incredulitatem eorum*, ſed nemo exprobratur, & condemnatur ob actus præciſè intellectus à voluntate non imperatos; ergo actus fidei pendet ab imperio voluntatis, quod dicitur pia affectio, & ità videtur definiſſe Concil. Arauſic. c. 5. vbi ait, *Affectum credendi eſſe initium fidei, quo in eum credimus, qui iuſtificat impium*, & clarius Tridentinum ſeſſ. 6. cap. 6. vbi docet: *Dum excitati diuina gratia, & adiuti, fidem ex auditu concipientes liberè mouentur in Deum, credentes vera eſſe quæ diuinitùs reuelata, & promiſſa ſunt.*

Prob. ratione. Intellectus debet determinari ſufficiētet ad credendum, vel ab obiecto propoſito, vel à voluntate, ſed nequit ſufficienter determinari immediatè ab obiecto; ergo determinari debet à voluntate. Maior patet, quia nullum aliud determinatiuum intellectus apparet præter obiectum, & voluntatem. Min. prob. obiectum nequit ſufficienter determinare intellectum, niſi vel in ſe immediatè videatur, ſicut quæ ſub experientia cadunt, vel in primis principijs, quæ lumine naturali percipiuntur, vel per neceſſariam conſeq. inferatur ex principijs clarè cognitis, ſed obiectum fidei cum ſit veritas obſcurè reuelata, nullo ex iſtis modis euidenter à nobis cognoſcitur; ergo intellectus ne-

nequit ſufficienter determinari ab obiecto propoſito, & conſequenter directè determinari debet per voluntatis imperium.

II. Concl. Probabiliùs videtur actum, ſeu aſſenſum fidei eſſe liberum, quoad exercitium, & quoad ſpecificationem; hæc pariter videtur aperta mens Scoti loc. cit. q. 1. circa finem, vbi ait; etſi obijcitur aliquis poteſt credere nolens, quia quæ ſunt in intellectu, præcedunt velle. Reſp. dico, quod non ſequitur, quia actus credendi dependet ex duobus, ſcilicet habitu inclinante, & credibili, præſentato, non quomodocunque, ſed præſentato tanquam credibile, & ſic communiter non præſentatur, niſi per doctrinam; & adhuc ſi ſic præſentatur, non neceſſariò credit intellectus, vt ſic credere præcedat velle, quia proponens credibile intellectui non demonſtrat, itaut cogat intellectum ad aſſentiendum, id eò non credit niſi volens.

Prob. etiam ratione, nempè quod actus fidei ſit liber quoad ſpecificationem; nulla enim eſt difficultas de libertate exercitij, etiam ſtante propoſitione motiuorum, eo quod non ſit perfecta ſemper euidentia credibilitatis, ſiuè defectu propoſitionis, ſiuè defectu capacitatis, aut interioris conſiderationis; nam experientia docet, articulis propoſitis fidem plerumque ſic adhiberi, vt poſſit eiſdem diſcredi, vt patet in hæreticis, qui, non obſtante propoſitione ſufficienti, manent in ſuis erroribus obſtinati: ergo etiam ſtante propoſitione motiuorum poteſt voluntas diuertere intellectum ad aliud obiectum, & conſequenter actus fidei debet eſſe liber libertate ſpecificationis.

III. Concl. Actus internus voluntatis, qui dicitur pia affectio eſt ſupernaturalis quoad modum, non verò quoad ſubſtantiam; eſt Scoti in 3. d. 25. q. 2. vbi ſic docet; Ad hoc quòd voluntas moueat intellectum ad credendum credibile, ſufficit diſpoſitio intellectus, & non eſt neceſſarium diſpoſitionem proportionalem illi poni in voluntate, nec ad hoc quod difformiter operetur per inſtrumentum (impugnat Scotus hac ratione opinionem D. Thomæ) requiritur talis diſpoſitio proportionalis in voluntate, qualis eſt in actu credendi perfectiori, & minùs perfecto, ſed ſufficit proportionalis diſpoſitio in intellectu differens, ſecundum quod gradus differentes in perfectione ſunt in actibus, cui

doctrinæ ſubſcribitur Gonet. in ſuo Compendio theologico. Prob. 1. pars auctorit. S. Scrip. Io. 25. *Chriſtus ait, ſine me nihil poteſtis facere:* & D. Paul. ad Philip. 2. *Ipſe eſt qui operatur in nobis velle, & perficere &c.* ſed ille actus voluntatis mouentis intellectum ad fidem, conducit ad vitam æternam; ergo eſt ex gratia, non quidem habituali quia maximè in infideli reperiri non poteſt, cùm non habeat fidem; ergo ex gratia ſpeciali actuali, ac proinde eſt ſupernaturalis, quoad modum, non quoad ſubſtantiam, quia in noſtra ſententia ſolum habitus ſupernaturales, quales ſunt fides, ſpes, charitas, lumen gloriæ &c. ſunt ſupernaturales quoad ſubſtantiam, actus autem prouenientes ab habitibus ſupernaturalibus in via, ſunt ſupernaturales tantum quoad modum; ergo tantò magis actus, qui non prouenit ab habitu ſupernaturali, qualis eſt pia affectio voluntatis.

Arg. 1. cont. 1. concl. Nulla potentia poteſt moueri niſi à ſuo obiecto; vel obiectum formale fidei obſcurè propoſitum eſt ſufficiens ad mouendum intellectum, vel non, ſi primum: ergo non eſt neceſſarius actus voluntatis imperantis, ſi ſecundum, ergo talis defectus non poteſt ſuppleri à ſolo imperio voluntatis, cum non ſe teneat ex parte obiecti formalis; ergo nulla potentia poteſt moueri, niſi à ſuo obiecto. Reſp. neg. ant. & ratio eſt, quia obiectum fidei obſcurè propoſitum ſufficiens eſt ad mouendum intellectum, quandò prudenter proponitur, ſi aliàs ſubiectum diſponatur per pium voluntatis affectum, nam cum res fidei ſint valdè difficiles, & ſuprà omnem rationem naturalem, non conuincunt intellectum, nec ex ſe illum determinant ſufficienter, ac proindè indiget determinari à voluntate, ad hoc vt illam rationem intellectus apprehendat, qua ad aſſenſum moueatur.

Arg. 2. Voluntas non poteſt mouere intellectum potiùs ad aſſentiendum, quàm ad diſſentiendum rebus fidei; ergo ad talem aſſenſum præbendum intellectus non indiget motione voluntatis: conſ. eſt euidens; ant. prob. Voluntas non poteſt mouere intellectum ad ſpecificationem actus, ſed ſolum ad eius exercitium; ergo poteſt mouere tantum ad aſſenſum, non autem ad diſſenſum.

Reſp. neg. ant. & ad eius probationem dicitur, quod intellectus relinquitur indifferens ad ſpeciem actus, hoc eſt

ad aſſenſum, vel diſſenſum, vt contingit, dum duo homines æqualis auctoritatis, quorum vnus aſſerit id eſſe à Deo reuelatum, alius verò negat, in tali caſu voluntas determinat intellectum ex ſe indifferentem ad aſſenſum, vel diſſenſum pro ſuo beneplacito.

Arg. 3. auct. Scoti dicentis loc. cit. ſic. Poſita fide acquiſita, credibili præſente poteſt intellectus per habitum infuſum credere, dummodò voluntas non contra moueat, nec plus requiritur, hoc eſt, explicat Fraſſen, non alius deſideratur concurſus voluntatis præter aut contra motionem, ſeu ex hypotheſi, quod intellectum ab obiecto non auertat, illum conuertendo ad alterius conſiderationem; ergo &c.

Reſp. Idem Fraſſen, Scot. id dumtaxat probabiliter dixiſſe; Vnde ſtatim ſubdit, & eſtò quod requiratur motio paſſiua voluntatis, quibuſ apparet priorem ſententiam non aſſertiuè protuliſſe. Reſp. aliter ex Maſtrio loc. cit. quod licet ab initio, quando primò intellectus aſſentitur obiecto fidei, indigeat imperio poſitiuo voluntatis; & in hoc ſenſu ſemper ſit neceſſarius actus; ſupernaturalis voluntatis ad credendum, poſtea tamen quando fidelis aſſuetus eſt ad credendum, & ad aſſentiendum myſterijs fidei, non videtur ſemper neceſſarium tale voluntatis imperium, quo applicetur intellectus ad credendum, ſed tantum quo applicetur ad cogitandum de rebus fidei; vndè contingere poteſt, vt fidelis per actum naturalem voluntatis ſe applicet ad conſiderandum, vel contemplandum in materia fidei, & poſtea exerceat ſupernaturales actus ſine alia motione actuali per ſupernaturalem actum voluntatis, quia tunc iam habitu ducitur, & actus ſupernaturales, qui tunc fiunt, non producuntur in tali ſpecie ex vi actualis imperij voluntatis, ſed in virtute præcedentium actuum voluntatis ſupernaturaliter mouentis, & intellectum ſubijcientis chriſtianæ fidei; ex qua doctrina remanet ſolutum argumentum.

Arg. 1. cont. 2. conc. à Fraſſen. Si, propoſito obiecto credibili, poſſet intellectus habere diſſenſum poſitiuum, vel hoc eſſet ab obiecto, vel à voluntate, ſed non ab obiecto, quia obiectum reuelatum, & propoſitum cum motiuis credulitatis non poteſt mouere ad diſſenſum; neque à voluntate, quia, vt docet Scot. non poteſt voluntas mouere intellectum ad actum, niſi ſuppoſita aliqua motione ex parte obie-

obiecti; ergò cùm in propoſito non poſſit eſſe aliquod motiuum ex parte obiecti ad diſſenſum, non poterit voluntas intellectum mouere ad illum, & conſequenter non poteſt eſſe actus liber quoad ſpecificationem.

Reſp. quod eſſet ab vtroque, nempè ab obiecto, & à voluntate, ab obiecto quidem ob eius obſcuritatem, & ineuidentiam, à voluntate tanquam à cauſa non efficiente, ſed imperante, vt ab extrinſeco impellente, & determinante intellectum ad aſſenſum, vel diſſenſum circa veritatem obſcurè, & ineuidenter propoſitam, qua ratione non conuincit intellectum, nec ipſum cogit, quin poſſit, imperante voluntate, exire in actum diſſenſus.

Arg. 2. probando abſolutè quòd non requiratur actus ſupernaturalis voluntatis. Scot. in 3. d. 25. q. 2. ait; eſtò quòd requiratur motio poſitiua voluntatis, ſufficit voluntas ad ſic volendum in puris naturalibus; ergo actus voluntatis mouentis intellectum ad eliciendum actum fidei non eſt neceſſe, quod ſit ſupernaturalis. Reſp. Doctorem per voluntatem in puris naturalibus intelligere voluntatem non informatam habitu ſupernaturali, de quo tantum ibi erat controuerſia cum D. Thoma, non verò voluntatem ſinè auxilijs gratiæ actualis, præuenientis, excitantis, & adiuuantis voluntatem in formando illo actu piæ affectionis, ſeu imperij. Hinc clarè conſtat, quam grauiter errent aſſerentes Scotum non videri diſtare ab errore Semipelagianorum, certè Scot. prout ipſum omnes Scotiſtæ, teſte Herincx, indubitanter intellexerunt, & charitas chriſtiana intelligi præcipit, non negat requiri auxilia gratiæ actualis, quæ alibi ſatis clarè agnoſcit, & de quibus ibi agere non ſpectabat ad ſolutionem quæſtionis. Vtinam ſimiles criminatores agnoſcerent, & intelligerent Scoti doctrinam, eamque amplecterentur, quia certè legiſſent in quol. 7. hoc documentum tanto Doctore dignum. *Nulli auctori imponenda eſt ſententia falſa, vel multum abſurda, niſi habeatur expreſsè ex dictis eius, vel ſequatur euidenter ex dictis eius.*

Arg. 3. Ideò Deus infundit habitus ſupernaturales, vt ſit aliqua proportio inter noſtra merita, & præmium beatitudinis, ſed meritum fidei etiam dependet ab illa volitione credendi; ergo tam ipſa volitio debet eſſe ſupernaturalis in entitate, quàm habitus fidei. Reſp. gratis conceſſa mai-

nam ratio infuſionis potiùs refunditur in voluntatem diuinam, cuius motiua nos latent; & diſt. min. meritum fidei &c. prouenit à volitione credendi, tanquàm à cauſa efficiente, neg. min. tanquàm à cauſa mouente, & impellente intellectum ad actum fidei eliciendum, conc. min. Vndè non ſequitur, quod ſi ponatur habitus infuſus in intellectu, neceſſariò ſit etiam ponendus in voluntate, quæ non eſt cauſa effectiua talis actus, ſed tantum motiua.

Ex doctrina ſuperius tradita detegitur apertiſſimè falſitas huius propoſitionis iure meritò damnatæ ab Innoc. XI. quæ in ordine eſt 19. & eſt talis. *Voluntas non poteſt efficere, vt aſſenſus fidei in ſe ipſo ſit magis firmus, quàm mereatur pondus rationum ad aſſenſum impellentium.* Quare, vt magis innoteſcat falſitas talis propoſitionis, oportet aduertere, quod in rigore theologico non ſunt idem aſſenſus fidei, & aſſenſus credibilitatis; nam prior eſt actus actualis fidei; poſterior autem eſt quaſi actus in potentia, & communiter ſic à Theologis deſcribur. Aſſenſus credibilitatis eſt aſſenſus elicitus ab intellectu ex motiuis extrinſecis, quæ habent rationem argumenti, per quod intellectus ex talis argumenti propoſitione ſibi facta, iudicat rem aliquam eſſe honeſtam, & prudenter credibilem; & tunc voluntas immediatè imperare poteſt aſſenſum fidei. Inſuper præter credibilitatem ex parte potentiæ admittenda eſt pariter credibilitas ex parte obiecti, quæ diſtingui ſolet in duplicem credibilitatem, alteram phyſicam, quæ appellatur dignitas, ſeu capacitas immediatè terminatiua aſſenſus fidei; alteram moralem, quæ vocatur dignitas, ſeu capacitas immediate terminatiua voluntatis honeſtè credendi, ſeu prudenter imperantis aſſenſum fidei; nam ſicut myſteria dicuntur credita ab actuali aſſenſu fidei; ità dicuntur credibilia ab eodem aſſenſu poſſibili, quatenus credibilitas ſe tenet ex parte potentiæ.

Præterea obſeruandum, quod nomine rationum impellentium non venit reuelatio, nec veracitas, ſeu teſtimonium Dei, ſi in rigore theologico loquamur; cum illæ ſint rationes formales credendi, & ſe teneant ex parte obiecti formalis; vt in propria quæſtione monſtrauimus. Igitur nomine rationum impellentium, (non quidem ad aſſenſum fidei; quia ad talem actum nullæ dantur rationes impel-

pellentes, immò aſſerere quod dentur eſt damnatum) veniunt, ſeu intelliguntur eſſe, quæ impellunt intellectum ad aſſentiendum ad hoc; videlicet. Eſſe honeſtè, & prudenter credibile, quidquid fides D. tenet; & ſic dicitur aſſenſus credibilitatis. Huiuſmodi autem rationes impellentes &c. ſunt omnes illæ, quas tradit Scot. in prolog. nempe Prænunciatio prohetica, Scripturarum concordia; auctoritas ſcribentium, rationabilitas contentorum, irrationabilitas errorum ſectarum extra fidem catholicam &c. quibus omnibus, & etiam alijs rationibus, ſi quæ ſint, redduntur teſtimonia Dei credibilia iuxta illud Pſal. 92. *Teſtimonia tua credibilia facta ſunt nimis*. Hinc error, & falſitas damnatæ propoſitionis aperitur. Siquidem dari nequeunt rationes naturales ſufficientes ad impellendum intellectum, vt eliciat aſſenſum fidei ſupernaturalis; alioquin non teneremur credere, niſi quod rationi naturali innoteſcit; aut ab ea intelligitur, quod fuit hæreſis Manichæorum, & Abailardi. Quarè improbatur talis propoſitio primùm ex S. Scrip. etenim Apoſt. 2. ad Corint. cap. 10. docet. *Oportet captiuare intellectum in obſequium fidei*; ſed hæc captiuatio conſiſtere nequit cum rationibus impellentibus intellectum, habentem cognitionem eorum, quæ ex vi earundem rationem cognoſcit vt vera; ergo &c. Item idem Apoſt. 1. ad Corint. ait. *Predicatio noſtra non eſt in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione ſpiritus, & veritatis, vt fides noſtra non ſit in ſapientia hominum, ſed in virtute Dei*; eſſet autem in ſapientia hominum, ſi darentur rationes naturales impellentes intellectum; ergo &c. Improbatur 2. ratione. Si darentur rationes impellentes ad aſſenſum fidei, vel eſſent euidentes, vel probabiles, vel dubiæ; non quidem euidentes alioquin fides non eſſet fides, ſed ſcientia. Non probabiles; quia ſic fides eſſet opinio, vel ſtare poſſet cum opinione, quod pariter eſt damnatum; non denique dubiæ, quia ex illis haberetur tantum aſſenſus dubius; ergo &c.

Cæterum quod ſit manifeſte falſum Voluntatem non poſſe efficere, vt aſſenſus fidei ſit in ſe maior, ſeu firmior deducitur perſpicuè ex doctrina in hac quæſt. allata, in qua oſtenſum eſt, actum fidei eſſe liberum; non eſſet autem liber, ſi voluntas non poſſet efficere, vt talis actus ſeu aſſenſus eſſet in ſe maior, ſeu firmior. Vnde D. Aug. ſer. 1. de

Trin.

Trin. *Fidelis ſum, credo, quod neſcio; & tract. 40. in Ioan. ſuper illa verba Iſaiæ niſi credideritis, non intelligetis*, inquit; *credimus, vt cognoſcamus; non cognoſcimus, vt credamus*. Ex quo detegitur falſitas pariter alterius propoſitionis, quæ inter damnatas eſt 20. *Hinc poteſt quis prudenter repudicare aſſenſum, quem habet, ſupernaturalem*.

QVÆSTIO IV.

Quænam ſint credenda neceſſariò neceſſitate medij.

NOt. 1. Quòd hic loquimur de neceſſitate cauſæ finalis, quæ à Theologis diuidi ſolet in neceſſitatem medij, & neceſſitatem præcepti. *Prima eſt vbi aliquod eſt ad ſalutem ita neceſſarium, vt ſinè eo ſalus haberi non poſſit, etiam ſi ommiſſio talis medij ſit inculpabilis, ideſt vel proueniat ex ignorantia inuincibili, vel ex inaduertentia, vel ex impotentia, ſiuè phyſica, ſiuè morali. 2. tunc eſt, quando id, quod poſitiuè, & præcepto D. exigitur ad ſalutem, niſi illius omiſſionem excuſet cauſa rationabilis, ideſt, vel ignorantia inuincibilis &c.* v. g. reſtitutio rei alienæ eſt neceſſaria ad ſalutem, impoſſibilitas tamen excuſat. Inſuper neceſſitas medij in duplicem partitur, nempè in ſimplicem, vel abſolutam, & eſt quando medium à Deo ordinatum ad ſalutem obtinendam eſt tale, vt ſine ipſo realiter, & de facto finis beatus non poſſit obtineri, ſic fides, & gratia ſunt abſolute neceſſaria ad vltimum finem, & in neceſſitatem ſecundum quid, & eſt, quando ſcilicet ſufficit, vt illud medium ſit vel in re, vel in voto, & ſic Baptiſmus, aut Sacramentum pœnitentiæ dicitur neceſſarium adultis, ſufficit enim, vt illa habeantur in voto, quando reuerà non poſſunt obtineri.

Not. 2. Quòd fides de aliquo obiecto, vt etiam alibi indicauimus, haberi poteſt dupliciter, nempè, vel explicitè, vel implicitè; prior eſt, quando aſſenſus fertur ad ipſum obiectum, prout tale eſt, adeò vt qui credit, ſi interrogetur in particulari, dicere poſſit ſe illud credere poſterior, quando aliquid credimus, in quo, vel alia inuoluuntur, quamuis nos lateant, quæ illa ſint, vel non poſſumus credere hoc, quin eo ipſo alia ſaltem in communi credamus; hæc autem fides implicita primo prouenire poteſt ex

ratione formalis obiecti eiuſdem v. g. Qui credit fide infuſa vnum articulum propter auctoritatem Deo ipſo videtur implicitè credere quicquid Deus reuelauerit; ſecundò oriri poteſt ex eo, quod credatur aliqua collectio rerum confuſa, in qua alia obiecta continentur, quæ ſecundum ſe, & in particulari ignorantur, ſic dum aliquis ruſticus credit omnia, quæ creduntur ab Eccleſia Romana, fidem habet implicitam de omnibus veritatibus catholicis ſpectantibus ad integritatem fidei; tertiò denique contingere poteſt, vt credatur aliquid connexum cum alio, idque, vel quia vna propoſitio eſt connexa cum alia in re ipſa, ſeu per identitatem rei, eſtò connexio ipſa non poſſit ſine fide cognoſci, & hoc modo qui credit Deum eſſe infinitum, credit implicitè eſſe Trinum, vel etiam particulare in vniuerſali cognoſcitur implicitè, vt alibi ex dictis conſtat.

I. Concl. Omnis homo adultus neceſſariò neceſſitate medij tenetur explicitè credere Deum eſſe, ideſt exiſtere, & bonorum remuneratorem eſſe, & malorum punitorem. Hæc concl. eſt omnium Theologorum, & apertè inſinuatur ab Apoſtolo ad Hæbr. 11. *Accedentem ad Deum oportet credere, quia eſt*, hoc enim ad intellectum fide illuſtratum pertinet, & quia remunerator eſt, quod pertinet ad voluntatem, verba autem formalia ſunt hæc; credere enim oportet accedentem ad Deum, quia eſt, & inquirentibus ſe remunerator ſit. Vnde aſſerere oppoſitum eſt propoſitio meritò damnata ab Innocentio XI. quæ in ordine eſt 22. & ſic iacet. *Non niſi fides vnius Dei neceſſaria videtur neceſſitate medij, non autem explicita remuneratoris.*

Accedit etiam ratio. Iuſtificatio pro ſtatu legis naturæ, & legis moſaycæ fuit omni homini adulto neceſſaria neceſſitate medij ad ſalutem; ergo & fides explicita Dei ſub conceptu exiſtentis, & remuneratoris, ac proinde iuſtificatoris, in eo, & creatoris, vt indicat Scot. in 3. d. 25. q. 2. prob. conſ. Iuſtificatio habet neceſſariam connexionem cum fide actuali explicita Dei ſub conceptibus proximè expreſſis, quia iuſtificatio eſt mediante actu ſupernaturali dilectionis Dei ſuper omnia, ſed ad hoc, vt habeatur huiuſmodi dilectio, cognoſci debet Deus vt obiectum exiſtens talis dilectionis, & quidem vt diſtinctum à creaturis, ac proinde ſub conceptu Creatoris, aliàs non eſſet ſuper omnia diligibilis.

bilis. Item debet cognoſci, & ſperari vt acceptans, & remunerans talem actum, & tandem vt iuſtificans Animam ad poſitionem talis actus; ergo iuſtificatio habet neceſſariam connexionem cum fide actuali explicita Dei exiſtentis, remuneratoris &c. In qua fide explicita inuoluitur etiam immortalitas Animæ, & vita futuri ſæculi.

II. Concl. Ante Chriſti aduentum ad iuſtificationem non erat neceſſarium neceſſitate medij explicitè credere myſterium Trinitatis, aut Chriſtum ſub conceptu veri Dei, & hominis, & vera morte nos liberaturum à peccatis, tamen fuit neceſſaria fides implicita; ita Alenſis, D. Bonau. Scot. loc. cit. & eſt communis Theologis.

Prob. conc. quoad 1. part. ex Apoſt. ad Epheſ. 3. vbi ait myſterium Incarnationis Chriſti, & mortis ipſius non fuiſſe agnitum ſuperioribus ſæculis, & infrà ſubdit, ſibi commiſſum eſſe euangelizare gentibus inueſtigabiles diuitias Chriſti, & illuminare omnes, quæ ſit diſpenſatio Sacramenti abſconditi à ſæculis in Deo, nunc autem manifeſtatum Sanctis eius: quæ verè dici non poſſent, ſi hæc myſteria in lege antiqua fuiſſent ſufficienter reuelata, & omnibus credenda propoſita, quod ſatis innuit Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. dum ait quibuſdam Sanctis reuelatum fuiſſe ſpecialiter myſterium Incarnationis. Prob. 2. nempe quod non erat neceſſarium explicitè credere myſterium Trinitatis. Neque vetus teſtamentum, neque traditiones legis naturæ continebant aliquam expreſſam mentionem, vel notitiam diſtinctam de Trinitate, idque D. prouidentia diſponente, vel quia congruum erat, vt lex noua perfectior clariorem articulorum fidei cognitionem exiberet, vel etiam fortaſſe ne hebraicus Populus ad idolatriam pronus, tres D. Perſonas, tanquam tres Deos diſtinctos adoraret; ergo &c.

Prob. de Chriſto. Medium omnibus neceſſarium ad ſalutem ex D. Bernardo Epiſt. 77. debet prædicari omnibus, vt publica de eo notitia ab omnibus habeatur, ſed in ſtatu legis naturæ, & moſaicæ mediator ſub diſtinctis conceptibus Dei, & hominis, qui redempturus eſſet ſua morte genus humanum, non fuit prædicatus, ſed ſolumodò obſcurè præfiguratus ſub metaphora Serpentis, agni paſchalis &c. ergo fides actualis explicita de futuro Meſſia, ſeu de mediatore ſub ſpecificatis conceptibus non erat in illis ſtatibus neceſ-

ſaria neceſſitate medij. Prob. eandem vltima pars concl. nempe quod neceſsaria fuerit fides implicita horum myſteriorum neceſſitate medij. Nullus vnquam fuit iuſtificatus, & de peccato ad gratiam translatus, ſine fide ex Trid. ſeſs. 6. can. 1. ſed hæc gratia non poteſt haberi ab hominibus niſi per fidem Chriſti, vel explicitam, vel implicitam, quia vt habetur Act. 4. Non eſt aliud nomen ſub Cęlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſaluos fieri, & idem ſcribit Apoſt. ad Rom. 3. & ad Hæbr. 9. ergo &c. Eamdem doctrinam tradunt SS. Patres, & ſignanter D. Aug. Apiſt. 117. ad Optatum. Ante Incarnationem Chriſti ait, & poſt incarnationem, neque vixerunt homines, neque viuunt, niſi per fidem ipſius Incarnationis.

III. Concl. Quamuis probabile ſit etiam in lege gratiæ non eſſe neceſſarium neceſſitate medij ad iuſtificationem, vt quis explicitè credat myſterium Incarnationis, & Chriſtum fuiſſe verum Deum, & hominem, mortem, & reſurrectionem eius, ſed ſufficere implicite credere, credendo tamen explicitè, Chriſtum eſſe mediatorem, & Saluatorem noſtrum: nihilominus probabilius eſt, poſt ſufficientem Euangelij promulgationem eſſe neceſſarium neceſſitate medij illa omnia credere. Priorem partem concluſionis amplectuntur plures, & graues Doctores, poſteriorem verò ſententiam docent D. Bon. in 3. d. 25. Alenſis D. Thom. Scot. loc. cit. quos ſequntur Recentiores. Prob. 2. pars ex illis verbis Ioan. 17. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum*: quibus verbis cognitio Chriſti clarè ſignificatur eſſe neceſſaria, & via ad vitam æternam, ſicut cognitio Dei, ſed hæc debet eſſe explicita neceſſitate medij; ergo & illa.

Prob. etiam auct. D. Aug. lib. de creatione, & gratia cap. 7. cuius teſtimonium in materia iuſtificationis eſt magni ponderis. *Si enim inquit, ſicut veritas loquitur, nemo liberatur à damnatione, quæ facta eſt per Adam, niſi per fidem Ieſu Chriſti, & tamen ab hac damnatione non ſe liberabunt qui dicere poterunt ſe non audiuiſſe Euangelium Chriſti*, quæ verba interpretari nequeunt de fide implicita Chriſti, vt nonnulli explicant, fides enim implicita Chriſti ſinè prædicatione Euangelij haberi poteſt. Confirm. praxi Eccleſiæ, quæ ſpecialiter requirit, vt antequam adultus baptizetur, explicite, & diſtinctè inſtrua-

ſtruatur de myſterio Incarnationis, nec non de Redemptione facta per paſſionem, & mortem, ex quo deducitur Eccleſiam ſentire nullum adultum poſſe iuſtificari ſine fide huius myſterij.

Arg cont. 1. concl. Poteſt in aliquo caſu particulari ſaluari quis ſine vlla fide actuali; ergo fides explicita eorum, quæ ponuntur in ſecunda concl. non ſemper fuit neceſſaria; prob. ant. poteſt quis ex cognitione ſupernaturali vnius Dei in ſe amare ipſum ſuper omnia ſine fide explicita Dei, vt remuneratoris, iuſtificatoris &c. & per huiuſmodi amorem iuſtificari; ergo non ſemper eſt neceſſaria ad ſalutem neceſſitate medij fides actualis Dei, vt remuneratoris.

Confirmatur. Si quis in infantia ſuſcepiſſet remedium deletiuum peccati originalis in lege naturæ, aut moſaicæ, & poſtea fieret amens toto tempore vitæ ſuæ abſque dubio ſaluaretur, etſi non haberet vllum actum fidei explicitæ; ergo &c. Reſp. neg. ant. ad proabtionem neg. pariter, quod quis iuſtificari poſſit abſque fide explicita Dei remuneratoris, nam eò ipſo quod aliquis per actum amoris ſupernaturalis, vel per contritionem iuſtificatur, cenſeri debet, eum habere cognitionem Dei exiſtentis, & remuneratoris ac proinde idem credere. Ad confirm. dicimus quod caſus de infantia non militat contra noſtram concl. in qua loquimur de fide explicita requiſita in adulto, non autem in infanti, cui & phyſicè, & moraliter eſt impoſſibile fidem explicitam habere, imò nec actum fidei implicitę; cum infantia, & amentia priuent infantem, & amẽtem vſu rationis.

Arg. cont. 2. concl. ex D Aug. in lib. 4. de gratia Chriſti, *Vbi docetur ſinè fide Incarnationis, mortis, Reſurrectionis Chriſti neminem ſiuè ex Iudæis, ſiuè ex Gentilibus iuſtificatum, aut ſaluatum eſſe*: ergo tum requirebatur fides explicita Chriſti in carne venturi. Reſp. Herincx intentum potiſſimum Aug. fuiſſe contra Pelagium inculcare, quomodo in omni mundi ætate, ſeu tempore ſalus fuerit ex gratia Chriſti, ac meritis, & efficacia Incarnationis, Paſſionis, & Reſurrectionis eius, vt apparet vigilanter attendenti, quæ habet lib. de peccato orig. cap. 24. Itaque D. Aug. vult fuiſſe in omni ætate neceſſariam fidem implicitam de præfatis myſterijs, non verò explicitam ſaltem ſub proprijs conceptibus, vt ſupra notatum fuit.

Arg. cont. 3. concl. Si fides explicita Chriſti dicitur neceſſaria neceſſitate medij poſt Euangelij promulgationem, vel hoc intelligitur ex natura rei, vel ex lege Dei, non primum, quia ad excitandam contritionem perfectam, & dilectionem ſupernaturalem, tam in lege antiqua, quàm in lege gratiæ ſufficit fides vnius Dei, & auctoris rerum ſupernaturalium; ergo ſi datur gratia vt principium, poterit voluntas diligere Deum ſuper omnia &c. non ſecundum, quia nullum extat teſtimonium S. Scrip. ex quo id ſufficienter probetur: ergo &c. Reſp. verum eſſe ex natura rei poſſe actum perfectè contritionis & charitatis erga Deum elici abſquè præuia fide explicita Chriſti, non tamen poſſe, ſuppoſita diuina lege qua Deus decreuit nulli infideli conferre actualia diuinæ gratiæ auxilia, priuſquam per fidem aſſentiatur ijs, quibus neceſſitate medij tenetur aſſentiri; hanc autem legem deducimus ex rationibus in concluſione poſitis.

QVÆSTIO V.

Quæ ſint credenda neceſſitate Præcepti.

NOt. 1. quod ea, quæ ſunt credenda neceſſariò neceſſitate medij, ſunt etiam credenda neceſſitate præcepti; eſt enim regula vniuerſalis, quod quæ ſunt neceſſaria neceſſitate medij, ſunt etiam neceſſaria neceſſitate præcepti, licet non è contra, quilibet enim tenetur etiam ex præcepto aſſumere medium ad ſalutem neceſſarium, quare conueniunt Doctores in omni tempore fuiſſe ſupernaturale præceptum credendi aliquid explicitè, quod colligitur apertè ex S. Scrip. vbi ſemper reprehenditur incredulitas, & infidelitas, tanquàm graue peccatum; qui crediderit, & baptizatus fuerit ſaluus erit. Difficultas igitur præſens eſt de ſtatu legis gratiæ, quid credere ex præcepto teneantur fideles quoniam verò fidelium alij ſunt maiores in Eccleſia, qui habent ſpecialem curam Animarum, vt Epiſcopi, Parochi &c. & quicunque habent munus docendi res fidei, licet careant Animarum cura, vt concionatores ex officio; alij verò omnes, etiam Reges vocantur minores. Quæſtio igitur procedit de omnibus.

Not. 2. quod circà hanc quæſt. ſunt variæ Doctorum opiniones. Prima eſt Canoniſtarum aliquorum aſſerentium fideles non teneri explicitè credere aliquem articulum in particulari, ſed ſatis eſſe implicitè, & vniuerſaliter credere quod credit Eccleſia, & hæc opinio tribuitur etiam Roſellæ, qui tamen videtur loqui de rudibus, & poſſet explicari de ijs, qui incapacitatem habent addiſcendi fidei myſteria, vt infrà dicetur: 2. opinio aſſerit, quod tenemur explicitè credere omnes, & ſingulos articulos fidei, qui in Symbolo Apoſtolorum continentur, ità plures recentiores, quibus videtur fauere D. Thom. q. 1. a. 3. cenſens ſatis eſſe credere explicitè myſteria illa, quæ continentur in 14. articulos fidei, qui in cathechiſmo Puerorum circumferuntur, ita Vaſquez p. 2. q. 76. art. 2. diſp. 122. & Sanchez lib. 2. cap. 3.: 4. denique opinio docet omnes fideles teneri ad credendum explicitè aliquos articulos fidei, non verò omnes; ità D. Bonau. in 3. d. 25. Scotus eadem diſtinctione q. 1. §. dico tunc ad propoſitum, quod aliqua ſunt, quæ communiter prædicantur in Eccleſia, & alia ſunt neceſſaria fideli ſimplici ad credendum explicitè, ſcilicet, quod Chriſtus natus eſt ex Virg. Maria, quod fuit crucifixus pro redemptione generis humani &c. & ſubdit paulò inferiùs, quod Maiores tenentur ad credendum magis explicitè, & ad veritatem Scripturæ magis intelligendam; his adnotatis, ſit.

I. Concl. Non ſufficit ad ſalutem credere in confuſo quicquid credit S. M. E. ſed oportet explicitè credere aliquos articulos. Hæc conc. eſt ità certa, vt oppoſitum aſſerere damnent Doctores ad minùs tanquam erroneum. Prob. nam Trid. ſeſſ. 5. cap. 2. de Reformat. docet, & decernit, *Vt Parochi plebem paſcant docendo quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem*: ergo ſupponit Trid. non ſatis eſſe in confuſo credere quicquid credit Eccleſia, ſed oportet credere explicitè aliquos articulos.

II. Concl. Omnes fideles tenentur fide explicitâ credere hæc myſteria fidei, primò SS. Trinitatis: 2. myſteria in Symbolo comprehenſa: 3. quæ ſpectant ad Baptiſmum, ad Euchariſtiam, & confeſſionem Sacramentalem: 4. quæ ad Decalogum pertinent, & ad præcepta Eccleſiæ: 5. denique ſcire, & credere orationem dominicam.

Prob. breuiter Concl. quoad ſingula, & in primis quoad primum clarè conſtat ex dictis in quæſt. antecedenti; & certè cum illa ſint chriſtianæ fidei præcipua myſteria, nequit in dubium reuocari, an illa credere teneamur. Aduertunt tamen DD. non eſſe neceſſarium omnibus diſtinctè cognoſcere proceſſiones filij, & Spirit S. in Deo eſſe vnicam Eſſentiam, tres perſonalitates realiter diſtinctas, modum, quo Verbum incarnatum eſt. In Chriſto eſſe duas naturas, & vnicam ſubſiſtentiam, & ſimilia; iſta enim ſcire hoc modo non obligantur Rudes, ſed ſolum ij, qui ratione ſtatus, & officij alijs ea dicere tenentur. Quare rudibus ſufficit ſcire eſſe tres Perſonas diſtinctas ſub nomine Patris, Filij, & Spiritus S. & has tres vnum Deum eſſe, & ſecundam Perſonam aſſumpſiſſe naturam humanam, vt nos redimeret.

Prob. quoad 2. part. ex Cathechiſmo Pij 5. in quo ſic habetur. *Quæ primum chriſtiani homines tenere debent, illa ſunt, quæ S. Apoſtoli, diuino ſpiritu afflati duodecim Symboli articulis diſtinxerunt*: ergo cum Apoſtoli expreſsè Symbolum compoſuerint, vt baptizandis ſummam eorum, quæ credenda erant proponerent, quod ſemper Eccleſia exactè obſeruauit, præcipiendo, ac ſollicitè curando, vt Pueri illud addiſcant, dicendum eſt, quod omnes fideles tenentur illud credere. Vndè eleganter D. Aug. ſerm. 130. de tempore: *Symbolum eſt Regula fidei breuis, & grandis, breuis numero verborum, & grandis pondere ſententiarum*, & *ſerm.* 181. *Indicat obligationem Fidelium ad illud tenendum, & addiſcendum*.

Attamen verum eſt, quod neceſſarium non videtur, vt rudiores illud ſciant recitare memoriter eo ordine, & verbis, quibus communiter proponitur, ſed ipſis ſufficit ſcire illud quoad ſubſtantiam, vt inter plures docet etiam Scotus; itàut de ſingulis articulis interrogati rectè reſpondere poſſint, licet non nouerint omnes circumſtantias, nempè quod Chriſtus reſurrexerit tertia die, quod ſit paſſus ſub Pontio Pilato &c. Prob. 3. nempè quod tria Sacramenta &c. Nàm cum Baptiſmus, Pœnitentia, & Euchariſtia ſint omnibus ad ſalutem neceſſaria, dubitari non poteſt, quin omnes ſcire, & credere teneantur eſſe in Eccleſia hæc tria Sacramenta: & quidem in Euchariſtia Chriſtum verum Deum, & hominem realiter, & verè contineri &c. de cæteris autem quatuor Sacramentis non eſt neceſſe habere expli-

plicitam fidem, niſi ijs, qui ea ſuſcipiunt, vel miniſtrant.

Prob. 4. quia cum ex Decalogo, & præceptis Eccleſiæ vnuſquiſque addiſcere, & ſcire debeat quid ſibi agendum, & quid fugiendum ſit, non poteſt ſine decalogi, & Eccleſiæ præceptorum cognitione bene operari. Cæterum illa præcepta non ſunt neceſſariò omnibus ſcienda verbatim, ſed quoad ſenſum, ſiuè contentum ſecundùm cuiuſque capacitatem. Vndè paſſim docent Theologi, quod vix quiſquam reperitur in Eccleſia Catholica, qui non illa ſciat craſſiori mineruа, quantum neceſſe eſt ad ſalutem, vt patet de Rudioribus, ſeù Ruſticis, qui ſi interrogentur: an ſit licitum furari, an teneantur Deum colere, & Parentes honorare, ſtatim reſpondebunt quod ſic, licet nequeant ſuam mentem de eis exprimere. Et quidem quoad actus externos verum eſt, non ità tamen generaliter de internis; plures enim, vt Confeſſores in dies experiuntur, inueniuntur qui ità rudes ſunt, vt ignorent prohiberi Decalogi præceptis concupiſcere rem, vel Vxorem alienam, & ideò inſtruendi ſunt &c. Prob. 5. nam cum per Orationem dominicam diſcat homo quid à Deo petere, & ſperare debeat, tenetur quiſque eam ſcire quoad ſubſtantiam eo modo, quo dictum eſt de Symbolo Apoſtolorum.

Notant tamen Doctores obligationem credendi tria Sacramenta, vel etiam alia, vt Decalogum, & orationem dominicam non oriri ex precepto fidei ſimpliciter, ſed ex precepto aliarum virtutum, nempè Religionis, pietatis, iuſtitiæ, caſtitatis &c. ſiuè vt alij loquuntur in ordine ad operationem; nam vt Aug. de fide, & operibus cap. 1. docet. *Eo ipſo, quo quis profitetur aliquem ſtatum, tenetur ſcire annexa illi ſtatui, quià aliàs exponeret ſe periculo errandi.* Vndè mirum videri non debet, quod Apoſtoli hæc in ſuo Symbolo non comprehenderint, quia in eo ſolùm voluerunt ponere quæ propter ſe credenda ſunt, non per vſum, aut operationem. Quarè præcepta meliùs dicuntur ſciri, aut memoriæ retineri, quàm credi, præſertim præcepta Eccleſiæ, quæ, cum non ſint immediatè à Deo reuelata, in rigore theologico credi non poſſunt fide diuina.

Inſuper notant neceſſarium eſſe ijs, qui Symbolum, & Decalogum addiſcere poſſunt, vt ea ſciant in lingua propria, vel in alia, quam intelligunt, aliàs non habeat eorum

ſufficientem cognitionem. Quare tradit noſter Marchant. in tom. 2. ſui Tribunalis Sacrament. ſcientiam articulorum fidei in idiomate ignoto non ſufficere ad ſalutem, quia aliquid ignota lingua ſcire, eſt neſcire; Vndè admonet, tolli debere abuſum quarumdam regionum, vbi pueri non docentur Symbolum, & articulos fidei niſi lingua Latina, quam non intelligunt, etiam peruenientes ad ætatem prouectam, nihilominùs peccant tantum venialiter, qui prædicta memoriter non retinent, dumodò illa ſciant ſecundum ſubſtantiam; nam conſuetudo iam interpretata eſt obligationem præcepti Eccleſiaſtici diſcendi memoriter Symbolum, Decalogum, Orationem dominicam, & etiam, vt quibuſdam placet, ſalutationem angelicam non eſſe niſi veniale. Similiter neſcire ſignum Crucis formare. Verùm circa hoc vltimum eſt contentio inter Doctores, & ſanè non apparet poſſe excuſari adultum neſcientem ſignum Crucis formare à graui peccato, cum in ſigno Crucis contineantur Trinitas D. Paſſio Chriſti, & alia &c.

Quæres 1. An poſſit dari ignorantia inuincibilis myſteriorum fidei. Reſp. affirmatiuè quoad particulares Perſonas; ratio eſt, quia ſunt aliqui inter chriſtianos, quibus, vel propter negligentiam Paſtorum, vel propter malam educationem hæc non ſunt diſtinctè tradita; ergo negari non poteſt dari aliquos fideles abſque culpa ignorantes quædam myſteria neceſſariò credenda; qua ratione excuſantur habitantes in terris hæreticorum, & Turcarum, quia carent Doctore, & quamuis illum inquirant, inuenire non poſſunt; ſimiliter excuſantur aliqui ſimplices, qui ſunt adeò hæbetes ingenio, vt licet audiant, non poſſint percipere, aut formare conceptum diſtinctum talium myſteriorum, vel ſi fortè formauerint, ob naturalem defectum memoriæ ſtatim obliuiſcuntur; ergo in his, & ſimilibus cenſetur impoſſibilis explicita cognitio illorum, ac proindè excuſantur. Vnde docet Scot. 3. d. 25. *Quod tunc, ſi non poteſt talia intelligere, ſufficit, quod credat, ſicut Eccleſia credit*: ita etiam Marchant. t. 2. ſect. 1. de ſcientia credendorum, & Herincx p. 3. diſp. 7.

Quæres 2. In qua ætate teneantur pueri ſcire Symbolum ſub peccato mortali.

Reſp. obligatio puerorum addiſcendi myſteria fidei incipit

cipit cum vſu rationis, & conſequenter Parentes, Paſtores, & alij curam habentes, tenentur animas ſibi commiſſas de illis inſtruere, quod tamen non eſt intelligendum de puncto rationis metaphyſico, vt inter alios aduertit noſter Herincx, ſed moraliter, pro vt occaſio, & opportunitas ſe offert, quæ in alijs, atque alijs nunc maior, nunc minor eſt, ſicut & capacitas diſcendi, & conſequenter cum proportione maior, vel minor eſt culpa, ſiuè in ijs, qui diſcere, ſiuè in alijs, qui docere tenentur, ſi diutius, quam par eſt, differant; frequenter tamen ignorantia in rudioribus, & iunioribus præſertim non eſt mortalis, ſiuè ob leuitatem materiæ ignoratæ, ſiuè ob inaduertentiam, & alias rationes ſuperiùs recenſitas. Ex quo infertur, quomodò gerere ſe debeat confeſſarius erga huiuſmodi pœnitentes ignaros. Si enim pœnitens, non ſolum verba, ſed etiam ſubſtantiam ignoret, pro prima vice, vel ſemel, & iterum poterit eum abſoluere, ſi doleat de negligentia præterita, & habet propoſitum emendæ, ſi autem ſæpè admonitus, nullam adhibeat diligentiam, tenetur differre abſolutionem, quouſque ſupradicta ſciat. Poſſet tamen confeſſarius ex charitate faciliter illum inſtruere; ac proinde, vt docet ex communi noſter Caſpenſis, rariſſimè abſolutio deneganda eſt; quæ doctrina confirmatur ex propoſitione damnata ab Innocentio XI. quæ in ordine eſt 64. *Abſolutionis capax eſt homo, quantumcunque laboret ignorantia myſteriorum fidei, & etiam ſi per negligentiam etiam culpabilem neſciat myſterium SS. Trinitatis, & Incarnationis Domini noſtri Ieſu Chriſti*; & ſimiliter ex alia propoſitione, quæ in ordine eſt 65. & ſic loquitur. *Sufficit illa myſteria ſemel credidiſſe*.

Quæres 3. An præceptum de credendo explicitè myſteria fidei ſit præceptum D. vel humanum.

Reſp. quantum ad ea, quæ ſunt neceſſitate medij eſſe de præcepto iuris naturalis ſimul, & diuini. Ratio, quia naturale dictamen oſtendit ea, quæ ſunt de neceſſitate ſalutis, eſſe nobis applicanda pro viribus, non minùs, quam cibum, & potum pro vita corporali ſubſtentanda. Quod autem ſit diuinum, conſtat ex 1. Ioan. cap. 3. *Hoc eſt mandatum eius, vt credamus in nomine filij eius*, ſed eadem eſt ratio de fide Chriſti, ac aliarum rerum, quæ ſunt de neceſſitate medij; ergo de illis omnibus extat præceptum D. Quantum

ad Decalogum dicendum eius fidem ad minùs eſſe iuris poſitiui diuini, quia, quo iure præcipitur obſeruantia alicuius præcepti, eodem præcipitur & eius cognitio, ſed obſeruantia Decalogi præcipitur iure poſitiuo diuino: ergo & eius cognitio. Quantum ad fidem Sacramentorum dicendum, quod ſicut aliqua eorum ſunt, vel de neceſſitate medii, vel præcepti, ita erit neceſſaria eorum fides. Cæterùm, an ſit præceptum D. addiſcendi Symbolum, Caſpenſis cenſet eſſe ſatis probabile dari huiuſmodi præceptum D. quia obligatio iſta eſt vniuerſalis in Eccleſia, & SS. PP. non videntur tam conſtituere præceptum, quam illud ſupponere, tum quia Apoſtoli ediderunt Symbolum, vt ſcilicet docerent eſſe præceptum illud credendi, eò quòd Chriſtus Dominus præceperat eis, vt prædicarent Euangelium omni creaturæ; ad quod munus, & præceptum rectè exequendum compoſuerunt Symbolum: ergo &c.

QVÆSTIO VI.

Vtrum homo fidelis teneatur actum fidei elicere, & quo tempore.

NOt. 1. Quòd ad actum fidei quis dupliciter poteſt obligari, præcepto ſcilicet affirmatiuo, & negatiuo. Primo modo obligatur ad exercitium actus fidei. 2. modo obligatur ad non negandam fidem quomodocunq; Ad exercitium autem actus fidei poteſt quis teneri dupliciter, directè, ſeu per ſe, & indirectè, ſeu per accidens; tunc obligat per ſe, quando obligatio illius actus fidei eliciendi oritur directe, & immediatè ex vi ipſius fidei, & non aliundè, tunc autem obligat indirectè, & per accidens, quando obligatio non oritur per ſe, & immediatè ex fide, ſed ex præcepto alterius virtutis obligantis, ad cuius exercitium eſt neceſſarius fidei aſſenſus, ſaltem virtualis v. g. præcepto pœnitentiæ, orationis &c. Item quando vrget vehemens tentatio alia, quàm contra fidem, cui, niſi eliciatur aſſenſus fidei, eſt periculum ſuccumbendi.

Not. 2. Quòd circa tempus, quo tenemur elicere actum fidei, diſcrepant inter ſe Doctores. Quidam auſi ſunt aſſerere. *Quod homo nullo vnquàm vitæ ſuæ tempore tenetur elicere actum fidei,*

fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium. Quæ quidem aſſertio, cum nullo nitatur fundamento, imò ſit erronea, & ſcandaloſa, meritò fuit damnata ab Alexandro VII. & deinde ab Innocentio XI. fuerunt damnatæ hæ aliæ duæ propoſitiones, quæ inter damnatas ſunt 16. & 17. *Fides non cenſetur cadere ſub præceptum ſpeciale, & ſecundum ſe: Satis eſt actum fidei ſemel in vita elicere*; Quidam alij, vt noſter Poncius &c. ad aliam extremam opinionem declinauerunt, nempè quod extat ſpecialis obligatio ſingulis diebus eliciendi actum fidei, quæ opinio nulla auctoritate S. Scrip. nec Conciliorum, nec SS. PP. nec ratione niſi leui fulcitur; immò vſus fidelium docet talem obligationem eſſe communiter omnibus Chriſtianis doctis, & indoctis ignotam. Alij denique cum Scot. in 3. d. 21. q. 1. vt Faber, Nicolaus de Orbellis, Nicol. de Nyſe, & alij probabiliter tenent quemlibet fidelem ſingulis diebus dominicis ad actum dilectionis Dei ſuper omnia, ob cultum Deo præſtandum iuxtà illud Exodi 20. Sanctificate Sabbatum obligari, ſed quid veriùs dicendum ſit, oſtendent ſequentes Concluſiones.

I. Concl. Infideles tenentur actum fidei elicere, vel exercere vbi, & quando fidei articuli illis ſufficienter fuerint propoſiti, & explicati, quod non fit ſtatim, & in momento metaphyſico, vt putat Conink. ſed quandò tot, ac talia ſigna veræ religionis audiunt, & vident, vt prudenter iudicare poſſint fidem hic, & nunc ſibi propoſitam eſſe veram, ac euidenter credibilem, ſuam verò falſam; hæc videtur communis ſententia Theologorum, quam inter alios docent Marchant. tom. 2. tribunal. Sacramen. & Herincx p. 3. diſp. 8. de fide. Prob. quia vbi articuli ſunt ſufficienter propoſiti, ſi quis non credat, contrà iudicium practicum rationis, & contra præceptum agere conuincitur in re neceſſaria ad ſalutem, nam tunc nulla ſubeſt ratio, cur vlteriùs differat aſſenſum fidei; ergo &c. Confirm. Marchant. hanc rationem ex illo. quod habetur Matth. cap. vlt. *Euntes, docete omnes gentes &c. qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit, qui verò non crediderit, condemnabitur*. quaſi dicat explicat Marchant. cum docueritis, ſiuè cum veſtra doctrina informati debitè fuerint, tunc, aut debent credere, aut condemnari. Vndè Apoſtoli, poſtquam docuiſſent exigebant primo

mò actum fidei, & deindè intingebant Baptiſmi Sacramento. Cæterùm quia non omnibus Infidelibus adultis ſemper, & vbique ſufficienter proponuntur dicta motiua, & indicia, ſæpè contingit, vt rudiores inter infideles, & hæreticos enutriti, patiantur ignorantiam inuincibilem circà veritatem religionis; ac proindè tales non ſunt dicendi hæretici, & multò minùs excommunicati, ſed ſolum inſtruendi ſunt, vbi occaſio ſe obtulerit, vt deinceps actus verè fidei exerceant, ac veræ Eccleſiæ adhæreant.

II. Concl. Quilibet fidelis perfectè attingens vſum rationis ex vi præcepti fidei tenetur elicere aſſenſum fidei: primò, quando fides ſufficienter ei proponitur: 2. quotieſcunque eſt facienda externa fidei profeſſio, quæ ſine interno aſſenſu fieri non poteſt: 3. quando vrget vehemens tentatio contra fidem, itaut ſit periculum conſenſus, niſi tentatus reſiſtat. Verum monent Doctores poſſe alia via faciliori huiuſmodi tentatiònem ſuperare, & maximè ſi ex ſcrupulis talis tentatio oriatur, nempè aliò diuertendo cogitationes, & deniquè aliquoties per vitam; & quidem toties, quoties opus erit ad cauendum, ne omiſſio eiuſmodi aſſenſus cenſeatur interpretatiuus fidei contemptus. At indirectè, & per accidens obligatur quis ad actum fidei eliciendum, quotieſcunque obligatur, aut reſoluit orare, conteri, accedere ad aliquod Sacramentum, elicere actum ſpei, & Charitatis; hæc enim omnia non poſſunt rectè fieri abſque actu fidei, vel circà miſericordiam Dei, vel circa ipsum Sacramentum, quia omnia ſupradicta præſupponunt, & neceſſario requirunt actum fidei ſaltem implicitum, quæ eſt fundamentum cæterorum.

Inſuper indirectè obligatur ad actum fidei, qui talem patitur tentationem contrà virtutem diſtinctam à fide, vt eam ſuperare nequeat, quàm per actum fidei. Aduertunt tamen Doctores in dicto caſu omittentem ex negligentia actum fidei, peccare quidem contrà virtutem ſpecialem, cui contrariatur tentatio, non verò contra virtutem fidei, ideòque non eſt dicendus infidelis, ſeù hæreticus.

Arg. probando, quod fidelis teneatur elicere actum fidei ſi à Doctore, vel à Prædicatore, vel ab alio ſufficienter proponatur ei aliquis articulus fidei, vel occurrit memoria alicuius myſterij credendi, puta paſſionis &c. Nam

que-

quemadmodum videtur aliqua indecentia negare homini veraci fidem abſque cauſa rationabili; ita multò magis non dare Deo fidem, quando nulla obſtante cauſa, proponuntur fidei myſteria; ergo &c.

Reſp. diſt. ant. negare homini &c. poſitiuè diſcredendo, tranſeat ant. negatiuè diſcredendo, nego ant. Itaque ſi fidelis poſitiuè non diſcredat, aut credere nolit, aut non dubitet in fide, quando ei proponitur aliquod myſterium, nequit argui de aliqua indecentia erga Deum, aut de irreuerentia morali.

DISPVTATIO VII.

De actu externo, ſeu confeſſione fidei.

QVÆSTIO I.

Vtrum detur præceptum externum de confeſſione fidei.

NOt. 1. Quòd ſicut de actu interno fidei datur duplex præceptum, nempè affirmatiuum, & negatiuum; affirmatiuum eſt, vt ea omnia, quæ à Deo ſunt reuelata, & vt talia nobis ab Eccleſia propoſita, credantur; negatiuum, vt erroneis dogmatibus fidem non præſtemus. Ita pariter de actu externo fidei datur duplex præceptum, alterum affirmatiuum, quod poſitiuam confeſſionem fidei iubet; alterum negatiuum, quod fidei negationem prohibet, negatiuum ſiquidem obligat ad ſemper, & pro ſemper, nunquam enim licet fidem negare; affirmatiuum verò licet obliget ſemper, non tamen pro ſemper, ideſt pro omni tempore, ſed aliquando.

Not. 2. Quòd confeſſio externa fidei, nihil aliud eſt, quàm eiuſdem fidei manifeſtatio aliquo ſigno externo, ſiuè conſiſtat in verbis, ſiuè in factis, ſiuè in alijs ſignis externis ad hoc ſingulariter ordinatis; ad quam confeſſionem externam tenetur adultus in ſuſceptione Baptiſmi, & quando quis interrogatur de fide ab auctoritate publica, ſiuè iure, ſiuè iniuria, & ad hoc obligatur directè, & per ſe; per accidens autem, ſeu materialiter obligatur quis ratione aliarum virtutum; primò ratione obedientiæ, ſi legitimè impe-

peretur à Superiore in ſuſceptione Epiſcopatus, Paſtoratus, gradus concionatoris, *Vt præcipit Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de Reformat. & iniungitur à Pio IV. in Bulla incip. Iniunctum nobis: extendens hanc obligationem, etiam ad Prælatos, & Magiſtros*. Secundò ratione Religionis, ſi ex taciturnitate fidelis, honor, & cultus Dei periclitetur. Tertiò ratione charitatis, ſi immineat ſcandalum, vel periculum ſalutis proximi. Quartò ratione veracitatis, ſi alias immineat periculum mendacij.

I. Concl. Tenetur omnis catholicus ſub pœna peccati mortalis tempore debito fidem exteriùs confiteri; hæc expreſsè habetur in S. Scrip. & ſignanter ad Rom. 10. *Corde creditur ad iuſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem*. vbi ſub oris confeſſione, vt explicat Marchant. omnis externa confeſſio intelligitur, tanquàm ſub principaliori ſigno expreſſiuo, quod eſt verbum oris, & Lucæ 2. *Omnis qui me ore confeſſus fuerit coram hominibus, & filius hominis confitebitur illum coram Angelis, qui autem negauerit me coram hominibus, negabitur coram Angelis Dei*. In quibus Scripturis clarè oſtenditur poſitiua fidei confeſſio externa, & indicatur pariter præceptum de non neganda fide.

II. Concl. Tunc fideles adulti tenentur ad externam fidei confeſſionem quandò neceſſaria eſt, vel ad honorem Dei, vel ad vtilitatem proximi; hæc eſt communis ſententia Doctorum, tum antiquorum, tùm recentiorum. Tunc autem maximè neceſſaria cenſetur, quandò quis interogatur puplicè de fide, & à publica poteſtate. Prob. Conc. auctorit. D. Aug. & refertur *cap. quiſquis cauſa 11. q. 3. qui metu poteſtatis veritatem occultat, iram Dei ſuper ſe prouocat*, ſed tunc maximè oportet fidem externè confiteri, quandò quis publicè, & à publico Iudice interrogatur. Hinc damnatur ab Innoc. XI. illa propoſitio, quæ inter damnatas eſt 18. *Si à poteſtate publica quis interrogetur fidem ingenuè confiteri, vt Deo, & fidei glorioſum conſulo, tacere, vt peccaminoſum per ſe non damno*: ergo quandò quis interrogatur à poteſtate publica, nequit ſine peccato mortali tacere, ſed fateri tenetur catholicam fidem.

Confirm. Nam tunc tenetur quis fidem catholicam externè fateri, quandò honor Deo debitus, & proximi vtilitas vrget, ſed nullo vnquam tempore magis vrget debitus honor Dei, quàm dum interrogatur publicè, vel à poteſtate publica; ergo &c. Verùm ſi interrogaretur à perſona pri-

priuata; non teneretur confiteri fidem, ſed poſſet tacere, vel eludere aliquo modo interrogantem, v.g. dicendo, quid ad te? eo quia, vt paſſim docent Doctores, nullam facit Deo irreuerentiam, ſi dicat interroganti, ſe non teneri reddere ei rationem fidei, & ſtatus, cum non habeat auctoritatem, & ius vllum interrogandi; ſed ſolam auctoritatem priuatam; hæc tamen doctrina limitatur, niſi adſit aliqua irreuerentia honoris diuini, & ſcandalum proximi, quia hic, & nunc poteſt quis ratione circumſtantiarum teneri ad fatendum fidem, etiamſi interrogetur à priuato.

Arg. 1. cont. 2. concl. Chriſtus à Pilato interrogatus, & multi Sancti interrogati de fide, tacuerunt: ergo licet quandoque tacere de fide. Reſp. diſt. conſ. Si tacendo reſultet formalis contemptus Tyranni interrogantis, & per conſequens maior in fide conſtantia, licet tacere, conc. conſ. & hoc idem oſtendunt exempla Chriſti, & Sanctorum allegata: ſi pereclitetur honor Dei, neg. conſ.

Arg. 2. Antè interrogationem non tenetur quis ad confeſſionem fidei: ergo nequè poſt: prob. conſ. quia interrogatio non poteſt inducere obligationem talis confeſſionis.

Reſp. neg. conſ. ad cuius probationem diſt. ant. ſola interrogatio humana non inducit, conc. vt præceptum fidei, nego. Præcipit enim Deus vt fidelis interrogatus non erubeſcat coram hominibus fidem ſuam fateri.

Arg. 3. cont. id; quod additur concluſioni, nempè quod fidelis non teneatur fidem fateri, ſi à priuato interrogetur. Ex confeſſione priuata æquè benè ſequeretur honor Dei, cæteris paribus ac ex confeſſione publica; ergo tenetur etiamſi interrogetur à priuto. Reſp. neg. conſ. quia, licet vtraque confeſſio cedat ad honorem Dei, non tamen in vtroque caſu eſt neceſſaria, publicæ enim Perſonæ tenetur quis reſpondere, non autem priuatæ. Vel reſp. nos ſemper teneri, quando periclitatur honor Dei, & adeſt ſcandalum Proximi, non autem ſemper, quando ex tali confeſſione ſequitur honor Dei, alioquin teneremur etiam non interroganti fidem catholicam fateri, ſeù prædicare.

QVÆ-

Vtrum in aliquo caſu liceat interdum fidem negare.

NOt. 1. quod non defuerunt hæretici, qui aſſeruerunt licere fidem exteriùs negare, dummodò in corde quis fixam, & firmam retineat, ità Gnoſtici, Priſcillianiſtæ, & multi alij apud Tertullianum, teſte Euſebio lib. 6. Hiſtor. Eccleſ. cap. 28. Vndè aiunt in ſuis dogmatibus *Iura, periura, ſecretum pandere noli*. Eumdem errorem ſuperiori ſæculo reſuſcitarunt Anabaptiſtæ, & Libertini; imò recentiores hæretici, præſertim in Belgio, vt notat Marchant. videntur promiſcuè profiteri modò apud catholicos veram fidem, modò apud hæreticos falſam, hoc perfido axiomate fræti, quod liceat fidem ſuam negare, & alienæ Religionis quælibet exercitia facere, modò quis fidem ſuam fixam, firmamque conſeruet. Hinc publicè ſuam perfidàm fidem negant, imò ſi iuramento opus ſit, ſuam ſectam abiurant.

Not. 2. quod etiam inter Theologos Adrian. in 4. q. 1. tenuit per actum externum Idolatriæ poſſe occultari fidem; ſecluſo ſcandalo, & neceſſitate confitendi, cum non requiratur confiteri fidem, quaſi non magis peccet, idolatriam etiam ſeriò ſimulando, quàm ſi metum, vt Ioſuè, vel furorem, vt Dauid ſimularet; quæ ſententia meritò reijcitur, & reprehenditur à Theologis. Cæterum obſeruandum, quòd dupliciter poteſt quis externo ſigno ſuam fidem negare; primò poſitiuè, & explicitè, vt cum quis negat ſe catholicum eſſe, aut fidei catholicæ in publico, aut priuato renunciat, aut alicui propoſitioni catholicæ formaliter contradicit: 2. negatiuè, ſeu implicitè, & interpretatiuè, vt quandò quis taciturnitate ſua prò ratione temporis, loci, & aliarum circumſtantiarum, ſe ſuam fidem negare oſtendit. Item quandò quis ſigno proteſtatiuo adulterinæ fidei vtitur, vt infrà &c.

Not. 3. quod *à S. Cypriano, & à Clero Romano Epiſt. 31. ad Cyprian. fuit damnata ſimulatio Libellaticorum; duplex enim fuit olim genus lapſorum, alij dicebantur ſacrificati Thurificati, vel Idolatri alij Libellatici: ſacrificati vocabantur, qui quomodocunque imolaſſent, vel immolata guſtaſſent; thurificati, qui thus obtuliſſent, Idololatræ communiter omnes, qui cultum Idolis exhibuiſſent; Libellatici*

verò

verò erant, qui à magiſtratibus libellos ſecuritatis impetrabant, ſoluta pecunia, nè amplius inquirerentur, aut moleſtarentur, idque iuxta Baronium ad annum 253. prauia ſecreta negatione per ſe, vel per alios nomine ſuo facta; & inſuper aduertit Herincx, quod Libellaticorum crimen in hoc propriè conſiſtebat, quod à magiſtratu pecunia emerent libellum teſtimonialem factæ negationis, aut impleti mandati Imperatorum, etſi nil tale præceſſiſſet, vt ſic redderentur ſecuri contra vlteriorem moleſtationem, vt ſatis patet ex Epiſt. 31. cit. quæ omnia ab Eccleſia habita ſemper fuerunt vt illicita.

Concl. Fide D. tenendum eſt nullo caſu, nec quidem metu mortis, aut alterius incomodi poſſe fidem, etſi corde retentam, exteriùs negari. Hæc patet ex S. Scrip. Matth. 10. vbi, cum dixiſſet Chriſtus non eſſe timendos Tyrannos, qui occidunt Corpus, ſubdit *Omnis ergo qui confitebitur me &c. Qui autem negauerit me &c. & Lucæ 9. Qui me erubuerit, & meos ſermones, hunc filius hominis erubeſcet, cum venerit in Maieſtate ſua.*

Prob. etiam concl. ex perpetuo ſenſu Eccleſiæ, quæ grauiſſimum ſemper cenſuit eſſe delictum lapſorum in confeſſione fidei. Vnde in lapſos poſtea pœnitentes rigide olim animaduertebat Eccleſia, vt patet *Ex Concil. Elliberitano can. 1. 2. & 3. Niceno can.* 10. Eamdem doctrinam, & veritatem tradunt etiam SS. PP. vt videre eſt apud Doctores.

Prob. conc. ratione theologica. Negatio fidei externa eſt mendacium pernicioſum, quo grauis irrogatur iniuria fidei, ſeu primæ veritati, quatenus ita tacitè ſaltem aſſeritur, fidem chriſtianam non eſſe veram, & conſequenter doctrina Chriſti cum ſuo auctore falſitatis arguitur; ergo &c. Deinde ſicut reuerentia D. auctoritatis exigit, vt ei non ſimus increduli in corde, ſic etiam vt ei ſignis exterioribus non repugnemus, nec fidem denegemus; nam indifferens eſt, vtrum negatio fiat verbis, ſcriptis, nutibus, alijſque ſignis. Similiter ſi fidem chriſtianam, ſiuè directè, & explicitè quis neget, ſiuè indirectè, & implicitè v. g. probando contrariam, vel partem eius, dicendo ſe Iudæum Caluiniſtam &c.

Arg. 1. in lib. 4. Reg. cap. 5. habetur, quod *Naaman Sirus renunciando in futurum Dijs alienis, petijt ab Eliſeo ſibi indulgeri, ſi Rege, & Domino eius innitente ſuper manum eius, ac in templo Remmon adorante, ipſe adorauerit, & eidem Propheta reſponderit. Vade in pa-*

ce:

ca: ergo &c. Reſp. communiter à Doctoribus Naaman ſolùm petijſſe, vt Regi in templo poſſet præſtare ciuile miniſterium, quod ei extra templum exhibebat, non quidem ratione cultus diuini, ſed obſequij regis.

Arg. 2. lib. 4. Reg. cap. 10. dicitur, quod *Iehù, vt deciperet Sacerdotes Baal dixerit ſe velle colere Baal, & infra narratur id ſtudioſè egiſſe*, imò hanc Hieù ſimulationem videtur commendare S. Hieron. in comen. cap. 2. ad Galat. ergo &c.

Reſp. Herincx, quod Hieù rectè quidem fecit occidendo Sacerdotes Baal, non rectè tamen adhibuit tale medium ſimulationis malæ, niſi quod fortè, tanquàm vir militaris, & rerum diuinarum minus gnarus, fuit à graui præſertim culpa excuſatus per ignorantiam. Vndè factum Iehu paſſim improbant Sancti, ſignanter Aug. lib. cont. mendacium cui in hac parte magis adhærendum eſt, quam Hieronymo.

Arg. 3. Apoſt. 1. ad Corint. cap. 9. ait; *Factus ſum Iudæis tanquam Iudæus, vt Iudæos lucrarer &c. omnibus omnia factus ſum, vt omnes facerem ſaluos*. Quibus verbis indicat ſe accomodaſſe ſaltem externis ceremonijs Iudæorum: ergo &c.

Reſp. Apoſt. non eſſe omnibus omnia factum, quaſi cum gentibus mentiretur ſe gentilem in eorumdem ſacris participando, vel cum Iudæis Iudæum, legalia neceſſaria confitendo, aut adhibendo, ſed ſingulis ſe accomodando in licitis.

Quæres 1. An quis licitè poſſit coram Iudice cum reſtrictione mentali, aut per verba ambigua, & equiuoca fidem negare ſecundùm externam apparentiam.

Reſp. negatiuè, vt patet ex ſenſu Eccleſiæ, quæ nunquam probauit oppoſitum agendi modum, quin potiùs eo ipſo, quod fides ſecundum externam apparentiam ab aliquibus fuiſſet negata, illos tanquam lapſos damnauit, non admiſſa excuſatione; quod confirmatur exemplo martyrum, qui nunquàm induci potuerunt, vt aliquid dicerent, vel facerent, quo videri poſſent, vel ſaltem ſecundùm apparentiam fidem negare. Prob. etiam ratione, quia, ſicut grauem iniuriam infert proximo, & eius honori detrahit, qui coram Iudice teſtatur verbis æquiuocis, aut cum reſtrictione alterum Innocentem commiſiſſe crimen, ſic tantò magis detrahit honori fidei, & primę veritati ſecundùm externam apparentiam, non obſtante ſcilicet reſtrictione, fidem negant.

Quæ-

Quæres 2. An licitum ſit homini chriſtiano tempore perſecutionis fugere, vel ſe occultare, ne cogatur de rebus fidei reſpondere. Reſp. cum diſtinctione ex communi ſententia Doctorum. Si perſona, cui imminet mors ex perſecutione ſit Paſtor, aut perſona habens curam animarum, talis non tenetur fugere, ſi ex ſua fuga præuideat ſequuturum graue detrimentum ſui gregis; tenetur enim ex officio ſubditis ſuis conſulere in neceſſarijs ad ſalutem iuxtà illud *Ioan. c. 10. Bonus Paſtor dat animam ſuam pro ouibus ſuis &c.* & tantò magis ſi eius fuga redundaret in detrimentum, ſeù contemptum fidei, ſi autem ſit Perſona priuata, quæ probabiliter in perſecutione poſſet ſuccumbere contra fidem, tenetur fugere, ſi autem ſit perſona indifferens, ideſt quod non timeat mortem ſubire, poteſt fugere exemplo Chriſti, & multorum Sanctorum, & poteſt non fugere, & exponere ſe martyrio.

QVÆSTIO III.

Vtrum licitum ſit occultare, ſeù diſſimulare fidem.

NOt. 1. quod aliud eſt occultare, ſeù diſsimulare veram fidem, aliud falſis ſimulare falſam. Simulatio enim falſæ fidei, quæ nunquàm licet, conſiſtit in factis ſignificantibus hic, & nunc ipſum ſimulantem profiteri aliam fidem, diſsimulatio autem veræ fidei tunc eſt, quandò fit aliquid, ex quo poſitiuè non colligitur diſsimulantem eſſe Chriſtianum, ſeu catholicum, ità tamen, vt nec alijs ſignificetur contrarium. Vndè omnis, qui verbis, aut factis fidem exteriùs negat, eam quoque, etſi in corde manentem occultat, vt ſuperiùs oſtenſum eſt; non omnis tamen qui fidem occultat, aut diſsimulat, cenſendus eſt eam negare. Tota itaque difficultas eſt, quæ occultatio, ſeù ſimulatio cenſeatur non eſſe fidei negatio, ac proinde ſaltem in certis circumſtantijs eſſe licita.

Not. 2. quod aliter voces aliquid ſignificant, & aliter res; nam voces ex natura ſua inſtitutæ ſunt ad noſtros mentis conceptus manifeſtandos. Hinc ſi homo non vtatur vocibus proprijs, ſed vocibus ſibi placitis, mentitur, quia abutitur propria ſignificatione vocum, at res, quatenùs

nùs ſunt habitus, veſtes, cum non ſint per ſe inſtitutæ ad ſignificandum; per accidens aliquandò ſignificant. Quare obſeruant Doctores, tripliciter poſſe contingere, quod infideles vtantur aliquo ſigno, vel habitu propriè: primò ſine intuitu Religionis, ſed ſolùm propter vſum diuerſum prouinciarum: 2. quodammodò in cultum Religionis ad diſtinctionem fidelium ab infidelibus, non tamen ad exhibendum Religionis cultum, qualis eſſet flauus pileus, quem ad diſtinctionem Iudæi ferunt, album linteum per modum faſciæ in pileo maumethanorum: 3. deniquè, quandò huiuſmodi ſigna, non tantum fidelem ab infideli, vel ſectam à ſecta ſecernunt, ſed etiam ſunt proteſtatiua, & manifeſtatiua Religionis falſæ, e. g. Veſtis habens effigiem maumeth. depictam &c.

I. Concl. Quandò veſtes, vel ſignum non ſunt per ſe inſtituta ad proftendam aliquam ſectam, ſed ob bonum Reipublicæ, ſeù ob humanam politiam, ſiuè ex conſuetudine, ſiuè ex lege, qui vtitur illis ex cauſa legitima, non peccat mortaliter contra fidei confeſſionem. Hæc videtur communis inter Theologos, eamque præſertim tradunt Marchant. vbi ſupra Henricx, Caſpenſ. & alij. Prob. concl. quia vti talibus veſtibus, ſeù ſignis, non eſt profiteri ſectam alienam, ſed propriam religionem occultare, quod ſæpè licitum eſt: ergò cum illæ veſtes habeant alium finem, propter quem poſſunt conuenienter deferri; imò de facto milites chriſtiani in bello vtuntur veſtibus infidelium; ergo licet illis vti.

Confirm. quià ſi Turca, vel Iudæus occultè conuerteretur ad fidem, ſtatim eſſet obligandus deponere huiuſmodi veſtimenta, & ſe prodere etiamſi ob profeſſionem fidei eſſet occidendus, ſed hoc videtur duriſſimum: ergo &c. Dicitur in concl. ex legitima cauſa; quia licet res hæc non ſit intrinſecè mala, eſt tamen de numero illarum, quæ habent ſpeciem mali, quarè vt licitè fiat, debet honeſtari titulo neceſſitatis.

II. Concl. Non licet Catholicis vti veſtibus, aut ſignis deputatis à Principe ad profeſſionem, ſeù proteſtationem falſæ ſectæ. Hæc eſt communis. Ratio, quia moraliter loquendo vſus rei metiendus eſt ex primario fine, ad quem inſtituitur, ſed veſtes huiuſmodi inſtitutæ ſunt ad proteſtandam falſam ſectam: ergo qui illis vtitur, reputatur talem

lem fidem proteſtari. Cæterum quod dicitur de veſtibus, eadem ratione intelligendum eſt de verbis, actibus, & quibuslibet alijs ſignis, hæreſim, vel falſam ſectam indicantibus. Vndè ait Marchant. Conſulant ſibi, qui in Olandia, Anglia, & alijs regionibus hæreſi infectis ad diſſimulandam, & occultandam ſuam Religionem in conſortijs, conuiuijs &c. vtuntur verbis, & moribus hæreſim ſignificantibus.

III. Concl. Si Princeps infidelis eo fine, vt occidantur Chriſtiani propter fidei confeſſionem ferat legem, qua præcipiat, vt Chriſtiani certo vtantur ſigno, quo ab Infidelibus, ſeù hæreticis diſtinguantur; Fidelis eo ſigno ad vitandum mortis periculum vtens, non peccaret; ità docet Sanchez lib. 2. in Decal Cardinal. de Lugo tom. de fide diſp. 14. Henricx, Marchant. Caſpenſ. & alij. Prob. nam ſi vtens tali ſigno peccaret mortaliter, vel eſſet propter legem obligantem, vel quià lex illa, licèt iniuſta, habet vim interrogationis, ratione cuius fideles interrogati de ſua religione tenentur illam fateri, ſed neutrum eſt dicendum, non primum, quia lex eſt iniuſta contrà ius naturale; ex poſitione autem legis iniuſtæ non oritur obligatio; immò quàmuis lex eſſet iuſta, non tenerentur fideles Principi obedire cum tanto periculo. Deindè lex illa non habet vim interrogationis, ſed potiùs mandati, vt Chriſtiani poſitiuè ſe prodant, & cogniti puniantur: ergo huiuſmodi manifeſtatio veluti cedens in graue fidei detrimentum, & cuiusq; omiſſione nec præiudicatur grauiter diuino honori, nec generatur ſcandalum non obligat ſub peccato mortali, etiamſi lex conſtituta ſit à Principe pro negatione fidei, cum ſolùm omittatur ſignum fidei proteſtatiuum; Vndè placet regula Marchant. qui ſic loquitur. Vbi non vrget præceptum fidei, licere ſuam fidem occultare ſigno politico, quod tantùm ſectæ diſtinctiuum eſt, nullamquè implicitam, vel explicitam, directam, vel indirectam manifeſtationem hæreſis indicat, modò ſcandalum abſit.

DISPVTATIO VIII.

De Infidelitate.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Infidelitas.

NOt. 1. quod infidelitas eſt vitium fidei oppoſitum, inuoluens ex genere ſuo mortalem culpam iuxtà illud Marci vlt. *Qui verò non crediderit, condemnabitur.* Infidelitas autem ſic ſumpta alia eſt poſitiua, & eſt quæ opponitur alicui articulo fidei, alia eſt negatiua, & eſt quæ opponitur fidei, non per aliquem errorem poſitiuum, ſed per ignorantiam inuincibilem; alià denique priuatiua, qua laborantij, qui culpabiliter ignorant articulos fidei neceſſariò credendos. *Itaque infidelitas poſitiua, ſeu error poſitiuus contra fidem eſt qui includit contrarietatem, ſiuè contradictionem formalem contrà id, quod reuelatum, & fide tenendum eſt.* Quæ quidem infidelitas diuiditur in paganiſmum, iudaiſmum, & hæreſim, quæ diuiſio non deſumitur ex erroribus, qui ſunt ferè infiniti ſub ſingulis membris, ſed ex varijs modis, quibus homines veræ fidei contrariantur, aut contradicunt; aut enim contradicunt, vel contrariantur vniuerſaliter fidei nullatenùs ſuſceptæ, & ſic eſt Paganiſmus, aut veræ, fidei ſuſceptæ in figura, & ſic eſt Iudaiſmus, aut denique fidei veræ, & realiter primò ſuſceptæ, & poſteà diſcreditæ, & ſic eſt hæreſis, ad quam etiam reducitur Apoſtaſia à fide, & Eccleſia.

Concl. Infidelitatis poſitiuæ deſcriptio ſuperiùs allata eſt optima; & recta pariter eſt diuiſio infidelitatis in paganiſmum, iudaiſmum, & hæreſim, quæ diuiſio non eſt generis in ſpecies propriè dictas. Concl. quoad 1. part. eſt communis; quoad 2. part. eſt Scotiſtarum contra Thomiſtas: 1. pars patet: 2. prob. Omnis infidelitas, aut eſt nullo modo credentis in Chriſtum, & ſic eſt Paganiſmus, ſeu Gentiliſmus, aut aliquo modo ſaltem credentis in Chriſtum venturum, & ſic eſt Iudaiſmus, vel denique eſt credentis in Chriſtum, quia iam venit. ſed cum aliqua diſcredentia articulorum fidei, & ſic eſt hæreſis; ergo &c.

Prob.

Prob. 3. pars. Omnes prædictæ ſpecies infidelitatis priuant eadem virtute fidei, & habent deformitatem eiuſdem rationis conſiſtentem in contemptu D. auctoritatis, ſeu renitentiæ contra illam, cum ſola differentia materiali in negandis pluribus, vel paucioribus veritatibus reuelatis; ergo non diſtinguuntur inter ſe ſpecie eſſentiali, vt putant Thomiſtæ, cum quibus ſentit Bonacin. ſed ſolum accidentaliter ſecundum magis, & minùs in eadem ſpecie ſecundum mai. vel min. oppoſitionem cum auctoritate D. cæteris enim paribus maior eſt oppoſitio cum fide in hæreſi, quàm cum Iudaiſmo.

Arg. 1. cont. 2. part. conc. Turciſmus non videtur pertinere ad aliquod ex his membris infidelitatis, cum admittat nonnullas chriſtianæ fidei veritates v. g. quod B. Virgo ſit Mater Chriſti, quod ſit Virgo; ergo &c. Reſp. neg. ant. nam, licet Turciſmus ex parte materiæ ſit mixtus, vt potè amplectens aliquas veritates, etiam catholicas, & quaſdam veteris teſtamenti, quoad modum tamen declinandi à fide chriſtiana conuenit cum Paganiſmo, cum non recipiat fidei veritates, tanquam reuelatas à Chriſto, ſed tanquàm pronunciatas à Maumetho, & idem eſt dicendum de veritatibus veteris teſtamenti, quas non à Deo, ſed à maumetho recipiunt.

Arg. 2. Apoſtaſia eſt infidelitas, quæ non reducitur ad ſupradicta membra; ergo &c. Reſp. neg. ant. quia, vel eſt Apoſtaſia, quæ eſt receſſus à vera fide totali, & ſic eſt paganiſmus; ſi illam retineat in figura, Iudæus; ſi eam explicitè profiteatur, & quædam puncta negat, hæreticus; Apoſtaſia namque, vt in præſenti ſumitur, eſt receſſus à vera fide, vel potiùs propriè loquendo Apoſtaſia eſt tantum accidens, vel circumſtantia infidelitatis indicans eum, qui veræ fidei reſiſtit, eam priùs habuiſſe.

Arg. cont. 2. part. In pluribus errat Paganiſmus, quàm Iudaiſmus, & Iudaiſmus, quàm hæreticus, ſed in his videtur maior deformitas; ergo moraliter loquendo, ſunt ſpecie diſtinctæ. Reſp. diſt. mai. in pluribus errat materialiter, conc. formaliter, nego.

QVÆSTIO II.

Quid, & quotuplex eſt hæreſis.

NOt. 1. Quòd hæreſis ſecundùm nominis etymologiam importat notionem, ſeu electionem. Vnde apud Scriptores publicos fuit vſitatum nomine hæreſeos indifferenter omnem opinionem in quauis facultate, & diſciplina exprimere, quam aliqui ſectabantur. Verùm apud Scriptores, & Doctores Eccleſiaſticos hoc nomen hæreſis reſtrictum eſt ad ſignificandum præcisè opinionem, ſeu errorem contra fidem catholicam, quam nonnulli ſectantur, ac proindè talis erroris ſectator dicitur hæreticus.

Not. 2. Quòd differunt inter ſe in materia fidei ignorans, errans, & hæreticus. Ignorans ſiquidem dicitur, qui ex mera ignorantia errori alicui aſſentitur, itaut nullius rationis vi, aut argumenti moueatur ad aſſentiendum, ſed ſola ſimplici ſua apprehenſione, vel auctoritate dicentis, aut conſuetudine eorum, inter quos educatus eſt. Errans propriè dicitur, qui alicui errori contra fidem adhæret rationibus quibuſdam ſibi apparentibus, & imaginatione quadam veritatis, imò & pietatis, paratus tamen corrigi, quando ei veritas manifeſtaretur; hęreticus denique dicitur, qui nomine Chriſtiani gaudet, voluntariè, & cum pertinacia adhęret alicui errori ex parte contrario, cuius diffinitionis particulæ ex ſe patent, ſolùm obſeruandum, quod dicitur alicui errori fidei catholicæ ex parte contrario, ad excludendos Apoſtatas à fide, qui ad paganiſmum, vel Iudaiſmum tranſeunt. & ſic à fide catholica, & Chriſto, non in parte, ideſt in aliquo articulo, ſed totaliter recedit. Cæterùm hæreſis alia eſt mentalis, ſeu interior, alia eſt exterior tantùm, & alia eſt exterior, & interior ſimul. Rurſus hæreſis exterior, & interior ſimul diuiditur in occultam, & manifeſtam, de quibus in 2. concl.

I. Concl. Hæreſis eſt error voluntarius fidei catholicæ ex parte contrarius, cui cum pertinacia adhæretur. Particulæ ſunt ex ſe claræ, excepta illa, vbi dicitur, cum pertinacia adhæretur, etenim pertinacia duo exigit; primum, vt quis ſciat, aut firmiter ſibi ſtatuat ſententiam contrariam illi, quam tenet Eccleſia catholica, tanquàm de fide defini-

ni-

nitam eſſe. & pro tali haberi; 2. vt, hoc non obſtante, velit contrarium, vel contradictorium illi ſententiæ receptæ in Eccleſia catholica ſuſtinere, & illi adhærere, ſiue ex ratiocinationibus ſuis ad hoc moueatur, ſiuè ex malitia veritati cognitæ reſiſtat, & aliquo odio, aut prauo affectu illi acquieſcere nolit, & talis hæreticus dici ſolet hæreticus formaliter, ad differentiam ignorantium, & errantium, qui dicutur hæretici materialiter.

II. Concl. Hæreſis mentalis, ſiue interior tantùm dicitur illa, quæ in corde remanet, nec aliquo ſigno vel verbo, vel actu manifeſtatur; hæreſis exterior tantum dicitur, quæ exteriori ſigno ſolùm, & actu demonſtratur, manente tamen intus vera, & catholica fide: hoc crimine exterioris hæreſis tenentur catholici, qui timore, metu, aliqua animi paſſione, dolo, diſſimulatione, actus exercent, hæreſibus, & hæreticis ſpeciales, ſeu proprios, & qui ſignis, ſiuè quæ ex natura ſua, ſiuè quæ ex inſtitutione hæreſim ſignificant, vtuntur, vt qui cœnas hæreticorum frequentant, conuenticulis eorum tanquam membra interſunt, carnibus in diebus ab Eccleſia prohibitis abſque aliqua cauſa vtuntur, vt fidem ſuam diſſimulent, & alia ſimilia, de quibus ſuperiùs dictum eſt.

Hæreſis autem interior, & exterior ſimul eſt, quando error contra fidem, & in corde retinetur, & exterioribus ſignis, vel actibus manifeſtatur; hæc autem diuiditur in occultam, & manifeſtam; occulta dicitur quæ, eſtò ſignis, & actibus exterioribus declarata fuerit, illa tamen ſigna in ſecreto, aut coram pauciſſimis oſtenſa ſunt, ita vt non cenſeantur ſortiri forum publicum, vel publicam notam, vt ſi quis ex infidelitate S. Euchariſtiam in priuato ſolus conculcaret. Item qui hæreſim loqueretur, vel profiteretur, vno, aut altero præſente, itaut factum omninò negare poſſet; hic tamen in excomunicationem Bullæ cœnæ incidit in foro pœnitentiæ, ſeu Animæ. Manifeſta dicitur quæ ita foris per ſigna, & actus manifeſtata eſt, vt iam vel publica, vel publicanda cenſeatur ex circumſtantijs.

III. Concl. Hæreſis eſt peccatum mortale, & ſi ſit interior, eſt grauius paganiſmo, aut Iudaiſmo. Ratio concl. deſumitur ex Apoſt. *In Epiſt. 2. c. 2. vbi hæretici dicuntur ſuperinducere ſibi celerem perditionem, & maledictionem, & ibidem oſtenditur eſſe*

grauius peccatum Paganiſmo &c. quod etiam ratione compro-bari poteſt. Peiùs facit qui Chriſto Saluatore cognito, ſiuè fide accepta, poſt cognitionem iuſtitiæ à iuſtitia recedit, quàm qui Chriſtum Saluatorem, & viam iuſtitiæ vnquam agnouit, ſed hæreticus fide Chriſti inſtructus à via fidei, & iuſtitiæ recedit, cuius iuſtitiam veram nunquam habuit Paganus, vel Iudæus; ergo hæreticus &c.

IV. Concl. Hæreticus interior tantùm non incurrit excommunicationem, aut alias pœnas ſpirituales ab Eccleſiâ inflictas in Bulla Cœnæ, aut alibi. Ratio eſt manifeſta; eo quia Eccleſia non iudicat de merè internis; ergo cum hæreſis ſit actus internus, non poteſt ab Eccleſia iudicari, nec puniri pœnis, neque hæreticus exterior tantùm incurrit excommunicationem quoad forum internum conſcientię, licet ſubiaceat pœnis fori externi excommunicationem concomitantibus, aut conſequentibus, & in exteriori foro pro excommunicato habeatur; Ratio primæ partis eſt, quia qui eſt hæreticus tantùm exterior, reuerà hæreticus non eſt, quia hæreticus formaliter, qui ſolus incurrit pœnas ab Eccleſia inflictas, ab interiori actu infidelitatis denominatur formaliter talis. Ratio poſterioris eſt, quia cum Eccleſia iudicet de exterioribus, & ſupponatur talem commiſiſſe actus externos hæreſeos, pro hæretico quoad pœnas habendus erit; ergo &c.

Verùm hæreticus interior, & exterior ſimul incurrit excommunicationis pœnam latam, tum in iure communi, tum in Bulla Cœnæ Domini; idque clarè conſtat, quia talis eſt formaliter hæreticus, & pro hæretico habendus. Videtur tamen difficultas, quid requiratur ad hoc vt quis cenſeatur hæreſim interiorem exterius manifeſtaſſe. Petrus Marchant. tom. 2. Tribunal. Sacrament. tria requiri docet. 1. *Vt exercuerit externum actum verè, & determinatè manifeſtatiuum hæreſis, ſiue ex natura ſua, ſiue ex circumſtantijs hic, & nunc concurrentibus; ſiuè illud exercuerit facto, vel ſcripto, vel alio ſigno externo, vt ſi quis ſcripto, vel verbo Chriſtum in Euchariſtia negaret, aut Sacram hoſtiam conculcaret. Similiter ſi quis inter Catholicos nunquam ad Eccleſiam accederet &c.* Notanter dicitur, verè, & determinatè, nam debet eſſe ſignum hæreſis abſque omni tergiuerſatione: multa enim hæreſim ſapiunt, quæ tamen poſſunt ſine hæreſi eſſe: 2. requiritur, vt actus, ſeu

ſignum

ſignum exterius ab hæreſi interiori verè procedat: nam ſi quis hæreſim interiorem non habeat, in foro conſcientiæ pœnas non incurrit: 3. eſt, vt actus ſit per ſe malus, & mortale peccatum: vnde qui animo conſulendi, interrogandi &c. ſuam hæreſim familiariter Amicis aliquibus manifeſtaret, & ſuam internam hæreſim, aliàs nunquam manifeſtaſſet, hæreticus exterior dici non poſſet. Nihilominus idem Doctor ſubdit, quod licet hæreticus occultus vix dicendus ſit exterior hæreticus, quia, quod in occulto fit, vix exterioris nomen meretur, incurrit tamen pœnas hæretici formalis, verè enim ſuam hæreſim exterius manifeſtauit, & per accidens eſt, quod exercere ſuam hæreſim viſus non ſit, vel à pauciſſimis, qui rem ſecretam teneant; Vndè eo ipſo, quo exteriùs hæreſim exercuit, in forum Eccleſiæ iudicandus tranſiuit &c.

Quæres. Vtrum dubius in fide ſit dicendus hæreticus?

Reſp. nonnulli Doctores, inter quos eſt noſter Marchant. dubium in fide non eſſe cenſendum hæreticum, & ducuntur hac ratione: quia hæreſis eſt error pertinax contrà veritatem aliquam reuelatam, itaut hæreticus pertinaciter veritati reuelatæ contradicat, & ipſius contrario, aut contradictorio aſſentiatur; qui verò eſt dubius in fide, non tam contradicit veritati reuelatæ, quàm reuelationis infallibilitati, & certitudini, cum contradictoriæ, ſeù contrariæ parti non aſſentiatur, ſed ſuſpenſus maneat. Vndè illa dubietas ab hæreſi ex duplici capite diſtinguitur, primò ex eo, quod hæreſis ſit error contradictorius, vel contrarius ipſi veritati fidei, dubietas autem opponatur ſoli eius infallibilitati, & certitudini: 2. quia hæreſis neceſſariò pertinaciam adiunctam habet, dubietas nequaquam, ſed tantum vacillationem, ſeù inconſtantiam mentis. Quod ſi quis ei obijciat, dubium in fide, quantum in ſe eſt, negare fidem, ſeù fidei articulum, qui enim deſtruit infallibilitatem fidei, deſtruit fidem.

Reſp. fidem deſtruere, non tamen negare, quia negatio dicit electionem, & aſſenſum partis contrariæ, vel contradictoriæ ipſi fidei, dubius autem ſuſpenſus manet, ad neutrum habendo conſenſum. Vndè potiùs dicitur Infidelis quia deſtruit fidei firmitatem, & conſequenter à fide errat, non errore poſitiuo, & determinato, ſed negatiuo, & ſuſpen-

penſiuo; Quarè iuxta opinionem Marchantij; dubius in fide, etſi ſuam dubietatem aperiat, non incurrit pœnas contrà hæreticos latas. Nihilominùs communis ſententia tenet dubium in fide cenſendum eſſe hæreticum, & hoc deducitur expreſsè *ex cap. 1. de hæret. vbi dicitur; dubius in fide, infidelis eſt, & ex Clement. vnica de ſumma Trinit. vbi habetur ſic; doctrina vertens in dubium, quod ſubſtantia Animæ humani corporis non ſit forma, velùt catholicæ fidei inimica reprobatur*: quibus verbis damnatur non ſolùm dubitans, ſed etiam doctrina ipſa. Ratio eſt, quia talis judicat propoſitionem fidei, circà quam aſſenſus ſuſpendit, eſſe dubiam, & tacitè continet errorem fidei contrarium: ergo &c. Quarè, vt aduertit Henricx, dubium peccaminoſum non conſiſtit in quauis mera ſuſpenſione aſſenſus, quæ poteſt fieri abſque vlla culpa extrà tempus, ſcilicet præcepti fidei, ſed prætereà inuoluit ordinariè ſaltem iudicium, quo obiectum ſic repreſentatum exiſtimatur non eſſe fide infallibili dignum, in quo eſt error, qui non ſolùm committitur, dum verum putatur, quod falſum eſt, aut è contra, ſed etiam *Dùm certum habetur prò incerto, aut è contra iuxtà D. Auguſt. in Enchir. cap. 17.*

QVÆSTIO III.

1 *Vtrum cum ignorantia vincibili, vel etiam affectata poſſit eſſe peccatum hæreſis.*

NOt. 1. quod, vt dictum eſt de ignorantia in tract. de actibus humanis, ignorantia vincibilis, & affectata non excuſat ab aliquo genere peccati, ex eo quod non tollat omnem rationem voluntarij, quia cum ignorantia adhuc vincibili manet voluntarium, quod vocatur interpretatiuum, ſeù indirectum. Verùm quia in aliquibus generibus peccatorum neceſſarium eſt voluntarium directum, & expreſſum, qualia ſunt, quorum malitia conſumatur in actione, & affectu voluntatis, quæ quidem omninò impeditur ex quauis ignorantia, dubitatur; an cum ignorantia vincibili, vel etiam affectata poſſit eſſe peccatum hæreſis; circà quam quæſtionem ſic explicatam duæ referuntur opiniones. Altera negatiua, quam tenent Henricx diſp. 9. de Infidelitate, Maſtr. in Theol. moral. diſp. 10. q. 1. art. 3.

Caſ-

Caſpenſ. Azorius, Bannes, Farinac. & alij; altera eſt affirmatiua, quam amplectuntur Cano, Corduba, Nauarra, & alij; his prænotatis ſit.

Concl. Ignorantia vincibilis, immò & affectata in rebus fidei poteſt eſſe ſinè peccato hæreſis. Prob. concl. quoad 1. part. Hæreſis eſſentialiter includit pertinaciam, vt proximè dictum eſt, ſed nemo cenſetur pertinax in ſuo errore contrà fidem, niſi ſciat, & aduertat ſe ſentire contrà Eccleſiam, ſicut qui ignorat ſe ſentire contrà ſuum magiſtrum, non cenſetur eſſe pertinax in ſua opinione, aut derogare auctoritati magiſtri: ergo qui hoc ignorat, non eſt pertinax, ac proindè neque hæreticus ſed ignarus; ſubſumo min. At peccatum hæreſis non eſt peccatum ignorantiæ, ſed infidelitatis: ergo debet eſſe ſcienter; eo quià per Eccleſiam Catholicam proponitur nobis vera fides, ad hoc vt quis incredulus fidei, & teſtimoniò diuino cenſeatur.

Prob. 2. Peccatum hæreſis in eo conſiſtit, quod quis neget, ſeù non aſſentiatur alicui articulo fidei taliter ſibi propoſito, vt teneatur eum credere, nec poſſit ſine temeritate dubitare, an ſit à Deo reuelatus, ſed qui errat circa articulum, nondùm ſibi ſufficienter propoſitum, licet id eius culpa contingat, non negat articulum, cum hic, & nunc teneatur aſſentiri: ergo non peccat vero peccato hæreſis, & fidelitatis, ſed tantummodo peccato ignorantiæ mortali.

Prob. 2. pars, nempè quod error ex ignorantia affectata, quæ conſiſtit in hoc, quod quis non vult facere diligentiam debitam ad ſciendum quid docet Eccleſia, ne cogatur mutare ſententiam, poſſit eſſe abſque peccato hæreſis. Cum hac voluntate ignorandi ſtat voluntas obediendi Eccleſiæ, quoties de eius definitione conſtiterit, immò talis voluntas virtualiter in illa includitur; nam vt ait Suarez; ideò ille vult neſcire quid docet Eccleſia, quia non vult ab illius ſententia diſcedere; ergo cum voluntate ſic affectata ſtat vera fides tam de alijs articulis, quàm de hoc, nempè quod Eccleſia errare non poteſt in definitionibus fidei.

Cæterum aduertunt Caſpenſ. & Henricx, quod, quandò dicunt ignorantiam affectatam poſſe eſſe abſque peccato hæreſis, intelligendum eſſe quamdiù ea ignorantia eſt verè antecedens, ſiuè cauſa illius erroris, itaut cognita veritate, ſiuè poſito, quod hæc veritas ei ſufficienter proponatur, pa-

paratus ſit eam credere, nam ignorantia concomitans non excuſat ab hæreſi, quia illa ignorantia talis eſt, vt ſecum habeat, & requirat voluntatem non mutandi ſententiam, quamuis conſtet Eccleſiam aliud docere.

Arg. cont. 1. part. conc. Eiuſdem ſpeciei eſt peccatum ex ignorantia ac ex malitia, vt patet de eo, qui ex ignorantia vincibili, ſeu craſſa committit homicidium, & de eo qui abſque vlla ignorantia committit homicidium. quia ſpecies peccatorum deſumuntur ex obiecto, & non ex modo, ſed error contra fidem, & malitia eſt hæreſis: ergo etiam ex ignorantia craſſa, ſeu culpabili eſt peccatum hæreſis.

Reſp. neg. paritatem aſſumptam in mai. diſpar enim eſt ratio de peccatis in materia fidei, & in alijs, quia in his peccatis ſcientia, & cognitio non mutat peccati obiectum, nec eſt circumſtantia ſe tenens ex parte ipſius obiecti, ſed eſt conditio ſolum requiſita, vt actus ſit liber, & humanus, ac proindè mutat tantum modum operandi magis, vel minus voluntariè. In materia verò fidei mutatur obiectum ex ignorantia, vel ſcientia, quia obiectum fidei eſt D. reuelatio ab Eccleſia propoſita, quæ in peccato commiſſo ex ignorantia etiam culpabili quodammodo occultatur, ac proindè talis error, ſiuè peccatum non poteſt contradicere tali reuelationi tunc ignoratæ, & per conſequens nec cum fide habet oppoſitionem.

Arg. cont. 2. part. Ignorantia affectata, ſeu craſſa ex communi ſententia Doctorum non minuit, ſed auget peccatum; ergo ſicut qui ſcienter aliquid contra fidem tenet, eſt hæreticus, ita ſimiliter qui ex ignorantia affectata.

Reſp. verum eſſe ant. nempè quod ignorantia affectata non minuat grauitatem peccati, ſi intelligatur in ſua ſpecie, falſum tamen eſt, ſi transferatur ad aliam ſpeciem, puta hæreſis, tunc enim relinquit illud ſolùm in ſpecie erroris, ſeu peccati, quod opponitur obligationi ſciendi quid ſit reuelatum.

Vtrum licitum ſit cum infidelibus communicare.

NOt. Quòd non prohibetur fideli omnis communicatio cum infideli, aut hæretico in rebus Sacris, quia & ipſis Iudæis poteſt diſtribui panis benedictus, aqua benedicta &c. dumodo abſit periculum irreuerentiæ. Item admitti poteſt infidelis ad orandum Deum ritu catholico, ad intereſſendum miſſæ ſaltem vſque ad offertorium excluſiuè, ſi abſit periculum irreuerentiæ, & non ſit hæreticus damnatus, ita ex communi tradunt Doctores in cap. Epiſcop. nullum 67. imò aliqui addunt, etiam infidelem admitti poſſe ad audiendam totam miſſam, ſi exindè prudenter ſperetur eius conuerſio, & teſtatur Cardinalis de Lugo ſe vidiſſe hæreticos coram Sacro Cardinalium Collegio, miſſæ ſolemni intereſſe, ſcientibus omnibus, & meritò ſimulantibus propter fructum experientiæ probatum. Hinc patet à fortiori, non omnem comunicationem ciuilem fidelis cum infideli, aut hæretico eſſe illicitam, ſi hæreticus non ſit publicè per ſententiam Iudicis denunciatus; quia Eccleſia prohibet catholicis omnem comunicationem cum tali hæretico denuuciato, vt habetur expræſsè in Iure Canonico.

I. Concl. Lege naturali, & diuina prohibita eſt, ac proindè illicita omnis illa comunicatio cum infidelibus, ex qua imminet periculum peruerſionis in ſe, aut in alijs periculum ſcandali. Ratio eſt clara, cum vnuſquiſque ex lege naturali, & diuina taneatur vitare periculum peruerſionis in ſe ipſo, & ex charitate ſcandalum in alijs. Vnde rectè inferunt Doctores malè facere eos, qui proles ſuas inter hæreticos educandas tranſmittunt, prætextu mercaturæ, ſtudiorum, aut conuerſationis politicæ, quia plerumque redeunt corruptæ vitæ, & non raro hæreſi infectæ. Malè inſuper faciunt, qui hæreticis famulantur, cum æquè, vel ferè æquè comodè poſſint obtinere famulatum ob eamdem rationem apud catholicos. Addi etiam poteſt, vt notat noſter Marchant. in multa ſalutis pericula ſe præcipitare, qui continuis commercijs cum hæreticis aſſueti eorum erroribus imbibunt; licet enim tales non omninò peruertantur, multas tamen propoſitiones hæreticas, tamquàm pro-

probabiles ſibi imprimunt, de catholicis dubitant, & malum affectum erga Eccleſiaſticos facilè concipiunt.

II. Concl. Lege Eccleſiaſtica prohibitum eſt in aliquibus caſibus communicare cum hebræis: & quidem primò ſub excomunicatione interdicitur ne fideles cohabitent cum Iudæis, aut Saracænis *cap. Iudai licet non prohibeatur habere ſeruos iudaos vt patet ex cap. 2. Iudaus: Etſi in Concil. Agatenſi cap. 4. inhibetur, ne fideles accedant ad conuiuia Iudaorum, & ne Iudaos inuitent ad ſua*: contra quod tamen non peccat fidelis, qui à fideli inuitatus, vel caſu comedit in eadem menſa cum Iudæo: idque factum eſt, vt notat Herincx, quia diſcernunt inter cibos mundos, & immundos, quod ſi non faciunt, prohibitio ceſſat iuxta Azorium, Coninch. & alios. Et eſtò quod non, ſaltem non eſt niſi Canon Concilij particularis: 3. *Cap. nullus* 28. *q.* 1. *vetatur, ne fideles comedant azima Iudaorum*: 4. *Ibidem ne vtantur medico Iudao, quod intellige extra caſum neceſſitatis grauis*: 5. *ne in eodem balneo cum Iudais lauentur, ſcilicet per modum ſocietatis*; Verum vt aduertit idem Herincx, canon iſte deſumptus eſt ex Synodo Trullana, quæ illegitimum fuit Conciliabulum, & eſt ibidem ordine 11 6. in cap. ad hæc de Iudæis fidelibus prohibetur, ne famulentur Iudæis, & ne Iudæos eligantur ad officia, in quibus tamen omnibus, vt paſſim tradunt Doctores, excuſare poteſt leuitas materiæ, vel contraria conſuetudo: 7. *Ibidem prohibetur Chriſtianis obſtetricibus, & nutricibus, proles Iudaorum in domibus Iudaorum nutrire, etſi ibi non ſit interdictum, proles eorum domi ſua curandas ſuſcipere*, vt patet inſpicienti textum; licet nonnulli oppoſitum teneant: denique ſolet recenſeri inter caſus prohibitos legare aliquid Iudæo, vel pagano *ex cap. Sanè* 24. *q.* 2. *& etiam l.* 1. *C. de Iud. decernitur inualidum eſſe legatum factum vniuerſitati, ſeu communitati Iudaorum*.

Cæterùm prædictis addendum eſt, quòd Principes Chriſtiani non poſſunt concedere in ſuo Regno, quod Iudæi habeant mancipia: ita Sigiſmund. Scaccia de appellatione. Poſſunt tamen Iudæi habere Colonos chriſtianos. *Item Iudai, & Pagani publicis officijs praficiendi non ſunt; etſi regalia iura eis vendita ſunt, ad ea colligenda praficiendus eſt Chriſtianus non ſuſpectus ex cap. ſpeciali diſt.* 18. Denique non licet Iudæo baptizatum, aut volentem baptizari emere, aut in ſuo ſeruitio retinere *Ex cap. Nulli* 29. *Quod ſi Iudaus cauſa commercij emit hominem*

nem non conuerſum ad fidem, & emptus baptizatur, vel vult fieri chriſtianus, datis illis duodecim ſoldis, ideſt aureis, liberatur ſeruus à ſeruitio, quia nefas eſt blaſphemum detinere redemptum à Chriſto.

Quæres. An ſit licitum cum hæreticis de fide diſputare.

Reſp. licet diſputatio de fide non ſit per ſe illicita, ſiuè cum hæreticis, ſiue cum infidelibus, ſi debitis circumſtantijs fiat, tamen iuſtis de cauſis interdicitur laicis *in cap. 2. ſ. inhibemus de hæreticis, & cap. Quacunque de hæret. in 6. vbi contrauenientes excommunicationem incurrunt, quam excomunicationem nonnulli docent, vt Silueſt. Bannes, Valentia, & alij eſſe tantùm ſententia ferenda*, & addit Valentia cum alijs hanc prohibitionem non habere locum, vbi hæretici cum catholicis mixti viuunt, quia ibi per vſum, & conſuetudinem contrariam abrogata eſt. Similiter locum non habet in caſu neceſſitatis, dum v. g. hæreticus multa contra fidem catholicam iactaret cum periculo peruerſionis audientium, vel in magno ſcandalo; in tali enim caſu, laicus, abſente clerico, de iure naturæ teneretur ſe exponere, & ſuam fidem confirmare. Et inſuper Doctores paſſim limitant huiuſmodi prohibitionem ad diſputationem, quam vocant formalem, quæ aſſumitur ad fidem perſuadendam ijs, qui in ea errant, aut firmi non ſunt, non autem de materiali, qua aliqui catholici honoris, vel exercitij cauſa in communi colloquio inter ſe diſputant de fide, vt etiam fieri ſolet in ſcholis. Verùm licitum eſt Clericis contra hæreticos de fide diſputare, nullo enim iure illis inhibetur, ſi ſint capaces, & viri docti, & adſint cæteræ circumſtantiæ; ita tamen vt ex diſputatione ſperari poſſit fructus in hæretico, vel ſaltem in auditoribus, alioquin diſputatio eſſet cauſa mali, ideſt obſtinatæ defenſionis proprij erroris. Notant etiam Doctores, nomine Clerici venire eos, qui habent etiam ſolam primam Tonſuram, immò, & Religioſos omnes, etiam Laici, qui appellantur conuerſi.

QVÆSTIO V.

Quam poteſtatem habeat Eccleſia Romana in Paganos, infideles &c.

NOt. 1. quod præſens quæſtio non procedit de hæreticis, & Apoſtatis à fide; quia certum eſt Eccleſiam Ro-

Romanam poſſe illos compellere ad fidem catholicam ſeruandam, cum ſint directè ſubiecti iuriſdictioni Eccleſiæ ratione Chriſtianæ profeſſionis per baptiſmum; ac proinde eorum etiam filij poſſunt, inuitis parentibus, ab Eccleſia baptizari, & in fide catholica inſtrui; & à patria poteſtate auferri. Siquidem Eccleſia habet in eos directè poteſtatem coactiuam; & idem dicendum de ſchiſmaticis, & Apoſtatis, ac eorum filijs: ſed quæſtio mouetur de paganis, & infidelibus, & etiam de Iudæis; ſiue ſint ſubiecti dominio Principum Chriſtianorum, ſiue non.

Not. 2. quod circa hanc quæſtionem conueniunt paſſim Doctores, ritus eorum Infidelium, qui chriſtianis principibus ſubiecti non ſunt, licitè tolerari, & permitti ab Eccleſia, & Chriſtianis Principibus; non enim illis incumbit particularis cura eiuſmodi infidelium iuxta illud Apoſt. 1. ad Corint. 5. *Quid enim mihi eſt de his, qui foris ſunt?* Secundò conueniunt ritus etiam eorum Infidelium Gentilium, qui ſunt ſubiecti Chriſtianis Principibus poſſe ab eis licitè tolerari cauſa vitandi maioris mali, aut ſcandali, & perturbationis Reipublicæ, vel ne impediatur maius bonum; nam vt docet D. Thomas in 2. 2. q. 10. art. 11. Deus etiam permittit hęc, & alia mala propter huiuſmodi cauſas; cuius prouidentiam debet imitari regimen humanum; vnde permiſſio alicuius mali in Eccleſia poteſt eſſe rationi conſentanea, non per ſe, quia ſic eſt mala, ſed per accidens, nempe, vel ex parte boni præponderantis, ne videlicet impediatur tale bonum iuxta illud Matt. 13. *Sinite vtraque creſcere, ne fortè eradicetis cum eis & triticum*: vel ex parte mali etiam præponderantis, ne videlicet fiat iuxta illud D. Aug. lib. 2. de ordine cap. 4. tom. 1. *Aufer à Repub. humanis meretrices; turbaueris omnia libidinibus*; quod ſi huiuſmodi cauſæ non concurrant, non ſunt à Principibus Chriſtianis tolerandi ritus ſuperſtitioſi Infidelium gentilium, ipſis ſubditorum; deniquè conueniunt, ritus Iudęorum, qui Eccleſiæ ſubditi ſunt, licitè permitti, quia confirmant veritatem noſtræ fidei, cuius figuram continent: *vt habetur 45. diſt. can. qui ſincera*. Igitur controuerſia eſt inter Doctores, an liceat Principibus Chriſtianis vi, & armis inuadere quoſcunque infideles gentiles ſibi non ſubditos, & eorum terras occupare hac ratione, quia infideles ſunt: in qua duæ

duæ ſententiæ referuntur, altera affirmatiua, altera negatiua.

I. Concl. Licitum eſt Principibus Chriſtianis vi, & armis inuadere quoſcunque infideles. Hanc tenent ex noſtris Aluarus Pelagius in lib. de planctu Eccleſiæ. Ioannes Maior in 2. d. 44. q. 3. Alphonſus à Caſtro lib. 2. de iuſta hæret. punitione, Lyranus, & cum eo Abulenſis; ex alijs Hoſtienſis, S. Antonin. Silueſter, verb. Papa, Bannes, & alij, contra Caiet. Franciſcum Vict. Couuar. & alios oppoſitum ſentientes. Prob. 1. ex S. Scrip. Nam propter infidelitatem videntur tales Infideles poſt Chriſti aduentum amiſiſſe rerum ſuarum dominium; idque translatum eſſe ad Chriſtianos iuxta illud Eccleſiaſt. cap. 10. *Regnum à gente in gentem transferetur propter iniuſtitias, iniurias, & contumelias, & diuerſos dolos:* quo argumento vtitur Aluarus Pelagius; ergo &c. Prob. 2. auctoritate Sedis Apoſt. nam *D. Gregor. Papa lib. 1. regeſtri epiſt. 73. laudat Gennadium Exarchum Aphricæ, quod aduerſus Infideles bella gereret, vt apud eos in poteſtatem redactos poſſet prædicari, & propagari fides Chriſtiana: & Alexand. VI. Pontifex conceſſiſſe perhibetur Regibus Hiſpaniæ Ferdinando, & Eliſabethæ dominium inſularum Occidentalium Maris Oceani, quæ ab illis eſſent tunc repertæ, aut deinceps reperirentur, qua conceſſione approbari videtur licere vi, & armis paganos quoſcunque inuadere.* Idem tradunt nonnulli SS. PP. & ſignanter D. Aug. epiſt. 50. ad Bonifacium Comitem. *Omnes, inquit, Reges, qui in Populo Dei non prohibuerunt, nec euerterunt, quæ contra Dei præcepta fuerant inſtituta, culpantur, & qui prohibuerunt, & euerterunt ſuper aliorum merita laudantur.* Prob. 3. ratione à Caſtro. Eſt licitum bello, & armis infeſtare infideles ad vlciſcendam iniuriam propriam, & ad conſulendum vitæ, & incolumitati proximorum, ſi qui apud illos iniuſtè tractentur, aut occidantur, aut cogantur ad cultum Idolorum &c. ergo multò magis ad auertendam iniuriam grauiſſimam, quæ fit Deo ab Infidelibus per idolatriam, & alia peccata contra legem naturæ: ant. patet ex lege charitatis, & ex illo Pſal. 80. *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate.* Accedit auctoritas Ariſt. lib. 1. polit. cap. 1. vbi ait. *Quamobrem, aiunt Poetæ, Græcos barbaris dominari oportere, quod idem ſit natura barbarus, & ſeruus:* Tum quia ſequeretur hoc abſurdum; nam alioquin non eſſet via, qua puniri poſſent. Addi etiam

 po-

poteſt; quia vt infideles ſemper præſumuntur eſſe parati ad fidei prædicationem impediendam; ac fidei ſuſceptionem; ergo ſaltem ex circumſtantiis huiuſmodi licet infideles ſuo dominio priuare; ne vi, & armis Chriſtianis populis reſiſtere valeant; ac ne fidei catholicæ prædicationem impediant, vt patet de gentibus indianis, quæ contra Prædicatores catholicos, & alios Chriſtianos arma ſumunt; & bella gerunt, & Religioſos prædicantes morte afficiunt; quod videtur admittere etiam ſententia oppoſita.

Arg. cont. conc. In Concil. Conſtant. ſeſſ. 8. abſolutè damnatur inter alios articulos VViclephi articulus 15. nempe, *Quod nullus eſt dominus ciuilis dum eſt in peccato mortali;* vbi Concilium non fecit vllum diſcrimen inter peccatum infidelitatis, & alia peccata; ſed per nullum peccatum cenſuit dominium amitti; ergo infideles ex eò quòd ſint infideles, non ſunt priuandi dominio ſuarum rerum. Reſp. Concilij ſcopum fuiſſe, damnare errorem VVicleff. aſſerentis Chriſtianos in peccato mortali exiſtentes dominium propriarum rerum amittere; vnde non videtur extendi poſſe talem damnationem ad Infideles; quos, nemo negat habere dominium ſuarum rerum, ſed poſſe tali dominio priuari, maximè, quia vt tales præſumuntur eſſe prompti ad reſiſtendum fidei catholicæ propagatoribus, quod ſi pacifice reciperent fideles, nec impedirent fidei cultores, in tali caſu ſuccedo, quod præfati Doctores oppoſitum tenerent; quia eò ipſo ceſſarent ab erroribus, & vitijs contra Deum, & naturam ſaltem externè.

Quæres 1. An Pagani Principibus Chriſtianis poteſtati, & iuriſdictioni ſubiectis cogi poſſint ad fidem ſuſcipiendam. Reſp. negatiue; vt colligitur *ex cap. de Iudæis;* ratio, quia cum actus credendi ſit voluntarius, & liber, nullus ad fidem cogi debet. Nihilominùs poſſunt cogi ad audiendum Euangelium, quidquid nonnulli dicant. Siquidem extant Pontificiæ conſtitutiones, quibus præcipitur Iudæis, vt certis diebus, vel vbi Prælatis Eccleſiæ expediens videbitur, vocati teneantur ad conciones catholicorum accedere; & ita habet praxis Eccleſiæ.

Quæres 2. An Pagani, Iudæi, vel Saracæni ex Ciuitatibus, oppidis, omnique Chriſtianorum ditione iure expelli, & eijci poſſint; ea tamen lege, & conditione, vt ſi remane-

re velint, baptizentur, & fidem Chriſtianam profiteantur, & ſeruent; datis inducijs, & tempore deliberandi conſtituto; aliàs relictis domibus, ac bonis proprijs ad alienas terra ſtatim ſe conferant. Fuerunt qui ſentẽtiam negatiuam tradiderunt; *Ita plures Iuriſperiti; vt Alexander, Oldradus, Imola, Soncinus, quos refert Simanca de cathol. inſtit. tit. 35. ſed ſententia oppoſita in praxim ab Eccleſia deducta eſt; nam vt idem Simanca narrat in Hiſpania à Rege catholico Ferdinando V. iuſſum fuit, Saracenos, & Iudæos ab Hiſpanijs diſcedere, quò vellent, intra quadrimeſtre temporis ſpatium; vel ad fidem, & religionem Chriſtianam conuerterentur, vel bonis ſuis omnibus venditis ab Hiſpania diſcederent; & Iuſtianus Imperator, vt refert Azorius tom. 1. inſtit. moral. lib. 8. cap. 26. tertio ſui imperij anno legem tulit, qua ex ſuæ ditionis terris Paganos, & hæreticos excluſit, datis inducijs trium menſium; vt conuerterentur ad Chriſtum ſi vellent; idque confirmatur decreto Concil. Toletan. cap. 3. relati ab Azorio.*

Quæres 3. An Eccleſia punire poſſit Iudæos, ſi vitia contra naturam ſectentur, ſi Deum blaſphement; ſi libros edant, qui errores contra noſtram fidem contineant &c.

Reſp. affirmatiuè: Quare ſi blaſphement; ſi ſuperſtitiones operentur; ſi vitia contra naturam ſectentur poſſunt, & debent à Superioribus Eccleſiaſticis, & Inquiſitoribus puniri, & cogi ad ſeruandam legem naturalem &c. & libri, quos ſcribunt Rabini contra Chriſtum, & noſtram fidem, prohibendi ſunt, & comburrendi; & inſuper eorum Auctores debita pœna puniri: Secùs autem ſi ſint libri, qui contineant ſimpliciter expoſitionem veteris teſtamenti, & nullus error in ijs contineatur.

QVÆSTIO VII.

Quid de lectione librorum prohibitorum, retentione &c.

NOt. 1. Quòd in Bulla cœnæ Domini his verbis ſub excommunicatione prohibetur lectio librorum hæreticorum: *Ac eorum libros (ideſt hæreticorum) hæreſim continentes; vel de religione tractantes ſine auctoritate noſtra, & Sedis Apoſtolicæ legentes, aut retinentes, & imprimentes, ſeu quomodolibet defendentes ex quauis cauſa publicè, vel occultè quouis ingenio, vel colore.* Item Pius IV. initio indicis librorum, vbi ponuntur plures

regulæ, & quidem notandæ ob intelligentiam præſentis quæſtionis, dicit. *Si quis autem aduerſus eas regulas, prohibitionemque fecerit; is quidem, qui hæreticorum libros, vel cuiuſuis auctoris ſcripta propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, habueritquè, ipſo iure in excomunicationis pœnam incidat.* Huic ſimilis, ſeu omninò eadem habetur in fine regulæ 10. prædicti Indicis his verbis. *Quod ſi quis libros hæreticorum, vel cuiuſuis auctoris ſcripta hæreſim, vel ob falſi dogmatis ſuſpicionem damnata, atque prohibita legerit, ſiue habuerit ſtatim in excomunicationis ſententiam incurrat. Qui verò libros alio nomine interdictos legerit, aut habuerit; præter peccati mortalis reatum, quo afficitur, iudicio Epiſcoporum ſeuerè puniatur.*

Not. 2. Quòd nomine legentium veniunt ij, qui ſcienter legunt, aut etiam ſolo viſu percurrunt partem notabilem libri, qualis iuxta communiorem ſententiam eſt proœmium Epiſtola dedicatoria, vel vna pagana. Item iuxta communem per legentes intelliguntur audientes legi, ſi ſint cauſa lectionis; etſi nonnulli oppoſitum ſentiant; non venit tamen nomine legentis, qui etſi legat, non intelligit, vt contra Siluium; & Bonacin. docent Sanchez, Palao, & alij. Inſuper nomine retinentium intelliguntur etiam illi, qui alijs tales libros commodarunt, vel apud alios depoſuerunt; ſimiliter qui eos ab alijs habent commodatos, vel depoſitos, nam motiuum huius prohibitionis eſt, vt tales libri deſtruantur. Nec ſufficit quod quis illos retineat ad refutandum, aut ad ſolum ornatum ſine animo legendi, ſaltem antequam corrigantur; quia ab Alexand. VII. ſequens propoſitio eſt damnata. *Libri prohibiti donec expurgentur, poſſunt retineri vſquedum adhibita diligentia corrigantur.* Nomine librorum veniunt primò libri impreſſi: 2. libri ſcripti: 3. etiam folium continens ſcripturam hæretici, vti concionem, Epiſtolam, vel aliud dogma de Religione &c. ita ex communi contra quoſdam tradit Bordon. loc. cit. Nomine imprimentium intelliguntur omnes ij, qui proximè adhibent operam ad impreſſionem, ſicut & Dominus Typographiæ; immò & ipſe corrector; vt bene notat Caſtilento in Poliant. Seraph. & nomine defendentium veniunt, qui libros hæreticorum occultant, ne deferantur, aut comburantur, qui vi, vel fraude idem impediunt, quiquè rationibus, aut aliter illos defendunt. *Denique ly continere hæreſim, & tractare*

de religione ; eſt de vtroque tractare ex profeſſo , vt docet Bordon. tom. S. Trib. cap. 14. q. 29. inferendo hæreſes ; ille autem liber tractat de religione , qui agit de myſterijs fidei , & moribus catholicorum de theologia tum ſpeculatiua , tum morali , de expoſitione S. Scripturæ , de lege canonica , de vitis Sanctorum , de ordinibus religioſorum , de hiſtoria Eccleſiaſtica, & huius generis, ſi in eis reperiantur hæreſes hac bulla prohibentur legi. Vnde libri de philoſophia, de hiſtorijs prophanis, de lege ciuili &c. non dicuntur tractare de religione. Ita etiam Portel. Caſtilento, Henricx, & alij.

Concl. Ad hoc vt quis legens libros prohibitos incurrat excummunicationem Bullæ, requiruntur tres conditiones: prima vt liber ſit compoſitus ab hæretico: 2. vt hæreſim contineant, & imprimant; vnde libri hæreticorum, qui non tractant de religione, nec hæreſim continent, non ſunt in hoc primo canone Bullæ Cœnæ prohibiti, ſed ſolùm in regula ſecunda Indicis, in qua prohibentur libri hæreticorum, qui non tractant de Religione, nec hęreſim continent, ſolum ſub excommunicatione nulli reſeruata, quæ prohibitio, vt ex communi notat noſter Caſtilento loc. cit. etiam extenditur ad libros catholici, qui poſt libri impreſſionem lapſus eſt in hæreſim: quia hic, & nunc iure eſt liber hæretici; & debetur ab Inquiſitore, & à Theologis examinari, an errorem contineat.

Cæterùm ſi quis legat, retineat, ſeu imprimat librum catholici, in quo tamen continentur falſa dogmata, vel ſaltem ſuſpecta de falſo dogmate, non incurrit excummunicationem huius Bullæ; ſed excommunicationem poſitam in regula 9. Indicis: ſicut ſunt legentes, retinentes, & imprimentes libros catholicorum, continentes diuinationes, ſortilegia, puta libros, & ſcripta Geomantiæ, hydromantiæ &c. quare cum non ſint libri hæreticorum non prohibentur in hoc canone Bullæ, ſed in prædicta regula 9. Nihilominus notant paſſim Doctores, omnibus licitum eſſe legere libros antiquorum hæreticorum, quia errores in ipſis contenti iam ſatis noti ſunt, ac proinde minus periculoſi; cum tamen dicti libri multùm proſint ob antiquitatem, & quod multa vera dogmata, & plura alia ad mores Eccleſiæ antiquæ ſpectantis contineant. Verùm legere libros prohibitos ex alia cauſa, quàm hæreſis, aut eiuſdem ſuſpicionis; ſed cauſa obſcenitatis, inhoneſtatis, vt Bl. atin.

lib. Adone, vel ob alios fines, eſt peccatum mortale abſque excommunicatione; neque huiuſmodi libri, vt aduertit Bordon. in edictis Inquiſitorum comprehenduntur, ſed ſolùm libri tractantes de hæreſi, aut de illa ſuſpecti &c.

Quæres 1. An quæuis ignorantia excuſet; cum in Bulla dicatur, ſcienter &c.

Reſp. Ignorantia craſſa iuxta omnes excuſat; quia excludit ſcientiam hic requiſitam: ita Bonacin. Sanchez & alij apud Bordon. qui ſubdit, dubitans excuſatur legendo, quia dubitare non eſt ſcire. Difficultas eſt de ignorantia affectata, quam alij affirmant, alij negant, excuſare; veriùs tamen videtur non excuſare, quia talis ignorantia equiparatur ſcientiæ.

Quæres 2. Qui incurrit hanc cenſuram apud Regulares ſi retineantur prædicti libri in ſuis Bibliothecis?

Reſp. cum Bordone. Superior monaſterij, & cuſtos librariæ; iſti enim dicuntur propriè retinere, quia habent ex officio curam librorum. Item Religioſus, qui librum ſumptum de libraria retinet in ſua camera; ſiue id faciat de licentia ſuperioris, ſiue non.

Quæres 3. An in lectione huiuſmodi detur paruitas materiæ. Reſp. Alij affirmant, alij negant; putat tamen Caſtilento in lectione libri hæreticorum non dari paruitatem materiæ: at ex parte temporis, quo retinetur eam cum alijs admittit, vt vna hora, vel altera; imò vno vel altero die. Similiter retinere, vnum, vel alterum folium cenſetur paruitas materiæ. Sed quid de vendentibus obſonia, & aromata, ſi retineant libros integros hæreticorum ad inuoluenda ſua vendibilia. Reſp. Caſtilento incidere in hanc excommunicationem, quia periculum ſubuerſionis poteſt adeſſe, licet ad hunc finem non retineat; Quod ſi aliqua diſcompoſita folia non habentia nomen, & titulum libri; qui nec cognoſcantur eſſe libri hæreticorum retinent præſati vendentes, poſſent quidem excuſari; quia reuerà non dicerentur retinere libros hæreticorum; inciderent tamen in excommunicationem latam in indice, ſi ſcienter ea folia retinerent.

Quæres 4. An quis legere poſsit licitè libros prohibitos, ſciens ſibi nullum inducendum nocumentum.

Reſp. Caramuel prolixè agitat hoc quæſitum in tom. 1. theol.

theol. fundam. ſed nobis ſufficiat reſponſio Petri Marchant. tom. 9. tract. 2. tit. 2. Quia vero, inquit, quilibet de fortitudine ſua præſumere, ſibique periculoſe ablandiri potuiſſet, generaliter Eccleſia lectionem huiuſmodi librorum ſub peccato mortali quibus quantùmuis doctis, probiſque prohibuit, adhibitis pœnis, nam ratio periculi non ſumitur ab eo, quod certò accideret perſonæ in indiuiduo legendo, ſed ab eo, quod Eccleſiæ, vel perſonis indefinitè contingere poſſet: facit etiam ad hoc doctrina tradita in illa quæſtione de lege; An in ſimilibus caſibus verè ceſſet finis adæquatus legis; quam vide in p. 2. tract. de legibus.

Quæres 5. denique quas pœnas incurrat hæreticus.

Reſp. ſeptem pœnas: primò excommunicationem, ſi ipſius hæreſis fuerit externa, vt ſupradictum eſt: 2. incurrit irregularitatem; ſaltem ſi ſit hæreticus notorius notorietate facti, aut iudicis ſententia: 3. infamiam iuris: 4. priuatur ſepultura in loco Sacro: 5. priuatur beneficijs adeptis ante hæreſim: 6. confiſcantur eius bona; etſi ante ſententiam non obligetur ſe ſpoliare ſuis bonis, ſiue ea fiſco tradere, vt ex communi alibi oſtenſum eſt: 7. tandem in hæreſim relapſi (quo nomine etiam hæreſiarchæ veniunt) afficiuntur ſupplicio iuxta iudicium Inquiſitorum.

DISPVTATIO IX.

De Spe Theologica.

QVÆSTIO I.

Vtrum ſpes ſit virtus theologica.

NOt. 1. varias extare vſurpationes huius vocabuli Spei apud Scriptores, & in ſacris litteris, ex quibus magis vſitatæ apponuntur: primò ſumitur ſpes prò expectatione cuiuſdam euentus, quo ſenſu intelligitur illud Didonis apud Virgilium; hunc ergo ſi potui tantum ſperare dolorem: 2. accipitur pro ipſa re ſperata; hoc ſenſu procedit illud D. Pauli ad Titum 2. *Expectantes beatam ſpem:* 3. vſurpatur prò aliquo, in quo ſperatur; ſic canit Pſal. 90. *Tu es Domine ſpes mea:* 4. ad noſtrum propoſitum ſpes importat hi-

bitum, vel actum aliquem ſupernaturalem, tendentem in bonum aliquod infinitum abſens poſsidendum, & diſtinguitur à ſpe naturali, quæ eſt efficax deſiderium boni abſentis ardui, poſsibilis cum fiducia illius aſſequendi: quia efficax deſiderium, differt à velleitate, & amore ſimplici: quia boni; differt à timore: quia abſentis à gaudio; quia ardui, ab appetitus concupiſcibilis cupiditate: quia poſsibilis, à deſperatione: fiducia autem nil aliud eſt, niſi promptitudo voluntatis, orta ex perſuaſione aſſequendi boni, & ſuperandi mali.

Not. 2. Quòd certum eſt, ſpem eſſe virtutem realiter diſtinctam a fide, & charitate, quia ſpes ex parte motiui ſecernitur à fide, eò quòd reſpectu fidei eſt diuina veritas reuelans, reſpectu ſpei eſt D. bonitas, qua nobis Deus eſt bonus; partim ex parte ſubiecti; fides namque eſt in intellectu, ſpes in voluntate: & partim ratione ſeparabilitatis; fides enim poteſt eſſe in fideli deſperante ſine ſpe; ſimiliter diſtinguitur à charitate non quidem ex parte obiecti, ſed ex parte motiui, quod reſpectu charitatis eſt Deus vt in ſe bonus, & non in ordine ad nos; huiuſmodi autem rationes deducuntur ex S. Scrip. & ex SS. Patribus, & ſuppoſita fide, quia ſecundùm naturalem rationem oſtendi nequit, ait Scot. ſpem eſſe diſtinctam à charitate; cum potuiſſet eſſe habitus ſupernaturalis ita generalis, vt æquè benè comprehenderet vtrumque motiuum, nempe diligendi Deum, vt in ſe bonum, & vt bonum nobis.

Concl. Spes eſt virtus theologica realiter diſtincta à fide, & charitate. Prob. 1. pars, nempe quod ſit virtus. Spes eſt habitus repugnans culpæ ſcilicet præſumptioni, & deſperationi, & rectificat Animam circa difficile, difficile enim eſt expectare quod eſt ſuper omnem exiſtimationem humanam, ſed hæc omnia competunt virtuti; ergo ſpes &c.

Prob. nunc, quod ſit virtus theologica. Ex Scot. in 3. d. 26. q. 1. ad virtutem theologicam tria requiruntur. Primum quod immediatè reſpiciat Deum pro obiecto: 2. quod habeat pro regula prima regulam ſupernaturalem humanorum actum, non autem regulam acquiſitam; 3. quod immediatè infundatur à Deo, tanquàm à cauſa efficiente, ſed ſpes habet hæc omnia; ergo &c.

Prob. quoad 3. part. ex D. Bonau. Sicut fides aſſentit pri-

mæ

mæ veritati propter ſe, & ſuper omnia, & ex illa ratione credit omnia, quæ ſibi prima veritas dictat eſſe credenda, ſic ſpes innitendo diuinæ largitati, omnia expectat à Deo promiſſa; ergo ſicut fides eſt vna virtus diſtincta à cæteris ob vnicam rationem credendi, ita ſpes ob vnicam rationem ſperandi eſt virtus diſtincta, Scotus autem ſic eam probat. Omnis actus fidei eſt credere, ſed nullum deſiderare eſt credere; ergo deſiderare non poteſt pertinere ad fidem, ſed ad aliam virtutem, quæ eſt ſpes. Prob. quod diſtinguatur à charitate ex Scot. loc. cit. ſic docente. Charitas eſt ſuprema virtus affectiua, & per conſequens ſupremus amor habitualis. Amor autem amicitiæ eſt ſimpliciter perfectior amore concupiſcentiæ, igitur charitas inclinat ad amandum ſimpliciter amore amicitiæ, ſed deſiderare bonum infinitum eſſe bonum meum, non eſt amor amicitiæ, nec eſt nobiliſſimus, quia nobilius eſſe habet obiectum in ſe, quam habeat in alio; ergo illud deſiderare non eſt actus charitatis; ergo ſpes diſtinguitur à charitate.

Confirmatur ex eodem. In voluntate creata ſecundùm Anſelm. de caſu Diaboli 14. ſunt duæ affectiones, ſcilicet iuſtitiæ, & commodi; nobilior autem eſt affectio iuſtitiæ, non ſolum intelligendo de acquiſita, & de infuſa, ſed etiam de innata, quæ eſt libertas ingenita, ſecundùm quam aliquis poteſt velle aliquod bonum in ſe; ſecundùm autem affectionem commodi non poteſt velle niſi in ordine ad ſe, & hanc haberet, ſi eſſet præciſè appetitus intellectiuus ſine libertate ſequente cognitionem intellectiuam, ſicut appetitus ſenſitiuus ſequitur cognitionem ſenſitiuam, ex qua doctrina ſubdit Doctor. Ex hoc volo habere tantùm, quod cum amare aliquid in ſe ſit actus liberior, quam deſiderare illud ſibi, eſt magis conueniens voluntati in quantum habet affectionem iuſtitiæ ſaltem innatæ: alius autem conueniat voluntati inquantum habet affectionem commodi, ſequitur, quod ſicut illæ affectiones ſunt diſtinctæ in voluntate, ita habitus inclinantes ad actus iſtos erunt diſtincti; & tandem concludit, Dico igitur, quod charitas perficit voluntatem in quantum eſt affectiua affectione iuſtitiæ, & ſpes perficit eam in quantum eſt affectiua affectione commodi, & ita erunt diſtinctæ virtutes, non tantum ex actibus, qui ſunt amare, & deſiderare, ſed etiam ex ſuſceptibus,

uis, quæ ſunt voluntas ſecundum illam duplicem affectionem affecta.

Arg. cont. probando quod ſpes non ſit virtus theologica. Nulla virtus theologica determinat medietatem duarum malitiarum, ſed ſpes determinat tale medium; ergo &c. mai. patet ex dictis: min. prob. ſpes determinat medium inter deſperationem, & præſumptionem: ergo &c.

Reſp. conc. mai. & neg. min. ad prob. diſt. ant. determinat medium &c. ex parte obiecti; nego ant. ex parte exceſſus, vel defectus, qui poteſt eſſe in actu, conc. virtus autem moralis habet exceſſum, & defectum, non ſolum ratione actus, ſed etiam ratione obiecti, in quod tendit actus.

Arg. 2. Duo perfectibilia reſpectu eiuſdem obiecti numero ſufficienter perficiuntur duabus perfectionibus, ſed in Anima non ſunt niſi duæ potentiæ perfectibiles reſpectu obiecti increati, ideſt intellectus, & voluntas: ergo ſicut intellectus perficitur per fidem, ita voluntas per charitatem, ac proindè non ſunt niſi duæ virtutes theologicæ.

Reſp. diſt. mai. duo perfectibilia reſpectu eiuſdem obiecti &c. ſi illa perfectibilia habeant ſolumodò duos modos, ſecundum quos poſſint perfici, conc. mai. ſi autem habeant plures modos tendendi in obiectum, neg. mai. In propoſito autem licet ſint duæ potentiæ tantum, in voluntate tamen ponuntur duæ affectiones, & cum ſecundum vtramque attingat Deum immediate oportet ponere duplicem virtutem perficientem voluntatem ſecundum illam duplicem affectionem.

Arg. 3. Spes eſt actus, quo deſideramus bonum nobis, ſed huiuſmodi actus reſpectu boni increati eſt malus; ergo non poteſt dari ſpes theologica, quę tendat in obiectum increatum, vt bonum nobis: prob. min. quia in tali actu voluntas creata vtitur fruendo, quatenus refert, & ordinat illud ſummum bonum ad ſe. Reſp. Scot. quod non omnis comparatio obiecti per voluntatem ad aliud obiectum eſt comparatio, quæ eſt vſus, ſed tantum quando comparatur, vt minus bonum ordinatum ad aliud, tanquàm ad maius bonum conſequendum per illud. Sic autem non eſt in propoſito, ſed voluntas comparat illud vt abundans bonum, cui liberaliter conceditur tanquàm perficiendum ab eo, & hæc eſt comparatio liberalitatis, de qua loquitur Auicenna

6. me-

6. metaph. Reſp. igitur ad formam argumenti diſt. min. Si huiuſmodi actus ordinaret illud ſummum bonum ad ſe tanquàm ad finem vltimum, ſeu finem cuius conc. min. ſi autem ordinat, ſicut de facto eſt illud, ſummum bonum ad ſe tanquam ad finem cui, nego min. quia finis cui ordinatur ad vltimum finem, qui eſt Deus, & dicitur finis cuius.

QVÆSTIO II.

Quod nam ſit obiectum materiale, & formale ſpei.

NOt. 1. Quòd conueniunt Doctores, primariam, & præcipuam huius virtutis materiam eſſe beatitudinem æternam, iuxta illud Apoſt. ad Roman. c. 5. *Gloriamini in ſpe gloriæ ſecundum ſpem vitæ æternæ, quam promiſit, qui non mentitur Deus.* Verum, quia beatitudo æterna duplex eſt; altera formalis, quæ eſt viſio Dei intuitiua, qua ipſum poſſidemus; altera obiectiua, quæ eſt ipſe Deus: Controuertitur à Doctoribus, quodnam ſit obiectum materiale ſpei. Quidam putant, ſpem proximè, & immediatè verſari circa viſionem Dei, & remotè circa Deum ipſum, quaſi hæc virtus non attingat Deum ipſum in ſe, ſed ſolùm medio actu creato: ita Durand. in 3. d. 25. q. 2. Palud. ibidem, & alij nonnulli antiquiores. Alij cenſent, ſpem proximè, & immediatè verſari circa Deum ipſum tanquam obiectum totale, & viſionem Dei eſſe tantùm conditionem repræſentantem obiectum. Alij denique putant, ſpem verſari circa Deum, & viſionem Dei, tanquam circa duas partes vnius integri, & adæquati obiecti, & vltimi finis, in quem immediatè fertur ſpes, & deſiderium noſtrum; ita videtur tenere D. Thom. part. 2. q. 11. art. 3. & Scot. cum ſuis in 3. d. 26.

Not. 2. Quòd ſimilis difficultas agitatur de obiecto formali eiuſdem ſpei, de quo tres ſententiæ referuntur. Prima aſſerit, beatitudinem ſub ratione ardui, & excedentis hominis facultatem eſſe obiectum formale; ita Henricus D. Bonau. Ricard. & alij: 2. exiſtimat obiectum formale ſpei eſſe auxilium omnipotentiæ Dei, ſicut teſtimonium primæ veritatis eſt obiectum formale fidei; ita Vaſquez p. 1. diſp. 34. cap. 1. Meratius Turrianus, & alij, pro qua citatur etiam D. Thom. in quæſtionibus diſp. quæſt. de ſpe,

art. 1. Tertia tandem docet, obiectum ſpei eſſe Deum, vt ſummum bonum amabile amore concupiſcentiæ, quaſi in commodum amantis, ſeu obiectum formale ſpei eſſe ipſam beatitudinem obiectiuam, quatenus bonum noſtrum, ita Scot. & Scotiſtæ loc. cit. & eſt communis recentioribus.

I. Concl. obiectum materiale ſpei Theologicæ eſt beatitudo, tam obiectiua, quam formalis. Ita Scot. loc. cit.

Prob. 1. pars. Deus obiectiuè, & in ſe conſideratus importat rationem infiniti boni, & quidem vt à nobis poſſidendi. ergo vt talis amore concupiſcentiæ attingitur à nobis mediante ipſa ſpe: ant. patet ex Io. 14. vbi dicitur, quod Deus nobis datur, & per ſe ipſum nobis coniungitur. Prob. 2. pars; per actum ſpei tendit viator circa Deum poſſidendum, ac proinde circa ipſam poſſeſſionem, ſed talis poſſeſſio conſiſtit in viſione, & fruitione formali Dei, qua Deus immediatè attingitur, ergo formalis beatitudo pertinet ad obiectum materiale ſpei Theologicæ. Prob. quod vtraque pars ſit obiectum adæquatum &c. Deus eſt obiectum ſpei, vt ſummum bonum nos beans, ſed vt ſic non ſolum includit beatitudinem obiectiuam, ſed etiam formalem, ergo Deus ſub ratione vtriuſque eſt obiectum adæquatum ſpei.

Cæterùm auxilia diuina, bona opera, peccatorum remiſſio, & generaliter ea omnia, quæ poſſunt amari tanquam vtilia ad beatitudinem obtinendam ſpectant ad obiectum materiale ſecundarium ſpei: Ratio eſt, quia omnia ea bona cadunt ſub obiecto materiali virtutis alicuius, circa quę virtus ipſa, tanquam circa media ad humanum finem conſequendum verſari poteſt, ſed omnia bona, tam naturalia, quam ſupernaturalia poſſunt eſſe media ad beatitudinem conſequendam, ità tamen, quod ſupernaturalia, qualia ſunt merita condigna proximè, naturalia verò remotè, quatenus vel tollunt impedimentum ad beatitudinis conſequtionem, vel cum gratia poſſunt melius, & efficaciùs operari ad beatitudinem promerendam, ergo &c. Verùm promiſſio diuina tam beatitudinis, quàm auxilij ad eam obtinendam neceſſarij eſt conditio requiſita, vt poſſimus conuenienter ſperare, & hoc modo poteſt pertinere ad obiectum materiale ſpei, non verò tanquam ratio motiua.

II. Concl. Obiectum formale ſpei non eſt beatitudo ſub ratione ardui, & excedentis hominis facultatem, neque auxi-

auxilium omnipotentiæ Dei, ſed eſt Deus, vt ſummum bonum amabile amore concupiſcentiæ ſupernaturali, & quaſi in commodum amantis. Eſt Scot. & eſt communior inter Recentiores, vt teſtatur Caſpenſis tom. 2. tract. 16. diſp. 1. ſect. 2. Prob. 1. pars ex Scot. in 3. d. 26. q. vn. §. contra illam opinionem: vbi docet, quod arduitas, ſeu bonum arduum non poteſt eſſe ratio formalis, ſeu pura conditio obiecti ſpei. Prob. inquam tali ratione. Vel enim nomine arduitatis intelligitur bonum ſuperans facultatem naturalem creatam, & hoc dici nequit, quia charitas etiam tendit in Deum, & in beatitudinem, vt tale bonum eſt; vel intelligitur illud bonum, vt eſt abſens & conſequendum, at neque hoc ſubſiſtere poteſt, quia etiam charitas per deſiderium tendit in obiectum ſupernaturale, vt abſens, & in eius conſequtionem propter Dei gloriam, & bonitatem. Vel nomine arduitatis intelligitur difficultas, quæ eſt in proſequtione talis obiecti, quaſi hæc difficultas ſit motiua ratio, & bonitas, veluti ratio materialis, at hoc dici non poteſt, quia ſpes eſt volitio, ac proinde motiuum illius debet eſſe bonitas; difficultas enim non mouet, ſed retrahit appetitum. Vel tandem nomine arduitatis intelligitur, non quidem bonitas, ſed ratio excellentiæ, quæ in ipſa reperitur, & ſic tendere in bonum ſub ratione excellentis non eſt aliud, quam tendere in bonum ſub excellentiſſima ratione boni, quod facit etiam charitas, ergo à primo ad vltimum arduitas non poteſt eſſe ratio formalis obiectiua ſpei, per quam à charitate diſtinguatur, ſed pura conditio obiecti, prout explicat Doctor loc. cit.

Prob. 2. pars. Illud eſt formale obiectum actus voluntatis, quod eam mouet ad ſui appetitum, ac deſiderium, ſed bonitas noſtræ beatitudinis eſt quæ mouet nos, vt eam appetamus, ac deſideremus, non verò auxilium Diuinum, vel etiam Deus, quà omnipotens, ergo auxilium, & omnipotentia nequeunt ſtatui pro obiecto formali noſtræ fidei, ſed ſola bonitas ipſius beatitudinis. Mai. pat. min. prob. quià licet diuinum auxilium, ſiuè Dei omnipotentia ſint omninò neceſſaria, vt beatitudo ſit nobis poſſibilis, & poſſimus eam firmiter ſperare, hæc tamen non ſe habent per modum finis, ſed inſtar mediorum, at media non ſunt ratio appetendi finem, immò è contra, ergo diuinum auxilium,

lium, vel Dei omnipotentia parata auxilia nobis conferre, nequit eſſe ratio formalis mouens voluntatem, ſed ſolum quædam conditio requiſita, vt poſſimus illam, prout oportet ſperare. Idque patet exemplo ſpei infirmi, cuius obiectum non eſt Medicus, aut medicina, ſed bonum ſanitatis per Medicum, & medicinas, velut cauſas efficientes procurandum.

Prob. 3. pars ex Scot. loc. cit. Deus ſub ratione aſsignata, nempè vt ſummum bonum noſtrum eſt obiectum alicuius actus honeſti ſupernaturalis, cum enim Deus ſit ſummum bonum noſtrum ſupernaturale, ſi diligatur vt tale bonum, non erit indecens, erit igitur actus ille alicuius virtutis Theologicæ: ſed non eſt actus fidei, quia omnis actus fidei eſt credere, nullum autem deſiderare eſt credere; neque eſt actus charitatis, quia charitas reſpicit Deum, vt bonum in ſe, & non vt bonum nobis, ergo reſtat, vt ſit actus ſpei virtutis Theologicæ, diſtinctæ à fide, & charitate.

Confirm. quia certum eſt, quod beatitudo, quatenus nobis bona eſt, mouere poteſt voluntatem ad ſui deſiderium, quia bonum eſt per ſe appetibile, ergo ſub hac ratione debet eſſe obiectum formale ſpei, & Scotus dat pulchram rationem, quia ſpes reſpicit Deum pro obiecto immediato; nam per omnia alia, quæ adduntur ipſi obiecto, non tollitur ratio obiecti, vt obiectum eſt, quia enim deſidero illud mihi, vel tali, non tollitur, quin deſiderem illud, vt obiectum, igitur illud, circa quod eſt actus ſpei, eſt bonum infinitum.

Arg. cont. 1. concl. Idem eſt obiectum ſpei, & deſperationis; contraria enim verſantur circa idem, ſed damnati nó de Deo, ſed de formali beatitudine, qua Deum aſſequuntur, deſperant, ergo obiectum ſpei non eſt beatitudo obiectiua, ſed formalis. Reſp. conc. mai. neg. min. eò quia damnati triſtantur, & deſperant non de ſola beatitudine formali, ſed etiam de Deo ipſo, vt eſt bonum obiectiuum ipſorum, & in ratione termini beatificantis, de cuius abſentia, & amiſſione triſtantur.

Arg. cont. 2. concl. & præcipuè contra 1. part. Scrip. S. hortatur nos ad ſperandum in Deum propter eius omnipotentiam, liberalitatem, & fidelitatem in promiſsis implendis; ſic in Pſal. 17. *Deus meus adiutor meus, & ſperabo in eum:* ergo

go obiectum formale ſpei, ſeu ratio motiua eſt diuina omnipotentia. Reſp. omnipotentiam &c. requiri tanquam dantem media, aut conditiones requiſitas ad bonum infinitum conſequendum.

Arg. 2. D. omnipotentia vt ferens auxilium, videtur ſe habere ad ſpem, ſicut D. veracitas reuelans ad fidem, ſed per vos D. veracitas ingreditur rationem formalem obiecti, ergo & D. omnipotentia præſtans nobis auxilium ad bonum infinitum conſequendum. Reſp. neg. parit. aſſumptam in mai. Nam D veracitas mediante reuelatione reddit obiectum fidei nobis cognoſcibile, ac proindè cognitum ob eandem veracitatem, tanquam propriam rationem credendi; non enim alia ratio propria aſſignari poteſt; at D. potentia vt ferens auxilium non facit obiectum amabile, & deſiderabile, quia de ſe eſt tale, ſed ſolum præſtat, quòd voluntas moueatur ab obiecti bonitate ad illud efficaciter intendendum, quatenùs nempe ipſum ex ſe deſiderabile facit eſſe à nobis ſperabile, faciendo, vt iudicetur eſſe poſſibile.

Arg. cont. 3. part. Amor, qui dicitur à virtute ſpei productus, vel eſt amor proprius, vel ſaltem oritur ex amore proprio, in quo ratio amandi eſt naturalis, ergo talis amor nequit prodire à virture ſupernaturali ſpei, cum vtilitas amantis videatur ratio amandi, & non bonitas increata.

Reſp. quod licet amor ille ſupponat amorem naturalem ſui ipſius eo modo, quo gratia ſupponit naturam, adhuc tamen verè, & propriè eſt ſupernaturalis, quia bonum, quod per illum nobis amamus, eſt ſupernaturale ſimpliciter; ac proinde ab eo ſpecificatur amor, qui etiam eſt ſupernaturalis, cum in tali amore natura ſe eleuet ad bonum ſupernaturale, & aliter ſe diligat, quam ſit naturaliter diligibilis.

Arg. vltimò. Si homo poteſt ſe diligere aliquo amore ſupernaturali, talis amor ad charitatem ſpectare videtur, ergo non erit actus ſpei; ant. patet, quia Theologi dicere ſolent, quod velle ſibi beatitudinem, & alia bona ſupernaturalia charitatis eſt officium, ſicut etiam velle proximo beatitudinem ex amore ſupernaturali charitatis eſt munus.

Reſp. ad ant. quod ex charitate nos ipſos amare poſſumus amore ſupernaturali, & etiam beatitudinem nobis optare, id tamen facere quoque poſſumus per virtutem ſpei cum

hac

hac differentia, quòd charitas in amore ſui non reſpicit proximè, & principaliter proprium commodum naturæ, ſed vel diuinum bonum, vel honorem, vel D. excellentiam ſecundùm ſe, & propter ſe; at hic amor, quod à virtute ſpei elicitur proximè reſpicit rationem proprij commodi, ſupernaturalis tamen, & altioris ordinis, ideoque amor ille à Scoto dicitur amor amicitiæ, hic verò concupiſcentiæ &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum ſpes in actu ſuo habeat certitudinem.

NOt. 1. Quòd certitudo propriè, & formaliter pertinet ad intellectum, minus verò propriè ad voluntatem, & ad habitus in ea exiſtentes, qui dicuntur certi, quia vt in plurimùm conſequuntur ſuum finem, quemadmodum dicitur certa manus agitari, quod non aberrat à ſcopo; Vnde ſicut intellectus hæſitat, & eſt dubius inter verum, & falſum, dicitur incertus, & tunc dicitur certus, quando excludit omnem dubitationem, & in verum determinatur; ità voluntas quamdiù fluctuat inter ſpem, & timorem, dicitur incerta, quod ſi omnem timorem excludat, & in ſpe firmetur, dicitur certa, hæc autem certitudo ſpei ad duo poteſt comparari, vel ad radicem vndè naſcitur, ideſt ad iudicium fidei, vel ad ſubiectum in quo eſt.

Not. 2. ex D. Bonau. quod abſque dubio virtus ſpei in ſuo actu habet certitudinem, cuiuſmodi autem ſit illa certitudo, difficile eſt diffinire. Quidam namque dicere voluerunt, quod certitudo fidei non differt à certitudine ſpei, niſi quia illa eſt in vniuerſali, & iſta in particulari; ſicut ſcientia in particulari trahit certitudinem a ſcientia in vniuerſali, ideò enim quis nouit, quod hæc Mula eſt ſterilis, quia nouit in vniuerſali, quod omnis Mula eſt ſterilis; & inſuper aiunt, certitudinem fidei eſſe abſolutam, ſpei autem conditionatam. Vnde certitudo fidei dicitur eſſe certitudo fidelitatis, certitudo autem ſpei eſt certitudo confidentiæ. Confidentia autem non eſt aliud, vt dicunt, quam quædam fiditas à ſe conuerſa; ille enim confidit de aliquo, qui credit aliquid ab eo obtinere. Sed iſte modus dicendi inquit Seraphicus Doctor, licèt videatur eſſe proba-

babilis, non tamen ſufficit pro eo quod dicitur in gloſ. ad Rom. 5. ſuper illud: probatio operatur ſpem, ideſt certitudinem ſpei, ac proinde ſpes habet propriam certitudinem; Vnde pro intelligentia huius, ſit.

Not. 3. quod ex D. Bonau. in 3. d. 26. q. 5. tres ſunt particulares differentiæ inter certitudinem fidei, & ſpei. Prima, quia certitudo fidei opponitur errori, & dubitationi; certitudo verò ſpei opponitur hæſitationi, & diffidentiæ; vnde per fidem quis eſt certus, tam de euentu, quam de ordine; per ſpem autem ſolum eſt certitudo de ordine; certus eſt enim homo, quod bona opera ordinant ad ſalutem, ſed non eſt certus quid ſibi eueniat; & iſta certitudo eſt conditionalis, non verò abſoluta, hoc eſt, ſi in bono perſeuerauerit, habebit vitam æternam. Secunda, quia certitudo fidei eſt circa complexum, nempe Deus eſt trinus, & vnus &c. certitudo verò ſpei magis circa incomplexum, quia ſpe ſperatur vita æterna. Tertia, quia certitudo fidei eſt in intellectu; certitudo verò ſpei eſt quodammodo in affectu his prænotatis: ſit.

I. Concl. Spes Theologica ex ſui natura eſt certiſsima, & infallibilis: hæc eſt de fide, vt aduertit Caſpenſis, & probatur ex illo Pauli ad Hebræos 6. fortiſsimum ſolatium habemus, quo confugimus per propoſitam ſpem, quam veluti anchoram tutam habemus, quibus verbis ſignificat Apoſtolus, hoc fidelibus eſſe ſpem, quod eſt anchora Naui; & ad Rom. 5. *Spes non confundit*, ideſt non fruſtratur euentu; & in 2. ad Timot. cap. 1. *Scio cui credidi, & certus ſum, quia potens eſt &c.* eandem veritatem oſtendit Tridentinum ſeſs. 6. c. 13. dicens. In Dei auxilio, & Miſericordia omnes debere firmiſsimam ſpem collocare.

Prob. ratione. Spes Chriſtiana proficiſcitur à iudicio fidei, quæ eſt fundamentum rerum ſperandarum, ſed iudicium fidei eſt infallibile, ergo & ſpes: prob. mai. quia iudicium, ex quo naſcitur ſpes Chriſtiana, eſt, gratia Dei mihi non deerit, ſi ego velim; & etiam gratia Dei potens eſt me ſaluare, & nihil poteſt impedire ſalutem meam, ſi ego velim, velle autem poſſum cum gratia Dei, ergo &c.

II. Concl. Spes noſtra per accidens, ſeu ratione ſubiecti poteſt eſſe dubia, & incerta; hæc videtur communis, & manifeſta, quia multi homines abutuntur ſua libertate, ne-

 que

que curant de meritis, quibus pariter nititur ſpes, ergo reſpectu illorum poteſt ſpes ſuo euentu fruſtrari, ac proinde eſſe dubia, & incerta.

Arg. cont. 1. concl. Spes ſecundùm ſuum actum procedit ex habitu, vel ex conſideratione gratiæ, & meritorum, ſed nullus eſt certus, an habeat gratiam, vel non, ergo videtur, quod Spes in ſuo actu nullam habet certitudinem.

Reſp. ex D. Bonau. conc. mai. & diſt. min. non habetur certitudo metaphyſica, ſeu ſcientifica de meritis, conc. min. non habetur certitudo moralis per quandam probabilem coniecturam, & bonæ voluntatis confidentiam, quæ conſurgit ex conſcientia bona, neg. min.

Quæres. An ſpes ex bonis operibus ortum habeat.

Reſp. cum Doctore Seraphico, quod ſpes aliquando nominat habitum virtutis, aliquando nominat actum, aliquando nominat ſtatum, aliquando terminum, ſiuè obiectum; ſecundùm autem quod ſpes nominat habitum virtutis, ſic non habet ortum ex meritis, ſed potiùs merita ortum habent ex ea; Secundum autem quod nominat actum, ſic oriri habet ex meritorum intuitu. Nullus enim ſperat rectè æternam beatitudinem, niſi qui Deo ſeruiuit, vel proponit Deo ſeruire. Secundum autem quod nominat ſtatum, ſic ortum habet ex meritis præcedentibus, & concomitantibus, & hoc modo accipitur illud ad Rom. 5. *Tribulatio operatur patientiam, patientiam probationem, probatio ſpem;* Secundum autem quod ſpes nominat ipſam rem ſperatam, ſic ortum habet ex meritis præcedentibus.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ſpes Theologica excludat timorem.

NOt. 1. Quòd in virtute ſpei duo genera actuum conſiderari poſſunt; Alij proſecutionis, de quibus ſupra dictum eſt; Alij verò fugæ, nimirum odium mali, quod oritur ex amore concupiſcentiæ, elicito ab habitu ſpei, & abominatio orta ex deſiderio, & triſtitia de malo proprio, orta ex delectatione concupiſcentiæ, & etiam timor mali futuri; quia verò præcipua difficultas conſiſtit in explicando timorem, alijs omiſſis, obſeruandum, quod timor tripli-

pliciter accipitur. Primo pro paſſione appetitus ſenſitiui, qui reſidet in iraſcibili, qua mediante homo refugit malum imminens, & contrarium proprio commodo: 2. ſumitur pro vitio quodam oppoſito virtuti fortitudinis, quod dicitur timiditas, & puſillanimitas, dum homo ſuccumbit, & deficit in re neceſſaria ad virtutem. 3. accipitur pro dono quodam Spiritus S. non quod ſit inter dona ſeptem Spiritus S. ſed quia omnis gratia nobis à Deo donata, dicitur donum Spiritus S. quo veluti freno coercetur animus noſter, ne blanditijs carnis, & bonis temporalibus euaneſcat. In hac igitur quæſtione de timore tertio modo ſumpto eſt ſermo.

Not. 2. Quòd *timor eſt motio animi malum imminens auerſantis, ſaltem apprehenſum vt tale:* quem timorem Doctores communiter cum D. Thoma, & D. Bonau. diſtingunt in mundanum, ſeruilem, filialem, & initialem. *Timor mundanus eſt immoderata fuga malorum temporalium v.g. paupertatis, mortis &c. quatenus ea ſic timentur, vt ad ea euitanda eligatur peccatum. Timor ſeruilis eſt timor pœnæ à Deo infligendæ, ratione cuius conſequenter timetur, ſeu fugitur ipſum peccatum. Dicitur ſeruilis, quia timens ſe habet inſtar ſerui refugientis plagas, quas dominus ſeruis inobedientibus minari ſolet, & de hoc dicitur ad Rom. 8. Non accepiſtis Spiritum ſeruitutis iterum in timore &c.* in quo quidem timore conſideranda ipſius ſubſtantia, quæ bona eſt, & ſeruilitas; quæ aliquem defectum perfectionis importat; quatenus in eo non eſt affectus erga bonum honeſtum, vel propter ſe, vel propter Deum. *Timor filialis, qui etiam caſtus, ingenuus &c. vocatur, eſt quo quis metuit peccatum, tanquam Dei offenſam*, quare hic timor ſumptus pro paſſione conſequente actum voluntatis, elicitur ab habitu charitatis, quo voluntas fugit malum culpæ imminens, tanquam offenſiuum ſupremi Patris. *Timor initialis inter ſeruilem, & filialem eſt medius, retrahens à malo, & impellens ad bonum, partim timore pœnæ, partim amore iuſtitiæ, ideoque dicitur filialis, quia reſpicit offenſam Dei vt talem, connotat tamen frequentiam motuum timoris ſeruilis: Dicitur initialis, quia conuenit ſtatui incipientium vitam ſpiritualem, & ſeruitium Dei, qui partim amore Dei benè operantur, partim etiam timore pœnarum refrenantur ab illicitis.* Addunt aliqui timorem reuerentialem, qui admittitur in beatis, contemplantibus infinitam Dei Maieſtatem, iuxta illud in præfatione Miſſæ;

tremunt Angelicæ Poteſtates; talis autem timor ſpectat ad Religionem.

Not. 3. Quòd cum obiectum timoris ſit malum, videtur difficultas, qualiter Deus ſit timendus. Quarè iuxta D. Thom. duplex eſt obiectum timoris. Primum eſt directum, quod eſt ipſum malum, quod à bono refugit; & ſic non poteſt Deus eſſe obiectum timoris: Aliud eſt obiectum timoris, quaſi indirectum, & mediatum, nimirum, quod eſt cauſa, vel obiectum mali; & ſic Deus timetur ſecundum quod eſt cauſa mali pœnæ, quod ab eo infligitur, & inquantum eſt obiectum mali culpæ, quia per culpam offenditur.

I. Concl. Spes non excludit timorem, eſt tamen timor habitus diſtinctus ab habitu ſpei. Prob & explicatur 1. pars ex D. Bonau. Nam timor ſeruilis, adueniente charitate, expellitur quantum ad dominium ſeruitutis, remanente tamen timore pęnæ, qui non prædominatur, nec habet annexam voluntatem malam. Creſcente autem charitate ſemper diminuitur timor ille quantum ad actum timendi pœnam, quanto enim quis inhæret Deo, tanto magis confidit de præmio, & per conſequens minus timet pœnam. Vnde ſequitur, quod creſcente ſpe, etiam diminuitur ille timor. Timor autem initialis, quatenus quodammodo communicat cum ſeruili in formidine pęnæ, quoad hoc decreſcit, creſcente charitate, & ſpe. Verùm timor filialis, quatenus homo ſollicitatur ex conſideratione ſuæ fragilitatis, minuitur, creſcente charitate, quatenus verò homo humiliatur ex conſideratione ſuæ paruitatis, & Diuinæ magnitudinis, quoad hunc vſum creſcit, charitate creſcente. Quantò enim quis magis diligit Deum, tantò magis elongatur à ſpiritu ſuperbiæ, & magis ſollicitatur, vt faciat ſemper quæ accepta ſunt Deo. Ex qua doctrina perſpicuè deducitur, ſpem non excludere timorem.

Prob. 2. pars ex eodem Doctor Seraph. Timor, & ſpes, ſiuè nominent habitus, ſiue nominent affectiones Animæ, diuerſitatem habent ad inuicem, diuerſitas enim habituum attenditur pœnes diuerſitatem actuum particularium, ſed ſpes conſiſtit in quadam confidentia, & erectione, timor verò in quadam fuga, & reſilitione: ergo timor, & ſpes habent ad inuicem diuerſitatem ratione ſuorum actuum, ſubſu-

ſubſumo min. ſed diuerſitas ipſorum actuum venit ex parte obiecti, in quantum habet rationem motiui; cum enim Anima apprehendit aliquid nondum præſens, ſed futurum in ratione conuenientis, afficitur affectione ſpei, ſi adſit poſſibilitas aſſequendi; ſi autem apprehendit in ratione diſconuenientis, afficitur affectione timoris, ſi poſſit ab illo ſeparari, ergo manifeſtum eſt, ſpem differre à timore ratione differentiæ repertæ in actu proprio, & etiam in obiecto.

II. Concl. timor ſeruilis eſt bonus, & honeſtus: Hæc videtur definita in Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 4. contra Lutherum inſectantem talem timorem tãquam malum, & peccaminoſum, vbi ait: *Attritionem qua deteſtamur peccata propter metum pœnæ æternæ eſſe donum Dei, & fieri ex impulſu Spiritus Sancti &c. & ſeſſ. 6. can. 8. Si quis dixerit &c.* & colligitur apertè ex Sac. Scrip. quæ frequenter nos ad hunc timorem excitat Luc. 12. *Oſtendam autem vobis quem timeatis, timete eum, qui poſtquam occiderit, poteſtatem habet mittere in gehennam;* & alibi; eandem veritatem tradũt SS. PP vt videre eſt apud Doctores. Prob. ratione. Actus ſumit ſuam ſpeciem, & bonitatem ab obiecto, ſed obiectum timoris ſeruilis, quod eſt pœna æterna, faciens nobis diſplicere peccatum, eſt bonum, & honeſtum, ergo timor ſeruilis eſt actus bonus, & honeſtus. Tum quia amare virtutem, quàmuis fiat propter retributionem, vt benè operari intuitu mercedis æternæ, eſt honeſtum, ergo ſimiliter fugere peccatum, & illud odire, etiam ob pœnas, eſt honeſtum.

Confirm. Nam ſi timor ſeruilis eſſet inhoneſtus, aut eſſet ratione radicis, à qua oritur, aut ex parte obiecti, à quo ſpecificatur; non primò, quia timor ſeruilis oritur ex duplici radice, nempe ex amore proprio, ideo enim contraria timemus, quia noſtra amamus; amor autem proprius, vt dicit Aug. non ædificat Ciuitatem Diaboli, niſi quando procedit vſque ad contemptum Dei, ergo ex hac ratione non eſt malus; nec etiam ex parte obiecti, quia malum pœnæ, vt cauſat diſplicentiam culpæ, quod eſt obiectum timoris, non eſt malum, ſeu inhoneſtum, cum à Deo non ſolum ſit permiſſum, ſed etiam volitum, vt clarè habetur in S. Scrip, ergo timor ſeruilis non eſt malus, ſed honeſtus.

Arg. cont. 2. part. 1. concl. probando, quod ſint vnus,

 & idem.

& idem habitus ratione deſumpta à ſimili in naturalibus. Vnum, & idem pondus eſt, per quod corpus recedit ab vna differentia poſitionis, & accedit ad alteram, ſed quod eſt pondus in corporibus, eſt affectio in ſpiritibus, vt vuult D. Aug. ergo vnus, & idem habitus affectiuus eſt, quo quis recedit à malo, & tendit in bonum, ſubſumo minorem, ſed per timorem omnis, qui recedit à malo, per ſpem tendit in bonum, ergo ſpes eſt timor &c. Reſp. neg. paritatem, quia in voluntario amore, & naturali pondere maxima intercedit differentia; motus enim naturalis, præſertim localis, duos habet terminos, ità neceſſarios, vt non poſſit corpus aliquod recedere à termino à quo, niſi tendat ad terminum ad quem, ac proinde ad vnum, & eundem actum requiruntur illa duo extrema, vnum quidem in ratione principij, alterum in ratione termini. In voluntate autem ſecus eſt, quando enim ſunt duo oppoſita, Anima poteſt affici circa vnum, nihil conſiderans de altero, poteſt enim affici circa bonum, nihil conſiderans de malo, & è contra, & ideo diuerſis affectibus, & motibus habet moueri circa oppoſita; & ob id non ſequitur, quod ſpes, & timor ſint vnus, & idem habitus.

Arg. 2. per ſimile in moralibus. Duarum extremitatum eſt vna medietas, ſed inter deſperationem, & præſumptionem eſt medietas, quæ eſt ſpes; & inter hæc eadem eſt medietas, quæ eſt timor, ergo ſpes, & timor ſunt vnus, & idem habitus. Reſp. ex D. Bonau. quod vera eſt maior, quando vna eſt medietas punctualis, ſecus autem ſi medietas habeat ſuam latitudinem, quia inter duo extrema multum diſtantia poſſunt eſſe plures medietates, ita quod vna appropinquat vni extremo, & altera alij, & ſic poteſt eſſe in timore, & ſpe reſpectu præſumptionis, & deſperationis, quia timor magis approximat ad extremitatem deſperationis, & ſpes ad extremitatem præſumptionis &c.

Arg. cont. 2. concl. Timor ſeruilis, aiunt hæretici, facit hominem ità vitare peccatum, vt tamen retineat voluntatem conditionatam peccandi, videlicet ſi poſſet id impunè facere, ergo timor ſeruilis &c. prob. ant. qui deteſtatur culpam propter pœnam, plus deteſtatur pœnam, quàm culpam, quod eſt per ſe inhoneſtum, ſed talis deteſtatio includit conditionatè voluntatem ad peccandum, ergo timor

ſer-

ſeruilis, quo deteſtatur peccatum propter pœnam, retinet voluntatem conditionatam peccandi. Reſp. neg. ant. ad prob. negatur pariter maior, & ratio eſt, quia dupliciter poteſt quis deteſtari culpam propter pœnam; primò, vt ſimul habeat affectum erga culpam, itaut vellet eam committere, niſi timeret pœnam, vel ſi id impunè poſſet facere, & hoc modo timor ſeruilis eſt malus, & inhoneſtus: 2. poteſt eſſe timor pœnæ cauſa ſine qua non, cur culpa deteſtetur, ita tamen, vt cauſet abſolutam deteſtationem, ac timorem culpæ, & per conſequens nullo modo ametur, ſed pœnitùs deteſtetur; & hoc modo timor pœnæ à Deo infligendæ, mouens ad abſolutam deteſtationem culpæ, eſt bonus, & honeſtus.

Quæres. Vtrum detur aliquod præceptum de ſpe, & timore. Reſp. quoad ſpem iuxta doctrinam ſuperiùs traditam de præcepto fidei, nempè quod datur præceptum ſpei per ſe, & directè obligans, & præceptum indirectum per accidens obligans. Primo modo oritur directè, & immediatè ex ſe, quando eſt neceſſitas eliciendi actum fidei; quoties autem quis teneatur ad huiuſmodi actus fidei eliciendos, non poteſt faciliter aliqua regula generali diffiniri. Quare docent Theologi, quod præceptum ſpei obligat per ſe, quando quis in initio vſus rationis, vel prædicationis fidei ſufficienter illuminatur circa ſupernaturalem beatitudinem. Item quando vrget periculoſa tentatio contra ſpem; & in vita toties obligatur, vt moraliter loquendo, omiſſio actus ſpei non cenſeatur eſſe interpretatiuus contemptus ſummi boni noſtri; obligat per accidens, ideſt ex præcepto alterius virtutis, ad cuius exercitium eſt neceſſarius ſpei actus, ſaltem virtualis, v. g. præcepto contritionis, orationis &c. Item quando vrget vehemens tentatio alia, quam contra ſpem, cuius ſuccumbere eſt euidens periculum, niſi eliciatur actus ſpei, ad illam ſuperandam. Reſp. 2. quoad timorem cum noſtro Marchantio. Toties quis tenetur virtualiter, vel formaliter elicere actum timoris ſub peccato mortali, quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter; Ratio eſt, quia quoties imminet periculum proximum peccandi mortaliter, toties tenetur homo cauere peccatum, non cauet autem quis à peccato, niſi aliquo timore virtuali, vel forma-

li Dei; ergo &c. Subdit tamen idem Doctor, non elicere actum timoris, cum periculum proximum peccandi imminet, non conſtituere ſpeciale peccatum ab actu, qui ob defectum timoris committitur, & rationem dat, quia vtrumque præceptum de eliciendo actu timoris, & cauendo peccato, vno, eodemque fine terminatur, & præceptum timoris Domini eſt nudum, ac generale remedium à Deo impoſitum, ſiuè vt quis à peccato ſibi præcaueat, ſiuè poſtquam peccauit, ab illo recedat.

QVÆSTIO V.

Vtrum qui ex reuelatione Dei nouit ſuam damnationem poſſit ſperare beatitudinem, vel peccet deſperando.

NOt. Quòd quæſtio ſupponit, poſſe à Deo alicui reuelare ſuam damnationem; eſt tamen etiam circa hanc partem controuerſia inter Doctores; nam D. Bonau. in 1. d. 48. in expoſitione textus litteralis Argentina, & quidam alij exiſtimant, implicare tam de potentia ordinaria, quàm abſoluta, Deum reuelare homini viatori ſuam damnationem. Communis tamen opinio, vt notant Maſtrius, & Herincx tradit, nullam eſſe implicantiam, vt ex ſolutione rationum in contrarium patebit. Et inſuper dubitatur; an facta tali reuelatione, adhuc in tali caſu teneretur is, cui facta eſt reuelatio ſuæ damnationis, ſperare beatitudinem. In hoc puncto pariter variant Doctores, quidam enim affirmant, teneri ad ſperandum, inter quos eſt etiam noſter Vulpes. Alij putant, quod licet in tali caſu non teneatur ſperare, adhuc tamen non poteſt licitè deſperare; & hanc ſententiam præter alios, amplectitur noſter Aretinus; Alij tamen communiter abſolutè negant talem hominem teneri ad beatiiudinem ſperandam, imò eum licitè deſperare poſſe, prout deſperatio dicit nolitionem tantùm beatitudinis. Ita Recentiores, & ſignanter Maſtrius, & Herincx.

I. Concl. Nulla eſt repugnantia, Deum poſſe reuelare de potentia abſoluta peccatori, immò & iuſto ſecundùm præſentem iuſtitiam, ſuam damnationem. Prob. concl. De

fa-

facto iam in communi eſt reuelata perditio Antichriſti in S. Scrip. dicente, eſſe filium perditionis, & tempore Antichriſti poſſet alicui reuelari, illum eſſe Antichriſtum, de quo loquitur Scriptura: Ergo pari ratione poſſet eidem Antichriſto id reuelari, ergo nullam dicit implicantiam.

Prob. 2. Si talis reuelatio implicaret, maximè, quia reuelatio eſſet intrinſicè mala, ſed hoc eſt falſum, quia non eſſet mala ex obiecto, cum ſit de obiecto iuſtitiæ vindicatiuæ, continentis finalem ſententiam de pœna, peccatis debita; neque ex parte hominis, cui talis reuelatio fieret, quia poſſet talis ſententia ei intimari in pęnam ſuorum peccatorum; neque tandem ex parte Dei reuelantis, quia Deus nullum habet debitum differendi talem intimationem vſque ad alteram vitam, ergo nullam dicit implicantiam.

II. Concl. Ille, cui damnatio à Deo abſolutè reuelaretur, incurrenda ob peccatum iam commiſſum cum denegatione omnis gratiæ, etiam ſufficientis ad pœnitendum, non poſſet talis ſperare, ſed poſſet deſperare, ſeu non velle proſequi beatitudinem, vtpotè impoſſibilem, cognitam vt talem; ſi autem reuelaretur damnatio incurrenda ob peccatum futurum, vel ob præteritum, à quibus peccatis poſſet cum auxilio ſufficienter ſubminiſtrando reſurgere, non poſſet deſperare, ſeu nolle contendere efficaciter, quantum eſt de ſe ad beatitudinem; hæc eſt Herincx, & videtur communis. Prob. 1. pars. Spes Theologica non poteſt verſari niſi circa bonum, quod poteſt prudenter apprehendi vt futurum poſſibile; prudentia enim eſt regula omnium virtutum, ſed, ſuppoſita tali reuelatione, non poſſet homo prudenter apprehendere ſuam ſalutem futuram; immò licitè formaret iudicium de non ſequtura beatitudine, & peccaret iudicando oppoſitum D. reuelationi ſibi factæ, ergo ille, cui eſſet facta talis reuelatio non poſſet formare iudicium prudens de futuritione ſuæ ſalutis, ac proindè non teneretur ſperare.

Confirmatur quia in tali nolitione nulla foret malitia; cum eſſet nolitio rei inutilis, & impoſſibilis, ideſt proſecutionis beatitudinis; imò velle eam proſequi eſſet malum, teſte Herincx, ergo non poſſet ſperare, & conſequenter deſperare poſſet, prout deſperatio dicit non velle proſequi

bea-

beatitudinem. Prob. 2. pars cum Herincx: Quia talis adhuc tenetur velle adhibere omnia media ad beatitudinem, ſpecialiter autem non ponere, vel è contra tollere vnicum beatitudinis impedimentum, ideſt peccatum, ac proindè impedire conſequentem beatitudinem, ergo teneretur pariter contendere ad ipſam beatitudinem. Deindè vi reuelationis, vtpotè conſequentis futuritionem peccati finalis liberè ponendi, non redditur beatitudo impoſsibilis, vti nec vitatio peccati cum omnibus circumſtantijs prædictis, ergo ſicut manet obligatio hoc vitandi, ita & beatitudinem proſequendi.

Arg. 1. cont. 1. concl. Si Deus reuelare poſſet reprobo ſuam damnationem, in tali caſu obligaretur adhuc ad ſperandum, quia adhuc eſſet in via, ratione cuius teneretur omnia præcepta viatorum ſeruare, & ex alia parte ſperare non poſſet, quia ſublatum eſſet obiectum ſpei, quod eſt beatitudo vt poſſibilis acquiri, ſed hæc manifeſtè implicant, ergo implicat, Deum poſſe reuelare &c.

Reſp. neg. aſſumptum in mai. quoad 1 part. nempe quod in tali caſu teneretur ad ſperandum, quamuis enim adhuc obligaretur ad alia præcepta ſeruanda, non tamen ad præceptum ſpei, & ratio diſcriminis eſt, quia per talem reuelationem non tolleretur obiectum aliorum præceptorum, ſed tantùm obiectum ſpei.

Arg. 2. Talis reuelatio eſſet cauſa multorum peccatorum, non ſolùm deſperationis, ſed etiam aliorum, quod repugnat D. bonitati, ergo implicat, Deum poſſe reuelare.

Reſp. neg. aſſumptum ant. quia, ea reuelatione non obſtante, poſſet homo non peccare, cum talis reuelatio non tollat indifferantiam phyſicam voluntatis nec aliquod ex auxilijs, quæ aliàs darentur ipſi ad non peccandum; ſicut nec diuina præſcientia ſine reuelatione, nec reuelatio facta alicui tertio de ipſius damnatione libertati præiudicaret, quoad indifferentiam phyſicam, nec quoad indifferentiam moralem, quam non videtur admittere Maſtrius, concedens in reſponſione ad ſecundum, quod voluntas talis viatoris determinaretur moraliter ad peccandum.

Arg. 3. data tali reuelatione, ſequeretur, poſſe aliquem damnari abſque peccato; ponatur enim aliquis ob ſolum deſperationis peccatum damnandus, quod non implicat;

talis viator ſi ei reuelaretur damnatio, damnaretur abſque peccato, quia poſita reuelatione, non eſſet in poteſtate ipſius non deſperare, ac proindè non eſſet peccatum, ergo talis viator deſperando non peccaret, & per conſequens ſine peccato poſſet damnari. Reſp. neg. ſuppoſitum, ſi loquamur de peccato commiſſo occaſione reuelationis tantum, eò quia poteſt quis damnari ob ſolum peccatum deſperationis commiſſum poſt reuelatam damnationem, quod aliàs commiſſum fuiſſet, etiam non facta tali reuelatione, & etiam præuiſum fuit; committendum independenter ab ipſa reuelatione, nimirum quia noluit homo adhibere media præſcripta ad conſequendam beatitudinem, quæ ſunt D. præcepta, non autem poteſt quis damnari ob ſolum deſperationis peccatum commiſſum occaſione reuelatæ damnationis, quod aliàs commiſſum non fuiſſet, & ratio eſt, quia reuelatio damnationis ſupponit peccatum in præſcientia Dei, prius ab homine commiſſum, ratione cuius Deus hominem damnat. Ita reſpondet Maſtrius cum ſuo Amico.

DISPVTATIO X.

De charitate.

QVÆSTIO I.

Quod nam ſit obiectum charitatis.

NOt. 1. Quòd charitas eſt virtus theologica, à fide, & ſpe realiter diſtincta, vt ex dicendis patebit; & ſolet ſic definiri: *Charitas eſt virtus theologica, qua Deus diligitur propter ſe ipſum, & proximus propter Deum.* Dicitur virtus theologica, quia eſt habitus ſupernaturalis habens Deum pro obiecto immediato, ac primario; dicitur; qua Deus diligitur: quia amor naturalis non deriuatur à charitate, etſi appareat eſſe illi ſimilis; neque attingit Deum, vt finem ſupernaturalem; ſed vt naturæ Aucthorem; dicitur: Propter ſe ipſum, ideſt propter eius infinitam bonitatem in ſe quatenus talis bonitas infinita comprehendit omnem Dei excellentiam in omni genere perfectionis, vt amabilis, & diligibilis, non autem pro ſpeciali Dei attributo &c. denique

dicitur, & proximus propter Deum, Ideſt propter eſſentialem bonitatem Diuinam participatam à proximo, & relucentem in eo, vel quatenus eſt capax gratiæ, & gloriæ. Vnde amor proximi ob aliquod naturale, vel morale bonum in ſe, & abſolutè non eſt effectus charitatis theologicæ, ſed quidam effectus, vel naturalis affectionis, vel habitus moralis acquiſiti. Addunt nonnulli; quòd charitas dicitur ſupernaturalis in ſubſtantia, vt diſtinguitur à virtutibus theologicis acquiſitis, quales vocari ſolent fides, ſpes, & charitas naturalis in ſubſtantia Deum reſpicientes.

Not. 2. quod in hac quæſtione ſunt diuerſæ opiniones. Prima eſt D. Thom. 2. 2. q. 23. art. 4. q. 6. cum ſuis, nonnullis exceptis, inter quos Gonet. in comp. theol. de charitate cap. 8. vbi ſ. 11. ſic loquitur: obiectum formale charitatis non eſt bonitas D. vt communis analogicè bonitati D. per eſſentiam, & diuinæ per participationem; nec bonitas D. & increata, vt inuoluens eſſentiam, & attributa, & relationes, ſed ſola natura bonitas, vt diſtincta virtualiter à relationibus, & attributis. Prima inquam opinio eſt D. Thomæ docentis; vt refert Scot. in Report. diſt. 27. q. vn. quod Deus vt eſt principium, & finis naturæ eſt obiectum dilectionis, vel amicitiæ naturalis; vt autem eſt finis ſupernaturaliter, & principium, ſeu vt ſummum bonum noſtrum beatificum, ſic eſt obiectum dilectionis gratuitæ virtutis theologicæ; ita quod Deus inquantum beatificans eſt obiectum formale charitatis, vt autem dans eſſe naturæ eſt obiectum amicitiæ naturalis: 2. opinio eſt quorundam negantium, vt refert Maſtrius in quæſt. de charitate Deum eſſe tantum charitatis obiectum, quatenus eſt auctor rerum ſupernaturalium, & obiectum beatificum noſtrum; ſed aſſerunt obiectum formale charitatis eſſe bonitatem Dei, qua in ſe infinitè bonus, & perfectus eſt ſecundùm omnem rationem entis; ac proinde conſequenter aiunt, omnem amorem amicitiæ erga Deum habere idem motiuum formale; & ob id non diſtingui in nobis duplicem habitum charitatis, ſeu amicitiæ erga Deum; alterum infuſum, & ſupernaturalem, alterum naturalem, & acquiſitum, ſed eundem omninò habitum ſupernaturalem inclinare nos ad diligendum Deum vt auctorem naturæ, & finem naturalem, & vt auctorem gratiæ, ac finem

ſu-

ſupernaturalem. Ita Vaſquez Coninch. Arriaga, & alij, pro qua citatur Scot. in 3 d. 27. q. vn. §. contra primam viam, & quantum ad iſtum arti.

Not. 3. quod obiectum, vt alibi dictum eſt, aliud eſt materiale, aliud eſt formale; & ſpecialiter loquendo de obiecto alicuius virtutis materiali; tale obiectum diſtinguitur in principale, & minus principale primum eſt illud, quod intenditur per ſe, & ad illud referuntur omnia, quæ à tali virtute reſpiciuntur; ac proinde ſecundum nempe minus principale eſt quod intenditur ſemper propter ipſum principale. Vnde ad obiectum materiale charitatis ſpectat quidquid amari poteſt propter Deum, hoc eſt, quicquid placet Deo, vt amemus; cum enim vniuerſaliter loquendo materia habitus dici poſſit omne id, in quo verſatur habitus ſub ratione ſua formali, & in propoſito materia charitatis ſit quicquid ex eius motiuo poteſt amari, ex motiuo autem charitatis omne tale diligi poteſt, quod Deo placet, vt amemus, ſequitur omne tale eſſe obiectum ſaltem minus principale charitatis; Itaque obiectum principale, & primarium charitatis, nec non adæquatum, & attributionis eſt Deus ipſe; illud namque dicitur obiectum adæquatum habitus, propter quod primò, & per ſe eſt habitus, & ad quod referuntur omnia, circa quæ verſatur habitus, id verò ad nullum illorum: ſanè charitas poteſt habere actum amoris circa Deum, abſque eo, quod habeat actum amoris, circa aliquid alium, & non è conuersò.

I. Concl Deus non eſt obiectum charitatis, vt eſt finis ſupernaturalis, & ſupernaturalium principium, ſeu vt ſummum bonum noſtrum beatificum: eſt contra Thomiſtas.

Prob. ex Scoto ſic in 3. d. 27. q. vn. Summum bonum vt obiectum perfectiſſimum, quod poteſt haberi, accipitur ſub ratione perfectiſſima alioqui ſub ratione minus perfecta eſſet magis diligibile, ſed perfectiſſima ratio diligibilitatis Dei non eſt ſecunùdm rationem comparationis ad nos, in quantum ſcilicet bonnm noſtrum, vt beatitudo noſtra: ergo &c. Tum quia etiam ratio noſtra dictat, ipſum eſſe ſummè diligendum ex affectione iuſtitiæ, inquantum eſt ſummum bonum, etſi per impoſſibile non eſſet bonum noſtrum: igitur hoc eſt ratione infinitatis ſuæ, & non ratione, qua beatificat me, vel te.

Item

Item prob. ex Doct. Vel ponitur ſummè diligibilis à nobis, quia aptitudinaliter eſt bonum noſtrum, aut quia actualiter. Si primo modo ratio diligendi eſt tantum ex ſumma bonitate eius in ſe, ad quam iſta aptitudo conſequitur, non ex aptitudine tanquam formali ratione, quia aptitudo non habet aliquam rationem obiecti, aut perfectionis, niſi ex natura, ad quam conſequitur prout patet in natura grauis, cuius ad locum deorſum aptitudo, quæ ex forma grauis conſequitur, non dicit niſi perfectionem grauitatis, ergo ipſa beatitudo ad beatificandum non poteſt dicere diligibilitatem, niſi quæ eſt boni in ſe, ad quod quaſi ad fundamentum conſequitur, quia talis aptitudo ineſt propter fundamentum: Si autem ſit ſummè diligibilis, quia actualiter eſt bonum noſtrum, prout dicit reſpectum actualem; cum hoc non ponat in eo niſi reſpectum rationis ad creaturam, ſicut omne temporale, ſecundum hoc reſpectus rationis eſſet formalis ratio diligibilitatis, quod eſt falſum.

II. Concl. obiectum formale, & primariò terminatiuum charitatis non eſt bonitas D. analogicè conueniens Deo, & creaturis per participationem. Prob. ex Scoto loc. cit. Obiectum charitatis Dei, & meæ eſt idem, ſicut beatitudo mea, & ſua habet idem obiectum, & viſio; ſed Deus non eſt obiectum ſuæ charitatis, vt includendo quod eſt bonum mihi, nec includendo vt bonum ſibi; vnde amare ſe, non retorquendo ſecundùm rationem ad ſe eſt primus actus; ideoque Deus eſt formaliter beatus diligendo ſe propter ſe, non concupiſcendi ſibi. Adde quod ponere duas rationes formales vnius obiecti, videtur mirabile; vt dicit Scot. in Report. Præterea. Virtus theologica habet Deum prò obiecto formali, & primario, non verò aliquid commune Deo, & creaturis; ergo charitas vt virtus theologica non habet aliquod commune Deo, & creaturis pro obiecto formali & primario.

III. Concl. Obiectum materiale primarium eſt Deus, ſecundarium proximus, & omnia, quæ poſſunt conducere ad bonum, ſeu ad gloriam Dei; formale autem eſt infinita Dei bonitas, ſeu perfectio, qua in ſe bonus, & perfectus eſt, vt in definitione allata explicatur. Prima pars patet, quia Deus eſt primum obiectum, & principale, quod diligimus, & ſuper omnia diligere debemus, & cui intrinſecum eſt

cha-

charitatis motiuum, ideoque charitas in ſcripturis appellatur charitas Dei, tanquàm proprij ideſt dilecti; etſi interdum vocatur charitas Dei, qua ipſe dilexit nos, vt 1. Ioan. *In hoc cognoſcimus charitatem Dei, quoniam ille Animam ſuam pro nobis poſuit.*

Prob. 2. pars, quæ eſt communis, & aperte colligitur ex Scrip. 1. Ioan. 4. *Si diligimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta eſt.* Suffragatur quoque euidens ratio: quia proximus eſt bonum quoddam extrinſecum Dei, cuius gloria augetur per hoc, quod proximus ipſum amet, eique ſeruiat, ergo ad charitatem ſpectat deſiderare hæc, & ſimilia bona proximo propter Deum; & idem dicendum eſt de proximo ſpectato ſecundum corpus, nec non de omnibus alijs rebus, quatenus conſiderantur cedere poſſe ad gloriam Dei: Siquidem ad eandem virtutem pertinet intentio finis ac electio mediorum ad finem.

Prob. 3. pars. Bonitas eſſentialis, quæ abſolutè ſumpta complectitur infinitam ſapientiam, omnipotentiam, æternitatem, & omnes alias perfectiones formaliter infinitas, ac proinde eſt ens infinitum in omni genere entis, obiectiuè propoſita mouet, & terminat, atque adequatè quietat potentiam intellectiuam, ſeu naturam intellectualem; ergo talis bonitas, & perfectio eſſentialis eſt ratio formalis terminans actum potentiæ intellectiuæ; eamque perfectè quietans. Prob. ant. Voluntas nequit ab alia natura perfectè quietari, quàm ab ea, quæ habet primariam, & principalem rationem bonitatis; ſed ſola bonitas eſſentialis id præſtare valet, bonitas enim attributalis ab ea tanquam à radice profluit; ergo ſola bonitas eſſentialis habet rationem obiecti formalis terminatiui, quod diuinæ charitatis.

Cæterùm non apparet, cur Anima nequeat in hac vita distinctè, & ſeparatim ſibi proponere ſingula Dei attributa; v. g. infinitam ſapientiam, miſericordiam &c. & ſic eum amare ſuper omnia amore ſupernaturali, quia ſapiens, quia miſericors eſt. Quare Doctor loc. cit. docet, quod in obiecto charitatis eſt conſiderare tria; primum, ipſam rationem eſſentialem, vel formalem obiecti ſecundum ſe: 2. aliam conditionem accidentalem primam actui: 3. aliam conditionem magis accidentalem naturaliter conſequentem, & concomitantem actum. Primum eſt ipſa ratio ſummi boni

ni ſecundum ſe; nam ſub eadem ratione eſt bonum ſummum charitatis Dei, & noſtri. Secunda conditio, quæ eſt accidentalis, & prima præcedens actum amicitiæ eſt in Deo amor mei, inquantum ſcilicet diligit me prius creando, & beatificando, & prout eſt bonum meum, & hæc ratio eſt præcedens actum amicitiæ noſtrum. Vnde amicitia eſt ad redamantem; & ideo ſecundariò diligimus; tum quia eſt bonum noſtrum; tum quia eſt redamans; & hæc ratio, inquit Doct. in Scripto Oxionenſi, poteſt aliquo modo dici ratio obiectiua actus alliciens ad amandum; nam ipſa, & talis in propoſito eſt ratio relatiua huius naturæ ad amantem, inquantum eſt conueniens bonum comunicatiuum ſui illi; ſicut enim in nobis primò amatur aliquis propter bonum honeſtum, ſecundò quia ſcitur redamans, illa redamatio in eo eſt vna ſpecialis ratio amabilitatis in eo alliciens ad amanda alia, quàm propter bonum honeſtum; ita in Deo &c. Tertia conditio eſt concomitans vel conſequens actum; puta non quia amauit dando gratiam, & alia, ſed quia eſt bonum meum, inquantum attingitur per actum meum diligendi, hoc eſt actu meo, & ſic eſt beatificum obiectum actualiter beatificans, & ſequitur actum, ideò non eſt ratio obiecti. Sicut ſi tendo in album vt quieret viſum meum, illa ratio non eſt ratio obiecti viſus. Itaque ex Scoto breuiter habemus in vtroque ſcripto; Deum eſſe obiectum charitatis in ſe, vt diligibilem amore amicitiæ, ſeu affectione iuſtitię: 2. quòd ratio accidẽtalis obiecti adæquati eſt redamatio, ſeu Deum amaſſe nos, & hoc præcedit actum amicitiæ, alliciens ad eum iuxta illud Ioan. c. 4. *Nos ergo diligamus Deum, quoniam Deus priùs dilexit nos*: 3. quòd Deus ſit obiectum quatenus beatificum in eo ſenſu, quo ſupra.

Arg. cont. 1. concl. Alia eſt ratio amabilitatis Dei vt auctoris naturæ, & finis naturalis: alia eſt ratio amabilitatis Dei vt gratiæ, ac gloriæ auctoris: ergo obiectum charitatis eſt Deus vt principium ſupernaturalium.

Reſp neg. aſſumptum in ant. nam Deus etiam vt auctor naturæ poteſt eſſe obiectũ charitatis ſupernaturalis; etenim Sancti ex conſideratione creaturarum ſæpè in amorem Dei excitabantur, inde concludentes quàm bonus eſſet Deus in ſe, & amabilis; neque tunc conſiderabant eum vt rerum ſu-

ſupernaturalium auctorem, ſed tantùm naturalium. Quare, dum dicitur per amorem naturalem diligi Deum vt finem naturalem, & auctorem naturæ, & per ſupernaturalem diligi vt finem ſupernaturalem, non debet intelligi formaliter, quaſi illi reſpectus auctoris naturæ, & gloriæ ſint formale obiectum huiuſmodi actuum dilectionis, ſed fundamentaliter, hoc eſt, D. bonitas vt eſt principium bonorum naturalium eſt obiectum amoris naturalis, & vt eſt principium ſupernaturalium bonorum eſt formale obiectum amoris ſupernaturalis.

Arg. cont. 2. concl. Poſſibilis eſt aliquis habitus infuſus per ſe primò reſpiciens bonitatem D. vt creatæ, & increatæ analogicè communem: ſed talis habitus eſſet eiuſdem ſpeciei cum virtute charitatis; ergo obiectum formale charitatis eſt bonitas analogicè communis creatæ, ac increatæ.

Reſp. 1. neg. aſſumptum in mai. ratio, quia ſi daretur vnus habitus reſpiciens per ſe primò bonum in tota ſua latitudine, & ambiens increatum ſimul, & creatum, ille omnem voluntatis capacitatem adæquaret, quod eſt contra rationem habitus, cuius obiectum eſt determinatio, & diuiſio obiecti potentiæ. Reſp. 2. data mai. neg. min. eò quia ſi daretur talis habitus, ille eſſet à charitate eſſentialiter ſpecie diuerſus, vtpote habens diuerſum obiectum formale.

Arg. 2. Charitas ex æquò tendit in Deum, & proximum, ergo ſimul habet Deum, & creaturam pro obiecto formali, & ſpecificatiuo, ac proinde tendit in D. bonitatem analogicè communem Deo, & creaturis. Reſp. neg. conſ. Etenim ſicut charitas increata Dei non ſolum tendit in Deum ipſum, ſed etiam in homines, & Angelos, quos Deus ex amicitia charitatiua diligit; nec ob id habet pro obiecto formali charitatem Deo, & creaturis conuenientem; ita proportione ſeruata charitas noſtra, quæ eſt participatio quædam charitatis D. &c.

Quæres. An, & quomodo charitas ſit propriè hominis amicitia erga Deum.

Pro plena, ac plana huius difficultatis reſolutione, notandum ex Ariſt. lib. 8. Eth. cap. 5. & 6. quod amicitia honeſta, de qua ſola hic agimus, poteſt eſſe duplex: Vna æqualitatis, quæ ſolum eſt inter æquales, ſeu inter homines æqualis conditionis; altera excellentiæ, quæ eſt inter eos,

 qui

qui, etſi habeant communicationem, & conuenientiam in ordine ad vnum finem honeſtum, tamen conſtituti ſunt in diuerſo gradu, ac dignitate, & vnuſquiſque alteri id tribuit amoris, honoris, ac beneficij, quod illi pro ſuo gradu, & dignitate tribuendum eſt, & talis amicitia verſatur inter Patrem, & Filium, inter Principem, & ſubditum, virum, & vxorem; & in hoc genere amicitiæ non requiritur æqualitas ſimpliciter, quæ dicitur arithmetica; ſed proportionis, quæ dicitur geometrica: non enim eadem officia in vtroque ad alterum poſtulantur, ſed quod talem ſe prebeat Pater erga filios, qualem decet, & ſimiliter in alijs. Ex huius generis amicitia eſt hominis erga Deum, inter quos licet non ſit æqualitas ſimpliciter, eſt tamen proportionis; nam licet nulla reperiatur æqualitas inter nudam naturam hominis, & Deum, reperitur tamen inter homines per gratiam eleuatos ad ordinem diuinum, qua ratione iam ſunt D. naturæ conſortes, & participes eiuſdem ſtatus, ſeu conditionis, & beatitudinis. Et quidem hoc ſecundum amicitiæ genus, quod dicitur excellentiæ, etiam ipſe Ariſt. agnoſcit inter homines, & Deum loc. cit. cap. 10. vbi ait. *Filiorum ad parentes, & hominum ad Deum eſſe amicitiam, ſicut ad aliquid excellens; & lib. 10. cap. 8. concludit, Sapientes, quorum ſapientiam extenditur ad vitam honeſtam, eſſe Dijs amiciſſimos*: hac doctrina præmiſſa.

Reſp. iuxta communem ſententiam Theologorum, inter homines iuſtos, & Deum intercedit vera amicitia; quæ ex parte hominis reponitur in virtute charitatis ſupernaturalis, qua diligitur Deus propter ſe ipſum; ita etiam docet Scot. in 3. d. 27. q. vn. ad primum principale; dicens charitatem eſſe propriè, & non metaphoricè amicitiam hominis erga Deum; quod perſpicuè colligitur ex S. Scrip. & ſignanter ex illo Ioan. 15. *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis, & iam non dicam vos ſeruos, ſed amicos, quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius*.

Cæterum, quod talis amicitia ſit propriè, & non metaphoricè amicitia, inſinuatur à Scoto diſt. 2. cit. Quia illa nimirum excellentia non tollit, quod eſt perfectionis in obiecto, ſed præciſè quod eſt imperfectionis; nam honeſtas in diligibili, & redamatio in dilecto ſunt conditiones per ſe, ſed æqualitas in iſtis eſt conditio concomitans. Itaque

duo

duo ſunt de ratione amicitiæ propriè ſumptæ. Primum eſt honeſtas in diligibili, id eſt quod ametur amore beneuolentiæ, non autem concupiſcentiæ; quo nimirum dilecto volumus bonum &c. Alterum eſt redamatio; hoc eſt, vt amicus, amico vices rependat eum redamando: æqualitas verò perſonarum ſtatus dignitatis, aut naturæ non eſt de ratione amicitiæ, ſed ſolum quid concomitans; Deus autem habet honeſtatem, & redamationem, ſicut amationem, & excellentius poteſt eſſe amicitia ad ipſum, ac proinde dici poteſt ſuperamicitia; Aduertendum tamen, vt etiam in tract. de gratia notauimus iuxta principia noſtræ Scholæ; charitatem habere rationem amicitiæ moraliter hoc eſt, ex acceptatione diuina, non phyſicè, & ex natura rei.

Quæres 1. An eodem omninò habitu charitatis ſupernaturalis diligamus Deum, & proximum.

Reſp. ex Scoto, & D. Bonau affirmatiuè; & ita ſentiunt omnes alij Theologi, & Sancti Patres, & ſignanter D. Aug. lib. 8. de Trin. c. 8. dicens. *Ex vna eademque charitate, Deum, proximumque diligimus, ſed Deum propter Deum, nos autem, & proximum propter Deum.* Quod Scot. ſic oſtendit. Eodem actu volo, vel diligo Deum in ſe, & volo proximum Deum in ſe diligere: perfectè autem amans dilectum, vult eum diligi, & Deus, qui eſt bonum commune non vult eſſe bonum particolare. Ideò habens habitum talem, cuius actu præcipitur in communi, quod poſſibile eſt fieri, poteſt diligere Deum, & proximum Deum diligere, quia velle eodem habitu poſſum tendere in obiectum, & reflecti ſuper illud, ergo eadem charitate poſſum diligere Deum, & velle proximum diligere Deum; & hoc eſt diligere proximum, quod eſt reſpectu honeſti: idque probatur ex hoc, quod iſta duo, ſcilicet aliquid velle, & diligere ſunt eiuſdem rationis. Simile huius patet, quia eodem habitu ſcio, vel ſcire poſſum aliquid, & ſcio me ſcire, ergo eodem habitu diligo, & diligo me diligere: hæc Doct. in Reportat. & deinde reſpondendo ad obiectionem ſibi factam explicat ſubtiliter; quare eodem habitu non poſſum ſcire Deum, & ſcire alium, ſcire eum; ſicut eodem habitu diligo Deum, & diligo alios diligere eum, quia, inquit, poſſum velle, alium velle, quando non vult, at non poſſum ſcire alium ſcire, quando non ſcit, quia, vt notat Scholiaſtes ex Doctore, in ſecundo de-

 no-

notatur actum ineſſe alteri, in primo non. Addo cum D. Bonau. ead. diſt. art. 1. q. 2. *Quia idem eſt motus in finem, & in id, quod eſt ad finem; motus enim non fit diuerſus propter differentiam medij, ſed extremi; at motus charitatis in Deum tendit, vt in finem, in proximum verò vt in medium*: igitur vnus, & idem motus, ſeu habitus charitatis poteſt inclinare ad actum, qui tendit in proximum, & Deum.

Cæterùm difficultas mouetur à Scoto: An eodem habitu neceſſariò ſit diligendus Deus, & proximus; adeout, nec per D. diſpenſationem fieri poſſit, vt quis amet Deum, & non amet proximum; cui difficultati occurrit 1 oct. loc. cit. diſt. 28. q. 1. §. de ſecundo dico; quod ſicut negatio concluſionis non neceſſariò ſequentis ex principio neceſſario non arguit negationem principij, ſed poteſt ſtare cum aſſertione principij, quia non omnis error circa concluſionem deſtruit aſſertionem principij, ita etiam non neceſſariò ſequitur ex dilectione infiniti boni dilectio boni finiti; nec in actibus dilectionis ſequitur ex natura rei deſtructio dilectionis Dei ex deſtructione dilectionis proximi; & hoc ſiue intelligatur deſtructio dilectionis contrariè, vel contradictoriè; & multo magis ex natura habitus non eſſet contradictio, quod eſſet reſpectu Dei, & non reſpectu proximi. Eſt igitur iſte habitus circa aliud, quatenus præceptum eſt datum de diligendo proximo, & ad illum actum oportet vti illo habitu, aut ſaltem non contra agere illi habitui, alioquin deſtrueretur actus, & habitus circa Deum, non quidem ex natura contradictionis, ſed per naturam demeriti. Itaque, vt inquit Doct. in Report. non eſt contradictio, quod aliquis habeat charitatem cum odio proximi; tamen neceſſarium eſt de potentia ordinata Dei.

Quæres 2. Qualiter charitas dicitur incipiens, proficiens, & perfecta.

Reſp. ex Guilelmo Vorilong. in 3. d. 29. qui cum D. Thoma ſic diſcurrit: Charitas incipiens ad hoc intendit, vt peccata præterita emendentur, & à futuris caueatur; vnde hac dicuntur incipientes qui bellum dominicum aggredi incipiunt. Charitas proficiens dicitur, quia quis bonis adipiſcendis intendit, vt ad perfectionem veniat, habita per charitatem incipientem fiducia de liberatione peccatorum. Charitas denique perfecta dicitur illa, quam habens

in

in prædictis bonis quaſi dicatur connutritus; quia hac nempe charitate perfecti dicuntur qui cumulo ſunt roborati virtutum, intra ſoporati donorum Dei dulcidine. Hæc autem charitas dicitur triplex non ſecundum entitatem, ſed ſecundùm triplicem effectum.

Quæres 3. An actus charitatis viæ ſit eiuſdem rationis ſpecificæ cum actu charitatis Patriæ.

Reſp. Thomiſtæ paſſim partem affirmatiuam tuentur, quibus conſentiunt quamplures Recentiores; vt Suarez, Caſpenſis, & alij. Immò quidam affirmant, actus charitatis viæ non ſolum eſſe eiuſdem rationis ſpecificæ; ſed etiam poſſe eiuſdem rationis numericę eſſe; quia fieri poteſt, quod idem actus numero in via inchoatus ſine interruptione in Patria continuetur. Hinc Suarez diſp. 3. de charitate ſect. 3. probabiliſſimum putat, de facto amoris actum, quo B. Virgo in Deum in hac vita ferebatur per mortem non fuiſſe interruptum; ac proinde eundem numero actum in Patria continuaſſe, etſi neceſſariò, & perfectiùs.

Nihilominus dicendum cum Scoto in 3. d. 31. & in 4. d. 49. q. 5 quem præter Scotiſtas ſequuntur, teſte Maſtrio, nonnulli ex Thomiſtis, vt Caietan. Capreolus, Ferrarienſis, & ex Recentioribus Coninch. Amicus, Arriaga, & alij; actus charitatis in via ſpecie differre ab actibus charitatis in Patria. Quam ſententiam probat Maſtrius doctrina deſumpta ex ijs, quæ ipſemet tradit diſp. 7. de Anima, q. 6. art. 2. vbi inueſtigando, an varietas cognitionum ſufficienter inducat diuerſitatem affectuum in voluntate, hanc regulam generalem aſſignat. Si cognitiones præuiæ ad amorem ſunt inter ſe ſpecie diuerſæ, quia nimirum aut diuerſa prorſus obiecta repræſentant, aut idem, ſed diuerſa ratione formali, aut alia de cauſa ad earum diuerſitatem ſpecificam ſufficiente, ſemper inducunt diuerſitatem ſpecificam affectuum in voluntate; & hoc, inquit Maſtrius tom. 3. diſp. 6. quęſt. 24. art. 1. citra controuerſiam admitti videtur. Qua ratione Scot. in 4. d. 49. q 5. probabilius arbitratur dilectionem viæ, & Patriæ ſpecie ab inuicem diſtingui; quia cognitio, quam de Deo habemus in via, eſt abſtractiua, & in Patria eſt intuitiua, quæ cognitiones apud Doctor. ſpecie ab inuicem differunt etiam circa idem obiectum. Inſuper, ſi cognitiones ſolo numero differunt, di-

ſtinguendum eſt: quia aut ſunt omninò conſimiles, & æquales, nempe eiuſdem charitatis, intenſionis, & ſic ex mutatione cognitionum non ſufficienter deducitur mutatio amorum, quia idem numero videtur amor pecuniæ, vel ſanitatis; ſiue ea bonitas repræſentetur per hanc numero cognitionem, ſiue per aliam omninò conſimilem. At ſi in talibus conditionibus cognitiones illæ differant, adhuc poterit ex illis ſufficienter colligi, ne dum numerica amorum diuerſitas, ſed etiam ſpecifica; qua ratione negantes cognitionem intuitiuam ab abſtractiua ſpecie diſtingui, adhuc concedunt dilectionem viæ, & Patriæ ita diſtingui, eò quod beatifica viſio clarius Deum explicat, & melius noſtræ voluntati proponit: hæc Maſtrius.

Inſuper Doctor in 3. d. 1. q. vn. §. ſed adhuc, docet, quòd, quando perfectio actus eſt à duobus, ſcilicet à potentia, & obiecto; quando variatur propria ratio iſtorum, vel alterius eorum in ſe, vel coniunctione cum reliqua cauſa, vel ſecundùm approximationem ad reliquam cauſam, quia minus perfectè agunt cauſæ partiales reſpectu effectuum, quando non ſunt ſufficienter approximatæ, & coniunctæ variabitur tunc perfectio actus, non tantùm ſecundum quod perfectum, & imperfectum ſe habent, ſicut magis, & minus in eadem ſpecie, ſed ſicut ſe habent diuerſæ ſpecies in eodem genere. Et hoc modo, dico, quod reſpectu Dei in ſe non ſolum ſunt actus intelligendi, & volendi, ſed etiam actus diligendi ſic, & ſic, non tantum differentes ſecundum magis, & minus ſub eadem ſpecie; ſed ſicut ſpecies in eodem genere: Cum igitur cognitio ſit velut intentionalis quædam approximatio obiecti ad voluntatem, clarior, vel obſcurior cognitio poterit aliquando ſufficienter inducere diuerſitatem amorum, quia diuerſimode per eas proponitur obiectum.

QVÆSTIO II.

Vtrum ex charitate teneamur diligere Deum ſuper omnia, etiam ſuper nos ipſos.

NOt. 1. Quòd iuxta communem ſententiam Scotiſtarum, & Thomiſtarum, & aliorum, exceptis nonnullis

lis citantibus pro ſe Gabrielem, Altiſiodor. nos natura inclinamur ad amandum magis Deum, quàm nos ipſos; quod Scotus in 3. d. 27. q. vn. §. Iſtis igitur rationibus, oſtendit per diuerſas rationes, inter quas hæc mihi videtur efficacior. Natura rationalis naturaliter inclinat ad iudicandum Deum eſſe ſupra ſe ipſam diligendum, ac proinde eſſe magis diligendum, quàm ſe; quia naturalis inclinatio voluntatis non debet eſſe contraria naturali inclinationi intellectus; eſſet autem contraria, ſi naturaliter inclinaret ad diligendum ſe magis, quàm Deum; quod apparet manifeſtum abſurdum; quia cum iſtæ potentiæ ſint inuicem ſubordinatæ, & vna in operando pendeat ab altera, non eſſent rectè ordinatæ; ſi vna naturaliter inclinaret in oppoſitum eius, ad quod inclinat altera. Tum quia, vt ait Doctor, cum charitas inclinet nos ad diligendum Deum ſuper nos, data oppoſita ſententia, inclinaret in oppoſitum eius, quod dictat natura, & recta ratio, & ſic non eſſet virtus, nec naturam perficeret, ſed deſtrueret, quia inclinaret ad oppoſitum eius, ad quod natura inclinat.

Not. 2. Quòd dilectio, ſeu amor latè ſumptus ſic deſcribitur à Commentatore D. Dion. in l. 4. de D. Nom. *Eſt connexio, vel vinculum, quo omnium rerum vniuerſalitas ineffabili amicitia inſolubili vnitate copulantur:* amor autem prout à charitate profluit ſic à D. Dion. loc. cit. definitur. *Amor eſt virtus vnitiua, & concretiua mouens ſuperiora ad prouidentiam minus habentium ideſt inferiorum coordinata autem ſubiecta, ideſt inferiora, vt explicat Vorrilong. ad mediorum ideſt ſuperiorum conuerſionem.* In qua definitione, inquit Vorrilong. tria tanguntur. Primò genus, dum dicitur Amor eſt virtus; nam ly virtus accipitur pro vigore. Secundò eius differentiæ, dum dicitur, vnitiua, & concretiua; & differunt hæc duo inter ſe; quia vnitiua ponit ſimplicem vnionem, ſed concretiua ponit vnionis continuationem. Vnde vbi vna translatio habet concretiua, alia habet continuatiua, & inde dicitur amor facere feruidum, & ſuperferuidum, & extaſim, & animam liquefacere. Tertiò tangitur ſubiectum amoris; & hoc in triplici gradu, nempe ſuperiorum ad inferiora per prouidentiam; æqualium ad inuicem per alternæ habitudinis comunicationem, denique inferiorum ad ſuperiora per ipſorum conuerſionem. Inſuper nota ex D. Thoma, &

Vorrilong. quod iſta tria, nempe amor, amatio, & amicitia ſe habent ex additione eorum ad inuicem; Amor namque nominat illud dilectionis vinculum abſolutè, ſeu ſimpliciter, amatio nominat amorem, ſed cum quadam intenſione, ſeu feruore; amicitia verò addit, vt nimirum amantis, & amati ſit mutua dilectio. Item obſcura cum eodem Doctore, quod beneuolentia, beneficentia, & amicitia inter ſe differunt; quia beneuolentia, vt etiam colligitur ex 8. Eth. ſolum voluntatis actum indicat; beneficentia ſuperaddit actum exteriorem, benefaciendo; ſed multis benefacimus, ad quos amicitiam non contraximus; quia amicitia importat reciprocationem in amore; ac proinde vt ſupra cum Scoto dictum eſt, ſit redamatio.

Not. 3. Quòd tripliciter intelligi poteſt, Deum eſſe ſuper omnia diligendum, nempe obiectiuè, appretiatiuè, ſeu prælatiuè, & intenſiuè. Tunc aliquod obiectum diligitur obiectiuè ſuper omnia, quando diligitur iuxta bonitatem, quam in ſe habet; quia verò in Deo bonitas excedit in infinitum quamlibet aliam bonitatem, qui eam diligit, diligit Deum ſuper omnia obiectiuè. Tunc diligitur Deus appretiatiuè, ſeu prælatiuè quando Deus præponitur, & præfertur in amore omnibus alijs: Denique intenſiuè diligitur Deus, quando actu intenſiori, maiori conatu, diligitur quàm diligatur aliud à Deo. Primo modo fatentur omnes Deum ſuper omnia diligi debere, nempe obiectiuè, cum nulli creaturæ licitè poſſimus tantum bonum velle, quantum velle debemus Deo, cui ſoli beatitudinem infinitam velle tenemur. 2. modo, nempe appretiatiuè, ſeu prælatiuè conueniunt pariter Theologi nos teneri ad diligendum ſuper omnia. Sola igitur difficultas remanet de maiori dilectione Dei intenſiuè; an videlicet teneamur Deum diligere amore intenſiori ſuper omnia; hoc eſt ſecundùm omnem intenſionem actus, qua creatura diligere poteſt. Nonnulli affirmant, quia ſic videtur præcipi in S. Scrip. & præſertim. *Lucæ c.10. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c.* pro qua ſententia citantur Durand. Adrianus, Soto; imò etiam Scot. in 3. d. 27. q. vn. §. Dico igitur; vbi docet, ex vi huius præcepti nos teneri ad diligendum Deum ſuper omnia; non tantùm extenſiuè, ſed etiam intenſiuè; in quo ſenſu eum intelligunt, & ſequuntur quidam Scoti-

ſtæ,

ſtæ, inter quos eſt Faber diſp. 16. de pœnit. c. 2. Verùm communis ſententia negat; ita Recentiores tam Thomiſtæ, quam Scotiſtæ nec non Neutrales.

Concl. Tenemur diligere Deum ſuper omnia, ac proinde etiam ſupra nos ipſos, non ſolum obiectiuè, ſed etiam appretiatiuè, at non intenſiuè. Eſt Scoti, D. Bonau. & aliorum: hanc concluſionem teneo potius ob auctoritatem inſignium Scotiſtarum, quàm ob Scoti mentem, quæ, vt infra oſtendam aduerſari huic concluſioni videtur. Prima pars patet, nam manifeſtè pluribi S. Scrip. mandat nobis Dei dilectionem, velut actum poſitiuum. Secunda pars prob. ſimulque tertia. Etſi Deus digniſſimus indubiè ſit, qui etiam toto conatu quantum ad intenſionem ametur, vtpotè non ſufficienter diligibilis ab vlla creatura, quin maiori, & intenſiori ſemper dilectione dignus ſit, huius tamen rei obligatio neque ex ratione, neque ex tenore præcepti ſufficienter colligitur, ſed ſolum efficax appretiatio, ſeu æſtimatio Dei præ omnibus; vt clarius indicatur Matt. c. 10. *Qui amat patrem, aut matrem pluſquàm me, non eſt me dignus.* Vbi manifeſtè ſolum ſignificatur, vt rectè aduertit Herincx, quod ſi neceſſitas venerit, vt amor parentum Dei amori comparandus ſit, & non poſſit vterque ſeruari; tunc odium in ſuos pietas in Deum, inquit Hieronymus ibidem.

Confirmatur. Etenim certum eſt apud omnes nos non obligari ad maximam intenſionem dilectionis poſſibilem; ſiue abſolutè, ſiue conſiderato auxilio, & habitu ſupernaturali diligentis: Supponendo igitur ſufficere dilectionem v. g. vt quatuor, ſatisfaciet præcepto, qui actu tam intenſo vellet placere Deo in omnibus potius, quàm creaturæ; quantumuis haberet amorem vt ſex erga creaturam; ergo cum talis exceſſus non eneruet efficaciam præſuppoſiti amoris Dei, nec cum eo repugnantiam habeat; ſequitur, quod ſufficiat nos amare Deum ſuper omnia extenſiuè, ſeu prælatiuè, & non intenſiuè.

Confirmatur ratio allata. Siquidem rectè conſiſtit maioritas æſtimationis cum minori vehementia, ſeu intenſione actus; ſicut cum maiori intenſione actus opinatiui conſiſtit maior firmitas actus ſcientifici remiſſioris, & cum intenſione maiori actus ſcientifici maior firmitas actus fidei remiſſionis. Sic etiam apparet in matre intenſior dilectio præ-

ſentis

ſentis prolis paruulæ; cum tamen facta comparatione, dilectio filij ſenioris abſentis, vnde familiæ bonum pendet, ſit quoad appretiationem, ſeu æſtimationem maior. Pari modo ex ſublimiori æſtimatione, quam habemus de bono infinito, poteſt oriri amor appretiatiuè perfectior; etſi in intenſione minor affectu erga rem aliquam ſenſibus propinquam, ac proinde fortius animum trahentem.

Adde quod, data oppoſita opinione, maxima perplexitate agitaretur animus, cum planè nobis ignota ſit quantitas intenſionis gradualis in actu voluntatis; vnde perplexus ſemper eſſet animus; an fortè intenſior ſit aliquis affectus honeſtus erga rem creatam, ideoq; egregiè concludit Henricx. Quare credendum non eſt cadere ſub peccatum, quod non cadit ſub notitiam noſtram.

Arg. quod non teneamur amare Deum ſupra nos. Gratia eſt perfectio naturæ, ſed natura carens gratia magis diligit ſe ipſam quàm Deum: ergo &c. Reſp. conc. mai. & diſting. min. natura corrupta, conc. natura integra, & iuxta rationem non errantem operans, neg.

Arg. 2. Affectus amoris ſequitur cognitionem, incognita namque non poſſimus diligere; ſed magis cognoſcimus noſmetipſos, quàm cognoſcamus Deum, quamdiù ſumus in ſtatu viæ; ergo ſecundùm ordinem charitatis plus nos quam Deum diligimus in præſenti ſtatu. Reſp. diſt. mai. ſequitur cognitionem ex parte claritatis tantùm, neg. mai. ex parte claritatis, & ex parte bonitatis conſideratæ in ipſo cognito; conc. licet enim clarius cognoſcamus nos ipſos; nihilominus bonitas Dei minus à nobis cognita, cum ſit infinita, oſtenditur à ratione non errante maximè diligibilis; & ideo dilectio ſequens cognitionem, ait D. Bonau. præponit ipſum Deum nobis in diligendo.

Arg. 3. Amor eſt vis vnitiua, ſed impoſſibile eſt alium magis amare quam ſe, ac proinde Deus non eſt amandus ſupra nos. Reſp. ex D. Bonau. conc. mai. & diſting. min. quantum ad naturalem conuenientiam, conc. min. quantum ad amoris inhærentiam, neg.

Arg. cont. 2. p. & 3. concl. probando, quod Deus ſit diligendus ſuper omnia extenſiuè, ſeu appretiatiuè, & intenſiuè. Matt. c. 22. habetur ſic. *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima, & ex tota mente,* ſed hæc verba

aper-

apertè præcipiunt amorem Dei ſuper omnia extenſiuè, & intenſiuè; ergo Deus ſic eſt amandus. Reſp. ex Scoto, D. Bonau. Magiſtro ſent. & Patribus in tali præcepto exprimi, quò per amorem debeamus tendere; & vt nemo ſe perfectum arbitretur, quouſque iſtam perfectionem fuerit aſſecutus. Cæterùm D. Bonau. docet, quod dupliciter poteſt intelligi, *quod amor Dei poſſideat totum cor; vel ita quod excludat omnem affectum extraneum, & tunc dominatur plenè, & perfectè cordi, omnes motus cordis per amorem referendo in Deum & hoc modo non poteſt adimpleri niſi in Patria; vel quod amor Dei excludat omnem affectum contrarium; hoc eſt, quod nihil diligitur ſupra Deum, vel æqualiter Deo; & ſic diligit Deum ex toto corde; qui diligit eum propter ſe, & ſuper omnia.*

Dices Scot. in 3. d. 27. q. 1. ſic docet §. Dico igitur quod illud ſuper omnia debet intelligi vtroq; modo; ſicut enim teneor diligere Deum ſuper omnia alia extenſiuè, ita etiam maiori affectu quàm aliquod aliud; & dico maiori ſimpliciter; quia ſcilicet magis repugnat effectui oppoſito, quia facilius poſſet inclinari ad oppoſitum dilectionis alterius, quàm Dei; & paucis interpoſitis concludit. Dico igitur, quod illud præceptum extenſiuè, & intenſiuè ſecundum viam prædictam poteſt impleri in via; ſed non quantum ad omnes conditiones &c. Nec valet reſpondere cum Aretino, Maſtrio Herincx, & alijs Scotum non exigere maiorem intenſionem gradualem, ſed ſolum hoc, quod Deus debeat diligi ſuper omnia extenſiuè, ideſt appretiatiuè, & intenſiuè quantum ad hoc, quod debeat eſſe amor efficax. Non valet, inquam hæc reſponſio, cum videatur eſſe contraria verbis ipſius Scoti mox allegatis; & eius menti, quàm §. ſuperiori ſic explicat arguendo contra Henricum tenentem ſententiam oppoſitam. Quia hoc ſolum magis diligitur, quod firmius diligitur; hoc enim magis diligo, cui minus volo malum accidere, & pro cuius bono ſaluando magis me expono ex amore, quia exponere ſequitur amorem. Et hoc loquendo de amore, qui eſt actus voluntatis, non de illo, qui eſt paſſio appetitus ſenſitiui. Etſi aliqui dicantur diligere feruentius, vel tenerius, qui tamen firmius non diligunt, hoc non eſt ex aliquo exceſſu amoris intellectiui in eis, ſed fortè alicuius paſſionis amoris ſenſitiui; ſicut aliqui qui dicuntur deuoti ſentiunt aliquam maiorem

iorem dulcedinem, quàm alij multò ſolidiores in amore Dei, qui centuplum promptius ſuſtinerent martyrium: nec dulcedo eſt actus voluntatis elicitus, ſed paſſio quædam actui retributa, qua Deus allicit, & nutrit paruulos, ne deficiant in via. Ita diſcurrit Scotus, ex quo diſcurſu videtur colligi apertè Doctoris mens. Et certè non video quomodo in ſenſu oppoſito intelligi poſſit; qua de re potius hanc ſententiam amplector, veluti Doctoris menti magis conformem, quam oppoſitam; in concluſione aſſertam. Nequit enim concipi actus amoris ſuper omnia appretiatiuè, quin etiam intenſiuè actum amoris erga creaturas excedat. Neque obſtat ratio Henricx ſuperiùs allata, videlicet, quia ſemper eſſet fidelis dubius de ſui actus intenſione. Siquidem eo ipſo, quod talis actus dignoſcitur eſſe ſuper omnia, iudicatur etiam eſſe actus intenſior quocunque actu amoris erga creatum obiectum.

QVÆSTIO III.

Qualiter diligendus ſit proximus; vbi etiam de dilectione inimici.

NOt. 1. Quòd nomine proximi, omiſsis diuerſis acceptionibus, quæ videri poſſunt in D. Bonau. *venit, ſeu intelligitur quæcunque Perſona intellectualis creata æternæ beatitudinis vel particeps, vel capax; particeps inquam, quales ſunt Angeli Beati, & omnes Animæ beatæ; capax autem ſunt Animæ Purgatorij, & omnes homines viatores, hoc eſt in hoc mundo viuentes;* vndè cum inimicus ſit homo viator capax æternæ beatitudinis, venit nomine proximi noſtri, ac proinde amor, ſeu dilectio noſtra erga inimicum debet eſſe eiuſdem menſuræ ac erga amicos, amicus enim, & proximus ad idem pertinent: quandoquidem omnis homo ſit noſter proximus, proximitate naturæ, & inſuper, ſi non ſit à ſententia decretoria, & finali Dei à beatitudine excluſus, qualiter ſunt omnes damnati, eſt proximus noſter proximitate amoris Dei, ac vitæ æternæ, quæ conſiſtit in fruitione Dei, qui velut bonum infinitum, non proprium alicuius priuati, ſed commune omnibus creaturis beatitudinis participibus, vel capacibus, ab omnibus eſt diligendus; & vnuſquiſque optare debet, vt ab omnibus condiligatur; alioquin inquit Scotus in 3. d.

3. q. 1.

3. q. 1. eſſet amor inordinatus, & imperfectus, ſicut in Zelotypis habentibus mulieres charas.

Not. 2. Quòd dilectio, ſeu amor, alius eſt poſitiuus, qualis eſt actus, quo quis amat amicum; & alius eſt negatiuus, qualis eſt, e. g. erga aduenam, qui nec amatur, nec odio habetur. Actus poſitiuus diſtingui poteſt in actum poſitiuum dilectionis in generali, & in actum dilectionis in particulari: priori modo eſt dilectio, qua quis diligit omnes homines in generali, non determinando ſe ſpecialiter ad aliquem eorum, ſiuè amicum, ſiuè inimicum, ſed omnes complectendo, & neminem excludendo; prout fieri ſolet in orationibus; ſicut *Deus vult, omnem hominem ſaluum fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt ſcribit Apoſt. ad Timot* 1. c. 2. Poſteriori modo in particulari eſt ea, qua quis ſpeciali, ac peculiari motu ſe actu poſitiuo dilectionis mouetur ad inimicum diligendum, volendo, ſeu orando illi aliquod bonum, vel ſpirituale, vel temporale. Amplius actus dilectionis, alius eſt internus, alius eſt externus, qui quidem actus adeo ſunt diſtincti, vt vnus ſeparari poſsit ab alio: nam fieri poteſt, vt quis det elemoſynam ſuo inimico, & tamen actu interno non diligat.

Concl. Certum eſt nos teneri proximum diligere actu interno poſitiuo, ſeu formali in generali, idque de neceſſitate ſalutis, quam aſſertionem plurimis rationibus demoſtrant Theologi; pro noſtro autem inſtituto ſufficiat præceptum Chriſti traditum Matt. 22. vt ſupra, & Io. c. 4. *Hoc mandatum habemus à Deo; vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum*; dilectio ſiquidem importat actum amoris poſitiuum internum, & formalem; & non ſolum virtualem in Dei amore contentum. Tenemur pariter diligere proximum actu externo, *Quia probatio dilectionis, teſte S. Ambroſio, exhibitio eſt operis*; idque actu peculiari. At tempore, quo diligendus ſit proximus in particulari, ſeu actu particulari, non apparet determinatum, niſi in caſibus neceſſitatis, vel corporalis, vel ſpiritualis; cenſetur autem proximus eſſe in neceſſitate ſpirituali reſpectu v. g. Franciſci, quando niſi ei ſuccurrat, indubiè ei imminet æterna damnatio, à qua nec poteſt ſe eripere, neque ab alio; qualis neceſſitas foret, caſu quo infans proximi ſine baptiſmo eſſet moriturus, & in ſimilibus; hoc eſt, quoties proximus reperitur in periculo

pro-

proximo, & iminenti patiendi aliquod graue damnum ſpirituale, niſi à Franciſco ſub veniatur. In neceſſitate corporali, quoties reperitur proximus in periculo proximo, & iminenti incidendi in aliquod notabile damnum corporis, niſi à Franciſco ſubueniatur; cum nequeat, vel non credatur poſſe ſine eius auxilio liberari hic, & nunc iuxtà iudicium viri prudentis. Hinc ſapientiſſimè docet Scot. loc. cit. in 3. d. 30. q. 1 *Quod quilibet tenetur Deum orare pro ſe, & pro tota Eccleſia, & tenetur velle iſtam orationem valere hominibus bonis, & malis*; quia ſicut eſſet malus ſtomachus, qui nollet ſuſtentationem valere ſuſtentationi manus, ita non eſſet bonus in Eccleſia, qui nolet bonum actum ſuum, ſi quem habet valere omni membro Eccleſiæ, pro quibus illum Deus acceptat, & pro quanto poteſt valere ſibi, & alijs, quamuis non teneatur orans exprimere in oratione generali, nec generaliter, nec ſpecialiter ſuos inimicos. Confirm. ſuperior doctrina ex Innoc. XI. damnante ſequentes propoſitiones, qua um prima eſt. *Non tenemur proximum diligere actu interno, & formali*; eſtque decima in ordine: Secunda. *Præcepto proximum diligendi ſatisfacere poſſumus per ſolos actus externos*; & eſt vndecima inter damnatas.

Arg. cont. conc. probando, quod inimicus non ſit diligendus ex charitate. Lucæ cap. 10 *Phariſeo interroganti, quis eſt meus proximus? Reſpondit Chriſtus: qui fecit miſericordiam cum illo*: ergo videtur determinaſſe, quod ſolus ille habendus eſt proximus, qui talia facit, ſed inimicus non facit talia, ergo &c. Reſp. quod ex verbis Chriſti apertè colligitur oppoſitum eius, quod dicitur in argumento; vndè ſubdit Saluator. *Vade, & tu fac ſimiliter, ideſt, vt explicat Scotus, habe pro proximo omnem, cui potes benè facere, etiamſi ſit tibi extraneus*; nam ille, cui facta fuit miſericordia, non erat gentis ſuæ: non igitur benè faciens eſt tantum proximus; ſed etiam omnis bene pati à nobis, & hoc ſiue paſſione exteriori, ſiuè bona dilectione paſſiua, quæ eſt motus interior: & hoc modo Beati, quibus non poſſumus bene facere, poſſunt benè diligi, & eſſe proximi. Deus autem licet benè diligatur, non tamen ex dilectione alicuius poteſt addi ſibi aliquod bonum, & ideo non comprehenditur ſub proximo.

Arg. 2. In contrarijs tenet conſequentia in ſe ipſis ex 2. Top. ergò ſi amicus eſt diligendus, inimicus eſt odiendus;

nam iſta ſunt contraria de contrarijs, ideſt de amicis, & inimicis ſunt amor, & odium: vnde Matt. cap. 5. dicitur. *Audiſtis, quia dictum eſt antiquis, odio habebis inimicum tuum &c.*

Reſp. Scoto. & primò ad illud Matt. Dictum eſt antiquis: Signanter loquitur Saluator, dictum eſt, & non ſcriptum eſt; quia etſi ſcriptum erat, diliges amicum tuum: non tamen erat ſcriptum odies inimicum: ſed Iudæi peruertentes ſcripturam arguunt hoc per locum à contrario ſenſu, & ità ſeruabant. Quod autem malè intellexerint, probat Saluator dicens: *Si enim tantum diligitis illos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* Per hoc patet ad illud 2. Top. quia illa regula non intelligitur niſi de contrarijs præciſis: hoc eſt, vbi non ambo contraria ex vna parte ſubſunt vni extremo alterius contrarietatis: ſi enim color haberet contrarium, puta A. non ſequitur, album eſt coloratum, igitur nigrum eſt A. ſic eſt in propoſito, quia ratio diligendi vtrobique eſt; vndè argumentum à contrario ſenſu non valet, ſed tunc valet, quando ratio communis eſt oppoſita in vtroque ſenſu oppoſito.

Quæres 1. Quo tempore obligat præceptum affirmatiuum de diligendo Deum ſuper omnia, & etiam negatiuum; ideſt non odiendi Deum.

Reſp. Præceptum negatiuum cum obliget ſemper, & pro ſemper, tenemur nunquàm odire Deum: at præceptum affirmatiuum cum obliget ſemper, ſed non pro ſemper, variant Doctores circà temporis determinationem, quo diligere Deum teneamur. Et quidem Scot. putat dubitatiuè tamen, non aſſertiuè die dominico determinatum fuiſſe. Sic enim habet in 3. d. 27. q. vn. §. quantum ad 2. Dico fortè determinauit hoc præceptum diuinum, ſanctifica Sabbatum, & maneat vnuſquiſq; apud ſe, ideſt, recolligendo ſe, & aſcendendo ad Deum ſuum. Et Eccleſia ſpecificauit, quantum ad Miſſam audiendam in die dominico de conſecr. diſt. 2. cap. Miſſas: non eſt autem ſimile de præcepto diligendi proximum. Quam ſententiam ſequuntur paſſim Scotiſtæ, & quamplures alij extrà noſtram ſcholam. Verùm, vt in re tanti ponderis innoteſcat præceptum charitatis, obſeruandum ex doctrina communi, quod duplici pacto præceptum dilectionis Dei obligat, nempe per ſe, ſeù directè, & indirectè, ſeu per accidens. Tunc dicitur obligare per ſe, quandò

dò neceſſitas eliciendi actus dilectionis oritur directè, & immediatè ex natura, & vi pręcepti charitatis, & non aliundè v. g. Primò quando homo peruentus ad annos diſcretionis ſufficienter cognoſcit, Deum ſummè, & infinite bonum eſſe, à quo habet omnia bona, & cui cuncta debet; idque non obligat, vt quidam volunt, ſtatim atquè ad vſum rationis peruęnit, quia ſic moralia non moraliter, ſed mathematicè menſurarentur, ſed obligat quamprimum, vel ſaltem vt non notabiliter differamus: 2. obligat quando adeſt tentatio, & periculum labendi in Dei odium: 3. in articulo mortis, etiamſi habeat copiam Confeſſarij ad faciendam ſuorum peccatorum confeſſionem: 4. aliquoties per vitam, & quidem toties, vt omiſſio dilectionis non poſſit cenſeri interpretatiuus contemptus Dei ſummè diligibilis. Hinc patet, quàm meritò à Sum. Pontificibus ſint damnatæ ſequentes propoſitiones. Prima eſt. *Homo nullo unquam vitæ ſuo tempore tenetur elicere actum fidei, ſpei, & charitatis ex vi præceptorum diuinorum ad eas virtutes pertinentium*: Eſt I. inter damnatas ab Alex. VII. Secunda. *An peccet mortaliter, qui actum dilectionis Dei ſemel tantum in vita eliceret, condemnare non auderem*. Eſt V. inter damnatas ab Innoc. XI. Tertia. *Probabile eſt, ne ſingulis quidem rigoroſè quinquennijs per ſe obligare præceptum charitatis erga Deum*. Eſt VI. inter damnatas ab Innoc. XI. Quarta. *Tunc ſolum obligat, quando tenemur iuſtificari, & non habemus aliam viam, qua iuſtificari poſſumus*. Eſt VII. inter damnatas ab eodem Innoc. XI.

Quæres 1. An læſus in vita, filijs, parentibus teneatur pacem facere externam, quando inimicus humiliter veniam petit. Reſp. Beia 1. part. caſ. 10. cum multis alijs in tali caſu læſum teneri pacem facere iuxta morem Patriæ. Ratio. Quia præceptum charitatis obligat in neceſſitate extrema ad ſubueniendum proximo; at, vbi inimicus petit humiliter veniam, tunc cenſetur extremæ neceſſitatis articulus; ergo tunc quis tenetur non ſolùm rancorem animi dimittere, ſed etiam amoris ſigna ſpecialia oſtendere, eiq; omnium iniuriarum actionem condonare, ac proinde pacem facere. Verùm dicendum cum Alenſi p. 3. ſum. quæſt. 60. memb. 5. art. 3. qui reſpondendo ad obiectiones ſic loquitur. *Tenemur ergo rancorem dimittere ex appetitu vindictæ, ſed non tenemur dimittere punitionem ex zelo iuſtitiæ*; & Ricardus hanc

quæ-

quæſtionem in terminis proponens, ita breuiter reſpondet. Inimico petenti veniam, etſi homo teneatur remittere ſignum rancoris, quia, & rancorem tenetur remittere, etiam non petenti; non tamen tenetur remittere ſatisfactionem ſeù emendam pro iniuria, ſed pro illa ſibi competit de iure actio in iudicio contra iniuriantem, niſi fortè ſit homo talis ſtatus, ſeu ligatus tali obligatione, ratione cuius ſibi non conuenit in iudicio experiri: in qua ſententia videntur eſſe etiam D. Bon. D. Thom. & Caſtrop. quia excommuni doctrina in tract. de charitate diſp. 1. punct. 6. ait. Quarè ſæpè eſt côueniens Reipublicæ, ne offenſus ab accuſatione deſiſtat; eo quia, illo deſiſtente, ſolent criminoſi facilè veniam impetrare, & audaciores fieri ad ſimilia committenda, vt experientia ipſa comprobatur; ſiquidem nimia indulgentia multiplicat delinquentes. Quapropter, vt ipſi, & alij arceantur & Reipublicæ ſcandalo fiat ſatis, expedit offenſum proſequi actione iniuriarum; ſecluſo tamen rancore, & vindictæ appetitu, & ſolo iuſtitiæ zelo retento.

Confirm. hæc doctrina ex Scoto in Report. 3. d. 30. q vn. vbi poſtquàm docuerat, non licere velle mortem inimico, aut peccatori abſolutè (quia hoc eſſet velle eum damnari) ſed conditionatè, ſi Deus non decreuit eum ſaluare, vel ſi ſit multiplicaturus peccata, ſubdit. Videntur tamen alij duo caſus, in quibus poſſemus velle mortem inimici, non peccando. Nam iudex puniendo ſecundùm iuſtitiam, non peccat mortaliter, nec per conſequens executor iuſtè exequendo: quia actor licitè poteſt velle, quod iudex iuſtè iudicauit: igitur licitum eſt vtrique velle mortem inimici. Vndè videtur, quòd poſſum ſibi velle talia mala, quia dignus eſt talibus. Item ſi ſit inimicus publicus Eccleſiæ, vel perſecutor, videtur quòd poſſum rectè velle mortem eius, quia ſemper bonum commune præponendum eſt bono particulari. Adde, quod ob bonum ſpirituale poſſumus deſiderare proximo, ac proindè etiam inimico malum corporale ad eius animæ ſalutem, puta infirmitatem corporis, amiſſionem diuitiarum &c.

Quæres 2. Quæ ſigna, ſeu beneficia oſtendere, & exhibere tenemur inimico.

Reſp. ex communi non poſſumus inimico ſubtrahere ſigna, & beneficia communia, in quibus habet cum alijs eandem

 dem

dem cauſam, & rationem, v. g. Si ſalutas plures homines in coronide, propè quos tranſis, debes etiam ſalutare inimicum. Fundis præces pro omnibus huius vrbis, aut loci, non potes pro inimico non orare. Non tamen teneris exhibere ſigna, & beneficia, quæ ſolent exhiberi amicis, vt familiares collocutiones, conuerſationes, munuſcula mittere: ac proindè ſemoto ſcandalo non teneris eum alloqui, nec particulariter ſalutare; eſtò tenearis reſalutare illum, quia aliàs oſtenderes contra ipſum odium, & rancorem.

Quæres 3. An ſit magis meritorium diligere Inimicum, quàm amicum. Reſp. ex D. Bonau. quod hi duo amores ſumi poſſunt dupliciter. Primò prout ſunt à diuerſis habitibus, quorum alter habilem reddat ſolum ad amicos diligendos; alter verò extendatur etiam ad inimicos, & ſic perfectior eſt habitus hic ſecundus, vt ait D. Aug. in Enchir. cap. 73. Si verò comparemus iſtos actus, prout ab eadem charitate procedunt, ſic quodamodò ſunt æquales quoad meritum ſubſtantiale; quoad vigorem verò actuum, & præmium accidentale motus dilectionis erga amicos excedit alium quoad feruorem, & frequentationem; quoad difficultatem verò motus dilectionis in inimicos eſt purior, & difficilior. Simpliciter tamen, & abſolute motus dilectionis in amicos videtur eſſe melior ratione obiecti, quod eſt melius, & magis coniunctum ſibi, & Deo, ſicut ex oppoſito maius eſt peccatum odiſſe amicum, vt docet etiam D. Thom. & communiter Theologi; etſi quoad difficultatem actus dilectionis inimici appareat eſſe maioris meriti.

Quæres 4. An in charitate ſit ordo diligendorum.

Reſp. ex communi doctrina, & ſignanter D. Bonau. affirmatiuè: vnde in Cantica cap. 2. dicitur *Ordinauit in me charitatem*; & ſuffragatur ratio. Etenim prius, & poſterius eſt ſecundùm relationem ad aliquod principium ex Ariſt. 5. Metaph. Ordo autem includit in ſe aliquem modum prioris, & poſterioris; vndè oportet, vt, vbi eſt aliquod principium, & aliquis finis, ſit etiam aliquis ordo; charitas autem tendit ad rectificandam voluntatem in Deum, vt in principium, finemque ſupremum, in cuius communicatione amicitia charitatis fundatur, & ideò oportet in his, quæ charitate diliguntur, attendi aliquem ordinem ſecundùm relationem ad principium, quod eſt Deus, qui eſt etiam

ſum-

ſummum bonum, quod eſt Beatitudo, ſeu finis noſter.

Itaque talis ordo ex charitate ſeruari debet poſt Deum ſummè dilectum, debemus amare animam noſtram, & bona ſpiritualia propria; deindè animam proximi: 3. corpus proprium, & bona corporalia propria: 4 corpus, ac bona corporalia proximi. Denique ſe ipſum, & deindè proximum quoad bona externa; nam Chriſtus præcipit nobis, vt amemus proximum, ſicut nos ipſos: *Vndè dilectio ſui, inquit Scot. eſt menſura reſpectu dilectionis proximi, menſura autem eſt prior, & perfectior menſurato, ac proinde ſe ipſum quiſque poſt Deum iuxta ordinem charitatis aſſignatum tenetur diligere.*

Hinc rectè infertur, vnumquemque teneri ſubuenire proximo in extrema neceſſitate ſpirituali, ſi adſit ſpes certa, illum liberandi à dicta neceſſitate, etiam cum periculo vitæ propriæ; dumodò tamen ſimile malum ſpirituale ſibi non immineat. Sic v.g. obligatur quis cum periculo vitę baptizare, vel ſacramentaliter à peccatis abſoluere eum, qui certò eſt ſtatim moriturus. Addo tamen iuxta Palaum tract. 6. diſp. 1. punc. 9. debere adeſſe probabilem ſpem, imò & moraliter certam, ſi non ſit ex officio Curator animarum, iuuandi efficaciter: quarè qui in caſu poſito vocatur ad baptizandum infantem, non tenetur ſe periculo mortis exponere, ſi dubitet, an ſit reperturus illum adhuc viuum; ità etiam ſentit Gobat.

Cæterùm obſeruandum eſt prædictum ordinem charitatis quoad bona corporalia, & externa non ita neceſſariò eſſe ſeruandum, quin ſæpiùs ſit licitum ea poſtponere bonis corporalibus alterius, vt ſi v. g. vel tu, vel proximus veldè vtilis, & neceſſarius Reipublicæ deberetis mori neceſſariò, tunc poſſes, imò quandoque teneretis vitam proximi tuæ præferre, nam quiſque obligatur bonum commune priuato anteponere. Inſuper licitum eſt id facere cum amico propter Deum dilecto, vt plures Doctores tradunt, qui exemplificant de amico extrema fame laborante, quo caſu, ſi vnicum tantum panem quis haberet, & pro vtroque non ſufficeret, poſſet totum panem dare amico, & ipſe fame perire; quod tamen nunquam locum habet in cauſa ſalutis ſpiritualis. Vnde nota pro maiori intelligentia ſupradictorum, quod extrema neceſſitas ſpiritualis tunc eſt, quando certò putatur quis moriturus in ſtatu peccati mortalis. Quod ſi

verò proximus ſolùm ſit conſtitutus in graui neceſſitate ſpirituali, tunc tantum obligatur illi ſuccurrere, qui ex officio curam gerit de taliter periclitante; qualis v. g. eſt Parochus, qui ideo non poteſt Parochianos ſuos deſerere tempore peſtis; licet certò ſciat fore peſtilentia inficiendum, niſi de alio idoneo prouideat. Nihilominus tenetur quis, etſi non ſit parochus, grauiter periclitanti ſpiritualiter ſuccurrere, quando poteſt cum paruo honoris, ſeu rei familiaris detrimento; ſecùs verò cum non poteſt ſine maximo detrimento ei ſuccurrere.

Sed petes quid faciet Sacerdos vocatus ſimul ad baptizandum infantem, & abſoluendum adultum, quorum alterutet certò morietur ſine Sacramento, ſi alteri poſtponatur. Reſp. quod in tali caſu Parochus debet curare, vt infans per laicum baptizetur, & pergere ad abſoluendum adultum. Quod ſi nemo adſit, qui poſſit baptizare, debet infantem præferre adulto, quia, vbi difficultas occurrit, ſemper eſt agendum illud quod minus habet de periculo, minus autem periculum eſt relinquere adultum, qui actu contritionis poteſt ſe liberare à peccatis, quàm infantem, qui nullo modo ſibi prouidere poteſt. Ita Gobat in Alphabeto baptizantium caſu 5.

Quæres 5. An teneamur magis diligere parentes, quàm filios, magis matrem, quam Patrem, magis coniugem, quàm Parentes. Reſp. Parentes magis diligendos, quàm proprios filios, ita communiter Doctores, ſignanter D. Bonau. cuius ratio eſt, quia poſt cultum Dei, præcipitur honor parentum, ergo quoad honorem debitum, & obligationem ſubueniendi parentes ſunt præferendi. Similiter magis Patrem, quàm matrem diligere tenemur, cum Pater ſit principium principalius; per accidens autem plus matri debetur, quæ magis amat, & plura patitur pro filio educando. Pariter in extrema neceſſitate præferendi ſunt parentes, & filij vxori, quia maius eſt debitum in eos, & maior coniunctio quoad eſſe abſolutè: verùm in his, quæ ſpectant ad æconomicam rationem, & extra neceſſitatem extremam magis diligenda eſt vxor, etſi nonnulli dicant etiam in graui, quæ non ſit extrema, magis ſubueniendum eſt parentibus, & filijs. Denique ſecundùm ordinem, qui competit charitati abſolutè videlicet pœnes magis, & minus bo-

num

num extraneus melior plus eſt diligendus domeſtico minus bono, aut malo; ſecundùm verò ordinem, qui competit charitati ratione naturæ ſubſtratæ domeſtici præferendi ſunt extraneis: ita Nicol. de Niſſe cum D. Thoma.

QVÆSTIO IV.

Vtrum virtutes theologicæ remaneant in Patria.

NOt. 1. Quòd quæſtio non procedit de potentia abſoluta Dei, nulla enim eſt repugnantia, ſeu incompoſſibilitas habituum virtutum theologicarum cum actibus viſionis beatificæ, & tentionis in obiectum beatificum, cum D. Paul. ex Scot. in hac quæſtione raptus habuerit viſionem beatificam, eſtò tranſeuntem, & haberet ſimul habitum fidei, & ſpei: procedit igitur quæſtio de potentia ordinaria.

Not. 2. ex Scot. quod aliqua ſunt credita, quorum viſio nullo modo eſt de ſubſtantia beatitudinis, nec aliquo modo ad eam pertinent, ſicut ſunt hiſtoriæ de rebus geſtis, & ipſorum fides poteſt manere in beatitudine, quia in nullo derogat ſtatui illorum, ſed nunquam aliter cognoſcuntur. Aliqua verò ſunt credita, vt de rebus geſtis, quarum cognitio aperta pertinet ad ſtatum beatitudinis, ſicut illa, quæ reſpiciunt Deum in ſe, & per illam ſimpliciter euacuabitur fides, quia derogat ſtatui illi. Alia verò ſunt geſta, & credita nunc, quorum cognitio aliquo modo reſpicit beatitudinem, ſicut Incarnatio, & Chriſti paſſio &c. quæ tunc videbuntur in Verbo.

Concl. Omnis illa virtus euacuabitur, cuius inclinatio ad actum eſt incompoſſibilis beatitudini pro ſtatu illo in Patria, ſic eſt de fide, & ſpe, remanet autem charitas. Eſt Scoti in 3. d. 31. q. vn. Prob. 1. Corint. 13. *Fides, ſpes euacuabuntur, charitas nunquam excidit*. Prob. Scot. ſic. Fides eſt habitus inclinans ad aſſentiendum vero complexo, cuius euidentia non apparet; ideò vt habetur ſecundùm Apoſt. ad Hæbr. 11. *Eſt argumentum non apparentium* &c. Et eſt propriè de vero complexo, vt de obiecto, quod reſpicit intellectus ſecundùm portionem ſuperiorem, ſcilicet de Deo: inclinat autem ad aſſentiendum vero complexo de Deo non propter euidentiam, ſed propter efficaciam cauſantis;

ſed ibi non inclinabit ad aſſentiendum alicui de Deo non euidenti, quia de ratione beatitudinis eſt omnia ibi eſſe ſub euidentia, ideo &c. Similiter ſpes, cum ſit deſiderium abſentis, non eſt ibi. Vndè Rom. 8. *Spes non poteſt eſſe in Patria, ſpes, quæ videtur, non eſt ſpes; nam quod quis videt, quid ſperat? Si autem quod non videtur, ſperamus, per patientiam expectamus.*

Prob. quod remaneat charitas in patria. Suppono, inquit Scotus, quod hæc ſit charitatis ratio, ſcilicet quod eſt amicitia Dei, vt in ſe bonum; iſte habitus non diſtinctè inclinat ad actum perfectum amandi Deum, ſicut amatur, quando eſt in ſe præſens, nec ad actum imperfectum, ſicut amatur, quando eſt imperfectè præſens, ſicut in enigmate: ſed inclinat ad hunc actum, & ad illum, licet indiſtinctè. Et quod talis habitus poſſit haberi, patet ex dictis nunc de ſpe; rationabilius enim eſt hic de habitu tendente in Deum, vt eſt bonum in ſe, quam de habitu tendente in Deum, vt eſt bonum mihi, quia non variatur actus ille, qui tendit in Deum, vt eſt in ſe bonum ex præſentia perfecta, vel imperfecta Dei, ſicut ille, qui tendit in Deum, vt eſt bonum commodum. Prima enim variatio, vel non eſt ſecundum ſpeciem, vel ſi eſt, non tamen eſt ſecundum ſpeciem tam remotam, ſicut ſecunda. Ex quo enim inclinatio manebit in patria ad diligendum Deum in ſe, manebit etiam inclinatio ad actum illum, qui ponitur eſſe charitatis, vt actus eius, & ita habitus ille poterit manere.

Arg. cont. 1. part. concl. Si in Patria non remanerent fides, & ſpes, hoc eſſet, quia fruſtra ponerentur, ſed hoc eſt falſum, quia ſicut in patria erunt aliqui ſenſus ſine ſuis actibus, vt patet de ſenſu guſtus, & de potentia nutritiua, & tamen non erunt fruſtra; ita nec habitus fidei, & ſpei erunt fruſtra ſine ſuis actibus, ergo &c. Reſp. conc. mai. & neg. min. Ad illud de ſenſibus dicitur, quod ſi illi ſenſus eſſent præcisè propter actus, qui eſſent ad inuicem incompoſſibiles, illi ſenſus eſſent ſimpliciter fruſtra; ſed quia non ponuntur præcisè propter actus, ſed ob perfectionem naturæ in ſe, ideò non ponuntur fruſtra: at habitus fidei, & ſpei ponuntur in potentijs propter actus tales; ideoque fruſtra ponerentur in patria.

Contra. Fides infuſa ponitur in intellectu, vt ipſum perficiat in actu primo ex Scot. in 3. d. 23. & pariter ſpes in

vo-

voluntate, ergo non ponuntur præciſè propter actus ſecundos. Reſp. conc. ant & neg. conſ. quia quod ponitur in potentia ad eam perficiendam in actu primo, ponitur præciſè ob actum ſecundum.

Arg. prob. quod remaneat ſpes. Eodem habitu concupiſcitur aliquid, & quietatur in illo ex D. Aug. dicente lib. 9. de Trin. *appetitus inhiantis fit amor fruentis*; ſed ſpes eſt habitus tendens in terminum, ergò etiam eſt habitus quieſcendi in termino, ac proinde ſpes non euacuatur. Reſp. Scot. quod poſſet eſſe per ſe vnus habitus reſpiciens Deum in quantum conueniens naturæ rationali, & ſic indiſtinctè inclinaret in ipſum non determinatè, in quantum Deus eſt clarè viſus, vel non, & ſic iſte habitus non variaret; ſiuè potentia tenderet in obiectum deſiderando, vel tenendo: talis tamen habitus non ponitur ſpes. ſed ponitur præciſè inclinans ad actum imperfectum, qui eſt deſiderium.

Quæres 1. Quomodò charitas ſit forma virtutum.

Reſp. Charitas eſt forma virtutum, non quod intrinſecè illas informet, cum vnaquæque virtus habeat ſuum eſſe formale, ſed tantum extrinſece imperando actus aliarum virtutum cum debita ordinatione ad finem ſupernaturalem, ad quem vita ſtudioſa eſt ordinana, & tribuendo eis quamdam moralem dignitatem, & eſſe meritorium: vndè D. Aug. ait lib. de cognit. veræ vitæ cap. 28. *Fides dilectione animatur, ſicut corpus anima viuificatur; nam ſpes, & fides ſine charitate dicuntur mortua iuxtà illud Ioann. 3. qui non diligit, manet in morte*, & Iacob. 2. *Sicut corpus ſine anima mortuum eſt, ita fides ſine operibus mortua eſt*; ità ex D. Bonau.

Quæres 2. Qui nam ſunt effectus charitatis interni; & etiam externi. Reſp. quod præcipui actus interni ſunt tres, nempe gaudium, pax, & miſericordia. Gaudium non ſumitur hic pro paſſione appetitus ſenſitiui, ſed pro diffuſione animi in aliquo bono, quod non eſt verum, niſi de Deo, quod quidem gaudium in hac vita non poteſt eſſe completum, quia non eſt perfecta quies, inquit D. Bonau. ſed ſolum in patria eſt perfectum; adeo vt nec creſcere poſſit, ſicut nec creſcit charitas. Pax deſcribitur à D. Bonau. in Opuſc. de ſeptem donis cap. 4. *Pax eſt ſerenitas mentis, tranquillitas animi, ſimplicitas cordis, vinculum amoris, conſortium charitatis*; hinc conſtat, quod impijs non eſt pax. Miſeri-

cordia ex D. Aug. lib. 9. de Ciuit. cap. 5. *Eſt aliena miſeriæ in noſtro corde compaſſio, quæ vtiquè ſi poſſumus ſubuenire, compellimur.* Effectus autem externi reducuntur ad vnum principalem, à quo profluunt alij, & eſt beneficentia, quæ eſt quædam executio actus interni, & eliciti charitatis erga alterum; vnde Ioan. ait cap. 3. non diligamus lingua, ſed opere, & veritate, quibus verbis indicatur ipſum benefacere, eſſe diligere efficaciter, ac proindè eſſe actum charitatis. Hinc D. Bonau. docet, ita eſſe omnibus benefaciendum pro loco, & tempore, ſicut omnes diligendi; iuxtà illud Apoſt. ad Galat. 6. *Operemur bonum ad omnes maximè autem ad domeſticos fidei.* Huiuſmodi beneficentia extenditur, & ad ſubleuandum proximum à miſerijs corporalibus per eleemoſynam, & à ſpiritualibus per fraternam correctionem, aut ſpiritualem eruditionem. Eleemoſynæ corporalis ſeptem ſunt genera indicata in hoc verſu: *Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.* Similiter eleemoſynæ ſpiritualis ſunt ſeptem alia genera in hoc verſu expreſſa. *Doce, conſule, caſtiga, ſolare, remitte, fer, ora.*

DISPVTATIO XI.

De Eleemoſyna, & Correctione.

QVÆSTIO I.

Vtrum extet præceptum de facienda eleemoſyna, & quando obliget.

NOt. 1. Quod *eleemoſyna eſt actus externus miſericordiæ ſubleuans alienam miſeriam; imperatus quidem à charitate, immò & ab ea mediatè elicitus, immediatè autem à miſericordia.* Eleemoſynam cadere ſub præcepto non eſt dubitandum; cum S. Scrip. id apertè tradat, & ſignanter Eccleſiaſtici cap. 4 & Matt 25. *Diſcedite à me maledicti &c. eſuriui enim, & non dediſtis mihi manducare.* Eandem obligationem oſtendit lumen naturale; ſiquidem recta ratio dictat, vt homo homini benefaciat ob affinitatem hominis cum homine ratione naturæ, quæ ſibi vindicat amorem mutuum; & exprimitur in præcepto de dilectione proximi, quæ impleri nequit, niſi ſuccur-

curratur proximo in graui, vel extrema neceſſitate; non enim actu ſolo interno, vel verbo, & lingua, ſed etiam opere oſtendere oportet amorem ergà proximum iuxtà illud Ioan. 3. filioli non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere, & veritate.

Not. 2. Quòd apud omnes Doctores certum eſt, eleemoſynam cadere ſub præcepto in ſola neceſſitate proximi: difficultas autem eſt, qualiter, & in qua neceſſitate vigeat talis obligatio: vnde ad hoc diſcernendum opus eſt diſtinguere in primis triplicem neceſſitatem. Prima dicitur extrema, quando imminet periculũ moraliter certum ſecuturæ mortis ex indigentia, niſi v. g. Franciſcus ei ſubueniat; eſtò non dum phyſicè ſit imminens; in articulo enim mortis impoſſibilis eſt ſublatio, vel paulò ante &c. Secunda eſt grauis, quando nimirum eſt probabilis coniectura de periculo vitæ, aut (quæ neceſſitas quaſi extrema vocari ſolet) euidens periculum alterius notabilis incommodi, morte inferioris,: 3 communis, quam communiter patiuntur pauperes, & præſertim mendici, qui non ſine aliqua difficultate alimenta, & tegumenta, quibus indigent, acquirunt. Inſuper diſtinguenda ſunt bona, ex quibus eleemoſyna ſit facienda. Alia enim ſunt neceſſaria, alia ſuperflua. Priora, alia ſunt neceſſaria vitæ, nempe ad ſuſtentationem noſtram, aut familiæ, quoad alimenta, & tegumenta. Alia ſunt neceſſaria ſtatui, ſine quibus non poſſumus viuere congruenter ſtatui noſtro, conſeruando debitum decorem &c. Superflua verò, alia ſunt ſuperflua naturæ, ſeu vitæ; alia ſuperflua ſtatui conſeruando; quæ non conſiſtunt in indiuiſibili, ſed moraliter diſponenda, & menſuranda ſunt, vt latè oſtendunt Doctores, ad quos mitto lectorem.

I. Concl. Præceptum eleemoſynæ in extrema neceſſitate grauiter, & mortaliter obligat, idque de ſuperfluis naturę, & ſtatui: ita Alenſis p. 4. q. 113. Richar. in 4. d. 15. Maior ibidem, D. Bonau. & D. Thom. quæſt. 118. & omnes theologi. Prob. ratione euidenti. Si hoc præceptum non obligaret in extrema neceſſitate, nunquàm obligaret, cum non detur maior ratio obligandi, ergo dicendum eſt, obligare in extrema neceſſitate. Verùm de abſolutè ſuperfluis tenetur quiſque in neceſſitate etiam graui proximo ſuccurrere; ita Doctores citati, & conſtat ex illo Ioan. 1. cap. 3. *Si quis*

ha-

habuerit ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodò charitas Dei manet in illo? & idem docent aperte Sancti Patres. Quare recipienda non eſt opinio quorundam dicentium, nullam eſſe obligationem dandi eleemoſynam extrà extremam neceſſitatem.

II. Concl. De abſolutè ſuperfluis, hoc eſt de ſuperfluis ad decentiam ſtatus, tenetur quis ſuccurrere pauperibus communiter indigentibus, non quidem vt ſingulis ſubuenire teneatur, ſed iuxta diuitiarum abundantiam aliquas eleemoſynas faciat; ita Doctores allegati in 1. conc.

Prob. ex Tobia cap. 4. vbi habetur. *Ex ſubſtantia tua fac eleemoſynas, quomodo potueris, ita eſto miſericors: ſi multum tibi fuerit, abundanter tribue &c.* Pulchram, & efficacem rationem meo videri dat Herincx, quia neceſſitates communes pauperum faciunt vnam grauem Reipublicæ, quam quilibet pro ſua parte tenetur ſubleuare. Tum quia ſi neceſſitatibus communibus non ſuccurreretur, fierent vt plurimum graues, imò extremæ; quod eſt valde conſiderandum. Nec quis ſe excuſet, ſubdit Herincx, non habere ſuperflua ſtatui, vt cum decore conſeruetur; aiunt enim diuites, attendi debet, non ſolum ratio præſentis temporis, ſed etiam futuri, ſeu iminentis, v. g. ſubſtentatio, dotatio filiarum, prouidentia in futurum, pro morbo, pro ſenectute &c. imò etiam iuxta plures Doctores ſpectari poteſt ſtatus altior, ad quem ordinari quis aſpirat, quia ſic ponit excuſationem in peccatis; cauendum ſiquidem eſt, ne huiuſmodi auaritia, vel ambitio deprauet iudicium: vnde non eſt procedendum iuxta abuſum luxuriantium in diuitijs. & vanitatibus huius corruptiſſimi ſæculi, vbi quidquid libet, licet, & præ abundantia pecuniarum quiſque excellere cupit; ſed iuxta morem eorum, qui in eodem ſtatu honorabiles in ratione domeſtica, & œconomica proborum iudicio habentur, ideſt qui nec excedunt, nec deficiunt in ijs, quæ eiuſdem ſortis homines iudicio proborum facere ſolent. Aliàs ſanè vix vllus reperiretur, qui haberet conſeruationi ſtatus ſuperflua, cuius ſplendorem, & pompam plerique indiſcretè vltrà qualitatem dignitatis ſuæ adaugent, imò vltrà facultatem virium ſuarum, hactenus Herincx. Vndè meritò Sum. Pontifex Innoc. XI. damnauit hanc propoſi-

poſitionem. *Vix in ſæcularibus inuenies etiam in regibus ſuperfluum ſtatui, & ità vix aliquis tenetur ad eleemoſynam, quando tenetur tantùm ex ſuperfluis.*

III. Concl. Succurſus, ad quem quis obligatur, dum proximus eſt in extremæ neceſſitate, vel graui, debet fieri per abſolutam donationem, ità Rodriquez tom. 1. cap. 199. Medina, & alij. Ratio eſt, quia cum proximus, in extrema neceſſitate poſitus habeat Ius accipiendi ea, quibus extreme indiget, ſi petendo non poſſit obtinere abſque onere reſtitutionis, manifeſtum eſt talem ſuccurſum debere fieri ſine onere, tùm quia eleemoſyna, cum ſit actus miſericordiæ, fieri debet gratuitò; etſi nonnulli oppoſitum aſſerant; quod verificari poteſt tantùm de pauperibus non ſimpliciter, ſed ſecundum, quid; hi namque cum alibi habeant bona; vel artem, quod poſſint victum quærere, & ſpem proximam, & probabilem alicuius remedij, vt inter alios notat Rodriquez, non ſunt abſolutè pauperes.

Quæres. An quæcunque perſona teneatur ſub pœna peccati mortalis, etiam aliquo detrimento ſuæ perſonæ honoris, & bonorum ſuccurrere alteri inhoneſtè, & prauè viuenti; ſi videat hoc modo, & non aliter illam vitam relicturam, & ipſa mulier v. g. hoc deſiderat, videns ſe tan oppreſſam, vt non putet eſſe aliam viam ad ſalutem ſuæ animæ, quàm deſiderat.

Reſp. Corduba, Rodriquez affirmatiuè quia videt id facere poſſe ſine multo detrimento ſuæ perſonæ, honoris &c. Si tamen non eſt certus hoc poſſe fieri, licet habeat aliquam ſpem remedij illius, ſi detineret illam domi ſuæ, non ideò peccat, ſi non detineat, niſi venialiter; ita idem Corduba contra alios tenentes peccare mortaliter, & contra alios aſſerentes nec venialiter peccare.

Quæres 2. An extremè indigenti debeatur eleemoſyna ex iuſtitia.

Reſp. Duplex eſt ſententia, alia affirmatiua, alia negatiua, & vtraque habet plures, & graues Doctores: crederem tamen; quod licet non teneatur quis dare eleemoſynam extremè indigenti ex iuſtitia commutatiua; teneatur tamen ex iuſtitia legali; alioquin ſi obligaretur ex iuſtitia commutatiua, eſſet conſequenter obligatus reſtituere totum id, quod tali pauperi extremè indigenti dare debuerat;

rat; tum quia diues pro illo tunc non amittit dominium bonorum, quibus indiget pauper.

Quæres 3. Quæ perſonæ facere poſſint eleemoſynas, & de quibus bonis. Reſp. Solum illi eleemoſynam dare poſſunt, qui bonorum habent abſolutum dominium cum libera adminiſtratione: Hinc rectè infertur, quod filij familias non poſſunt facere eleemoſynam abſolutè, & independenter à parente niſi de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus, vt dictum eſt in quæſt. de dominio art.4. Similiter vxores habentes bona paraphernalia abſolutè facere poſſunt eleemoſynas; & etiam de bonis communibus, vt latè oſtenditur in diſp. 3. q. 3. de donatione. At famulæ, & ancillæ dando eleemoſynas de bonis dominorum; niſi adſit expreſſus, vel tacitus eorum conſenſus, qui cenſetur adeſſe, ſi detur aliquid in parua quantitate, & non frequenter, aut non datur niſi quod aliàs periret, peccant venialiter, vel mortaliter iuxta quantitatem materiæ. Tutores autem, & Curatores, cum eis incumbat bonorum adminiſtratio, domus conſeruatio, & rem vtilem agere poſſint, & debeant tenentur facere ordinarias eleemoſynas iuxtà pauperum indigentiam, & bonorum abundantiam.

Reſp. 2. eleemoſyna non poteſt fieri de bonis, quæ habent annexam obligationem reſtitutionis, maximè de bonis iniuſtè acquiſitis. Quarè vſurarius non habens alia bona, de quibus poſſit facere eleemoſynam, niſi illa quæ ſunt neceſſaria ad reſtituendum lucrum iniuſtum, non poteſt eleemoſynam dare de illis bonis, ità communiter Doctores, teſte Rodriquez loc. cit.

Quæres 4. An qui petunt eleemoſynam cum titulo paupertatis fictæ, teneantur illam reſtituere.

Reſp. cum Rodriquez quod qui non ſunt veri pauperes, ſed fingunt ſe eſſe pauperes, furtum committunt, eleemoſynam petentes; ac proindè tenentur ad reſtitutionem eius, quod acceperunt, ſi paupertas ſic ficta fuit cauſa finalis obtinendi dictas eleemoſynas; quod ſi paupertas fuit ſolum cauſa impulſiua, & non finalis, non tenetur reſtituere. Verùm pauper, qui poteſt operari, & ſic victum ſibi acquirere petens eleemoſynam, ſeu mendicans, peccat tantum venialiter, vt tenet idem Rodriquez cum Caiet. Nec obſtat lex, ſi quæ adſit imponens pœnam ijs, qui men-

di-

dicantur, & poſſunt operari, nam dicta lex, cum ſit pœnalis, non obligat in foro conſcientiæ, quia ſi obligaret, hoc eſſet, vt moralis, & non vt pœnalis; mendicari enim ob otium, aut cupiditatem, ſolum eſt peccatum veniale, vt etiam notat Nauar. in cap. fraternitas 1. q. 2. Quare monent Doctores negari poſſe eleemoſynam ijs communibus pauperibus, qui ex amore otij fugiunt laborem, cum poſſint facilè ſibi neceſſaria acquirere. Nec peccant Magiſtratus, vt inter alios aduertit Franciſcus bonæ ſpei diſp. 5. de charit. qui peregrinos mendicos è ſuis ciuitatibus expellunt, modò id faciant, vel quia non poteſt benè ſatisfieri pauperibus domeſticis, illis etiam admiſſis, vel quia ſolent ſuis malis moribus populum perturbare &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum præceptum faciendi correptionem obliget omnes quoad omnes.

NOT. Quòd correptio ſecundùm nominis etymologiam eſt idem, ac cor rapere, quatenus per correptionem, vt notat Vngarellus in Sum. Ang. verb. Correp. Frat. cor peccatoris de malo ad bonum rapitur. Duplex autem eſt coreptio delinquentis, altera, quæ adhibet remedium peccato in quantum eſt quoddam malũ ipſius peccantis, & hæc eſt propriè correptio Fraterna, quæ ordinatur ad emendationem delinquentis, nam procurare bonum fratris pertinet ad charitatem, per quam volumus, & operamur bonum amico, ac proindè correptio fraterna eſt actus charitatis: altera verò correptio, quæ adhibet remedium peccati delinquentis ſecundum quod eſt malum aliorum, & præcipuè boni communis, talis correptio eſt actus iuſtitiæ, ad quam pertinet ſeruare rectitudinem vnius ad alium. Itaque *Fraterna correptio eſt admonitio fratris de emendatione peccatorum ex fraterna charitate procedens modo, & ordine debito facienda.*

Concl. Datur præceptum naturale, & diuinum faciendi correptionem obligans omnes quoad omnes. Eſt ſententia communis Theologorum. Prob. quoad 1. part. nempè quod ſit naturale. Eccleſ. cap. 17. *Vnicuique mandauit Deus de proximo ſuo*; vndè D. Paul. ad Corint. 1. cap. 12. ait. *Si quid*

pa-

patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra: ergo ſi membra vnius corporis naturaliter ſe mutuò iuuare tenentur, à fortiori tenemur nos iuuare alia membra myſtici corporis Chriſti. Quod autem ſit præceptum poſitiuum datum à Chriſto domino, patet Matt 8. Corripe eum &c. de quo infrà; ideoque Innocent. cap, nouit. de iudic. vocat illud dominicum præceptum: quod quidem præceptum ex ſuo genere eſt mortale, *Prout definitur cap. Conſentientis d.* 38. & *cap. facientis d.* 86, Ratio eſt euidens, quia ſub mortali tenemur ſuccurrere proximo extremè, & grauiter indigenti corporaliter, vt iam oſtenſum eſt; ergo multo magis indigenti ſpiritualiter; quod aliqualiter nouit Ariſt, lib. 9. Eth vbi ait, *Quantò mores præſtant pecunijs, tanto maius auxilium ferendum in moribus, quàm in diuitijs*,

Prob. quoad 2. part. nempè præceptum de corripiendo fratre, ſeu proximo, obligat omnes, qui ad hoc ſunt idonei, & ſperant ſe per hoc poſſe proximum emendare. Siquidem Scrip. cit. loquitur generaliter dicens: *Vnicuique Deus mandauit de proximo ſuo*; vnde etiam peccator per ſe loquendo, concurrentibus debitis circumſtantijs, de quibus infra tenetur fraternè corripere delinquentem. Neque hoc prohibetur Matt. 7. per hæc verba. *Quid autem vides feſtucam in oculo fratris tui &c.* nam ibi ſolum reprehenduntur peccatores, qui ex hypocriſi, & iactantia corripiunt, aut temerariè iudicant fratrem, vt hac ratione ſe iuſtificent: Sequitur enim *Hypocrita, eyce primùm trabem de oculo tuo*, Hinc deducitur Superiores maximè Eccleſiaſticos, & Religionum plus cæteris obligari ad corripiendum ſubditos delinquentes; id enim præſtare debent, nedum ex charitate, ſed etiam ex iuſtitia: vnde tenentur quandoque in vitam ſubditorum inquirere; prudenter tamen ne alijs dent occaſionem turbationis, & inquietitudinis, prout poſtulat charitas religioſa. Prob. vltima pars. Tenemur ex charitate benefacere, & iuuare proximum, ſed proximus includit, ſeu comprehendit non ſolum fideles, ſed etiam infideles; ergo præceptum de correptione obligat per ſe etiam quoad infideles; etſi per accidens non teneatur quis illos corripere, in quo ſenſu puto locutum fuiſſe Layman, qui cenſet probabilius fideles non teneri infideles corripere.

Cæterùm quatuor conditiones requiruntur, vt hoc præce-

ceptum obliget. Prima eſt peccati cognitio, ſaltem moraliter certa, vt indicant verba Chriſti. *Si peccauerit in te frater tuus, hoc eſt, vt explicant Aſteſanus, & Orbellus; in te vel ſcientem, vel læſum, alioquin, fieret magna iniuria fratri, ſi eſſet innocens.* Quod ſi peccatum eſſet grauiſſimum, aut cederet in damnum tertij, & multò magis in damnum commune, accedentibus tantùm probabilibus coniecturis, licitè poſſet corrigi à Priuato: 2. conditio eſt ſpes emendæ, nam vt ait D. Paul. 1. ad Corint. cap. 9. *Debet qui arat in ſpe arare*; ſi enim nulla ſit ſpes emendæ non tenetur, & multo minus ſi noſcatur, quod correptio ſit potiùs nocitura; quia correptio fraterna tendit in bonum fratris, vt in finem; ac proinde eo ceſſante ſaltem quoad ſpem, dimittenda eſt: vnde Sapiens cap. 9. ait; *Noli arguere deriſorem.* Si tamen ſpes ſit tantùm cum probabili dubio, & neceſſitas ſit extrema; vt ſi frater ſit morti vicinus, & niſi conteratur, periclitatur, in tali caſu, licet ſit dubium, an correptio ſit profutura, tenetur quis admonere; nam medicus in periculo vitæ corporalis tenetur adhibere remedia, etſi tantùm probabilia: 3. conditio opportunitas temporis; prudens enim corrector conſiderare debet, quando, & vbi correctio ſit profutura. Imò quando probabiliter exiſtimatur, fratrem non emendandum correctione, aut iterum relapſurum, poſſum permittere, aliquem labi in peccatum, vt poſtea corrigam, & emendatus reſurgat; ita quamplures Doctores: 4. conditio eſt commoditas corrigentis, videlicet, vt corrigens poſſit abſque ſuo damno corrigere, quod vt magis innoteſcat, breuiter dicendum: 1. quod præceptum correctionis obligat ſub mortali, etiam priuatas perſonas cum periculo cuiuſuis damni corporalis, etiam vitæ, quando proximus reperitur in extrema neceſſitate, aut cedit in grauiſſimum damnum communitatis, v. g. Si hæreſis in populo diſſeminetur, aut grauiter periclitetur Religio iuxta illud Ioan. cap. 3. Debemus pro fratribus animas ponere; 2. ſub mortali tenetur quis corripere proximum in graui neceſſitate cum aliquali corporali detrimento; quia iuxta ordinem charitatis bona proximi ſpiritualia noſtris temporalibus præferre tenemur: 3. denique Prælati Spirituales, vt Epiſcopi, Parochi, nec non alij ex officio animarum curam gerentes grauibus ſubditorum neceſſitatibus per correptio-

nem ſubuenire tenentur cum quolibet temporalium bonorum, etiam vitæ periculo, iuxta illud Ioan. 10. *Bonus paſtor animam ſuam ponit pro ouibus ſuis.*

Quæres. An ſubditus teneatur Superiorem, ſeu Prælatum fraternè corrigere.

Reſp. quod tenetur ſecretò tamen, modeſtè, & reuerenter: ita habetur cap. Sicut 2. q. 7. Vbi D. Greg. Sicut laudabile eſt, & diſcretum reuerentiam, & honorem præbere prioribus, ita rectitudinis, & Dei timoris, ſi quæ in eis ſunt quod correctione egeant, nulla diſſimulatione poſt ponere. Nec obſtat illud D. Paul. 1. ad Timot. cap. 5. *Seniorem ne increpaueris, ſed obſecra, vt patrem*; nam Apoſt. ſolum intendit cohibere ſuperciliosam frontem ſubditorum erga maiores increpando: ita Fernandez in exam. Theol. cap. 5. ex communi ſententia.

QVÆSTIO III.

Vtrum omnia peccata, non ſolum mortalia, ſed etiam venialia ſint corrigenda.

NOt. quod licet omnes Doctores vnanimi conſenſu doceant materiam huius præcepti indubiè eſſe peccatum mortale tam commiſſum, & non emendatum, quàm ſub probabili periculo committendum, vel iterandum; nihilominus diſcrepant Doctores de peccatis venialibus, nam noſter Villalobos in Sum. tom. 2. tract. 4. Suarez, Valentia, Lorca, & alij putant, quod fidelis teneatur ſub veniali, ſaltem de omni veniali correctionem facere, quia ſicut fidelis ſibi præcauere debet ſub veniali, ne in veniale incurrat, ita etiam tenetur id præſtare: frater erga fratrem. Oppoſitum tamen tradit communis ſetentia, ideo ſit.

I. Concl. Sola peccata mortalia, vt ſupra indicata tenemur corrigere in proximo. Prob. à noſtro Aſteſano cum Gualtero ex verbis Chriſti Matt. 18. *Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum*, quæ quidem verba ſupponunt fratrem, vel perijſſe, vel certè periturum, niſi charitatiua correctione adiuuetur, ſed nemo perijt, niſi per peccatum mortale, vt etiam exponit Aug. ſerm. 16. de verbis domini; ergo ſola peccata mortalia ſunt per ſe corrigenda.

II. Concl.

II. Concl. Peccata venialia, etſi per ſe non teneamur corrigere, tamen per accidens poteſt eſſe obligatio corrigendi: ità ex noſtris Caſpenſ. Caſtilent. in Polyanthca Seraphica Theol. moral. Maſtrius in theol. morali, & videtur communis. Prob. Peccata venialia, eſtò non ſit materia per ſe correctionis. quia per ipſa non perit proximus, nihilominus per accidens poteſt eſſe materia correctionis, ſicut per accidens poteſt tranſire in peccatum mortale; ergo ſunt materia correctionis peccata venialia; primò quidem, quando proximè diſponunt ad mortale; periculum enim probabile proximum incidendi in mortale, tenemur ſub mortali vitare in nobis. ergo etiam in proximo: 2. quando poſſunt inferre proximo damnum notabile, maximè communitati, & multò magis religioſæ diſciplinæ: quarè peccat mortaliter Prælatus religioſus, qui licentiam venialiter peccandi religioſorum non emendat, aut per conniuentiam non caſtigat notabilem regularium conſtitutionum tranſgreſſionem, etiam ad nullam culpam obligantium. Rationem dat D. Thomas 2. 2. q. 186. art. 1. quia vita religioſa, cum ſit exercitium virtutis iuxta illud; ibunt de virtute in virtutem; hæc profuſa venialiter peccandi audacia, cedit in notabile detrimentum religioſæ diſciplinæ, quia his generalibus defectibus regularis diſciplina pœnitus diſſoluitur, quam ſuperior ex officio integram conſeruare tenetur.

Adde; quod etiam ignorantia poteſt eſſe huius præcepti materia, nam, ſi ſit vincibilis, tenemur fratrem tali ignorantia laborantem corrigere: ſi autem ſit inuincibilis, diſtinguendum eſt; vel enim ex tali correctione aliquis ſperatur fructus, vel non; ſi 1. ignorantem inſtruere tenemur; præſertim ſi eius cura ſit nobis commiſſa; ſi 2. bonæ fidei relinquendus eſt, dummodò tamen inde alterius proximi damnum, vel ſcandalum non ſequatur; ità Maſtrius pluribus citatis.

Contra 2. conc. Arg. Reſpublica non obligatur ad impedienda peccata publica, mæretricum, vſurariorum &c. ergo neque frater fratrem corripere tenetur. Reſp. diſt. ant. Non obligatur Reſpublica ſecundùm ſe, nego, ex alio capite, nempè quia putat reſpublica maiora damna per hoc vitari, conc. ant. ac proinde negatur conſ. abſolutè, quia

In priuata perſona non eſt eadem ratio ac in republica. Verùm quia ex correptione fraterna vix poteſt ſperari fructus in ſimilibus, ideoque quaſi nunquam locum habet talis obligatio. Immò etiam rarò cadit obligatio corripiendi in homine priuato; ſiquidem in omni ferè caſu deeſt aliqua ex conditionibus aſſignatis, quarum vel vnica deficiente, non vrget præceptum correctionis fraternæ ſaltem ſub culpa graui: immò Buſemb. abſolutè dicit, eius omiſſionem in priuatis, vel nullam eſſe, vel leuem culpam; vnde non video quomodo aliqui concionatores communem plebem abſolutè obligent ad correctionem, vel graue ſcrupulum ei ingerant.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ordo correctionis à Chriſto præſcriptus cadat ſub pracepto.

NOt. Quod nonnulli Doctores interpretantes illa verba Chriſti *Si peccauerit in te*; *ly in te contra te*, putarunt, ordinem à Chriſto præſcriptum non cadere ſub præcepto, ſed ſub conſilio; ac proinde eſſe ordinem congruitatis, & non neceſſitatis. Quidam autem alij licet ſupradicta verba (in te) intelligant iuxta ſenſum communem Theologorum; attamen cenſent non obligare huiuſmodi modum ſub præcepto; hac ratione ducti; quia ſi aſſignatus ordo eſſet neceſſitatis, nunquam poſſet variari; nam cum modus, qui in præcepto eſt obliget ad ſui obſeruantiam, conſequenter immutationem non poteſt admittere: & hęc opinio tribuitur D. Bonau. Salmeroni, & quibuſdam alijs, vt refert Maſtrius. Verùm ratio allata nullius eſt valoris; quia vt oſtendit Aſteſanus cum noſtro Gualtero Epiſcopo Pietauienſi; ſicut fraterna correctio nobis data eſt ſub præcepto affirmatiuo, ita etiam iſte ordo; præceptum autem affirmatiuum ligat ſemper, ſed non pro ſemper, ſed tantum quando illud impleri eſt neceſſarium, quod vt infra oſtendetur, non eſt ſemper neceſſarium.

Not. 2. Quòd Chriſtus Matt. 18. Mandauit hunc ordinem ſeruari debere in fraterna correctione. *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & coripe eum* &c. ex quibus verbis colligitur, quod

quod fraterna correctio ex quinque actibus conſtat. Primus eſt admonitio ſecreta, corripe eum inter te, & ipſum ſolum; ſupple de peccato occulto, quia peccata publica, publicè arguenda ſunt iuxta illud Paul 1. ad Tim. cap. 5. *Peccantes coram omnibus argue*: 2. vnius, vel duorum teſtium inductio; adhibe tecum vnum, aut duos teſtes, nimirum ſcientes peccatum, vel etiam inſcij peccati occulti: 3. denunciatio facta Eccleſiæ: *Dic Eccleſiæ*: 4. Eccleſiæ reprehenſio: per Eccleſiam hic intelligitur Prælatus, vel quilibet talius legitimus ſuperior; *Si Eccleſiam non audierit*: 5. compulſio ab Eccleſia per cenſuras, & pœnas, ſit tibi tanquam Ethnicus & Publicanus. In quo progreſſu prior actus ſemper antecedere debet poſteriorem ex præcepto famæ conſeruandæ proximi.

I. Concl. Ordo correctionis præſcriptus à Chriſto eſt ſeruandus de neceſſitate præcepti; ita communiter Theologi ex Doctrina SS. Patrum, nec non Canoniſtarum cum Innocentio cap *Nouit*; *& cap. Si peccauit*. Qui notant hoc præceptum eſſe etiam de iure naturali, quod nobis præſcribit proximum corrigere cum minori detrimento illius famæ, & honoris, quo poſſumus.

Confirmatur. Etenim in correctione fraterna duo præcepta concurrunt; alterum miſericordiæ de ſubleuanda ſpirituali miſeria proximi; alterum iuſtitiæ de ipſius fama non lædenda, ſed iſta duo præcepta ſeruari non poſſunt, non ſeruato ordine à Chriſto præſcripto, ergo talis ordo de neceſſitate præcepti eſt ſeruandus.

II. Concl. Ordo correctionis fraternæ à Chriſto demandatus non eſt ita de neceſſitate præcepti, vt obliget in quocunque caſu: ita communis ſententia Theologorum; & prob. per quamdam reſponſionem cuiuſdam magni Doctoris, quam adducit noſter Aſteſanus lib. 2 tit. 77. *In his, quæ tradit Dominus ſeruanda: aliquando eſt præcisè forma ſeruanda: vt in Sacramentis, & in talibus non licet recedere à præſcriptis verborum formis, quia in ipſis virtus Sacramenti conſiſtit. Aliquando verò finis intentus magis debet attendi, quàm forma verborum, vt cum Deus dixit curato à lepra Matt. 8. Vide nemini dixeris; & tamen ille diffamauit eum, quia magis attendit propter quid dixerit, quàm quid; Similiter hic magis debet attendi finis correptionis, ſcilicet emendatio peccantis, quam ordo verborum: ſi quando ergo videatur*

frater peccans ſalubrius corripi per alium, qui poteſt, & vult prodeſſe, per ſe ſecurè poteſt ei indicare, ergo in aliquo caſu non eſt neceſſe ſeruare talem ordinem; vnde Nicolaus de Orbellis in 4. d. 19. q. 1. de correptione ſic concludit. *In peccatis igitur ſecretis in quibus correctio fraterna habet locum eſt iſte proceſſus, vt homo corrigat fratrem ſuum inter ſe, & ipſum ſolum, vt ſic poſſit ipſum ſaluare omnimoda integritate ſua famæ; læſa enim fama efficitur homo inuerecundus, & per conſequens minus à peccato retrahitur, quàm prius. Si autem non audierit adhibe tecum vnum, vel duos &c. quia enim fama eſt minus bonum, quàm ſit bona vita. procedendum eſt vlterius ad ſalutem bonæ vitæ cum aliquali læſione famæ, quæ quidem fama eſt obſeruanda ſecundùm poſſibilitatem corrigentis, puta ſumendo vnum de illis, qui peccatum fratris nouerunt, ſi qui fuerint, vel de illis, qui poſſunt, & volunt prodeſſe, & non obeſſe*. Neque hoc, inquit Aſteſanus, eſt contra formam legis euangelicæ datam de correptionis ordine; *Lex enim interpretanda eſt pro vtilitate illius, pro quo data fuit, & ex legislatoris intentione:* conſtat autem; quod intentio Chriſti legislatoris fuit correptio peccantis, quæ etiam eſt vtilitas eiuſdem correptionis: denunciatio namque eſt pars fraternæ correptionis; finis verò correctionis fraternæ eſt vtilitas peccatoris denunciati, & non pœna. Ideoque huiuſmodi denunciatio facienda eſt Prælato, vt Patri, & non vt Iudici; quamuis cognitum ſit peccatum ſub quouis ſecreto naturali, vel etiam iuramento non detegendi, quia ſecretum, aut iuramentum non obligat in re, quam ex præcepto facere tenemur. Duos caſus in propoſito excipit Aſteſanus. Primus eſt quando corripiens fratrem ex ſua ſecreta correctione peiorem fore formidat; hoc eſt rationabiliter formidat: 2. eſt quando licet ſit ſpes correctionis per ſecretam monitionem, tamen mora periculum habet, & tunc, omiſſa priuata correctione, ſtatim denunciare debet.

Cæterùm de delictis, quæ in damnum Reip. vel Religionis vergere poſſunt, dicetur in diſp. de iudicijs. Solent etiam Doctores recentiores diſputare. An poſſit quis in particulari cedere iuri ſuo, & dare licentiam, vt alius particeps ſui criminis ipſum ſuperiori religioſo (loquor enim de Religioſis) denunciet ſine monitione ſecreta, aut teſtibus adhibitis, quando per monitionem, ac teſtes caueri poteſt peccatum. Negatiuam ſententiam tenet noſter Ponceius

cius cum alijs, ſignanter cum Lorca, dicens, nec poſſe fieri Statutum vllum in Religione obligans ad hoc: affirmatiuam tamen tuentur, & practicant Ieſuitæ, in quorum Religione vnuſquiſque in hoc cedit iuri ſuo; videatur Poncius in curſu theolog. diſp. 30. de præcepto charitatis. Denique Caſtropal. Mendo, & quidam alij dubium mouent. An Prælati Regulares inferiores poſſint reuelare Superioribus maioribus peccata occulta ſubditorum, quæ ipſimet valent emendare, & reſpondent, non poſſe.

QVÆSTIO V.

De Vitijs oppoſitis Charitati.

NOt. quod hic non loquimur de vitijs, quæ indirectè charitati opponuntur, quia in hoc ſenſu omnia peccata mortalia, cum charitatem deſtruant, ſunt ei contraria, ſed loquimur de ijs vitijs, quæ directè charitati aduerſantur, qualia ſunt, odium, inuidia, diſcordia, accidia, contentio, ſchiſma, & hac occaſione agitur etiam de bello, rixa, duello, ſeditione, & ſcandalo; de quibus omnibus aliqua breuiter dicemus, cum de ira, ſeu odio, de inuidia, & accidia plura dicta ſint in diſp. de peccatis in particulari part. 2. tract. 6.

I. Concl. Odium Dei eſt peccatum omnium grauiſſimum. Ratio eſt, quia vt docet Scot. in 2. d. 6. q. 2. In odio Dei auertitur voluntas creata à Deo ſecundùm ſe; in alijs autem peccatis auertitur à Deo non ſecundùm ſe, ſed ſecundum aliud, hoc eſt in quantum appetit aliquam inordinatam delectationem, quæ aduerſatur legi diuinæ, & ſic participatiuè tantùm, id eſt quatenus eſt contra præceptum diuinum habet auerſionem à Deo. Quarè odium Dei eſt tantæ malitiæ, vt in eo nulla detur paruitas materiæ, quæ poſſit à mortali excuſare, licet ex parte actus indeliberati poſſet eſſe peccatum veniale: quantumuis enim paruum malum Deo optetur, attamen ſi fiat ex formali eius odio, reperitur in eo grauis deordinatio, ac proinde Deus graui iniuria afficitur. Et licet Deus, vt apprehenditur in ſe ipſo non poſſit eſſe obiectum odij, quia, vt docet D. Dionyſ. lib. 4. de D. Nomin. omnibus amabile eſt primum bonum;

odiri tamen poteſt quantum ad effectum appropriatum perfectioni ſuæ iuſtitiæ; inquit Scot. in 2. d. 6. q. 2. vbi explicans illud Pſal. 75 *Superbia eorum, qui te oderunt, aſcendit ſemper, ait, non ad Deum in ſe, nec ad eius iuſtitiam in ratione perfectionis ſimpliciter, ſed in ratione vindicationis volendo ſcilicet iuſtitiam eius non eſſe vindicantem, & ſic nollent damnati eſſe Deum, nec iuſtitiam eius, quantum ad effectum vindicandi.*

II. Concl. odium proximi eſt peccatum ex ſuo genere mortale, grauius cæteris, quæ in proximum committuntur, & patet ex Ioan. 1 3. *Omnis qui odit fratrem ſuum, homicida eſt.* Duplex autem eſſe poteſt odium proximi, nempè abominationis, & inimicitiæ; prius eſt quo auerſamur aliquid, vt malum nobis, vel alteri, quem amamus; poſterius verò eſt quo volumus malum alicui perſonæ, vt illi malè ſit, & vtrumque ex ſuo genere eſt mortale, quia directè opponitur charitati; vnde ſi quis v. g. proximum ſuum auerſetur, & abominetur, quatenus homo, vel quatenus chriſtianus eſt, item ſi aliquod graue malum illi optet, quatenus illi malum eſt, mortaliter peccat.

III. Concl. Inuidia eſt triſtitia, qua aliquis dolet de bono alterius, non quatenus eſt illius bonum, ſed quatenus videtur diminuere propriam excellentiam, ſeù proprium bonum; de qua latè dictum eſt cum Alenſ. & Marchant. diſp. cit. Vndè hic ſolum oſtendo falſam eſſe quorumdam Doctorum opinionem exiſtimantium licere ob emolumentum aliquod temporale optare alterius mortem, dummodò fiat in debita moderatione ſeu cum affectu inefficaci, & ſimiliter triſtari de vita alicuius, oſtendo, inquam, ex propoſitione damnata ab Innoc. XI. quæ eſt 13. in ordine, & eſt talis. *Si cum debita moderatione facias, potes abſque peccato mortali de vita alicuius triſtari, & de illius morte naturali gaudere, illam inefficaci affectu petere, & deſiderare, non quidem ex diſplicentia perſonæ, ſed ob aliquod temporale emolumentum.*

IV. Concl. Diſcordia eſt contrarietas voluntatum, & tunc erit contrà charitatem, quando ex ea præuidemus ſequi malum, quod ex charitate deberemus impedire. Contentio eſt verbalis altercatio, qua quis impugnat alterius ſententiam, & erit contra charitatem eo modo quo dictum eſt de diſcordia. Rixa eſt pugna, quæ fieri ſolet inter perſonas priuatas, non auctoritate publica, vt fit bellum, ſed

ex

ex inordinata voluntate, odio, & inimicitia. Seditio eſt diſcordia voluntatum impediens pacem Reip. orta inter membra eiuſdem Reip. ſchiſma denique eſt voluntaria ſeparatio ab Eccleſia vniuerſali ſine iactura fidei, vt ſi quis non vellet obedire Pontifici, nec recipere ritus ab illo pręceptos ſub prætextu, quod non poſſet talia præcipere: & differt ſchiſma à ſeditione, vt notat Aſtenſ. quia ſchiſma opponitur ſpirituali vnitati multitudinis Eccleſiaſticæ, & importat tantum ſpiritualem diſſenſionem: Seditio verò opponitur vnitati multitudinis temporali, vel politicæ, & importat præparationem ad pugnam corporalem, & ex ſuo genere eſt peccatum mortale.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Bellum ſit licitum.

NOt. 1. Quòd Bellum eſt plurium congreſſio vi, & armis contra extraneos facta, & diuiditur in bellum defenſiuum, & offenſiuum: prius eſt, quod aſſumitur ad repellandam iniuriam, quæ iam eſt moraliter in fieri: poſterius verò eſt quod aſſumitur ad obtinendam ſatisfactionem pro iniuria iam illata. De hac re fuit error Manichæorum dicentium nullo pacto licere bellum gerere, & ob hanc cauſam reprehendunt Moyſen, quod bella geſſerit, vt ſcribit noſter Alphon. à Caſtro lib. 3. aduerſus hæreſes, & ſubdit hunc errorem velut iam ſepultum ab inferis ſuſcitauit hoc noſtro æuo Ioannes Oecolampadius, qui in hoc à Manichæis differt, quod Moyſen belligerantem non reprehendit, quoniam eo tempore Dei aut iuſſu, aut permiſſione licebat bellare. Nunc autem Chriſto, vt ait, bellum prohibente, iam non licet chriſtianis vllo pacto bellare, quem errorem ſecutus eſt etiam Vuicleff, vt refert Vualdenſis tom. 3. de Sacrament. tit. vlt. cap. 169. & Lutherus ait non licere chriſtianis bellare in Turcas, quia eſt repugnare voluntati Dei viſitanti, & corrigenti iniquitates noſtras per illos.

Not. 2. Quòd ad hoc vt bellum offenſiuum ſit licitum tres conditiones requiruntur. Prima eſt legitima auctoritas indicentis, qualis regulariter reperitur in principibus

ſupremis, & quauis Repub. non habente ſuperiorem: & per accidens, ſeu extraordinariè in alijs, quando id neceſſarium foret ad iniurias auertendas, quas Princeps, & Magiſtratus auertere negligit: 2. conditio, vt cauſa belli ſit iuſta, cenſetur autem iuſta; primò, vt ſubditi rebelles ad obedientiam redigantur: 2. vt recuperentur bona iure debita magni momenti: 3. conditio vt intentio ſit recta, nimirum, vt bellantes habeant rectam intentionem, quà præcisè intendant malum auertere, aut bonum promouere, non enim ex odio, aut inuidia, ſed ex motiuo charitatis, aut iuſtitiæ bellum ſuſcipi debet. Adde etiam quartam cum Aſteſano, & alijs communiter, nempè, quod in bellando debitus modus ſeruetur, tam initio belli, quàm in proſecutione illius ante pactam victoriam, & etiam poſt victoriam pactam. Vnde debet primò ante bellum inchoatum, examinata iuſta illius cauſa, eam parti aduerſæ proponere, ac condignam ſatisfactionem petere, quam ſi non obtineat, in bellando alia damna parti contrariæ non inferantur, quàm quæ neceſſaria ſunt ad ſatisfactionem completam pro iniuria illata, ac expenſis factis toto tempore belli: inſuper vt non adhibeantur alia media, quàm ea, quæ ſine præiudicio religionis catholicæ, iuſtitiæ, charitatis &c. poſſint adhiberi.

Concl. Bellum tam defenſiuum, quàm offenſiuum, ſi concurrant conditiones requiſitæ eſt licitum, & honeſtum. Eſt de fide, & apertè habetur in S. Scrip. nam. Num cap. 25. *Locutus eſt Dominus ad Moyſen, dicens, hoſtes vos ſentiunt Madianitæ; & lib. 1. Reg. cap. 15. Vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius, & Deuter. cap. 23. praſcribit leges bellantibus, & alibi in veteri teſtam. & idem conſtat ex teſtam. nouo Actor. 1. & Apoſt. ad Hebræos*, ergo bellum offenſiuum eſt licitum: Suffragatur etiam ratio manifeſta, quia niſi quandoque poſſet licitè bellum inferri, poſſet Princeps abſolutus, aut Reſpub. ſuperiorem non agnoſcens alijs quamcunque iniuriam impunè inferre, quod eſt falſum, ergo &c. Similiter quod bellum defenſiuum ſit licitum ipſum ius naturæ omnes docet; cum iure naturæ omnibus conceſſum ſit vim vi repellere cum moderamine inculpatæ tutelæ.

Arg. ab Hæreticis auctoritate Chriſti, qui Matt. 5. ait. *Ego autem dico vobis non reſiſtere malo; ſed ſi quis percuſſerit te in dex-*

dexteram maxillam tuam, præbe illi, & alteram. Item Ioan. 18. dixit Petro. *Mitte gladium tuum in vaginam, quo ſignificauit non licere bellum.* Reſp. ad 1. Aug. illud non eſſe operis præceptum, ſed affectus, vt videlicet animus noſter, ita patienter toleret vnius maxillæ percuſſionem, vt paratus ſit ſi in alia iterum percuteretur, patienter etiam ferre. Reſp. 2. cum Caſtro loc. cit. quod illa Saluatoris ſententia non pertinet ad præceptorum numerum, ſed inter conſilia eſt connumeranda, prout colligitur manifeſtè ex verbis immediatè ſequentibus. Ad 2. dico cum Poncio, quod Chriſtus non iuſſit gladium mitti in vaginam, quaſi vellet per hoc, quod numquam in bello educi poſſet, ſed quia tunc non erat conueniens, vt Petrus eo vteretur; & præterea voluit ſignificare non eſſe gerendum bellum, niſi cum expediret.

Cęterùm quod attinet ad rationem apparentem Lutheri ſic reſpondet Alphon. à Caſtro. O fortem argumentatorem! Tu ne es ille Luthere, qui ſcholaſticos Theologos irrides, eos ſophiſtas appellans? Nonnè tu hic ſophiſtam merum agis? Quæ nam obſecro eſt iſta collectio, Deus viſitat iniquitates noſtras per bellum, quod à turcis contra nos geritur, ergo non licet turcis reſiſtere? Ad hunc modum non liceret nobis vllam prouiſionem facere contra famem, vllam medicinam ſumere contra morbos, vllum antidotum percipere contra peſtem: per hæc enim omnia Deus etiam viſitat iniquitates noſtras; tamen etſi viſitet, non inhibet, vt, remedio aliquo adhibito, illis obuiemus: ita etiam etſi Deus viſitet iniquitates noſtras per Turcas, non tamen inhibet defenſionem.

Quæres 1. An bellum ex vtraque parte poſſit eſſe iuſtum, & licitum. Reſp. negatiuè Azorius 3. p. cum Victoria, ſecluſa tamen omni ignorantia; ita apud Maſtrium, qui ſubdit communiorem ſententiam cum diſtinctione procedere, nempe, quod bellum poteſt eſſe iuſtum ex vtraquè parte formaliter, non autem materialiter, vt videri poteſt apud eundem Maſtr. qui inſuper ſequentem regulam, & doctrinam ex Scot. in 4. d. 15 q. 2. art. 1. adducit, vbi Doctor quęrens, quomodo Rex ſe gerere debeat ad bellum inferendum pro regno conſequendo, nam ſi alter occupat tyrannicè regnum ad ſe pertinens, & nolit illud reſtituere, affirmat Scot. poſſe illi iuſtum bellum indicere, directè quidem ad

acqui-

acquirendum ſibi regnum iniuſtè ab alio occupatum, & indirectè ad necandos ſibi obſiſtentes; quando verò clarè non conſtat regnum ab vno occupatum ad alterum de iure pertinere, ſed pro vtraque parte ſunt rationes probabiles, in hoc caſu, cum agatur de re valde graui, & ſequatur nimis graue damnum in præiudicium tertij, tenetur Rex ſequi tutiorem, & probabiliorem opinionem ex obligatione charitatis, quam erga proximum habere tenemur. Sed quid ſi cauſa bellandi eſſet dubia? Reſp. ex communi quod ſi agatur de re ab alio poſſeſſa, debet alter cedere, *quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis*: at ſi res à neutro ſit poſſeſſa, debet per litem iuxta opinionem Iuriſperitorum decidi, quod ſi vtrumque habeat æquè multos pro ſe ſentientes, res partiri debet, vel ſors mitti, ſi ſit indiuiſibilis.

Quæres 2. Quinam occidi poſſint in bello.

Reſp. ex communi licitum eſt in bello occidere nocentes per ſe, & directè, innocentes verò indirectè tantùm, & per accidens. Prima pars patet: 2. de qua videtur aliqua difficultas, probatur. Etenim occidere innocentem per ſe, & directè eſt intrinſecè malum, adeout id nuquam licitum ſit, niſi Deus, qui eſt ſupremus dominus vitæ, alicui in alterius vitam dominium concesserit, prout fecit, teſte Scot. Abrahamo reſpectu filij. Quod autem innocentes indirectè occidi poſſint, videlicet dum aliàs ciuitas capi, aut hoſtis in prælio ſuperari non poteſt, tradit communis Doctorum ſententia; quod & indubitatum reddit praxis prudentum. & piorum, ex qua gerenti bellum iuſtum eſt licitum turres, ac menia tormentis, aut ſuppoſito puluere euertere, quamuis certò conſtet plures innocentes fore occidendos. Innocentes ſunt Eccleſiaſtici, qui nec ſunt pars populi, nec arma, aut conſilia belli tractant: item pueri, ac mulieres, ſimplices ruſtici. & alienigenæ, qui caſu inter hoſtes verſantur, nec deprehenduntur armis illos iuuare. Hinc deducitur, licitum pariter eſſe in bello iuſto hoſtes ſpoliare bonis ſuis temporalibus, etiam innocentes, ſi ſint pars Reipublicæ delinquentis, ſaltem per accidens, quatenus id eſt neceſſarium ad finem belli conſequendum. Non poſſunt tamen Clerici, & Religioſi proprijs bonis ab hoſtibus ſpoliari, ſi per ſe in bello non pugnent, quia tam ipſi, quàm ipſorum bona gaudere debent priuilegio immunitatis

Ec-

Eccleſiaſticæ: ità communiter Doctores, quorum plures admittunt, poſſe Eccleſias, & Eccleſiaſticos in bello iuſto per accidens deuaſtari ſine onere reſtitutionis, dum id neceſſarium iudicatur pro conſecutione victoriæ.

Quæres 3. Quibus licitum ſit in bello militare.

Reſp. In bello iuſto omnes militare, & pugnare poſſunt, niſi ratione ſtatus particularis ſit aliqua lege interdictum, quia in tali caſu actionem honeſtam excercent. *Solis autem Clericis, & Religigioſis bellare prohibetur per diuerſos canones. & ſignanter 23. q. 8. & diſt. 36. cap. ſi quis. Nomine autem clerici intelliguntur, qui in maioribus ordinibus ſunt conſtituti, & propria manu pugnant;* Quarè vt notat Aſteſanus lib. 2. tit. 64. non prohibetur clericis diſponere poſſe, & inducere alios ad bellandum in bello iuſto contra hoſtes fidei, & religioſè excitare, ac hortari ad fortiter pugnandum, & ad victoriam obtinendam; quia non interdicitur eis bellare ex eo, quod ſit peccatum, ſed quia tale exercitium eos non decet, quod indicat Apoſt. 2. ad Tim. cap. 2 dicens; *nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus, & cap. 10. Arma militiæ noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia.* Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus licitum eſt eis pugnare non obſtante lege Eccleſiaſtica, quando nimirum id neceſſarium eſſet ad propriam vitam tuendam, vel ad defenſionem Patriæ, & Reipublicæ: in his enim caſibus non ſolùm licitè pugnare poſſunt, ſed etiam ad id tenentur. Ex quo fit, vt iuxta probabiliorem ſententiam in prædictis caſibus irregularitatem non incurrant, ſi quos occidant.

Queres denique: An iuſtè bellantibus licitum ſit inſidijs vti. Reſp. Ex Scot. in 3. d. 38. q. vn. affirmatiuè; quia inſidiæ non ſunt per ſe malæ, & ſæpè ſunt neceſſariæ, aut ſaltem multum conducunt ad obtinendam victoriam; vnde *Ioſue cap 8. contra vrbem Hai legitur ijs vſus eſſe,* excipiuntur tamen inſidiæ, quæ fiunt per mendacia, aut violationem pacti initi, niſi hoſtis prius fidem fregerit iuxta regulam: *Frangenti fidem frangitur eidem;* ideoque inquit Scot. in bellando contra quemcunque oportet fidem ſeruare, adeout infidelitas, vel mendacium cuiuſcunque chriſtiani in bello, etiam contra infidelem, damnetur.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrum Duellum ſit licitum.

NOt. Quòd Duellum iuxta vim nominis, eſt quaſi duorum bellum, vt notat Aſteſanus lib. 1. tit. 27. addens, quod à Græcis dicitur Monomachia; vnde *Per Duellum intelligimus pugnam duorum vel plurium, ex qua imminet vitæ periculum; aut grauium vulnerum priuata auctoritate initam ex condicto, aut pacto*; & diuiditur duellum propriè ſumptum in priuatum, & ſolemne; ideſt quod fit cum certis ceremonijs publicis, & nempe datis fidei iuſſoribus, & adhibitis ſponſoribus, & Patrinis; priuatum autem fit ſine iſtis ſolemnitatibus: & vtrumque deſcribi ſolet ſic. *Eſt pugna duorum ex condicto ab vtroque ſuſcepta ad certum locum, & tempus cum periculo occiſionis; & ſufficit iuxta communiorem ſententiam, quod locus, & tempus in genere aſſignentur*, vt ſi v. g. duo dicant pugnabimus vbi, & quandocunque nos inuenerimus, vel ſecundum Lezanam, dum vnus exiſtens in platea, aut alio loco publico dicit, exeamus hinc ad pugnandum, ex tunc enim pugna eſt deliberata, & reiecta ad aliud tempus, & locum; ſecus autem quando aliquis inimico ſuo in Eccleſia, aut loco ſibi periculoſo, quia nimirum alter habet ibi adiutores, dicit exeamus hinc, quia hoc ab eo non dicitur ad deſignandum locum, ſed merè vt fugiat Eccleſiæ irreuerentiam, aut ſuum periculum. Adde cum Herincx, & alijs non cenſeri duellum, quod fit quidem ex condicto, ſed durante iracundia, quæ adhoc primùm mouit, quia tunc dicitur rixa. Cæterùm duellum, aliud eſt, quod ſuſcipitur ad vires, vel artem oſtendendum; aliud quod fit ad purgationem criminis, aliud quod fit ad veritatem, aut iuſtitiam oſtendendam, & denique quod fit ad iniuriam vindicandam.

I. Concl. Duellum eſt illicitum, ſi fiat ad oſtendendas vires, vel artem; item ad explorandam veritatem rei dubiæ, de qua in iudicio, vel extra eſt lis; & denique eſt illicitum ad vindicandam iniuriam. Prob. 1. pars. Ex iure diuino, & humano, canonico, & ciuili prohibentibus huiuſmodi ſpectacula, & ratio eſt euidens, quia irrationabile eſt ob finem tam vanum exponere ſe periculo mortis, vel mutilationis &c. Prob. 2. pars. Ex 5. Decret. tit. 35. quia non

po-

poteſt per duellum conſtare, an' commiſerit crimen, nec ne: *Duellum enim eſt fallax medium aſſerendæ veritatis, cum contingat innocentem in eo occumbere, vt habetur cap. Significantibus.* adde quod eſt omninò ſuperſtitioſum habere pro reo eum, qui ab altero ſuperatur, & ſubeſt etiam tentatio Dei.

Prob. 3. pars. Nam vindicta priuata pro vindicanda iniuria illata eſt iniuſta: dicit enim dominus; *Mihi vindicta; & ego retribuam*, ergo &c.

II. Concl. Duellum acceptare, ſiue priuatum ſiue ſolemne, pretextu defendendi honorem, vel ne timiditatis notam incurrat, eſt illicitum iure naturali, diuino, & humano, ciuili, & canonico. Ciuili quidem *C. de gladiatoribus l. vnica lib. 11. & lege canonica ex Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap.* 19. vnde Alexander VII. damnauit hanc propoſitionem, quæ in ordine eſt 2 *Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*, ergo &c. Neque fingi poteſt caſus aliquis, quo quis poſſit licitè acceptare duellum, niſi ad defenſionem vitæ, nimirum vt ſi quis iniuſtè ab altero inuaſus, non poſſit mortem euitare, niſi acceptando duellum.

III. Concl. In quocunque caſu licet bellum, vel prælium, licitum eſt etiam Duellum, quando iudicatur neceſſarium, vel valde vtile ad iuſtum bellum promouendum, vel finiendum: ita communiter Doctores. Ratio, quia minus malum oriri poteſt ex duello, quàm ex bello, ergo poſſet per minus malum impediri maius; nam ſi licitum eſt cauſa iuſti belli numeroſo exercitu contra hoſtes pugnare cum periculo plurimorum, à fortiori licebit idem cum periculo paucorum præſtare. Inſuper etiam duo damnati ad mortem poſſent licitè duellum inire, ſi Princeps duellum eis iubens donaret vitam victori: ratio eſt, quia periculum mortis, cui duellando ſe exponerent, eſſet minus malum, quàm mors certa vtriuſque: ita Poncius cum alijs.

Cæterùm quoniam duellum, vt mox dicebamus, prohibetur tam iure Ciuili, quam Canonico ſupereſt, vt pœnas per canones conſtitutas breuiter adnotemus. Igitur in primis *Clerici ineuntes duellum ſunt ſuſpenſi cap 1. de Clericis pugnantibus in duello: 2. Trident. loc. cit. excommunicat duellatores quoſcumque, eorumque patrinos, eoſque declarat infames, ac bonis priuat: item excommunicat Reges, & Principes, qui in ſuis locis facul-*

tatem faciunt duelli, & priuantur dominio loci, in quo ſit, vel permittitur duellum: 3. excommunicantur omnes, qui præbent conſilium, fauorem, auxilium ad duellum, & qui præſentes adſtant, vel interſunt; denique ipſi pugnantes priuantur Eccleſiaſtica ſepulturæ, ſi in duello moriantur. Et ne tales pœnæ intelligantur de duellis publicis tantum, vt male putauit Hurtadus. *Greg. XIII. extendit eaſdem pœnas etiam ad priuatos duellatores.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Scandalum ſit peccatum.

NOt. Quòd *Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum præbens proximo occaſionem ruinæ ſpiritualis*; ita ex communi. Dicitur dictum, vel factum, quia ſcandalum ſolùm poteſt conſiſtere in actibus externis coram alijs exercitis: dicitur minus rectum, vel quia in ſe malum eſt, vel quia habet ſpeciem mali: & nota quod ſub dicto, vel facto etiam comprehenditur omiſſio alicuius dicti, vel facti, quod dici, aut fieri debere vt notat Scot. in 4. d. 3. q. 4. & hoc ſcandalum iam definitum dicitur actiuum, quod deinde diuiditur in ſcandalum materiale, & formale; vel per ſe, & per accidens. Primum eſt quo directè intenditur ſpiritualis ruina proximi; ſecundum eſt quod indirectè, & interpretatiuè eſt talis cauſa, nec intenditur directè. Aliud eſt ſcandalum paſſiuum, & eſt ipſa ruina ſpiritualis, ſeu peccatum alterius ortum ex dicto, vel facto minus recto: vnde ſcandalum paſſiuum eſt pariter duplex, vt loc. cit. docet Scotus; alterum datum, quod ex actiuo oritur, & appellatur puſillorum; alterum acceptum quod magis oritur à malitia eius, qui ſcandalizatur, idque vocatur à Doctore, Phariſæorum. Hinc patet ſæpè dari ſcandalum actiuum ſine paſſiuo, vt quando quis intendit alterum ad malum inducere; & ille malum non faciet, & ex oppoſito, ſæpè dari paſſiuum ſine actiuo, quale erat in Phariſæis, qui ex bonis operibus Chriſti ſcandalizabantur; ſæpiùs tamen datur vtrumque.

I. Concl. Scandalum actiuum per ſe, ſeu formale eſt ex ſuo genere peccatum mortale ſpeciale, oppoſitum charitati, & miſericordiæ, ſpirituali. Eſt communis, & ratio eſt cui-

euidens; nam charitas, & miſericordia ex proprio munere habent præcauere omne damnum ſpirituale proximi; at præbens ex intentione proximo occaſionem peccandi oppoſitum agit; ergo directe peccat contra charitatem, mortaliter quidem ſi ſuo malo exemplo inducit ad mortale, veniale ſi ad veniale, quicquid dicat Vaſquez: quare qui conſilio, aut dicto, vel facto alterum directè inducit ad peccatum, intendens ipſius ruinam ſpiritualem, peccat duplici peccato, nempe peccato illius ſpeciei, ad quod alium trahit, & deinde peccato ſpeciali ſcandali, quorum vtrumque in confeſſione tenetur explicare. Nec refert, quod forte non ſequatur alterius ruina, cum ſufficiat, quod habuerit voluntatem trahendi alium in peccatum.

II. Concl. Scandalum actiuum materiale, ſeu quod ex directa intentione ſcandalizantis non eſt occaſio ruinæ ſpiritualis proximi, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, an verò ſit ſpeciale, controuertitur à ſcholaſticis, & vtraque pars videtur probabilis. Prob. igitur, quod ſit peccatum eadem ratione, qua probatur 1. concl. quia, licet non habeat intentionem directam ad inducendum alium in ruinam, habet tamen intentionem interpretatiuam, cum non præuideat, neque precaueat, vt charitas expoſcit, & ipſe tenetur, ruinam proximi, ergo peccat mortaliter quidem, ſi inducat ſuo malo exemplo ad mortale, veniale, ſi ad veniale. Vnde incitans alium ad peccatum, quod ipſemet committit, eſtò non habeat animum alterum incitandi, duplex peccatum committit, nempe proprium, & alienum, licet eiuſdem ſint ſpeciei, ac proinde in confeſſione explicanda. Verùm ſi quis peccet coram ijs, qui antea ad peccandum eodem genere peccati parati erant, vel coram viris pijs, vt nullus eorum per malum alterius exemplum ad idem malum credatur incitandus, non tenetur circumſtantiam ſcandali exprimere. Hinc cenſent quamplures Doctores multos à peccato ſcandali excuſari, eò quòd ipſi tam prauis moribus ſint, vt de eorum exemplis nihil curetur, nec inde occaſio ſumatur ab alijs ad ſimilia peccata facienda.

III. Concl. Opera ſpiritualia non ſunt omittenda ob ſcandalum aliorum, immò etiamſi abſolutè non ſint ad ſalutem neceſſaria; ita Scot. D. Thom. & alij; quia iuxta regulam iuris etiam à Doctore allatam. *Vtilius permittitur naſci ſcandalum quam*

quàm veritas relinquatur: tum quia ob ſcandalum Phariſæorum non ſunt omittenda bona opera, etiamſi ſecundùm ſe non ſint neceſſaria ad ſalutem. Nihilominus tradunt Doctores opera ſpiritualia ad ſalutem non neceſſaria ob ſcandalum puſillorum, eſſe interdum ommittenda, interdum differenda; quod vltimum communiter à Doctoribus explicatur exemplo, eius, qui intendit ingredi religionem; quem, dicunt, obligari talem ingreſſum differre, ſi pręuideat ſuos parentes ex ignorantia, vel infirmitate inde accepturos peccandi occaſionem, v. g. filium, aut religionem odio habendi, aut damnificandi, vel inſtitutum Religionis detrahendi &c.

QVÆSTIO IX.

Vtrum licitum ſit petere, vel conſulere quod alter non eſt facturus abſque peccato.

NOt. Quòd conueniunt Doctores non peccare eum, qui iuſta de cauſa petit ab aliquo id, quod ſine peccato non eſt facturus, ſic v. g. non peccat petens mutuum ab vſurario, vt ſuæ neceſſitati prouideat, vt dicetur in diſp. de vſura: item exigens iuramentum ab eo, qui noſcitur iuraturus per falſos Deos, ſic pariter petens ſacramenta à malo miniſtro &c. quia hæc & ſimilia ex cauſa rationabili petens, petit quod æquum, & iuſtum eſt, & quod alter poteſt rectè facere, ſi velit, & petendo vtitur iure ſuo, ac proindè nulla eſt inductio ad malum, nec conſenſus in illud, ſed vel mera illius permiſſio, vel potiùs non niſi oblatio materiæ ex ſe licitæ, qua alter ex ſua malitia abutitur ad peccandum. Verùm, ſi non haberet legitimam cauſam, teneretur ex charitate ſimilia à talibus non petere, ne alteri detur occaſio peccandi.

Concl. Petere, ſuadere, vel conſulere id, quod ab altero ſine peccato fieri nequit, ſimpliciter loquendo, ſemper eſt peccatum, quia ſic eſt alterum directè inducere ad peccatum, etiamſi ille eſſe paratus, & hoc vltimum traditur ab Herincx p. 2. in diſp. de ſcandalo cum pluribus alijs, licet oppoſitum ſit pariter probabile, & à multis doceatur. Conc. quoad 1. part. conſtat ex dictis; notanter autem di-

dicitur ſimpliciter, ſeu abſolutè loquendo, quia conſulere, vel ſuadere peccatum minus in eodem genere, qui iam abſolutè decreuit committere peccatum maius, non eſt peccatum, quia tale conſilium non fertur abſolutè in malum, ſed in malum ſub ratione boni; quatenus eſt euitatio maioris mali, quo ſenſu minus malum habet rationem boni. Quarè in tali caſu conſulens non dicit alteri, fac malum, vel fac malum iſtud, ſed ſub conditione, hoc eſt, ſi omninò eſt paratus facere malum, potius eligat minus, & abſtineat à maiori, & ſic potius minuitur eius praua voluntas: ita paſſim Doctores. Hinc rectè infertur, quod parato ad Franciſcum occidendum, poteſt eum quis conſulere, ſeu perſuadere, vt ſolum eum verberet, parato ad adulterium perpetrandum, vt fornicetur, ſed de hoc dubito, quia inducitur ad fornicandum cum perſona diſtincta ab vxorata, potius igitur poſſet perſuaderi, vt ſolum eandem oſcularetur, vel quid ſimile, quia ſic reſpectu eiuſdem perſonæ eſſet minus malum conſulere: at diuerſa ratione cenſeo eſſe philoſophandum de eo, qui eſt paratus ad furandum non magno diuiti, nempè quod poſſit induci ad furandum magno diuiti, quia ſic eſſet perſuadere minus malum in ordine ad tertium, cui minus damnum infertur.

Quæres. An ſemper ſit peccatum mortale cooperari materialiter alterius peccato mortali.

Reſp. Si cooperatio, ſiue opus ex ſe ſit indifferens, vel etiam bona, & recta intentione fiat, atque ex rationabili cauſa, nullum committitur peccatum, vt e.g ſternere equum, Herum comitari, & expectare, eſtò nouerit quis illum ad fornicandum adire; ſimiliter parare menſam, lectum, & ſimilia, etiamſi non ignoret famula, vel famulus, quod concubinæ inſeruire debet, quia talia, vel ſunt indifferentia, vel remote ſe habent. Verùm numquam eſt licitum ſubminiſtrare ea, quæ de ſe ſunt mala, quia eſt cooperari proximè, & immediatè peccato; imò nec licet miniſtrare indifferentia alicui ea abuſuro, cum intentione vt alter prauam voluntatem adimpleat; quia vt inter alios docet D. Thomas relatus à Siluestro verbo. Infidelitas: mala intentio transfert rem indifferentem ad malitiam, cum malus finis deturpet etiam media per ſe indifferentia, imò & bona, vt oſtenſum eſt in tract. de actibus humanis. Adde

quod etiam non habens malam intentionem nequit licitè, & ſine participatione peccati præſtare domino illa obſequia, quæ non ex ſola intentione præcipientis, ſed ex ſua natura ad malum ordinantur,& velut media,& partes illius cenſentur malum attingere, qualiter ſe habent ſubmittere ſcienter humeros, vt Herus aſcendat per feneſtras ad fornicandum, ad occidendum &c. deferre ſcalam, aperire ianuam, aut quid ſimile; nam, etiamſi famuli faciant id metu notabilis detrimenti, peccant mortaliter: in cuius confirmationem extat propoſitio, quæ eſt 51. in ordine ab Innoc. XI. damnata, & eſt talis. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur.*

TRACTATVS TERTIVS
DE IVSTITIA, ET IVRE.

IVſtitia à Philoſopho lib. 5. Ethicorum cap. 3. inter morales virtutes excellentiſſima appellatur, & iure quidem meritò, eò quod ordinat non bonum priuatum, ſed publicum, ſeu commune: ex quo ſit, vt latiſſimè ſe extendat, vtpotè quæ locum habet ferè in omnibus negotijs, in quibus eſt inter homines communicatio, ſine qua pax, & ſocietas humana ſubſiſtere nequit. Quarè eius notitia eſt perutilis, immò omninò neceſſaria ijs, quibus incumbit alios quoad conſcientiam inſtruere, ac dirigere: ideoque à Theologis ea, quæ ad iuſtitiam ſpectant, exactè tradi ſolent. Quod nos quoque, breuitate retenta, præſtare ſtudebimus, Vnde in primis agemus de eius principijs in generali, & deindè ad particularia deueniemus, ſit igitur.

DISPVTATIO I.

De principijs generalibus Iuſtitiæ, & Iuris.

QVÆSTIO I.

Quodnam ſit obiectum Iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd Iuſtitia in S. Scrip. ſumitur pro vniuerſitate omnium virtutum, & ſic nemo dicitur iuſtus ſi ab vnica virtute recedat, vnde dicitur Matt. 5. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt Iuſtitiam.* Aliquando ſumitur pro ſola charitate iuſtificante, quo ſenſu loquitur *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. diſponuntur autem ad ipſam Iuſtitiam &c.* Aliquando ſumitur Iuſtitia ad ſignificandam rectitudinem voluntatis in qualibet ſua actione, & in hoc ſenſu Scot. in 4. diſt. 46. q. 1. ex D. Anſelmo c. 20. dicit, *quod eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata:* denique ſumitur pro virtute particulari, qua vo-

acquirendum ſibi regnum iniuſtè ab alio occupatum, & indirectè ad necandos ſibi obſiſtentes; quando verò clarè non conſtat regnum ab vno occupatum ad alterum de iure pertinere, ſed pro vtraque parte ſunt rationes probabiles, in hoc caſu, cum agatur de re valde graui, & ſequatur nimis graue damnum in præiudicium tertij, tenetur Rex ſequi tutiorem, & probabiliorem opinionem ex obligatione charitatis, quam erga proximum habere tenemur. Sed quid ſi cauſa bellandi eſſet dubia? Reſp. ex communi quod ſi agatur de re ab alio poſſeſſa, debet alter cedere, *quia in dubio melior eſt conditio poſſidentis:* at ſi res à neutro ſit poſſeſſa, debet per litem iuxta opinionem Iuriſperitorum decidi, quod ſi vtrumque habeat æquè multos pro ſe ſentientes, res partiri debet, vel ſors mitti, ſi ſit indiuiſibilis.

Quæres 7. Quinam occidi poſſint in bello.

Reſp. ex communi licitum eſt in bello occidere nocentes per ſe, & directè, innocentes verò indirectè tantùm, & per accidens. Prima pars patet: 2. de qua videtur aliqua difficultas, probatur. Etenim occidere innocentem per ſe, & directè eſt intrinſecè malum, adeout id nuquam licitum ſit, niſi Deus, qui eſt ſupremus dominus vitæ, alicui in alterius vitam dominium conceſſerit, prout fecit, teſte Scot. Abrahamo reſpectu filij. Quod autem innocentes indirectè occidi poſſint, videlicet dum aliàs ciuitas capi, aut hoſtis in prælio ſuperari non poteſt, tradit communis Doctorum ſententia; quod & indubitatum reddit praxis prudentum. & piorum, ex qua gerenti bellum iuſtum eſt licitum turres, ac menia tormentis, aut ſuppoſito puluere euertere, quamuis certò conſtet plures innocentes fore occidendos. Innocentes ſunt Eccleſiaſtici, qui nec ſunt pars populi, nec arma, aut conſilia belli tractant: item pueri, ac mulieres, ſimplices ruſtici. & alienigenæ, qui caſu inter hoſtes verſantur, nec deprehenduntur armis illos iuuare. Hinc deducitur, licitum pariter eſſe in bello iuſto hoſtes ſpoliare bonis ſuis temporalibus, etiam innocentes, ſi ſint pars Reipublicæ delinquentis, ſaltem per accidens, quatenus id eſt neceſſarium ad finem belli conſequendum. Non poſſunt tamen Clerici, & Religioſi proprijs bonis ab hoſtibus ſpoliari, ſi per ſe in bello non pugnent, quia tam ipſi, quàm ipſorum bona gaudere debent priuilegio immunitatis

Ec-

Eccleſiaſticæ: ità communiter Doctores, quorum plures admittunt, poſſe Eccleſias, & Eccleſiaſticos in bello iuſto per accidens deuaſtari ſine onere reſtitutionis, dum id neceſſarium iudicatur pro conſecutione victoriæ.

Quæres 3. Quibus licitum ſit in bello militare.

Reſp. In bello iuſto omnes militare, & pugnare poſſunt, niſi ratione ſtatus particularis ſit aliqua lege interdictum, quia in tali caſu actionem honeſtam excercent. *Solis autem Clericis, & Religigioſis bellare prohibetur per diuerſos canones. & ſignanter 23. q. 8. & diſt. 36. cap. ſi quis. Nomine autem clerici intelliguntur, qui in maioribus ordinibus ſunt conſtituti, & propria manu pugnant;* Quarè vt notat Aſteſanus lib. 2. tit. 64. non prohibetur clericis diſponere poſſe, & inducere alios ad bellandum in bello iuſto contra hoſtes fidei, & religiosè excitare, ac hortari ad fortiter pugnandum, & ad victoriam obtinendam; quia non interdicitur eis bellare ex eo, quod ſit peccatum, ſed quia tale exercitium eos non decet, quod indicat Apoſt. 2. ad Tim. cap. 2. dicens; *nemo militans Deo, implicat ſe negotijs ſæcularibus, & cap. 10. Arma militia noſtræ non ſunt carnalia, ſed ſpiritualia.* Excipiuntur tamen aliqui caſus, in quibus licitum eſt eis pugnare non obſtante lege Eccleſiaſtica, quando nimirum id neceſſarium eſſet ad propriam vitam tuendam, vel ad defenſionem Patriæ, & Reipublicæ: in his enim caſibus non ſolùm licite pugnare poſſunt, ſed etiam ad id tenentur. Ex quo fit, vt iuxta probabiliorem ſententiam in prædictis caſibus irregularitatem non incurrant, ſi quos occidant.

Queres denique: An iuſtè bellantibus licitum ſit inſidijs vti. Reſp. Ex Scot. in 3. d. 38. q. vn. affirmatiuè: quia inſidiæ non ſunt per ſe malæ, & ſæpè ſunt neceſſariæ, aut ſaltem multum conducunt ad obtinendam victoriam; vnde *Ioſue cap. 8. contra vrbem Hai legitur ijs vſus eſſe*, excipiuntur tamen inſidiæ, quæ fiunt per mendacia, aut violationem pacti initi, niſi hoſtis priùs fidem fregerit iuxta regulam: *Frangenti fidem frangitur eidem;* ideoque inquit Scot. in bellando contra quemcunque oportet fidem ſeruare, adeout infidelitas, vel mendacium cuiuſcunque chriſtiani in bello, etiam contra infidelem, damnetur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum Duellum ſit licitum.

NOt. Quòd Duellum iuxta vim nominis, eſt quaſi duorum bellum, vt notat Aſteſanus lib. 1. tit. 27. addens, quod à Græcis dicitur Monomachia; vnde *Per Duellum intelligimus pugnam duorum vel plurium, ex qua imminet vitæ periculum, aut grauium vulnerum priuata auctoritate initam ex condicto, aut pacto*; & diuiditur duellum propriè ſumptum in priuatum, & ſolemne; ideſt quod fit cum certis ceremonijs publicis, & nempe datis fidei iuſſioribus, & adhibitis ſponſoribus, & Patrinis; priuatum autem fit ſine iſtis ſolemnitatibus: & vtrumque deſcribi ſolet ſic. *Eſt pugna duorum ex condicto ab vtroque ſuſcepta ad certum locum, & tempus cum periculo occiſionis; & ſufficit iuxta communiorem ſententiam, quod locus, & tempus in genere aſſignentur*, vt ſi v. g. duo dicant pugnabimus vbi, & quandocunque nos inuenerimus, vel ſecundum Lezanam, dum vnus exiſtens in platea, aut alio loco publico dicit, exeamus hinc ad pugnandum, ex tunc enim pugna eſt deliberata, & reiecta ad aliud tempus, & locum; ſecus autem quando aliquis inimico ſuo in Eccleſia, aut loco ſibi periculoſo, quia nimirum alter habet ibi adiutores, dicit exeamus hinc, quia hoc ab eo non dicitur ad deſignandum locum, ſed merè vt fugiat Eccleſiæ irreuerentiam, aut ſuum periculum. Adde cum Herincx, & alijs non cenſeri duellum, quod fit quidem ex condicto, ſed durante iracundia, quæ adhoc primùm mouit, quia tunc dicitur rixa. Cæterùm duellum, aliud eſt, quod ſuſcipitur ad vires, vel artem oſtendendum; aliud quod fit ad purgationem criminis, aliud quod fit ad veritatem, aut iuſtitiam oſtendendam, & denique quod fit ad iniuriam vindicandam.

I. Concl. Duellum eſt illicitum, ſi fiat ad oſtendendas vires, vel artem; item ad explorandam veritatem rei dubiæ, de qua in iudicio, vel extra eſt lis; & denique eſt illicitum ad vindicandam iniuriam. Prob. 1. pars. Ex iure diuino, & humano, canonico, & ciuili prohibentibus huiuſmodi ſpectacula, & ratio eſt euidens, quia irrationabile eſt ob finem tam vanum exponere ſe periculo mortis, vel mutilationis &c. Prob. 2. pars. Ex 5. Decret. tit. 35. quia non

po-

poteſt per duellum conſtare, an commiſerit crimen, nec ne: *Duellum enim eſt fallax medium aſſerendæ veritatis, cum contingat innocentem in eo occumbere, vt habetur cap. Significantibus.* adde quod eſt omninò ſuperſtitioſum habere pro reo eum, qui ab altero ſuperatur, & ſubeſt etiam tentatio Dei.

Prob. 3. pars. Nam vindicta priuata pro vindicanda iniuria illata eſt iniuſta: dicit enim dominus; *Mihi vindictam, & ego retribuam*, ergo &c.

II. Concl. Duellum acceptare, ſiue priuatum ſiue ſolemne, pretextu defendendi honorem, vel ne timiditatis notam incurrat, eſt illicitum iure naturali, diuino, & humano, ciuili, & canonico. Ciuili quidem *C. de gladiatoribus l. vnica lib. 11. & lege canonica ex Trident. ſeſſ. 25. de reformat. cap.* 19. vnde Alexander VII. damnauit hanc propoſitionem, quæ in ordine eſt 2 *Vir equeſtris ad duellum prouocatus poteſt illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat*, ergo &c. Neque fingi poteſt caſus aliquis, quo quis poſſit licitè acceptare duellum, niſi ad defenſionem vitæ, nimirum vt ſi quis iniuſtè ab altero inuaſus, non poſſit mortem euitare, niſi acceptando duellum.

III. Concl. In quocunque caſu licet bellum, vel prælium, licitum eſt etiam Duellum, quando iudicatur neceſſarium, vel valde vtile ad iuſtum bellum promouendum, vel finiendum: ita communiter Doctores. Ratio, quia minus malum oriri poteſt ex duello, quàm ex bello, ergo poſſet per minus malum impediri maius; nam ſi licitum eſt cauſa iuſti belli numeroſo exercitu contra hoſtes pugnare cum periculo plurimorum, à fortiori licebit idem cum periculo paucorum præſtare. Inſuper etiam duo damnati ad mortem poſſent licitè duellum inire, ſi Princeps duellum eis iubens donaret vitam victori: ratio eſt, quia periculum mortis, cui duellando ſe exponerent, eſſet minus malum, quàm mors certa vtriuſque: ita Poncius cum alijs.

Cæterùm quoniam duellum, vt mox dicebamus, prohibetur tam iure Ciuili, quam Canonico ſupereſt, vt pœnas per canones conſtitutas breuiter adnotemus. Igitur in primis *Clerici ineuntes duellum ſunt ſuſpenſi cap 1. de Clericis pugnantibus in duello: 2. Trident. loc. cit. excommunicat duellatores quoſcumque, eorumque patrinos, eoſque declarat infames, ac bonis priuat: item excommunicat Reges, & Principes, qui in ſuis locis facul-*

tatem faciunt duelli, & priuantur dominio loci, in quo ſit, vel permittitur duellum: 3. excommunicantur omnes, qui præbent conſilium, fauorem, auxilium ad duellum, & qui præſentes adſtant, vel interſunt; denique ipſi pugnantes priuantur Eccleſiaſtica ſepultura, ſi in duello moriantur. Et ne tales pœnæ intelligantur de duellis publicis tantum, vt male putauit Hurtadus. *Greg. XIII. extendit eaſdem pœnas etiam ad priuatos duellatores.*

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Scandalum ſit peccatum.

NOt. Quòd *Scandalum eſt dictum, vel factum minus rectum præbens proximo occaſionem ruinæ ſpiritualis*; ita ex communi. Dicitur dictum, vel factum, quia ſcandalum ſolùm poteſt conſiſtere in actibus externis coram alijs exercitis: dicitur minus rectum, vel quia in ſe malum eſt, vel quia habet ſpeciem mali: & nota quod ſub dicto, vel facto etiam comprehenditur omiſſio alicuius dicti, vel facti, quod dici, aut fieri debere vt notat Scot. in 4. d. 3. q. 4. & hoc ſcandalum iam definitum dicitur actiuum, quod deinde diuiditur in ſcandalum materiale, & formale; vel per ſe, & per accidens. Primum eſt quo directè intenditur ſpiritualis ruina proximi; ſecundum eſt quod indirectè, & interpretatiuè eſt talis cauſa, nec intenditur directè. Aliud eſt ſcandalum paſſiuum, & eſt ipſa ruina ſpiritualis, ſeu peccatum alterius ortum ex dicto, vel facto minus recto: vnde ſcandalum paſſiuum eſt pariter duplex, vt loc. cit. docet Scotus; alterum datum, quod ex actiuo oritur, & appellatur puſillorum; alterum acceptum quod magis oritur à malitia eius, qui ſcandalizatur, idque vocatur à Doctore, Phariſæorum. Hinc patet ſæpè dari ſcandalum actiuum ſine paſſiuo, vt quando quis intendit alterum ad malum inducere; & ille malum non faciet, & ex oppoſito, ſæpè dari paſſiuum ſine actiuo, quale erat in Phariſæis, qui ex bonis operibus Chriſti ſcandalizabantur; ſæpiùs tamen datur vtrumque.

I. Concl. Scandalum actiuum per ſe, ſeu formale eſt ex ſuo genere peccatum mortale ſpeciale, oppoſitum charitati, & miſericordiæ, ſpirituali. Eſt communis, & ratio eſt cui-

euidens; nam charitas, & miſericordia ex proprio munere habent præcauere omne damnum ſpirituale proximi; at præbens ex intentione proximo occaſionem peccandi oppoſitum agit; ergo directè peccat contra charitatem, mortaliter quidem ſi ſuo malo exemplo inducit ad mortale, veniale ſi ad veniale, quicquid dicat Vaſquez: quare qui conſilio, aut dicto, vel facto alterum directè inducit ad peccatum, intendens ipſius ruinam ſpiritualem, peccat duplici peccato, nempe peccato illius ſpeciei, ad quod alium trahit, & deinde peccato ſpeciali ſcandali, quorum vtrumque in confeſſione tenetur explicare. Nec refert, quod forte non ſequatur alterius ruina, cum ſufficiat, quod habuerit voluntatem trahendi alium in peccatum.

II. Concl. Scandalum actiuum materiale, ſeu quod ex directa intentione ſcandalizantis non eſt occaſio ruinæ ſpiritualis proximi, ex ſuo genere eſt peccatum mortale, an verò ſit ſpeciale, controuertitur à ſcholaſticis, & vtraque pars videtur probabilis. Prob. igitur, quod ſit peccatum eadem ratione, qua probatur 1. concl. quia, licet non habeat intentionem directam ad inducendum alium in ruinam, habet tamen intentionem interpretatiuam, cum non præuideat, neque precaueat, vt charitas expoſcit, & ipſe tenetur, ruinam proximi, ergo peccat mortaliter quidem, ſi inducat ſuo malo exemplo ad mortale, veniale, ſi ad veniale. Vnde incitans alium ad peccatum, quod ipſemet committit, eſtò non habeat animum alterum incitandi, duplex peccatum committit, nempe proprium, & alienum, licet eiuſdem ſint ſpeciei, ac proinde in confeſſione explicanda. Verùm ſi quis peccet coram ijs, qui antea ad peccandum eodem genere peccati parati erant, vel coram viris pijs, vt nullus eorum per malum alterius exemplum ad idem malum credatur incitandus, non tenetur circumſtantiam ſcandali exprimere. Hinc cenſent quamplures Doctores multos à peccato ſcandali excuſari, eò quòd ipſi tam prauis moribus ſint, vt de eorum exemplis nihil curetur, nec inde occaſio ſumatur ab alijs ad ſimilia peccata facienda.

III. Concl. Opera ſpiritualia non ſunt omittenda ob ſcandalum aliorum, immò etiamſi abſolutè non ſint ad ſalutem neceſſaria; ita Scot. D. Thom. & alij; quia iuxta regulam iuris etiam à Doctore allatam. *Vtiliùs permittitur naſci ſcandalum quam*

quàm veritas relinquatur: tum quia ob ſcandalum Phariſæorum non ſunt omittenda bona opera, etiamſi ſecundùm ſe non ſint neceſſaria ad ſalutem. Nihilominus tradunt Doctores opera ſpiritualia ad ſalutem non neceſſaria ob ſcandalum puſillorum, eſſe interdum ommittenda, interdum differenda; quod vltimum communiter à Doctoribus explicatur exemplo, eius, qui intendit ingredi religionem, quem, dicunt, obligari talem ingreſſum differre, ſi prȩuideat ſuos parentes ex ignorantia, vel infirmitate inde accepturos peccandi occaſionem, v. g. filium, aut religionem odio habendi, aut damnificandi, vel inſtitutum Religionis detrahendi &c.

QVÆSTIO IX.

Vtrum licitum ſit petere, vel conſulere quod alter non eſt facturus abſque peccato.

NOt. Quòd conueniunt Doctores non peccare eum, qui iuſta de cauſa petit ab aliquo id, quod ſine peccato non eſt facturus, ſic v. g. non peccat petens mutuum ab vſurario, vt ſuæ neceſſitati prouideat, vt dicetur in diſp. de vſura: item exigens iuramentum ab eo, qui noſcitur iuraturus per falſos Deos, ſic pariter petens ſacramenta à malo miniſtro &c. quia hæc & ſimilia ex cauſa rationabili petens, petit quod æquum, & iuſtum eſt, & quod alter poteſt rectè facere, ſi velit, & petendo vtitur iure ſuo, ac proindè nulla eſt inductio ad malum, nec conſenſus in illud, ſed vel mera illius permiſſio, vel potiùs non niſi oblatio materiæ ex ſe licitæ, qua alter ex ſua malitia abutitur ad peccandum. Verùm, ſi non haberet legitimam cauſam, teneretur ex charitate ſimilia à talibus non petere, ne alteri detur occaſio peccandi.

Concl. Petere, ſuadere, vel conſulere id, quod ab altero ſine peccato fieri nequit, ſimpliciter loquendo, ſemper eſt peccatum, quia ſic eſt alterum directè inducere ad peccatum, etiamſi ille eſſe paratus, & hoc vltimum traditur ab Herincx p. 2. in diſp. de ſcandalo cum pluribus alijs, licet oppoſitum ſit pariter probabile, & à multis doceatur. Conc. quoad 1. part. conſtat ex dictis; notanter autem

di-

dicitur ſimpliciter, ſeu abſolutè loquendo, quia conſulere, vel ſuadere peccatum minus in eodem genere, qui iam abſolutè decreuit committere peccatum maius, non eſt peccatum, quia tale conſilium non fertur abſolutè in malum, ſed in malum ſub ratione boni; quatenus eſt euitatio maioris mali, quo ſenſu minus malum habet rationem boni. Quarè in tali caſu conſulens non dicit alteri, fac malum, vel fac malum iſtud, ſed ſub conditione, hoc eſt, ſi omninò eſt paratus facere malum, potius eligat minus, & abſtineat à maiori, & ſic potius minuitur eius praua voluntas: ita paſſim Doctores. Hinc rectè infertur, quod parato ad Franciſcum occidendum, poteſt eum quis conſulere, ſeu perſuadere, vt ſolum eum verberet, parato ad adulterium perpetrandum, vt fornicetur, ſed de hoc dubito, quia inducitur ad fornicandum cum perſona diſtincta ab vxorata, potius igitur poſſet perſuaderi, vt ſolum eandem oſcularetur, vel quid ſimile, quia ſic reſpectu eiuſdem perſonæ eſſet minus malum conſulere: at diuerſa ratione cenſeo eſſe philoſophandum de eo, qui eſt paratus ad furandum non magno diuiti, nempè quod poſſit induci ad furandum magno diuiti, quia ſic eſſet perſuadere minus malum in ordine ad tertium, cui minus damnum infertur.

Quæres. An ſemper ſit peccatum mortale cooperari materialiter alterius peccato mortali.

Reſp. Si cooperatio, ſiue opus ex ſe ſit indifferens, vel etiam bona, & recta intentione fiat, atque ex rationabili cauſa, nullum committitur peccatum, vt e.g ſternere equum, Herum comitari, & expectare, eſtò nouerit quis illum ad fornicandum adire; ſimiliter parare menſam, lectum, & ſimilia, etiamſi non ignoret famula, vel famulus, quod concubinæ inſeruire debet, quia talia, vel ſunt indifferentia, vel remotè ſe habent. Verùm numquam eſt licitum ſubminiſtrare ea, quæ de ſe ſunt mala, quia eſt cooperari proximè, & immediatè peccato; imò nec licet miniſtrare indifferentia alicui ea abuſuro, cum intentione vt alter prauam voluntatem adimpleat; quia vt inter alios docet D. Thomas relatus à Silueſtro verbo. Infidelitas: mala intentio transfert rem indifferentem ad malitiam, cum malus finis deturpet etiam media per ſe indifferentia, imò & bona, vt oſtenſum eſt in tract. de actibus humanis. Adde

quod etiam non habens malam intentionem nequit licitè, & ſine participatione peccati præſtare domino illa obſequia, quæ non ex ſola intentione præcipientis, ſed ex ſua natura ad malum ordinantur, & velut media, & partes illius cenſentur malum attingere, qualiter ſe habent ſubmittere ſcienter humeros, vt Herus aſcendat per feneſtras ad fornicandum, ad occidendum &c. deferre ſcalam, aperire ianuam, aut quid ſimile; nam, etiamſi famuli faciant id metu notabilis detrimenti, peccant mortaliter: in cuius confirmationem extat propoſitio, quæ eſt 51. in ordine ab Innoc. XI. damnata, & eſt talis. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur.*

TRACTATVS TERTIVS DE IVSTITIA, ET IVRE.

IVſtitia à Philoſopho lib. 5. Ethicorum cap. 3. inter morales virtutes excellentiſſima appellatur, & iure quidem meritò, eò quod ordinat non bonum priuatum, ſed publicum, ſeu commune: ex quo fit, vt latiſſimè ſe extendat, vtpotè quæ locum habet fere in omnibus negotijs, in quibus eſt inter homines communicatio, ſine qua pax, & ſocietas humana ſubſiſtere nequit. Quarè eius notitia eſt perutilis, immò omninò neceſſaria ijs, quibus incumbit alios quoad conſcientiam inſtruere, ac dirigere: ideoque à Theologis ea, quæ ad iuſtitiam ſpectant, exactè tradi ſolent. Quod nos quoque, breuitate retenta, præſtare ſtudebimus. Vnde in primis agemus de eius principijs in generali, & deindè ad particularia deueniemus, ſit igitur.

DISPVTATIO I.

De principijs generalibus Iuſtitiæ, & Iuris.

QVÆSTIO I.

Quodnam ſit obiectum Iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd Iuſtitia in S. Scrip. ſumitur pro vniuerſitate omnium virtutum, & ſic nemo dicitur iuſtus ſi ab vnica virtute recedat, vnde dicitur Matt. 5. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt Iuſtitiam*. Aliquando ſumitur pro ſola charitate iuſtificante, quo ſenſu loquitur *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. diſponuntur autem ad ipſam Iuſtitiam &c.* Aliquando ſumitur Iuſtitia ad ſignificandam rectitudinem voluntatis in qualibet ſua actione, & in hoc ſenſu Scot. in 4. diſt. 46. q. 1. ex D. Anſelmo c. 20. dicit, *quod eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata:* denique ſumitur pro virtute particulari, qua vo-

luntas inclinatur ad reddendum vnicuique Ius ſuum ad æqualitatem, & de hac tantùm inpræſentiarum agere intendimus, quæ à Vulpiano deſcribitur *l. iuſt. ff. de Iuſt. & Iur. Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas Ius ſuum cuique tribuendi;* quam deſcriptionem quoad ſubſtantiam omnes Theologi recipiunt, licet accidentaliter videatur ab aliquibus variari. Voluntas in definitione data non ſumitur pro potentia, ſed pro actu quaſi virtualiter, ſeù habitualiter perſeuerante; quod indicatur per ly conſtans, ac perpetuà; nam per ly conſtans ſignificatur propoſitum debere eſſe firmum, quo decernitur dare cuique ſuum, & per ly perpetua indicatur, quod oporteat ſemper, & in omni occaſione velle tribuere vnicuique Ius ſuum, non enim ad perfectam Iuſtitiæ rationem ſufficit velle aliquo tempore, aut in aliquibus negotijs vnicuique tribuere, quod ſuum eſt. Per ly ius ſtrictum ex mox dicendis patebit.

Not. 2. quod ius multipliciter accipitur: primò pro regula, ſeù norma operis iuſti, & ſic lex ſiue naturalis, ſiue poſitiua diuina, ſiue humana dicitur ius. Vnde dicere ſolemus aliquid competere alicui de lege naturali, vel de lege poſitiua diuina, vel humana, Eccleſiaſtica, vel ciuili. Secundò ſumitur pro ſententia iuris, quo ſenſu *Celſus iuris conſ. teſte Vulpiano l. 1. ff. de Iur. & Iuſt. ait, ius eſt ars boni, & æqui. At vt notat Suacc. in comment. Inſt. accipitur pro iuris prudentia, quæ dicitur ſcientia iuſti, & iniuſti, quia iuſta ab iniuſtis, & licita ab illicitis digneſcuntur l. 1. ff. eod.* Vel etiam vt idem Doctor explicat, ius dicitur ars boni, & æqui hoc eſt exercitium boni, & æqui viri in colenda iuſtitia. Tertiò ſumitur pro legitima poteſtate, & actione, quam quis habet in rem aliquam, quo pacto dicimus, aliquem vti iure ſuo. Quartò denique ius accipitur pro iuſto, vt docet Iſidor. de Ætym. lib. 5. c. 3. & ius ſic acceptum eſt obiectum quod iuſtitiæ; cum hæc ſit voluntas ius ſuum cuique tribuendi, conſtat enim, iuſtitiam non tribuere cuique legem, aut legitimam facultatem, ſed quod iuſtum eſt.

Not. 3. quod ius in quarta acceptione, quatenus eſt idem iuſto, poteſt accipi tripliciter: primò generaliſſimè pro omni eo, quod eſt legi conſentaneum, quod ab Ariſt. vocatur iuſtum legitimum, & eſt idem ac honeſtum. Secundo minus generaliter pro omni eo, quod alteri ex quacumque ho-

neſtate, ſeu æquitate eſt debitum. Dupliciter autem poteſt aliquid alteri eſſe debitum. Primò debito legali, quod vocatur etiam debitum iuſtitiæ. Secundò debito morali, ſeù honeſtatis; *debitum legale eſt illud, ad quod alter verum ius, & actionem legalem habet, & ideò ratione illius iuris alius obligatur l. iuſt ad illud reddendum. Debitum morale eſt, quod non fundatur in tali iure, ſeu actione, ſed ſolùm in honeſtate morali, & debita rectitudine virtutis, quam vnuſquiſque ſeruare tenetur in ſuis actionibus, quæ ſunt ad alterum*; quiſque enim tenetur erga alterum operari ſecundùm legem virtutis ad dictamen rectæ rationis, quamuis alter verum ius ad hoc non habeat v. g. quis tenetur morali bebito eleemoſynam dare pauperi, etſi pauper non habeat ius, & actionem ad hoc vt illi detur. Idem dicendum eſt de gratitudine, & veritate, & de quibuſdam alijs, de quibus ſuo loco erit ſermo.

Concl. obiectum formale iuſtitiæ eſt ius, vt coincidit cum iuſto, ſeu debito legali ad alterum, obiectum autem materiale ſunt res, in quibus ius conſtituitur, quales ſunt venditiones, emptiones, donationes, diſtributiones &c.

Prob. concl. ex Ariſt. 5. Eth. c. 1. vbi ait, quod omnes talem habitum volunt dicere iuſtitiam, à quo operatiui iuſtorum ſunt, ergo ius eſt obiectum formale iuſtitiæ. Prob. ex D. Thom. Rectum, quod eſt in opere virtutis eſt obiectum proprium, & formale, ad quod tendit intentio virtutis, ſed rectum, quod eſt in opere iuſtitiæ eſt iuſtum, ergo iuſtum eſt obiectum formale iuſtitiæ. Prob. ampliùs. Iuſtitia vt eſt virtus Cardinalis, eſt habitus quo homines inclinantur ad res iuſtas agendas, & quo iuſta agunt, vel volunt iuſta, ergo iuſtitia reſpicit iuſtum tamquam ſuum obiectum formale. Quod autem emptiones, venditiones, & huiuſmodi, in quibus ponitur debita æqualitas, ſeu ipſum ius fundatur, ſit obiectum materiale, nulli dubium eſt, quia huiuſmodi actiones ſunt veluti materia ipſius iuſti.

QVÆSTIO II.

Quænam ſint partes Iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd ex dictis in philoſophia aliæ ſunt partes integrales, aliæ ſubiectiuæ, aliæ potentiales. Integra-

les ſunt, quæ integrant aliquod totum: ſubiectiuæ dicuntur, quæ ſubijciuntur alicui toti tamquam ſpecies ſuo generi, vt homo, Leo Animali: potentiales denique dicuntur illæ, quæ adiunguntur toti per modum potentiæ virtutem eius participantis, ſicut nutritiuum, & ſenſitiuum dicuntur partes animæ, cuius virtutem inter ſe diuidunt, & inadæquatè participant. Omnes recenſitæ partes, ſeruata proportione, reperiuntur in qualibet virtute Cardinali. Reperiuntur igitur ad ſimilitudinem partium integralium in iuſtitia boni operatio, & mali vitatio, non quidem ſecundùm quod bonum, & malum ſumuntur in communi, quia ſic pertinent ad omnem virtutem, ſed prout bonum habet rationem debiti ad proximum, & malum rationem nociui reſpectu eiuſdem. Similiter ad inſtar ſpecierum reſpectu ſui generis reperiuntur in iuſtitia tres ſpecies, nempe iuſtitia commutatiua, diſtributiua, & legalis; & denique ad inſtar partium potentialium dantur in iuſtitia nouem partes, nempe religio, pœnitentia, pietas, obſeruantia, gratitudo, vindicatiua, veritas, amicitia, & liberalitas, quæ omnes dicuntur partes potentiales participantes virtutem principalioris, ideſt iuſtitiæ, quatenus ordinantur ad aliquos ſecundarios actus, vel materias, in quibus ratio principalis virtutis plenè, perfectè, & exactè non reperitur, neque proinde totam eius potentiam adæquant, ſed ſolùm aliquam illius particulam ſibi vindicant, ſicut nutritiuum non adæquat totam virtutem animæ vegetatiuæ, ſed ſolùm aliquid illius.

Not.2. Quòd virtus moralis ex Ariſt.2.Eth.eſt habitus electiuus in mediocritate, ideſt in medio conſiſtens. Huiuſmodi autem medium duplex eſt, aliud dicitur medium rationis, & aliud medium rei primum eſt illud, quod præſcribitur, & determinatur à ratione, vt in temperantia determinatur à ratione modus, ſeu medietas v. g. cibi, & potus, quæ vnicuique ſecundùm ſuam complexionem poteſt conuenire; non enim eadem menſura cibi, & potus, quæ conuenit vni, poteſt omnibus competere; cum vna complexio ſit alia, & alia fortior, ac proindè maiori cibo indigeat: Et hoc medium rationis reperitur etiam in fortitudine, & reliquis virtutibus moralibus. Medium autem rei dicitur illud, quod non determinatur præcisè à ratione, ſed exi-

exigitur ex natura rei ad æqualitatem reddendam, & tale medium reperitur in ſola Iuſtitia, cum ipſa ſola reſpiciat æqualitatem rei ad rem, videlicet, vt tantum detur alteri, quantum illi debetur. Cæteræ autem virtutes reſpiciunt qualitatem operantis, vt ſcilicet ſecundùm dictamen rectæ rationis conſideretur quomodo huic, vel illi perſonæ operanti conueniat.

I. Concl. Duæ ſunt partes integrales iuſtitiæ in communi, nempe boni operatio, & mali vitatio, quod idem eſt facere bonum, & declinare à malo. Prob. concl. Partes integrales alicuius virtutis ſunt, quæ ad integritatem actus illius concurrunt, ſed actus iuſtitiæ, vt conſtat ex eius definitione, eſt vnicuique ius ſuum tribuere, ſeu medium, & æqualitatem ad alterum facere, & ad hoc vt habeatur talis æqualitas duo exiguntur; primum, vt bonum fiat, ſeu vt quod alicui debetur, tribuatur; ſecundum, vt arceantur nociua, & Iniurioſa, quibus bonum illud iam conſtitutum violaretur, ergo partes integrales iuſtitiæ ſunt bona facere, & mala arcere.

II. Concl. Partes ſubiectiuæ iuſtitiæ in communi ſunt tres, nempe Iuſtitia commutatiua, diſtributiua, & legalis. Prima eſt iuſtitia partis ad partem; ſecunda totius ad partes. Tertia partium ad totum. Prob. concl. & ſimul declaratur. Proprium iuſtitiæ munus eſt æqualitatem inter aliqua conſtituere, vt ſcilicet vnumquodque alteri reddat, quod ipſi debetur, & iuxta diuerſas habitudines eorum, inter quæ ponitur æqualitas, ſtatuendæ ſunt diuerſæ ſpecies Iuſtitiæ; at huiuſmodi habitudo eſt tantùm triplex, ergo triplex quoque ſtatuenda eſt ſpecies iuſtitiæ. Minor ſic explicatur; cum enim homines conſtituant inter ſe ſocietatem aliquam politicam, ſeu ciuilem, quæ eſt quoddam corpus morale, triplex eſt habitudo inter homines non aliter ac inter membra corporis naturalis: primò ſiquidem homo dicit habitudinem ad alium hominem tamquam ad compartem corporis politici, cui tenetur rependere, quod ſuum eſt, & hoc reſpicit iuſtitia commutatiua, cuius eſt ſtatuere æqualitatem inter duos æquales homines in venditionibus, emptionibus, commutationibus, à quibus, cæteriſque officijs, quibus pars parti obligatur, nomen traxit. Secundò Reſpublica, ſeu corpus politicum, ex homini-

nibus tanquam membris conſtitutum dicit habitudinem ad ſingulas ſuas partes, quibus debet aliquid rependere pro vniuſcuiuſque conditione, diſtribuendo per eos, qui Reipublicæ præiunt, de publicis bonis vnicuique pro meritis, & hoc reſpicit iuſtitia diſtributiua, ad quam ſpectat æqualitatem facere in diſtributione dignitatum, honorum, atque bonorum communium. Tertiò tandem quælibet pars huius politici corporis dicit habitudinem reciprocam ad totum, cui aliquid viciſſim debet, vt videlicet tale ſe illi exhibeat pro ſua virili parte, qualem decet, & bono totius conuenit, & hoc reſpicit iuſtitia legalis, cuius eſt æqualitatem ſtatuere in officijs, quæ bonum totius Reipublicæ impendere tenetur.

Verùm, etſi omnes iſtæ ſpecies iuſtitiæ reſpiciant æqualitatem, attamen non eodem modo illam conſtituunt. Siquidem iuſtitia commutatiua reſpicit, & conſtituit æqualitatem quaſi quantitatiuam, ſeu, vt vocant, Aritmeticam, quæ in hoc conſiſtit, vt tantum detur, quantum acceptum eſt v. g. qui tres nummos mutuò accepit, tres nummos reddere debet, & qui vnam menſuram frumenti accepit, parem menſuram reddere debet, vel æquiualens pretium taxatum, quæ æqualitas dicitur etiam proportio aritmetica. Iuſtitia verò diſtributiua non attendit æqualitatem quantitatum, ſeù aritmeticam, ſed æqualitatem proportionum, quæ vocatur proportio geometrica, & in hoc conſiſtit, vt vnicuique detur iuxta merita, ſeù vt ſeruetur eadem proportio inter præmia data, quæ eſt inter merita accipientium v. g. vt ſi habenti ſex gradus meritorum dentur tres nummi, habenti duodecim gradus meriti dentur ſex nummi. Eadem enim eſt proportio trium ad ſex, quæ ſex ad duodecim, & ratio huius modi procedendi eſt, quia ratio dandi eſt habitudo partium ad totum; quare, cum non omnes partes eandem habitudinem dicant ad totum, ſed quædam ſint in eo principaliores, non omnes idem recipere debent à toto, ſed quælibet pars iuxta dignitatis, ac meriti ſui proportionem. Iuſtitia autem legalis attendit ad æqualitatem aliquam ex vtraque prædicta temperatam, quatenus enim quælibet pars dat toti v. g. quilibet Ciuis Ciuitati iuxta proportionem ſuarum virium, quæ non in omnibus eædem ſunt, videtur ſeruare æqualitatem proportionis

geo-

geometricæ; at quatenus quælibet pars in reddendo toti non debet attendere quid reddat alia, & ſic non debet ſeruare proportionem inter id, quod alia dat, & id, quod ipſa rependit, ſed quælibet, nulla habita ratione aliarum dare debet quantum poteſt, & totum ab ea exigit, & ſic videtur eſſe quædam æqualitas aritmetica.

III. Concl. Partes potentiales iuſtitiæ ſunt nouem ſuperiùs recenſitæ. Eſt communis, & ſic ſufficientia talis diuiſionis probatur. Virtus ordinata ad alterum ſolùm poteſt deficere à perfecta iuſtitia, vel quia id, quod alteri reddit, deficit à ratione æqualitatis, vel quia deficit à ratione debiti. Primo modo deficiunt virtutes, quæ ſunt ad Deum: quidquid enim homo illi reddat reddit minus, quàm debet, nec vnquam poteſt rependere æquale; huiuſmodi ſunt Religio, quæ tribuit Deo reuerentiam, & cultum, & pœnitentia, quæ exhibet Deo ſatisfactionem pro peccatis: ſimiliter a ratione æqualitatis deficiunt virtutes, quæ reſpiciunt patriam, & parentes, & perſonas in aliqua dignitate conſtitutas, ſeù virtute, ſapientia, alijſque prærogatiuis inſignes, nempe pietas, & obſeruantia, quia neque his, à quibus naturale eſſe accepimus, neque his, qui nobis exhibent documenta, & exempla virtutum poſſumus æquale reddere. Secundo modo deficiunt virtutes, quarum materia non cadit ſub debito rigoroſo, quod eſt debitum legale, ſeù ciuile, ſed dicuntur debita earum actus ex ſola decentia, & honeſtate virtutis, quod appellatur debitum morale. In quo debito eſt duplex gradus; eò quia, vel poteſt eſſe neceſſarium ſimpliciter, adeò vt ſine illo honeſtas morum conſeruari non poſſit, vel ſolum ad melius eſſe, ſine quo rectitudo morum poteſt conſiſtere, eſtò non perfectè.

Inſuper neceſſarium ſimpliciter poteſt attendi, vel ex parte debentis, & ſic ponitur veritas, ſeu veracitas, ad quam pertinet dictare, vt qualis homo eſt, talem ſe exhibeat alteri in factis, & in verbis: vel poteſt attendi ex parte eius, cui debetur, prout aliquis recompenſatur ſecundum id, quod fecit: Si in bonis, & ad hoc ponitur gratitudo, ſi in malis, ad hoc ponitur vindicantia, ſeu vindicatio, qua pro malis illatis, ſeruato legitimo ordine, pœna auctori infligitur. Pro debito morali minus neceſſario, ſeù ad melius eſſe ponuntur duæ virtutes, nempe amicitia, per quam homo

quàm veritas relinquatur: tum quia ob ſcandalum Phariſæorum non ſunt omittenda bona opera, etiamſi ſecundùm ſe non ſint neceſſaria ad ſalutem. Nihilominus tradunt Doctores opera ſpiritualia ad ſalutem non neceſſaria ob ſcandalum puſillorum, eſſe interdum ommittenda, interdum differenda; quod vltimum communiter à Doctoribus explicatur exemplo, eius, qui intendit ingredi religionem, quem,dicunt,obligari talem ingreſſum differre,ſi pręuideat ſuos parentes ex ignorantia, vel infirmitate inde accepturos peccandi occaſionem, v. g. filium, aut religionem odio habendi, aut damnificandi, vel inſtitutum Religionis detrahendi &c.

QVÆSTIO IX.

Vtrum licitum ſit petere, vel conſulere quod alter non eſt facturus abſque peccato.

NOt. Quòd conueniunt Doctores non peccare eum, qui iuſta de cauſa petit ab aliquo id, quod ſine peccato non eſt facturus, ſic v. g. non peccat petens mutuum ab vſurario, vt ſuæ neceſſitati prouideat, vt dicetur in diſp. de vſura: item exigens iuramentum ab eo, qui noſcitur iuraturus per falſos Deos, ſic pariter petens ſacramenta à malo miniſtro &c. quia hæc & ſimilia ex cauſa rationabili petens, petit quod æquum, & iuſtum eſt, & quod alter poteſt rectè facere, ſi velit, & petendo vtitur iure ſuo, ac proindè nulla eſt inductio ad malum, nec conſenſus in illud, ſed vel mera illius permiſſio, vel potiùs non niſi oblatio materiæ ex ſe licitæ, qua alter ex ſua malitia abutitur ad peccandum. Verùm, ſi non haberet legitimam cauſam, teneretur ex charitate ſimilia à talibus non petere, ne alteri detur occaſio peccandi.

Concl. Petere, ſuadere, vel conſulere id,quod ab altero ſine peccato fieri nequit, ſimpliciter loquendo, ſemper eſt peccatum, quia ſic eſt alterum directè inducere ad peccatum, etiamſi ille eſſe paratus, & hoc vltimum traditur ab Herinex p. 2. in diſp. de ſcandalo cum pluribus alijs, licet oppoſitum ſit pariter probabile, & à multis doceatur. Conc. quoad 1. part. conſtat ex dictis; notanter autem di-

dicitur ſimpliciter, ſeu abſolutè loquendo, quia conſulere, vel ſuadere peccatum minus in eodem genere, qui iam abſolutè decreuit committere peccatum maius, non eſt peccatum, quia tale conſilium non fertur abſolutè in malum, ſed in malum ſub ratione boni; quatenus eſt euitatio maioris mali, quo ſenſu minus malum habet rationem boni. Quarè in tali caſu conſulens non dicit alteri, fac malum, vel fac malum iſtud, ſed ſub conditione, hoc eſt, ſi omninò eſt paratus facere malum, potius eligat minus, & abſtineat à maiori, & ſic potius minuitur eius praua voluntas: ita paſſim Doctores. Hinc rectè infertur, quod parato ad Franciſcum occidendum, poteſt eum quis conſulere, ſeu perſuadere, vt ſolum eum verberet, parato ad adulterium perpetrandum vt fornicetur, ſed de hoc dubito, quia inducitur ad fornicandum cum perſona diſtincta ab vxorata. potius igitur poſſet perſuaderi. vt ſolum eandem oſcularetur, vel quid ſimile, quia ſic reſpectu eiuſdem perſonæ eſſet minus malum conſulere: at diuerſa ratione cenſeo eſſe philoſophandum de eo, qui eſt paratus ad furandum non magno diuiti, nempè quod poſſit induci ad furandum magno diuiti, quia ſic eſſet perſuadere minus malum in ordine ad tertium, cui minus damnum infertur.

Quæres. An ſemper ſit peccatum mortale cooperari materialiter alterius peccato mortali.

Reſp. Si cooperatio, ſiue opus ex ſe ſit indifferens, vel etiam bona, & recta intentione fiat, atque ex rationabili cauſa, nullum committitur peccatum, vt e.g ſternere equum, Herum comitari, & expectare, eſtò nouerit quis illum ad fornicandum adire; ſimiliter parare menſam, lectum, & ſimilia, etiamſi non ignoret famula, vel famulus, quod concubinæ inſeruire debet, quia talia, vel ſunt indifferenria, vel remote ſe habent. Verùm numquam eſt licitum ſubminiſtrare ea, quæ de ſe ſunt mala, quia eſt cooperari proximè, & immediatè peccato; imò nec licet miniſtrare indifferentia alicui ea abuſuro, cum intentione vt alter prauam voluntatem adimpleat; quia vt inter alios docet D. Thomas relatus à Silueſtro verbo. Infidelitas: mala intentio transfert rem indifferentem ad malitiam, cum malus finis deturpet etiam media per ſe indifferentia, imò & bona, vt oſtenſum eſt in tract. de actibus humanis. Adde

quod etiam non habens malam intentionem nequit licitè, & ſine participatione peccati præſtare domino illa obſequia, quæ non ex ſola intentione præcipientis, ſed ex ſua natura ad malum ordinantur, & velut media, & partes illius cenſentur malum attingere, qualiter ſe habent ſubmittere ſcienter humeros, vt Herus aſcendat per feneſtras ad fornicandum, ad occidendum &c. deferre ſcalam, aperire ianuam, aut quid ſimile; nam, etiamſi famuli faciant id metu notabilis detrimenti, peccant mortaliter: in cuius confirmationem extat propoſitio, quæ eſt 51. in ordine ab Innoc. XI. damnata, & eſt talis. *Famulus, qui ſubmiſſis humeris ſcienter adiuuat herum ſuum aſcendere per feneſtras ad ſtuprandam Virginem, & multoties eidem ſubſeruit deferendo ſcalam, aperiendo ianuam, aut quid ſimile cooperando, non peccat mortaliter, ſi id faciat metu notabilis detrimenti, puta ne à Domino malè tractetur, ne toruis oculis aſpiciatur, nè domo expellatur.*

TRACTATVS TERTIVS
DE IVSTITIA, ET IVRE.

IVſtitia à Philoſopho lib. 5. Ethicorum cap. 3. inter morales virtutes excellentiſſima appellatur, & iure quidem meritò, eò quod ordinat non bonum priuatum, ſed publicum, ſeu commune: ex quo fit, vt latiſſime ſe extendat, vtpotè quæ locum habet fere in omnibus negotijs, in quibus eſt inter homines communicatio, ſine qua pax, & ſocietas humana ſubſiſtere nequit. Quarè eius notitia eſt perutilis, immò omninò neceſſaria ijs, quibus incumbit alios quoad conſcientiam inſtruere, ac dirigere: ideoque à Theologis ea, quæ ad iuſtitiam ſpectant, exactè tradi ſolent. Quod nos quoque, breuitate retenta, præſtare ſtudebimus, Vnde in primis agemus de eius principijs in generali, & deindè ad particularia deueniemus, ſit igitur.

DISPVTATIO I.

De principijs generalibus Iuſtitiæ, & Iuris.

QVÆSTIO I.

Quodnam ſit obiectum Iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd Iuſtitia in S. Scrip. ſumitur pro vniuerſitate omnium virtutum, & ſic nemo dicitur iuſtus ſi ab vnica virtute recedat, vnde dicitur Matt. 5. *Beati, qui eſuriunt, & ſitiunt Iuſtitiam*. Aliquando ſumitur pro ſola charitate iuſtificante, quo ſenſu loquitur *Trid. ſeſſ. 6. cap. 6. diſponuntur autem ad ipſam Iuſtitiam &c.* Aliquando ſumitur Iuſtitia ad ſignificandam rectitudinem voluntatis in qualibet ſua actione, & in hoc ſenſu Scot. in 4. diſt. 46. q. 1. ex D. Anſelmo c. 20. dicit, *quod eſt rectitudo voluntatis propter ſe ſeruata:* denique ſumitur pro virtute particulari, qua vo-

luntas inclinatur ad reddendum vnicuique Ius ſuum ad æqualitatem, & de hac tantùm inpræſentiarum agere intendimus, quæ à Vulpiano deſcribitur *l. iuſt. ff. de Iuſt. & Iur. Iuſtitia eſt conſtans, & perpetua voluntas Ius ſuum cuique tribuendi;* quam deſcriptionem quoad ſubſtantiam omnes Theologi recipiunt, licet accidentaliter videatur ab aliquibus variari. Voluntas in definitione data non ſumitur pro potentia, ſed pro actu quaſi virtualiter, ſeù habitualiter perſeuerante; quod indicatur per ly conſtans, ac perpetuà; nam per ly conſtans ſignificatur propoſitum debere eſſe firmum, quo decernitur dare cuique ſuum, & per ly perpetua indicatur, quod oporteat ſemper, & in omni occaſione velle tribuere vnicuique Ius ſuum, non enim ad perfectam Iuſtitiæ rationem ſufficit velle aliquo tempore, aut in aliquibus negotijs vnicuique tribuere, quod ſuum eſt. Per ly ius ſtrictum ex mox dicendis patebit.

Not. 2. quod ius multipliciter accipitur: primò pro regula, ſeu norma operis iuſti, & ſic lex ſiue naturalis, ſiue poſitiua diuina, ſiue humana dicitur ius. Vnde dicere ſolemus aliquid competere alicui de lege naturali, vel de lege poſitiua diuina, vel humana, Eccleſiaſtica, vel ciuili. Secundò ſumitur pro ſententia iuris, quo ſenſu *Celſus iuris conſ. teſte Vulpiano l. 1. ff. de Iur. & Iuſt. ait, ius eſt ars boni, & æqui. At vt notat Suarez. in comment. Inſt. accipitur pro iuris prudentia, quæ dicitur ſcientia iuſti, & iniuſti, quia iuſta ab iniuſtis, & licita ab illicitis dignoſcuntur l. 1. ff. eod.* Vel etiam vt idem Doctor explicat, ius dicitur ars boni, & æqui hoc eſt exercitium boni, & æqui viri in colenda iuſtitia. Tertiò ſumitur pro legitima poteſtate, & actione, quam quis habet in rem aliquam, quo pacto dicimus, aliquem vti iure ſuo. Quartò denique ius accipitur pro iuſto, vt docet Iſidor. de Ætym. lib. 5. c. 3. & ius ſic acceptum eſt obiectum quod iuſtitiæ; cum hæc ſit voluntas ius ſuum cuique tribuendi, conſtat enim, iuſtitiam non tribuere cuique legem, aut legitimam facultatem, ſed quod iuſtum eſt.

Not. 3. quod ius in quarta acceptione, quatenus eſt idem iuſto, poteſt accipi tripliciter: primò generaliſſimè pro omni eo, quod eſt legi conſentaneum, quod ab Ariſt. vocatur iuſtum legitimum, & eſt idem ac honeſtum. Secundo minus generaliter pro omni eo, quod alteri ex quacumque ho-

ne-

neſtate, ſeu æquitate eſt debitum. Dupliciter autem poteſt aliquid alteri eſſe debitum. Primò debito legali, quod vocatur etiam debitum iuſtitiæ. Secundò debito morali, ſeù honeſtatis; *debitum legale eſt illud, ad quod alter verum ius, & actionem legalem habet, & ideò ratione illius iuris alius obligatur l. iuſt ad illud reddendum. Debitum morale eſt, quod non fundatur in tali iure, ſeu actione, ſed ſolùm in honeſtate morali, & debita rectitudine virtutis, quam vnuſquiſque ſeruare tenetur in ſuis actionibus, quæ ſunt ad alterum*; quiſque enim tenetur erga alterum operari ſecundùm legem virtutis ad dictamen rectæ rationis, quamuis alter verum ius ad hoc non habeat v. g. quis tenetur morali bebito eleemoſynam dare pauperi, etſi pauper non habeat ius, & actionem ad hoc vt illi detur. Idem dicendum eſt de gratitudine, & veritate, & de quibuſdam alijs, de quibus ſuo loco erit ſermo.

Concl. obiectum formale iuſtitiæ eſt ius, vt coincidit cum iuſto, ſeu debito legali ad alterum, obiectum autem materiale ſunt res, in quibus ius conſtituitur, quales ſunt venditiones, emptiones, donationes, diſtributiones &c.

Prob. concl. ex Ariſt. 5. Eth. c. 1. vbi ait, quod omnes talem habitum volunt dicere iuſtitiam, à quo operatiui iuſtorum ſunt, ergo ius eſt obiectum formale iuſtitiæ. Prob. ex D. Thom. Rectum, quod eſt in opere virtutis eſt obiectum proprium, & formale, ad quod tendit intentio virtutis, ſed rectum, quod eſt in opere iuſtitiæ eſt iuſtum, ergo iuſtum eſt obiectum formale iuſtitiæ. Prob. ampliùs. Iuſtitia vt eſt virtus Cardinalis, eſt habitus quo homines inclinantur ad res iuſtas agendas, & quo iuſta agunt, vel volunt iuſta, ergo iuſtitia reſpicit iuſtum tamquam ſuum obiectum formale. Quod autem emptiones, venditiones, & huiuſmodi, in quibus ponitur debita æqualitas, ſeu ipſum ius fundatur, ſit obiectum materiale, nulli dubium eſt, quia huiuſmodi actiones ſunt veluti materia ipſius iuſti.

QVÆSTIO II.

Quænam ſint partes Iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd ex dictis in philoſophia aliæ ſunt partes integrales, aliæ ſubiectiuæ, aliæ potentiales. Integra-

les ſunt, quæ integrant aliquod totum: ſubiectiuæ dicuntur, quæ ſubijciuntur alicui toti tamquam ſpecies ſuo generi, vt homo, Leo Animali: potentiales denique dicuntur illæ, quæ adiunguntur toti per modum potentiæ virtutem eius participantis, ſicut nutritiuum, & ſenſitiuum dicuntur partes animæ, cuius virtutem inter ſe diuidunt, & inadæquatè participant. Omnes recenſitæ partes, ſeruata proportione, reperiuntur in qualibet virtute Cardinali. Reperiuntur igitur ad ſimilitudinem partium integralium in iuſtitia boni operatio, & mali vitatio, non quidem ſecundùm quod bonum, & malum ſumuntur in communi, quia ſic pertinent ad omnem virtutem, ſed prout bonum habet rationem debiti ad proximum, & malum rationem nociui reſpectu eiuſdem. Similiter ad inſtar ſpecierum reſpectu ſui generis reperiuntur in iuſtitia tres ſpecies, nempe iuſtitia commutatiua, diſtributiua, & legalis; & denique ad inſtar partium potentialium dantur in iuſtitia nouem partes, nempe religio, pœnitentia, pietas, obſeruantia, gratitudo, vindicatiua, veritas, amicitia, & liberalitas, quæ omnes dicuntur partes potentiales participantes virtutem principalioris, ideſt iuſtitiæ, quatenus ordinantur ad aliquos ſecundarios actus, vel materias, in quibus ratio principalis virtutis plenè, perfectè, & exactè non reperitur, neque proinde totam eius potentiam adæquant, ſed ſolùm aliquam illius particulam ſibi vindicant, ſicut nutritiuum non adæquat totam virtutem animæ vegetatiuæ, ſed ſolùm aliquid illius.

Not.2. Quòd virtus moralis ex Ariſt.2.Eth. eſt habitus electiuus in mediocritate, ideſt in medio conſiſtens. Huiuſmodi autem medium duplex eſt, aliud dicitur medium rationis, & aliud medium rei primum eſt illud, quod præſcribitur, & determinatur à ratione, vt in temperantia determinatur à ratione modus, ſeu medietas v. g. cibi, & potus, quæ vnicuique ſecundùm ſuam complexionem poteſt conuenire; non enim eadem menſura cibi, & potus, quæ conuenit vni, poteſt omnibus competere; cum vna complexio ſit alia, & alia fortior, ac proindè maiori cibo indigeat: Et hoc medium rationis reperitur etiam in fortitudine, & reliquis virtutibus moralibus. Medium autem rei dicitur illud, quod non determinatur præcisè à ratione, ſed

exi-

exigitur ex natura rei ad æqualitatem reddendam, & tale medium reperitur in ſola Iuſtitia, cum ipſa ſola reſpiciat æqualitatem rei ad rem, videlicet, vt tantum detur alteri, quantum illi debetur. Cæteræ autem virtutes reſpiciunt qualitatem operantis, vt ſcilicet ſecundùm dictamen rectæ rationis conſideretur quomodo huic, vel illi perſonæ operanti conueniat.

I. Concl. Duæ ſunt partes integrales iuſtitiæ in communi, nempe boni operatio, & mali vitatio, quod idem eſt facere bonum, & declinare à malo. Prob. concl. Partes integrales alicuius virtutis ſunt, quæ ad integritatem actus illius concurrunt, ſed actus iuſtitiæ, vt conſtat ex eius definitione, eſt vnicuique ius ſuum tribuere, ſeu medium, & æqualitatem ad alterum facere, & ad hoc vt habeatur talis æqualitas duo exiguntur; primum, vt bonum fiat, ſeu vt quod alicui debetur, tribuatur; ſecundum, vt arceantur nociua, & iniurioſa, quibus bonum illud iam conſtitutum violaretur, ergo partes integrales iuſtitiæ ſunt bona facere, & mala arcere.

II. Concl. Partes ſubiectiuæ iuſtitiæ in communi ſunt tres, nempe Iuſtitia commutatiua, diſtributiua, & legalis. Prima eſt iuſtitia partis ad partem; ſecunda totius ad partes. Tertia partium ad totum. Prob. concl. & ſimul declaratur. Proprium iuſtitiæ munus eſt æqualitatem inter aliqua conſtituere, vt ſcilicet vnumquodque alteri reddat, quod ipſi debetur, & iuxta diuerſas habitudines eorum, inter quæ ponitur æqualitas, ſtatuendæ ſunt diuerſæ ſpecies Iuſtitiæ; at huiuſmodi habitudo eſt tantùm triplex, ergo triplex quoque ſtatuenda eſt ſpecies iuſtitiæ. Minor ſic explicatur; cum enim homines conſtituant inter ſe ſocietatem aliquam politicam, ſeu ciuilem, quæ eſt quoddam corpus morale, triplex eſt habitudo inter homines non aliter ac inter membra corporis naturalis: primò ſiquidem homo dicit habitudinem ad alium hominem tamquam ad compartem corporis politici, cui tenetur rependere, quod ſuum eſt, & hoc reſpicit iuſtitia commutatiua, cuius eſt ſtatuere æqualitatem inter duos æquales homines in venditionibus, emptionibus, commutationibus, à quibus, cæteriſque officijs, quibus pars parti obligatur, nomen traxit. Secundò Reſpublica, ſeu corpus politicum, ex homini-

 ni-

nibus tanquam membris conſtitutum dicit habitudinem ad ſingulas ſuas partes, quibus debet aliquid rependere pro vniuſcuiuſque conditione, diſtribuendo per eos, qui Reipublicæ præiunt, de publicis bonis vnicuique pro meritis, & hoc reſpicit iuſtitia diſtributiua, ad quam ſpectat æqualitatem facere in diſtributione dignitatum, honorum, atque bonorum communium. Tertiò tandem quælibet pars huius politici corporis dicit habitudinem reciprocam ad totum, cui aliquid viciſſim debet, vt videlicet tale ſe illi exhibeat pro ſua virili parte, qualem decet, & bono totius conuenit, & hoc reſpicit iuſtitia legalis, cuius eſt æqualitatem ſtatuere in officijs, quæ bonum totius Reipublicæ impendere tenetur.

Verùm, etſi omnes iſtæ ſpecies iuſtitiæ reſpiciant æqualitatem, attamen non eodem modo illam conſtituunt. Siquidem iuſtitia commutatiua reſpicit, & conſtituit æqualitatem quaſi quantitatiuam, ſeu, vt vocant, Aritmeticam, quæ in hoc conſiſtit, vt tantum detur, quantum acceptum eſt v. g. qui tres nummos mutuò accepit, tres nummos reddere debet, & qui vnam menſuram frumenti accepit, parem menſuram reddere debet, vel æquiualens pretium taxatum, quæ æqualitas dicitur etiam proportio aritmetica. Iuſtitia verò diſtributiua non attendit æqualitatem quantitatum, ſeù aritmeticam, ſed æqualitatem proportionum, quæ vocatur proportio geometrica, & in hoc conſiſtit, vt vnicuique detur iuxta merita, ſeù vt ſeruetur eadem proportio inter præmia data, quæ eſt inter merita accipientium v. g. vt ſi habenti ſex gradus meritorum dentur tres nummi, habenti duodecim gradus meriti dentur ſex nummi. Eadem enim eſt proportio trium ad ſex, quæ ſex ad duodecim, & ratio huius modi procedendi eſt, quia ratio dandi eſt habitudo partium ad totum; quare, cum non omnes partes eandem habitudinem dicant ad totum, ſed quædam ſint in eo principaliores, non omnes idem recipere debent à toto, ſed quælibet pars iuxta dignitatis, ac meriti ſui proportionem. Iuſtitia autem legalis attendit ad æqualitatem aliquam ex vtraque prædicta temperatam, quatenus enim quælibet pars dat toti v. g. quilibet Ciuis Ciuitati iuxta proportionem ſuarum virium, quæ non in omnibus eædem ſunt, videtur ſeruare æqualitatem proportionis

geo-

geometricæ; at quatenus quælibet pars in reddendo toti non debet attendere quid reddat alia, & ſic non debet ſeruare proportionem inter id, quod alia dat, & id, quod ipſa rependit, ſed quælibet, nulla habita ratione aliarum. dare debet quantum poteſt, & totum ab ea exigit, & ſic videtur eſſe quædam æqualitas aritmetica.

III. Concl. Partes potentiales iuſtitiæ ſunt nouem ſuperiùs recenſitæ. Eſt communis, & ſic ſufficientia talis diuiſionis probatur. Virtus ordinata ad alterum ſolùm poteſt deficere à perfecta Iuſtitia, vel quia id, quod alteri reddit, deficit à ratione æqualitatis, vel quia deficit à ratione debiti. Primo modo deficiunt virtutes, quæ ſunt ad Deum: quidquid enim homo illi reddat reddit minus, quàm debet, nec vnquam poteſt rependere æquale; huiuſmodi ſunt Religio, quæ tribuit Deo reuerentiam, & cultum, & pœnitentia, quæ exhibet Deo ſatisfactionem pro peccatis: ſimiliter a ratione æqualitatis deficiunt virtutes, quæ reſpiciunt patriam, & parentes,& perſonas inaliqua dignitate conſtitutas, ſeù virtute,ſapientia, alijſque prærogatiuis inſignes, nempe pietas, & obſeruantia, quia neque his, à quibus naturale eſſe accepimus, neque his, qui nobis exhibent documenta, & exempla virtutum poſſumus æquale reddere. Secundo modo deficiunt virtutes,quarum materia non cadit ſub debito rigoroſo, quod eſt debitum legale, ſeù ciuile, ſed dicuntur debita earum actus ex ſola decentia, & honeſtate virtutis, quod appellatur debitum morale. In quo debito eſt duplex gradus; eò quia, vel poteſt eſſe neceſſarium ſimpliciter,adeò vt ſine illo honeſtas morum conſeruari non poſſit, vel ſolum ad melius eſſe, ſine quo rectitudo morum poteſt conſiſtere, eſtò non perfectè.

Inſuper neceſſarium ſimpliciter poteſt attendi, vel ex parte debentis, & ſic ponitur veritas, ſeu veracitas,ad quam pertinet dictare, vt qualis homo eſt, talem ſe exhibeat alteri in factis, & in verbis: vel poteſt attendi ex parte eius, cui debetur, prout aliquis recompenſatur ſecundum id, quod fecit: Si in bonis, & ad hoc ponitur gratitudo, ſi in malis, ad hoc ponitur vindicantia, ſeu vindicatio. qua pro malis illatis, ſeruato legitimo ordine, pœna auctori infligitur. Pro debito morali minus neceſſario, ſeù ad melius eſſe ponuntur duæ virtutes, nempe amicitia, per quam homo

tam

tam verbis; quàm factis conuenienter ſe habet ad alios,quibus conuiuit, & liberalitas, per quam conuenienter dat non alio titulo, niſi quia ipſum dantem decet; vnde in his duabus virtutibus minimum eſt de ratione debiti. Hæc ſufficiant adnotaſſe, quia de omnibus recenſitis virtutibus Iuſtitiæ potentialibus erit ſuo loco ſpecialis ſermo. Ordo namque doctrinæ expoſcit, vt prius agamus de partibus ſubiectiuis Iuſtitiæ, quæ ſunt propinquiores, quam de partibus potentialibus, quæ ſunt remotiores.

Quæres. Quid ſit ius in re, & ius ad rem.

Reſp. quod ius in re dicitur illud, quod facit rem ipſam alicui obligatam, ſeù deuinctam. Ius ad rem eſt illud, quo res nondum eſt obligata, ſeù deuincta, vt quis illam faciat ſuam; quarè ad hoc vt aliquis acquirat ius in re tria requiruntur: primò exiſtentia rei: 2. titulus iuſtus, qualis eſt emptio, donatio &c. 3. traditio, vnde ſi vnum ex his deſit non eſt ius in re, vt colligitur *ex l. traditionibus C. de pactis, vbi ſic habetur: traditionibus, & vſucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*; & ita tradunt communiter DD. hinc ſequitur primò Eccleſiaſticos non habere ius in re circa fructus ſuorum beneficiorum, quos ſequenti anno percepturi ſunt, quia tales fructus nondum exiſtunt, habent tamen ius ad rem: 2. fures, & vſurarios non habere ius in re circa pecunias furto, vel vſura acquiſitas, quia deficit legitimus, ſeù iuſtus titulus: 3. emptorem non habere ius in re circa equum, pro quo pretium perſoluit, quamdiù equus non eſt illi traditus; habet tamen ius ad rem, & actionem perſonalem, non autem realem, quare ſi venditor eundem equum traderet priori emptori; ſi autem equus fuiſſet ſibi traditus, & aliquis eum furatus fuiſſet, poſſet agere non ſolum contra perſonam, ſed etiam in equum ipſum, eum capiendo vbi inuenerit. Similiter defectu traditionis non habet quis Ius in re circa bona ſibi debita ex contractibus ſocietatis, aut donationis ex electione canonica iam facta; immò neque ex ipſa collatione beneficij, vel ſucceſſione hæreditatis ante acceptationem, quia per huiuſmodi titulos præcisè non acquiritur aliud quàm ius ad rem, ſiuè actionis in perſonam ſibi in his caſibus aduerſantem. *In caſu tamen beneficij Eccleſiaſtici non requiritur vera, & realis traditio, ſed ſufficit collatio, & acceptatio, vt habetur cap. ſi tibi abſenti de prabend.*

bend. in 6. nihilominus ad poſſeſſionem beneficij neceſſaria eſt traditio, & quaſi apprehenſio eius, interuentu alicuius actus, v. g. per ſeſſionem in cathedra Epiſcopali acquiritur poſſeſſio Epiſcopatus, & per alios ſimiles actus acquiritur poſſeſſio aliorum beneficiorum.

Cæterùm quando dicitur aliud eſſe ius in re, aliud ius ad rem, nomine rei non tantum intelligimus res corporales, quæ tangi poſſunt, vt veſtes, domum &c. ſed etiam incorporales, quæ ſolum intellectu percipiuntur, cuiuſmodi ſunt iura ad aliquid, vt v. g. ius adeundi hæreditatem, ius fruendi, aut vtendi re alterius, ius viæ per agrum alienum, ius mittendi ſtillicidium alicuius domus ſuper alienam domum, & ſimilia. *Hæc enim iura computantur inter res incorporales, vt habet Inſtit. de rebus corporalibus, & incorporalibus.*

QVÆSTIO III.

Vtrum Iuſtitia legalis habeat veram, & propriam rationem Iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd Iuſtitia legalis ſortitur varia nomina; primò vocatur Iuſtitia, quia eſt ad alterum, nempe ad Rempublicam, ſeu Communitatem: 2. vocatur legalis, quia ſe extendit ad omnia, quæ legibus ſancita ſunt propter bonum commune: 3. vocatur iuſtitia generalis ratione materiæ, ex eo, quod verſatur in omni materia virtutum moralium; omnis enim talis materia legibus conſtituta eſt; 4. vocatur virtus ſpecialis, quia licet ratione materiæ ſit generalis; tamen in ratione virtutis eſt ſpecialis, & habet ſpecialem eſſentiam diſtinctam ab alijs virtutibus. Cæterùm noſtri Andreas Vega lib. 5. in Conc. Trid. cap. 4. & Giraldus Odonis lib. 5. Ethic. docent cum Ariſt. Iuſtitiam legalem non eſſe virtutem aliquam ſpecialem, ſed potius omnium virtutum complexionem, quæ quidem complexio dupliciter ſpectari poteſt: primò in ſubdito, quatenus legi obtemperat: ſecundò in ſuperiore, quatenus inclinat illum, vt curet leges ſeruari, & vtroque modo vocatur Iuſtitia legalis.

Not. 2. Quòd pietas, obſeruantia, & iuſtitia legalis in tribus conueniunt, & in tribus differunt: primò ſiquidem con-

conueniunt, quia immediatè reſpiciunt, & procurant bonum commune Reipublicæ: 2. quia non poſſunt Reipublicæ præſtare debitum ad æqualitatem, ac proinde non ſunt Iuſtitia propriè dicta: 3. quia non obligant ad reſtitutionem. Differunt verò in ratione debiti; tribus enim modis poteſt aliquid eſſe debitum Reipublicę à priuato homine: primò titulo originis, ſeu natiuitatis; etenim ex eo quod quis natus eſt in aliqua Ciuitate, debet illi aliquod obſequium: 2. titulo prouidentiæ, & gubernatoris: 3. titulo connexionis, & dependentiæ, quam habet pars ad totum; primo debito ſatisfacit pietas: 2. obſeruantia: 3. Iuſtitia legalis. Cæterum obedientia videtur diſtingui ab his tribus virtutibus, quia debitum illius oritur præcisè ex poteſtate, & iuriſdictione ſuperioris obligantis ſubditum, non autem ex titulis mox recenſitis.

Not. 3. Quòd in hac quæſtione ſunt duæ opiniones: prima eſt D. Thomæ, & Salon. art. 5. in D. Thom. qui putant, Iuſtitiam legalem eſſe verè, & propriè Iuſtitiam. Rationem dat D. Thomas, quia Iuſtitia ſecundùm propriam rationem ordinat hominem tum ad alterum particularem, tum ad alterum in communi, ſiue ad communitatem, ac proinde vtraque iuſtitia tam particularis, quam legalis eſt iuſtitia propriè dicta. Secunda opinio eſt Gregorij de Valentia quæſt. 2. ʃ. 2. Herincx diſp. 4. de Iuſt. & Iur. & Smiſing. tract. 3. de Deo diſp. 4. aſſerentium, Iuſtitiam legalem non eſſe iuſtitiam propriè dictam, vtpotè non reſpicientem ſtrictum debitum ad æqualitatem, neque obligat, ſi violetur, ad reſtitutionem. Quod ſi talis obligatio adſit erit ipſius iuſtitiæ commutatiuæ, qua v. g. obligantur priuati non auferre bona ſpectantia ad Communitatem.

Concl. Iuſtitia legalis non eſt Iuſtitia propriè dicta. Hanc tenent DD. ſecundæ opinionis, & colligitur ex Scot. in 4.

Prob. Iuſtitia propriè dicta debet eſſe inter eos, qui ita diſtincti ſunt, vt vnus non ſit aliquid alterius, qua ratione inter Dominum, & ſeruum, inter Patrem & Filium, vt in ſequenti quæſtione monſtrabitur, non eſt Iuſtitia propriè dicta: ſed Ciues, & Reſpublica non ita diſtinguuntur, quia Ciuis eſt pars Reipublicæ, ergo inter illos non intercedit Iuſtitia propriè dicta. Prob. 2. Ratio iuſtitiæ propriè dictæ in eo conſiſtit, vt alteri reddatur debitum ſecundùm

æqua-

æqualitatem, vt etiam docet D. Thomas, ſed homo priuatus non poteſt Reipublicæ reddere debitum ad æqualitatem; ergo &c. ſi dicatur, quod homo priuatus poteſt Reipublicæ præſtare quantum illi debet ex lege; ergo ad æqualitatem. Reſp. neg. conſ. quia aliud eſt præſtare debitum ad æqualitatem, aliud eſt præſtare debitum, quod exigitur, poſſumus quidem, & debemus præſtare debitum Reipublicæ, ſed non poſſumus, nec tenemur præſtare ad æqualitatem, quæ ratio valet etiam de homine reſpectu Dei, & de filijs reſpectu parentum.

Arg. cont. concl. Iuſtitia legalis immediatè reſpicit bonum Reipublicæ: ergo perfectior eſt Iuſtitia particulari, quæ immediatè reſpicit bonum alterius priuati, ergo ſi hæc eſt iuſtitia propriè dicta, multò magis illa.

Reſp. conc. ant & nego conſ. & ratio negationis eſt, quia iuſtitia propriè dictà non attenditur pœnes nobilitatem, & perfectionem virtutis Iuſtitiæ, ſed attenditur pœnes rigoroſum debitum. Quare licet Iuſtitia legalis non ſit iuſtitia propriè dicta, eſt tamen perfectior Iuſtitia particulari, quæ eſt iuſtitia propriè dicta; tum quia reſpicit bonum commune, quod eſt excellentius bono priuato; tum quia debitum Iuſtitiæ legalis eſt altioris ordinis, quàm debitum iuſtitiæ particularis, & hoc patet in ſimili exemplo, nam religio, pietas, & obſeruantia ſunt iuſtitia impropriè dicta, & tamen ſunt nobiliores, quàm iuſtitia propriè dicta, quia verſantur circa debitum altioris ordinis.

QVÆSTIO IV.

Inter quos intercedat Iuſtitia propriè, ſeu rigoroſè dicta.

NOt. Quòd Iuſtitia, ſeu ius diuiditur in ius ſimpliciter, & in ius ſecundum quid: vel, vt alij dicunt, in ius ęquale, & inequale. Ad hoc vt aliquid ſit ius ſimpliciter tria requiruntur; primum, vt ſit ad alterum: ſecundum, vt interueniat ratio debiti: tertium, vt conſtituatur æqualitas. Ius autem ſecundum quid dicitur illud, cui aliqua ex his conditionibus deficit, vt tradit Ariſt. 5. Ethic. cap. 6. & cum eo D. Thomas, Rich. & alij.

I. Concl. Inter Patrem, & Filium formaliter, ſeu quà tales

les nulla intercedit Iuſtitia propriè dicta, ſeu ius ſimpliciter, quod etiam appellatur ius ciuile, ſeu politicum.

Prob. nam filius vt filius eſt aliquid patris, & vnum quid cum ipſo, ac proinde inter ipſos non reperitur perfecta alteritas, ſed ad iuſtitiam propriè dictam requiritur alteritas, ſeu quod ad alterum ſit: ergo inter patrem, & filium non intercedit iuſtitia propriè dicta, ſeu ius ſimpliciter; vnde quidquid filius debet Patri, debet titulo pietatis. Notant tamen DD. quod filius tribus modis conſiderari poteſt: primò quatenus eſt pars patris per generationem: 2. quatenus non eſt ſui iuris, quoad bona temporalia, ſed ſub poteſtate patris: 3. quatenus eſt ſui iuris, & non eſt amplius ſub patria poteſtate, ſiue per emancipationem, ſiuè alio modo, vt ſit in peculio caſtrenſi, vel quaſi caſtrenſi, etiam ante emancipationem, & hoc tertio modo tantum filius eſt alter à patre. Vnde in hoc ſenſu poteſt inter Patrem, & filium intercedere ius ſimpliciter; ſi enim poſt emancipationem peccet in bonis patris erit vera iniuſtitia, quia iam filius eſt ſui iuris, & habet bona propria diſtincta à bonis paternis; ſecus autem ſi filius ſecundo modo ſumptus peccet in bonis temporalibus patris, non enim erit iniuſtitia, ſed quaſi quædam prodigalitas, vt quidam DD. tradunt; nam bona Patris cenſentur eſſe bona filij, ac proinde non aliena, & ſic ad reſtitutionem non tenetur filius; etſi nonnulli volunt, quod filius auferens bona paterna faciat iniuriam patri, & conſequenter teneatur ad reſtitutionem, quamuis cæteris paribus ſit minùs peccatum eandem ſummam ſurripere à Patre, quàm ab alio extraneo, quia pater cenſetur minus inuitus, quàm alius. Cæterum meo videri prima opinio apparet magis conſona rationi, & iuri naturali, quia, cum filius ſit aliquid patris; ſi bona patris ſurripiat, bona quaſi propria aufert, licèt inuito patre, cui obtemperare debet in ijs, quæ ſpectant ad bonorum paternalium conſeruationem; ex quo fit, vt non teneatur ad reſtitutionem, licet in re graui mortaliter peccet.

II. Concl. Inter Maritum, & Vxorem nulla intercedit iuſtitia circa regimen familiæ, ratio eſt: quia inter eos quoad hoc non eſt perfecta alteritas; Vxor ſiquidem non poteſt aliquid diſponere independenter à Marito, qui eſt caput vxoris; intercedit tamen inter eos iuſtitia propriè di-

dicta aliunde. Primò in ijs, quæ ſunt vſus matrimonialis, quia ſolutio debiti eſt actus perfectæ iuſtitiæ: 2. in ijs quæ vxori ſunt propria. qualia ſunt bona paraſfernalia &c. de quibus infrà: 3. denique vterque coniux habet ius ſimpliciter, vt ab altero alatur, ſeù veſtiatur &c.

III. Concl. Inter dominum, & ſeruum formaliter nulla poteſt intercedere iuſtitia propriè dicta: ratio eſt, quia ſeruus eſt aliquid Domini, vtpotè animatum eius inſtrumentum, & quaſi aliquid de ſuis proprijs bonis; vnde *Inſtit. cap. per quas perſonas §. 3. Item vobis, expreſsè habet: ſerucs acquirere Dominis quidquid ipſi acquirunt quauis cauſa, vel occaſione*: ſed hoc non eſſet ſi inter Dominum, & ſeruum ius ſtrictum intercedit; ergo &c.

Arg. cont. 1. concl. Amicitia non minùs eſt ad alterum, quàm iuſtitia ex Ariſt. 8. Ethic. c. 8. ſed inter Patrem, & Filium eſt propria amicitia ex eod. Ariſt. ergo & inter illos eſt propriè iuſtitia. Reſp. neg. mai. non enim eſt par ratio de amicitia, & de iuſtitia, quia, licet amicitia reſpiciat alterum, tamen non exigit ius quemadmodum exigit iuſtitia, ſi de filio non emancipato ſit ſermo,

Arg. 2. Inter patrem, & filium poteſt reperiri propriè iniuria, ſed vbi reperitur proprie iniuria, reperitur etiam propriè Iuſtitia, ergo inter patrem, & filium &c. Reſp. reddenda ſingula ſingulis, eo modo, quo inter patrem, & filium poteſt eſſe iniuria, poteſt etiam eſſe iuſtitia; vnde ſi filius non emancipatus occidat patrem non erit iniuſtitia, ſeù iniuria, ſed impietas; ſi autem ſit emancipatus erit propriè iniuria præter impietatem.

Arg. 3. Inter Chriſtum, & Deum Patrem fuit propriè iuſtitia; Chriſtus enim ex iuſtitia ſatisfecit æterno Patri pro humano genere, ſed Chriſtus ratione naturæ D. eſt aliquid Patris: ergo &c. Reſp. quod argumentum tangit grauem difficultatem, quæ tractatur in 3. ſentent. vbi agitur de ſatisfactione Chriſti. Et quidem Theologi non ſatis in hac re conueniunt, quia, licet fide teneamus Chriſtum ſatisfeciſſe pro genere humano, nihilominus variant DD. quoad modum, an ſcilicet ſatisfecerit de toto rigore iuſtitiæ, vel nec ne. Scotiſtæ partem negatiuam tuentur, quamplures alij affirmatiuam propugnant; Vide tractat. de Incarnat. diſp. 7. quæſt. 5.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

De varijs ſpeciebus Iuris.

IN hac quæſtione nobis agendum eſt de varijs ſpeciebus iuris, quales ſunt dominium, vſusfructus, vſus, habitatio, ius pignoris, hypothecæ, ſeruitutis &c. Quarè ne obſcurè procedamus in re non facili intellectu, optimum duxi hanc præſentem quæſt. in plures articulos partiri; vt nobis clarè innoteſcat notitia præfatarum iuris ſpecierum, ſit igitur.

ARTICVLVS I.

Quid ſit dominium, & Quotuplex.

PRima Concl. dominium in genere eſt ius gubernandi, vel diſponendi de re aliqua tanquam ſua. Suum autem dicitur, quod ita ſubiectum, & adſtrictum eſt illi, cuius eſſe dicitur, vt poſſit de eo diſpònere proprio iure, & ſine alterius commiſſione; ſic dicimus Deum habere dominium omnium creaturarum; omnes enim creaturæ à Deo ſunt, gubernantur, & conſernantur, ac proinde totaliter ab ipſo dependent. Vnde dominium duo includit, nempe potentiam, & auctoritatem in rem, vel perſonam, & ſubiectionem rei, vel perſonæ ad hoc vt res ſeu perſona dici poſſit eſſe alterius: nam, qui huiuſmodi poteſtatem non habet, nequit vocari dominus. *Tres autem ſunt dominij ſpecies. Aliud ſupremum, & abſolutum, quod ſoli Deo competit. Aliud medium, & ſubalternum, quod competit hominibus in rebus proprijs. Aliud infimum, quod Princeps in ſuis ſubditis, & illorum bonis habet, & dicitur infimum, & improprium, quia non in ſuam, ſed in communem ſubditorum vtilitatem exercetur: ita Barboſa Collect. deciſ. t. 5. p. 2. q. 1.*

II. Concl. Dominium aliud eſt iuriſdictionis, aliud proprietatis. Primum eſt ius gubernandi ſuos ſubditos in ipſorum vtilitatem, & commodum, nimirum præcipiendo, prohibendo, puniendo, ac præmiando: 2. eſt ius diſponendi de re aliqua tamquam ſua in ordine ad proprium commodum, niſi lege prohibeatur: *Ita Bartol. in leg. ſi quis §. Differentia ff. de acquir. poſseſs.* Notanter dicitur niſi lege prohibeatur,

quia

quia licet dominium ex ſui natura tale ſit, vt tribuat poteſtatem ad quemcumque vſum, attamen quandoque poteſtas illa ligatur lege, ne poſſit in actum prodire. Sic Pupillus prohibetur rem ſuam alienare vſque ad certum tempus eſtò ſit verus Dominus, ſic pariter maioratus, & alia bona vinculata non poſſunt alienari ex diſpoſitione legis, licet vero dominio poſſideantur.

Cæterum vtrumque dominium ſubdiuiditur: & quidem dominium iuriſdictionis tot modis diuidi poteſt, quot modis diuiditur iuriſdictio, à qua non videtur diſtingui; Vnde aliud eſt dominium iuriſdictionis Eccleſiaſticæ, aliud ſæculare. *Illud eſt poteſtas gubernandi aptè ad finem ſupernaturalem inducendo media proportionata ad talem finem, vt eſt poteſtas Papalis Patriarchalis &c.* Hoc autem, nempe ſæculare *Eſt poteſtas gubernandi accommodatè ad finem naturalem, ſeu ad ciuilem, & publicam pacem, & ſocietatem, vt poteſtas Imperatoria, Regia &c.* Inſuper dominium proprietatis, de quo ſolo hic agimus, diuiditur in plenum, & non plenum. Plenum eſt quando quis poteſt perfecte diſponere de re aliqua iuxta definitionem aſſignatam. Non plenum eſt quando non poteſt perfectè diſponere, ſed vna pars iuris pertinet ad vnum, & alia ad alium, vt v.g. quando ad vnum pertinet proprietas, & ad alium vſusfructus. Hoc autem dominium ſubdiuiditur in dominium directum, & vtile. Directum vocatur à Bartulo quando quis habet proprietatem ſine vſufructu. Vtile quando habet vſumfructum ſine proprietate, ideſt ius vtendi, & fruendi re aliena, ſalua rei ſubſtantia, quale eſt in vſufructuario, emphyteuta, & feudatario.

Quæres. Quæ requirantur ad acquiſitionem dominij alicuius rei. Reſp. ad acquiſitionem dominij alicuius rei, quæ non transfertur ab vno ad alium ſola rei apprehenſio ſufficit; ſic acquiritur dominium omnium rerum, quæ nullius ſunt. *Verùm ſi dominium transferatur ab vno ad alium, requiritur titulus, & traditio, vt habetur l. traditionibus C. de Pactis, & inſtit. de rer. diuiſ.* Quid autem ſit titulus explicabitur infra. Nihilominus excipiuntur caſus ſequentes, in quibus traditio non eſt neceſſaria. Primò in traditione beneficij, cuius dominium acquiritur per ſolam collationem, & acceptationem, vt alibi dictum eſt: 2. in acquiſitione hæreditatis, ſiue enim hæres ſuccedat in bonis defuncti ex teſta-

mento, ſeu ab inteſtato, ſtatim ac hæreditatem adit, acquirit dominium ſine vlla traditione, & apprehenſione, *Vt conſtat ex l. cum Heres ff. de acquir. poſſeſſ.* Idem in legatis, quorum quis ſit dominus quamprimum hæres acceptet hæreditatem. 3. quando Ciuitatibus, Eccleſijs, Monaſterijs, Hoſpitalibus, & alijs locis pijs, vel etiam in redemptionem captiuorum hæreditas aliqua, legatum, aut fideicommiſſum eſt relictum, vel donationis titulo, vel etiam venditionis, tunc ſtatim abſque vlla traditione tranſit in eiuſdem dominium, *Vt habetur l. vt inter Diuinum C. de Sacroſanctis Eccleſijs*, vnde ſi idem vendatur, & tradatur ſecundo emptori talis emptio eſt inualida. Quartò excipitur contractus ſocietatis omnium bonorum per matrimonium. Quinto quando quis donauit alteri v.g. domum ſub conditione alendi ipſum dantem, ſi hoc non fiat quamprimùm ſine traditione, redit domus ad dantem *ita l. 1. C. de donat. quæ ſub tit. 6.* tandem quando quis donauit aliquid alteri ea lege, vt finito certo tempore, res illa deueniat ad aliquem tertium, tunc enim, tranſacto illo tempore, tranſit dominium in illum tertium, etiam abſentem, & ignorantem talem donationem. *Ita Decius cum quibuſdam alijs apud Conar. lib. 1. variar. ſolut. cap. 14. & colligitur ex l. quoties C. de donat. quæ ſub modo. Alij tamen contradicunt.* Sed quid ſi res pluribus ſit vendita: reſp. tradendam eſſe primo emptori, quod ſi iam tradita fuerit ſecundo, cui de priori venditione non conſtiterat ſit ipſe Dominus, ſecus ſi huic ſecundo fuerit data gratis, vt tradunt legales.

ARTICVLVS II.

Quid ſit vſusfructus, & quomodò acquiratur, & amittatur.

NOt. Quòd *Proprietas, de qua loquuntur iuriſperiti, nil aliud eſt quàm ius in re, per quod res obligatur alicui, vt ſine ipſius voluntate non poſſit fieri alterius, & ad ipſum pertineant omnia emolumenta rei, quæ ipſe alteri non communicauerit.* Vnde vſusfructus aliquando eſt coniunctus cum proprietate reſpectu eiuſdem Domini, aliquando eſt ſeparatus adeò vt proprietas ſit in vno, & vſusfructus ſit in alio. Hinc legales diſtingunt duplicem vſumfructum, alterum vocant cauſalem, qui nimi-

nimirum cauſatur quodammodò, ſeu emanat à proprietate rei reſpectu eiuſdem Domini; habens enim proprietatem rei, habet etiam conſequenter vſumfructum. Alterum vocant formalem, qui ſcilicet eſt ſeparatus à proprietate, de quo in præſentiarum agitur.

I. Concl. vſusfructus eſt *Ius vtendi, & fruendi rebus alienis, ſalua ipſarum ſubſtantia: ita deſcribitur lib. 1. ff. de vſufruc. & inſtit. eodem tit.* Explicatur definitio, dicitur ius, quia hic non loquitur de vſu actuali, quem iuriſperiti vocant vſum facti, ſed de ipſo iure vtendi, & fruendi. Dicitur ius vtendi, vt excludatur ius, quod habet creditor in pignus, vel hypothecam, & depoſitarius in depoſitum, quibus non eſt licitum talibus frui. Dicitur fruendi, vt excludatur nudum ius vtendi, quod non extenditur ad fructus. Itaque ius fruendi ſupra nudum vſum importat Ius ad percipiendum omnes fructus ex re fructuaria perceptibiles. *Fructuum autem nomine cenſetur quidquid ex re naſcitur, & percipitur, iterumque renaſcitur, vt percipiatur, prout in homine ſunt opera l. hominis ff. De operis ſeruorum: idem eſt de Iumentis* in grege lana pilus, lac, fetus; In fundo fęnum. ſegetes virgulta, & arbores, ſeù ſyluę, cæduæ, quæ ſcilicet ſuccidi. & renaſci ſolent, *vt habetur l. Sylua 30. ff. de verbor. ſignif. Niſi arbores cæduæ eſſent fructiferæ, & grandiores, & pro fabricis conſtruendis idoneæ, quæ eximuntur ab vſufructu per legem 11. & 19. ff. de vſufructu*: demortuas tamen plantas accipit vſusfructuarius, & nouas ſubſtituit; at ſi ventorum vi ſint deiectæ, cedunt proprietario.

Cæterùm fructuarius hoc ipſo, quo fructus naturales colligit, ſeu percipit, quod fit dum eos à ſolo ſeparat, fit eorum dominus, eoſque tranſmittit ad hæredes; aliàs, etiã maturi ſint, moriente fructuario, aut finito tempore vſusfructus cædunt proprietario fundi, cui adhuc inhærentes cenſentur cum eo vnumquid. *Ita inſtit. de rer. diuiſ. §. his verò; poſſet tamen hæres expenſas factas repetere à proprietario iuxta Pechium lib. 5. de teſtam. coniung.* Dicitur tandem ſalua rerum ſubſtantia ad ſignificandum quod res à fructuario non poteſt deſtrui, ſed debet inſtar patris familias ab eo conſeruari; ideoque vſusfructus non conſtituitur propriè in rebus vſuconſumptibilibus; immò requiritur præſtatio cautionis idoneæ, ſi nimirum exigatur, *vt videri poteſt inſtit. de vſufruct. & DD. legales*. Quarè fructuarius tenetur domus ali-

qualiter reparare, gregem, vineam, pomarium &c. quæ cenſentur quid perpetuum ſubſtituendo alia in locum animalis, vitis, arboris mortuæ vel inutilis redditæ ſeruare, tali lege, vt quod ſubſtitutum eſt, ſtatim fiat proprietarij, alterum vero fructuarij. Diximus teneri fructuarium gregem conſeruare ſupplendo capita demortua; *vt habet inſtit. de rer. diuiſ. §. ſed ſi gregis,* quia grex cenſetur perpetuus, cum tamen è contra vnum pecus non cenſeatur perpetuus vſufructuarius vnius ouis, aut vaccæ e. g. non tenetur aliam ſubſtituere ſi naturaliter intereat, non autem negligentia fructuarij. Verùm ſi tempeſtate, aut ſimili caſu fortuitò grex, vel eius magna pars, domus &c. pereat nil ſubſtituendum eſt: quæ omnia iure ſtatuta ſunt.

II. Concl. vſusfructus duplici ratione acquiritur, nempe legis diſpoſitione, & dicitur legalis, & diſpoſitione priuata v. g. teſtamento, pacto &c. & ſic vocatur conuentionalis. Exemplum de primo ex l. competit patri vſusfructus in peculium aduentitium filij: è contra verò amittitur vſusfructus ſex modis: primò morte vſufructuarij ſiuè naturali, ſiue ciuili, licet ſaltem iure communi non habeat locum in profeſſione religioſa quoad hunc effectum, nempe, quod vſusfructus non cenſeatur extinctus, quia in iura profeſſi ſuccedit Monaſterium ſucceſſionis capax: 2. interitu ipſius rei: 3. præſcriptione decem annorum inter præſentes, viginti inter abſentes, de qua præſcriptione infra erit ſermo: 4. per maximam, vel etiam mediam capitis diminutionem fructuarij; *dicitur autem maxima capitis diminutio, quando quis Ciuitate, ac libertate priuatur, ſeù exuitur; Media quando adhuc retinetur quidem libertas, & Ciuitas retinetur, ſed ſtatus hominis immutatur.* Maxima autem tribus caſibus fiebat, primò per condemnationem ad metalla, vel ad beſtias, vel ad mortem, vel perpetuò ad triremes: 2. quando libertus ingratitudinis in patronum condemnabatur, rurſus in ſeruitutem reuocabatur: 3. quando quis à patre patiebatur vendi, vt eſſet particeps pretij *Inſtit. de cap. diminut.* §. 2. Media verò fiebat duobus caſibus: primò cum quis deportabatur in inſulam: 2. cum aliquis proſcribebatur interdictus aqua, & igni, vt habet inſtit. vbi ſupra; Iſti enim habebantur vt mortui. Denique ſi pater fiat hæreticus hoc ipſo amittit vſumfructum in bonis aduentitijs filij, & ſtatim coaleſcit cum do-

dominio directo, quod habet filius: ratio, quia filius liberatur patria poteſtate, cum pater ſit hæreticus, & efficitur ſui iuris, adeòut nulla alia emancipatione egeat, *Vt expreſsè habetur cap. 2. de Hæretic. in 6.*

ARTICVLVS III.

Quid ſit vſus, & habitatio.

PRima Concl. Vſus eſt *Ius vtendi re aliena ſalua eius ſubſtantia: ita inſtit. de vſu, & habitatione, & deducitur ex leg. 1. & 2. ff. de vſu, & habitatione.* Explicatur, dicitur ius; quia vſus duobus modis ſumitur: primo pro actu vtendi, quo pacto equitatio dicitur vſus equi, & habitatio vſus domus: ſecundò pro iure ad vtendum re eo modo, quo ſibi competit. Vnde in definitione ſumitur ius prout importat non actum vtendi, ſed dominium; dicitur vtendi, quia per hoc diſtinguitur ab vſufructu, qui eſt etiam ad fruendum aliena re ſalua eius ſubſtantia, quia vſuarius obligatur ad rei conſeruationem. Hinc fit, quod parum iuris habet is, qui ſolùm vſum rei alienæ obtinet: etenim, qui ſolum vſum habet alieni fundi, poteſt quidem in eo manere, ambulare &c. ita tamen vt Domino non ſit moleſtus. Item poteſt ſumere poma, ollera, fœnum, ligna ad vſum quotidianum, ex his tamen omnibus nil poteſt alijs donare vendere, aut locare.

II. Concl. Habitatio eſt aliquid medium inter vſum, & vſumfructum domus, & ab vtroque diſtinguitur, & primò quidem in eo diſtinguitur ab vſu, quod vſuarius, cui vſus domus eſt conceſſus, poteſt quidem eam habitare cum familia propria, & hoſpites recipere: at vſum huiuſmodi domus non poteſt alteri concedere, ſeu locare, & acquirere ſibi pretium locationis; quod tamen poteſt is, cui habitatio conceſſa eſt. Similiter, qui habet nudum vſum equi non poteſt permittere, vt alter eo vtatur. Secundò diſtinguitur ab vſufructu, quia vſusfructus, vt dictum eſt, varijs modis finitur, habitatio verò ſolum finitur morte eius, cui conceſſa eſt, *Vt habetur l. habit. & l. cum antiquitas C. de vſufruct. & habit.* Itaque habitatio eſt vſus domus ad habitandum in ea, & eſt vſus quidem ſpecialis, nam qui habet ius habitandi, poteſt etiam eam locare alteri, & pretium lo-

cationis acquirere, vt qui habet tantùm vſum domus, ipſe ſolus poteſt in ea habitare cum vxore, liberis, & familia, non autem alius, in quem ipſe ius transferat. *Ita inſtit. & ff. de vſu, & habitat.*

ARTICVLVS IV.

Vtrum vſus diſtinguatur à dominio in rebus, quæ ipſo vſu conſumuntur.

NOt. 1. Quòd in articulo proximo ſuperiori egimus de vſu prporiè dicto, qui conſtituitur in rebus permanentibus, de quo dubium non eſt, quin diſtinguatur à dominio, vt clarè patet ex ipſius definitione, cum, vt ſupra dictum eſt, ſit ius vtendi rebus alienis. In præſenti autem articulo quærimus de vſu impropriè dicto, qui eſt in rebus vſu conſumptibilibus, an ſcilicet ius vtendi talibus rebus diſtinguatur à dominio earumdem rerum. Vndè pro maiori claritate obſeruandum, quod duplex eſt vſus rerum, nempe vſus iuris, & vſus facti: primus, quid ſit conſtat: *Secundus, qui dicitur etiam vſus nudus, ſeu reuocabilis, eſt ipſa actualis vſurpatio rei, & dicitur reuocabilis,* quia dependenter à voluntate concedentis; qui quidem vſus ſpectari poteſt, vel in rebus vnico actu conſumptibilibus, puta eſculentis, poculentis, & ſimilibus: item in moneta actu expoſita, in qua eſt moralis quædam abſumptio per alienationem: Vel etiam in rebus permanentibus, vt libris, Calicibus, & id genus ſimilibus; & talis vſus nudus dicitur vſus iuris naturalis non iuris ciuilis, nullum enim includit dominium politicum; cum ei non competat ciuilis defenſio, nec in iudicio, vel repetitio iuridica.

Not. 2. Quòd præſens quæſtio agitatur de ſolo vſu facti, qui cadit ſuper res tam conſumptibiles vnico actu, quàm non conſumptibiles, circa quam extant duæ ſententiæ celebres occaſione noſtræ Apoſt. & altiſſimæ paupertatis: prima eſt Ioann. XXII. Pontificis in Extrauag ad Conditorem, Bartuli, Silueſtri, & quorundam aliorum Iuriſtarum aſſerentium, vſum facti non diſtingui à Dominio rei conſumptibilis: Secunda ſententia eſt omnium Doctorum Ordinis Minorum, qui docent in rebus vſu conſumptibilibus

bus diſtingui vſum facti, ſeu vſum nudum, & ſimplicem à dominio, & talium rerum dominium eſſe pœnes Sedem Apoſtolicam, vt à primo exordio Seraphicæ Religionis declararunt plures Pontifices infra adducendi.

Concl. Vſus facti, ſiue cadat ſuper res non conſumptibiles vnico actu, ſiue ſuper res conſumptibiles vnica actuali vſurpatione, diſtinguitur à dominio, ac proinde talis vſus poteſt à dominio ſeparari. Hæc eſt adeò certa, vti auctoritatibus, & rationibus mox oſtendetur, vt oppoſita ſententia videatur ferè improbabilis: & eſt Alenſ. D. Bonau. Scot. & omnium Doctorum Ordinis Minorum, eſtq; communis, vt ſupra indicauimus. Prob. igitur auctorit. Regulæ D. Franciſci, quæ veluti Apoſtolica, & à Spirit. S. inſpirata quamplurimis Apoſtolicæ Sedis Oraculis approbata eſt, & confirmata, ſic enim cap. 6. habetur: *Fratres nihil ſibi approprient nec domum, nec locum, nec aliquam rem, quibus verbis Sanctus Fundator excludit pro quouis tempore omne dominium, & omnis rei proprietatem.* Prob. 2. auct. Summorum Pontificum declarantium ſuis conſtitutionibus, Fratres Minores in puritate regulę viuentes, nullum dominium nec in communi, nec in particulari habere rerum, quibus vtuntur, ſed ſolùm habere ſimplicem, ſeu nudum vſum facti abſque vllo iure, retinentium omne dominium, proprietatem, ſeu ius pœnes ſe, & Sedem Apoſtolicam. *Ita Gregor. IX. S. Franciſco coæuus Innocen. IV. Alexan. IV. Nicol. III. conſtitutione inſerta iuri canonico cap. Exijt de verb. ſignif. in 6. & Clemens V. Clementina prima edita in Synodo generali Viennenſi, & pariter inſerta iuri canonico tit. eod.* ergo euidenter concluditur vſum facti ſeparari à dominio, ac proinde ab ipſo diſtingui; eſt enim legitima conſequentia, ſeparantur, ergo diſtinguntur.

Prob. 3. auct. D. Bonau. qui in quæſt. circa regulam, & in Apologia pauperum contra Giraldum de Abbatis villa aduerſarium Mendicantium ſic diſcurrit. *Duplex eſt vſus rerum, quidam enim vtuntur rebus auctoritate propria, vt Domini; quidam aliena, vt ſerui, quia ergo Fratres Minores pro Chriſto ſeruiles effecti ſunt, vtuntur rebus, quas vſu conſumunt, nec tamen eis dominantur, & in hoc ipſo Chriſtum imitantur, qui cibo veſcebatur alieno, in alienis domibus continuè hoſpitando*, & præſertim in Apologia cit. egregiè confirmat concluſionem noſtram etiam legibus; tandem concludit: *Quod Pontificalis caſtri-*

tes

tas quantumcunque vſus, & dominium in aliquibus rebus ſecundum ius ciuile cenſeantur eſſe coniuncta decernere poterit in aliquibus perſonis eſſe ſeparata, quod circa Ordinem Fratrum Minorum Chriſti Vicarius ſua auctoritate confirmans ſic eſſe decreuit, cuius definitioni contraire nullatenus licet. Et hæc quidem dicta ſufficiant ad cauillationes malignantium hominum refellendas. Hactenus D. Bonau. Probatur denique ratione. Apud omnes eſt indubitatum Religioſos ſolemniter profeſſos non habere in particulari vllius rei dominium, etſi habeant etiam in particulari vſum dictarum rerum: ſed hoc non eſſet niſi vſus facti, & ſimplex eſſet diſtinctus à dominio, ac proprietate, ergo &c.

Confirmatur exemplo famuli, ſeu ſerui, & etiam hoſpitis, qui vtuntur cibo potu, & alijs rebus Domini abſque vllo iure, ſed ſolo vſu facti reuocabili, ac proinde dependenter à voluntate ipſius Domini; de licentia tamen eiuſdem Domini rationabiliter non inuiti, immò conſentientis: ergo magis Religioſus, & ſignanter Frater Minór veſcitur, & vt, cum D. Bonau. loquar, ſuſtentatur de non ſuo, ideſt non ſibi proprio, ſed alieno piè tamen, & iuſtè ab alio ſibi pro ſuſtentatione collato. Itaque religioſi habent ſolummodò vſum rerum ad ſubſtentandam vitam ad inſtar auium, qui à Domino nutriuntur abſque prorſus vllo iure, cuius ſunt omninò incapaces.

Arg. 1. *Ioan. XXII. in quadam extrauag. ad conditorem Canonum de verb. ſignif. renuntianit dominium rerum vſuconſumptibilium, declarans in huiuſmodi rebus non diſtingui dominium ab vſu*, ac proinde eo ipſo, quod Minoritæ talibus rebus vtuntur iure, ſeu dominio conſumunt, ergo dominium non diſtinguitur ab vſu rerum conſumptibilium.

Reſp. verum eſſe ant. ſed præfatus Pontifex in hoc errauit tamquam Doctor particularis iuxta Belarm. & alios; Immò Sotus Ordinis Prædicatorum lib. 4. de Iuſt. quæſt. 1. art. 1. ait eum neque legitimè, neque (ſi dicere fas eſt) iuſtè feciſſe, ſed in odium &c. Becanus nititur ad bonum ſenſum trahere, dicendo, quod Ioannes locutus eſt de vſu independente, qui non differt à dominio; alij verò Pontifices de vſu dependente; vnde conueniunt in re, & ſolùm differunt in facto, an Minoritæ habeant vſum dependentem, an independentem: *Et quidem idem Pontifex Ioannes ante offen-*

offenſam contra Ordinem Minorum Nicolai III. & Clementis V. declarationes tamquam ſalubriter editas ſolidas quidem, & claras, & lucidas, multaque maturitate digeſtas probauerat extrauag. Quorundam exigit de verb. ſignif. Itaque Ioannes iam dixerat Minoritas habere tantùm vſum nudum, & ſimplicem, & dependentem, quem poſtea alia extrauag. cit. negauit: verùm ante mortem ſuam reuocauit inter alia tum quæ de animabus ſeparatis quoad carentiam viſionis beatificæ ante diem iudicij, tum quæ de alijs non rectè dixiſſet, aut ſcripſiſſet ſubmittendo omnia determinationi Eccleſiæ, & ſuorum ſucceſſorum. Eccleſia autem in prædeceſſoribus, & ſucceſſoribus illius noſcitur determinaſſe, quod noſtra concluſio aſſerit derogando expreſsè extrauag. cit. ad Conditorem canonum. *Reuocationem prædictam refert Vadingus ad annum 1333. & ex Authentico tranſumpto Petrus Marchant. in lib. duodecim fundamenta.*

Arg. 2. Vſus formalis, ſeu ſeparatus à dominio eſt, qui competit alicui in rem alienam, ſalua ſubſtantia, vt ex dictis patet, ergo vſus, quo quis poteſt rem conſumere non eſt ſeparatus à dominio, ac proinde Minoritæ habent dominium &c. Reſp. neg. conſ. quia procedit de vſu propriè dicto, non autem de vſu impropriè dicto, de quo hic loquimur.

Quæres. Quid, & quotuplex ſit ſeruitus.

Reſp. *Seruitus eſt quædam ſubiectio, ſeu obligatio, qua res aliena alteri ſubiecta eſt, & ſeruire debet.* Ex dictis conſtat vſumfructum, vſum, habitationem, & ſimilia in eo conſiſtere, vt quis capiat vſum, aut fructum ex re aliena. Hinc fit, vt res aliena dicatur ſeruire illi, qui vſum, aut fructum ex ea capit. Huiuſmodi ſeruitus duplex eſt, nempe realis, & perſonalis. Realis eſt, quæ à re debetur rei; Perſonalis, quę à re debetur perſonæ, vt v. g. alienus ager, vel ſeruit meæ perſonæ, vt ex ea habeam vſumfructum, & ſic dicitur perſonalis; vel inſeruit meo agro, dum videlicet per eum habeo liberum tranſitum in meum agrum, & ſic dicitur realis. Inſuper ſeruitus realis diuiditur in ruſticam, & vrbanam, ideſt in eam, quæ prædio ruſtico, aut vrbano debetur. Prędium autem vrbanum in iure vocatur omne ædificium ſiue ſit in vrbe, ſiue in villa. Ruſticum quoduis aliud prædium, ſiue hortus. Seruitutes igitur vrbanæ ſunt, vt v. g. Petrus

non erigat altiùs ſuas ædes, ne impediat lumen vicino; vt patiatur tignum, ſeù trabem in parietem immitti ſuum à vicino, vt recipiat ſtillicidium alterius tecti in ſuam aream. Ruſticę ſunt, vt liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel iumentum agere, vel aquæductum facere, vt videre eſt in Inſtit. de ſeruit. prædiorum.

Deniquè ſeruitus diuiditur in continuam, quaſi continuam, & diſcontinuam, & hæc diuiſio prodeſt prò materia de præſcriptione. Continua eſt cuius actus continuè durat, vt ſeruitus aquæductus, aut tigni ſuſcipiendi, quaſi continua eſt, cuius actus non quidem continuè, ſed tamen certis temporibus ſemper fit, vt ſeruitus ſtillicidij. Diſcontinua eſt cuius actus pendet ex voluntate hominis, vt iter, via, aquæ auſtus, & ſimilia, de quibus omnibus agunt Legales. Cæterum ſeruitutes perſonales conſtituuntur, & finiuntur ijſdem modis, quibus vſusfructus, vſus, habitatio &c. ſeruitutes autem reales conſtituuntur varijs modis, nempe lege, Teſtamento, donatione, pactionibus, & præſcriptione; quomodo autem finiantur, videri poteſt apud Legales. Hæc enim ſufficiant adnotaſſe pro noſtri Inſtituti ratione.

ARTICVLVS V.

Quibus competat dominium.

NOt. 1. Quòd dominium rerum temporalium, generatim loquendo, fundatur in triplici iure. primò in iure naturali, quo pacto fructus terræ, & animalia ſubiecta ſunt dominio hominis, immò tali iure homo eſt dominus ſuarum potentiarum propriæ vitæ, & famæ, ac proinde eſt dominus ſuarum operationum liberalium: 2. in Iure diuino, & ſic Iudæi acceperunt dominium terræ promiſſionis: 3. in iure humano ſiue gentium, ſiue ciuili, & ita fit aliquis dominus alicuius rei titulo hæreditatis, donationis, emptionis, præſcriptionis, aut alterius ſimilis contractus.

Not. 2. quod in hac quæſtione referuntur tres opiniones: prima eſt quorundam hæreticorum, nempe Valdéſium Vuicleff, & Ioann. hus, qui aſſeruerunt dominium tam proprietatis, quàm iuriſdictionis fundari in gratia, & charita-

ritate, adeout ſoli exiſtentes in gratia ſint veri domini eorum, quæ poſſident, quod ſi amittatur gratia, amittitur dominium, ac proinde peccatores nullum habere dominium. *Hæc autem opinio eſt hæretica, vt definitum fuit in Conc. Conſtantienſ. ſeſſ.*15. Secunda opinio eſt Hoſtienſis cap. Quia ſuper his extra de voto, vbi docet, fidem Catholicam eſſe fundamentum dominij, quare infideles nullum habent in ſententia huius Doctoris dominium, nec iuriſdictionis, nec proprietatis, putans omne dominium translatum eſſe ad Eccleſiam fidelium iuxta illud Iſaiæ cap. 60. *Gens, & Regnum, quod non ſeruierit tibi, peribit*. At neque hæc opinio ſubſiſtere poteſt; cum ex S. Scrip. clarè habeatur, plures infideles habuiſſe temporale dominium. Tertiò denique eſt Gerſonis de vita ſpirituali conſid. 15. & Corradi tract. 1. q. 2. qui exiſtimant, iuſtos in gratia conſtitutos acquirere nouum ius, & dominium in omnes creaturas inferiores, quod amittunt per peccatum mortale, etſi concedant peccatores retinere apud ſe dominium earum rerum, quas iuſtis titulis antea poſſidebant. Verùm hæc quoque opinio reijcitur à DD. ſiquidem Charitas, & gratia non tribuunt homini nouum ius, & dominium rerum temporalium, quod peccatores non habebant; cum bona temporalia æquali iure dentur iuſtis, & iniuſtis iuxta illud Matth. cap. 5. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*.

I. Concl. Soli naturæ intellectuali poteſt competere dominium. Ita communis ſentent. DD. Prob. Nam intellectus, & voluntas libera eſt fundamentum dominij temporalis, & carentes ex ſua natura libero arbitrio nequeunt exercere actus iuris, ſeu dominij, v. g. diſponere ad libitum de rebus, quæ ſub dominio cadunt, alienare, ſeu donare, & ſimilia: ergo ſoli naturæ intellectuali poteſt competere dominium iuxta illud Geneſis cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, & præſit piſcibus maris, & volatilibus Cœli*. Quod ſi accedat aliquis titulus ex prædictis in primo notabili, ſtatim poteſt reſultare proximum, & actuale dominium.

Cæterum vſus actualis rationis non requiritur ad dominium, quia paruuli, ſeu infantes, amentes, dormientes, ebrij ſunt domini ſuorum bonorum; nam carentia vſus rationis per accidens ſe habet, ac pro inde non impedit ea, quæ na-

naturæ inſunt per ſe: Nihilominus ad dominium expeditum, ſeu ad vſum, & excercitium illius exigitur vſus actualis rationis, quia actus dominij exigunt libertatem, vt clarè dicit Apoſt. ad Galat. 4. *Quanto tempore hæres paruulus eſt nihil differt à ſeruo (ideſt quo ad vſum) cum ſit dominus omnium, ideſt quoad proprietatem.*

II. Concl. Deus habet eſſentiale inabdicabile, & abſolutiſſimum dominium in omnes creaturas. Hæc eſt de fide, & expreſsè traditur in S. Scrip. Prob. Deus titulo creationis, & conſeruationis poteſt gubernare, & diſponere de qualibet re tamquam ſua, & propria, ita vt nullum poſſit à ſuo dominio emancipare, ſicut nec à ſua creatione conſeruatione, & gubernatione; Vnde in Pſalm. 113. dicitur, *Cælum Cœli Domino, terram autem dedit filijs hominum.* Ita tamen, vt, hanc eorum diſpoſitioni relinquendo, ipſe maneat ſupremus Dominus etiam terræ, & omnium, quæ in ea ſunt, teſte Pſalmiſta: *Domini eſt terra, & plenitudo eius.* Ex quo rectè inferunt DD. præſertim Scot. & D. Aug. poſſe Deum de abſoluta potentia condemnare hominem ad pœnas æternas, non vt pœnam peccati, poſito quod non peccauerit, ſed quia habet ſupremum dominium, vt poſſit diſponere etiam de homine quidquid ſibi placet, non ſecùs ac Dominus diſponit de ſuo equo, & cane; neque ob id inquiunt D. Aug. & Scot. Deus eſſet dicendus iniuſtus.

III. Concl. Angelis competit dominium in ſuos actus liberos, in famam, & honorem. Ita communiter DD. Prob. concl. Angeli non ſunt deterioris conditionis, quàm homines, immò ſunt nobilioris conditionis, ſicut ſunt perfectionis entitatis: ſed homines, vt mox dicemus, habent dominium in ſuos actus liberos, in famam, & honorem, ac proinde habent ius, ne lædantur, & lædens famam, & honorem hominis tenetur ad reſtitutionem; ergo à fortiori Angeli habent dominium in ſuos actus liberos, in famam &c. & conſequenter habent ius, ne lædantur. Vnde detrahens famæ, & honori Angelorum tenetur ad reſtitutionem.

Cæterùm an Angeli habeant dominium rerum corporalium ſublunarium dubium eſt; nam ex S. Scrip. nobis ſolum conſtat, quod ſint adminiſtratores ſpiritus in miniſterium miſſi à Deo, cuius veluti delegati adminiſtrant, & Cœleſtia, & ſublunaria. Nihilominus non videtur repugna-

gnare, inquit Herincx, Deum illis conceſſiſſe dominium in hæc ſublunaria. Dominium quidem non eiuſdem rationis cum dominio humano, ſed velut altum, quod conſiſtat cum dominio inferiori hominum ad ſe inuicem comparatorum, prout etiam ſententia ferè communis tribuit Chriſto quatenus homini, qua ratione, ſeu iure dixit Chriſtus de pullo, & aſino: *Soluite, & adducite mihi* &c. Verùm de Angelis minus nobis conſtat. Videtur tamen certum Angelos bonos habere dominium gubernatiuum, non ſolum ſuper cœlos, & elementa, ſed etiam ſuper homines, regna, & prouincias: teſte Apoſt. ad Hebr. c. 1. *Omnes ſunt adminiſtratores Spiritus in miniſterium miſſi propter eos.*

IV. Concl. Nullus homo habet plenum dominium ſuæ vitæ, aut membrorum, ſed ſolummodò dominium vtile ad inſtar vſufructuarij, quatenus poteſt illis vti, frui, ſalua ſubſtantia, ſeu integritate vitæ, & membrorum. Hæc concluſio eſt certiſſima apud omnes Catholicos, & recepta etiam apud Gentiles Philoſophos, etſi Stoici putauerint licitum eſſe ſe ipſum occidere, cum tedium obreperet vitæ.

Prob. Deus ſibi ſoli reſeruauit dominium prædictorum, vt clarè habetur in S. Scrip. & præſertim Sap. 16. vbi dicitur: *Tu es Domine, qui vitæ, & mortis habes poteſtatem, & Deuteronom. cap. 32. Ego occidam, & ego viuere faciam.* Accedit autem ratio, quia vita eſt radix quodammodo, & fundamentum dominij, nec acquiritur per noſtram induſtriam, licet, his non obſtantibus, poſſet Deus homini concedere Ius in vitam propriam, & alienam: ergo &c. Hinc conſtat, quod in nullo caſu poteſt homo ſe ipſum occidere, & licet in quibuſdam caſibus poſſit ſe ipſum mutilare, id tamen per accidens euenit, ſeu fit, ne videlicet aliàs vita ipſa exponatur maiori periculo infirmitatis, & vitæ.

Prob. 2. pars, nempe, quod homo habeat dominium vtile &c. Manifeſtum eſt, quod quilibet homo habet ius ad ſemper poſſidendum, vtendum, ac fruendum vita, ac membris proprijs pro ſuo arbitrio, quare occidens, aut mutilans alterum, item & impediens vi, ne alter actiones ſuas exerceat, iniuriam ei facit.

V. Concl. Nullus homo habet dominium plenum in vitam, aut membra alterius, vt ex dictis patet; attamen poteſt alter in alterum habere dominium vtile, ita vt vnus ho-

modicatur dominus alterius, & alter verus ſeruus, *Vt colligitur ex S. Scrip. Exod. 21. Leuitici 25. & 45. vbi dicta ſeruitus approbatur.* Deinde etiam ratio ſuffragatur; etenim, cum homo habeat dominium vtile vitæ ſuæ, ac membrorum, poteſt illud legitime transferre in alterum, vnde, cum ſeruitus dicitur eſſe contra naturam, non ita intelligendum eſt quaſi ſit contra legem naturæ, aut rectæ rationi repugnas, ſed tantum, quia eſt contra primæuam naturæ humanæ conditionem, vel ita intelligendum eſt, vt ſit quidem contra naturam negatiuè, quia natura neminem alteri tamquam mancipium tradit, non verò poſitiuè quaſi ius naturale ſeruitutem poſitiuè prohibeat.

Quæres, An homo habeat dominium ſuarum actionum liberalium. Reſp. affirmatiuè, & ratio eſt, quia homo fruitur libertate, & potentia naturali reſpectu talium actionum, & quidem perfectiori modo, quàm artifex ſui artefacti, ergo actiones iſtæ ſunt ſuæ, ideſt habet dominium, ac proinde poteſt de illis pro libito diſponere. Hinc rectè infertur Religioſos, quamuis ratione voti paupertatis à ſe abdicauerint omne dominium rerum temporalium, nihilominus retinere ſuarum actionum liberalium dominium. Vnde poſſunt ad libitum diſponere de proprijs ſcriptis, etiam contradicente Superiore, ob rationem aſſignatam; & licet carta, vt talis non poſſit à Religioſo pro libito diſponi, nempe donando, alienando &c. attamen carta prout continet ſuam ſcientiam, ſeu actiones liberales eſt in poteſtate Religioſi, quia, ſi tabula iuxta leges ciuiles cedit picturæ ratione maioris perfectionis, potiori Iure carta cedit doctrinæ, & ſcientiæ.

ARTICVLVS VI.

Vtrum homo habeat dominium famæ, & honoris.

NOt. Quòd fama alia dicitur bona, alia mala; Prior eſt bona exiſtimatio, ſeu opinio multorum de moribus, & vita alterius; Poſterior èconuerſo eſt mala exiſtimatio, quam habent homines de moribus, & vita alterius; Vnde duplex eſt opinio Doctorum circa præſentem difficultatem; prima eſt Caiet. 2. 2. q. 73. art. 2. cui ſubſcribitur Faber

ber de reſtit. diſp. 53. cap. 3. Secunda opinio eſt D. Thomæ q. 64. art. 5. & q. 73. art. 4. Prima aſſerit, hominem non habere dominium ſuæ famæ. Secunda ex oppoſito docet, hominem habere dominium propriæ famæ, & hæc eſt probabilior, & communior apud DD. maximè recentiores.

Concl. Homo habet dominium ſuæ famæ, ſeu honoris. Prob. Homo ſibi acquirit, & auget famam, ſicuti alias res per actiones proprias, quarum eſt dominus; ergo homo eſt dominus ſuæ famæ. Confirm. Etenim fructus, qualis etiam eſt fama reſpectu actionum humanarum, ex natura ſui ſequitur rem; vndè qui habet dominium rei, eſt etiam Dominus fructus illius *iuxta maximam legalem, quod ex re noſtra naſcitur, noſtrum eſt*. Prob. 2. Si homo non eſſet dominus ſuæ famæ, ſequeretur, quod non poſſet reſtitutionem illius condonare, quod tamen eum facere poſſe apud omnes conſtat. Præterea in multis caſibus non ſolum ſine iniuria, ſed etiam abſque omni peccato poteſt quis ſe infamare, ergo eſt dominus ſuæ famæ. Notantur autem quatuor caſus à Doctoribus, quorum primus eſt quando neceſſarium eſt hic, & nunc petere conſilium, tunc enim poſſum licitè meum occultum crimen reuelare: 2. quando id fit ad noſtram humiliationem: 3. ſi fiat ad ſuperbiam amputandam, vel aliud peccatum, cuius periculo exponitur. Denique ad Dei miſericordiam magis hominibus declarandam, aut ob ſimilem alium finem honeſtum, quemadmodum D. Aug. ſua peccata etiam grauia in lib. confeſſ. omnibus nota fecit; Nec dicat Faber, quod peccata Auguſtini erant peccata publica iam pluribus nota, ac proinde, cum iam erat diffamatus, non ſe diffamauit ea ſcriptis euulgando, nam hoc gratis dicitur, vt patet legenti librum confeſſionum, in quo ipſe narrat quædam peccata occulta.

Arg. Si homo haberet dominium ſuæ famæ, fruſtra S. Scrip. & Sancti nos monerent, vt curam, & ſolicitudinem noſtræ famæ habeamus prout dicitur Eccleſ. 41. *Curam habe de bono nomine, & Prouerb 22. melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ. Hinc can. 9. quaſt. 1. vocatur crudelis, qui negligit ſuam famam, & gloſ Cap. ſi Sacerdos 13. quaſt. 6. condemnat peccati mortalis illos, qui ſe ipſos infamant, & denique D. Aug. & refertur 23. quaſt. 5. cap. ſi non licet; docet hominem infamando ſe ipſum eo modo peccare quo peccat infamando proximum*: ſed, qui infamat proximum

mum peccat mortaliter non ſolum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ergo à primo vſque ad vltimum ſequitur hominem non eſſe dominum ſuæ famæ.

Reſp. Quòd S. Scrip. & Patres ideò ſæpiùs inculcant curam noſtræ famæ ad ſignificandum, quòd non poſſumus ſine iuſta cauſa, & rationabili eam negligere, & velut prodigi eam diſſipare; nam ſic negligendo eſſemus ſcandolo alijs, & nobis ipſis, quo ſenſu locutus eſt etiam D. Aug. & loquuntur Canones adducti; quare in multis caſibus poſſet quis peccare mortaliter ſe infamando. Primo grauiter peccat pater ſe ipſum infamando, quia fama patris eſt ex ſui natura alligata filijs: 2. poteſt etiam grauiter peccare Superior ſe infamando, quia eius fama quaſi ex iuſtitia eſt obligata ſubditis; & denique grauiter quis peccat, quando ſe diffamando præbet alijs occaſionem peccati, & perditionis. Verùm non tollunt hæc omnia dominium hominis in ſuam famam, vt patet ex bonis vinculatis, & de Patre familias, qui licet ſit Dominus rerum ſuarum, non tamen licitè eas expendit in detrimentum familiæ.

ARTICVLVS VII.

Quo Iure rerum dominia fuerint diſtincta.

NOt. 1. Quòd conſtat in ſtatu innocentiæ, omnia fuiſſe communia, & durante in poſteris innocentiæ ſtatu, perſeueraſſet etiam eadem bonorum communitas: ſiquidem ex hac bonorum communitate in illo feliciſſimo ſtatu non fuiſſet ſecutum aliquod inconueniens, ſtante perfecta concordia illorum hominum Sanctorum, à quibus longè aberant inordinationes naturæ lapſæ, & vulneratæ ob peccatum originale noſtri primi Protoplaſti. Quare poſt tale peccatum licitè, & rationabiliter fuit facta bonorum diuiſio; immò fuit generi humano valde vtilis, & quoadammodò neceſſaria ad remouenda quamplura incommoda, & inconuenientia. Cum enim homines ſint propenſi ad otium, & voluptatem, ſi omnia eſſent communia, nemo vellet pro alijs terram colere, ſed quiſque incumberet indulgere carni, & vitijs, & exindè ortæ fuiſſent rixæ, & diſſenſiones, & alia vitia, quæ ſocietatem humanam ne dum perturbarent, ſed pœnitùs deſtruerent.

Not.

Not. 2. quod, quando dicitur omnia de lege naturæ eſſe, vel fuiſſe communia ab initio, non eſt intelligendum fuiſſe communia de Iure naturæ poſitiuæ, quaſi tunc temporis bonorum communitas iure naturali præcepta fuerit, & prohibita diuiſio, ac proprietas, ſed negatiuè tantum, hoc eſt quia ab initio de hac re nihil ſtatutum fuit, ſed permiſſum eſt, & conceſſum omnia eſſe communia in ſtatu innocentiæ; ſecùs autem in ſtatu naturæ corruptæ ſtatutum eſt Iure gentium ob rationes mox allatas; Vnde in hoc ſenſu locutus eſt Scot. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 1. quando dixit præceptum de rerum communitate poſt lapſum hominis ceſſaſſe. Voluit Doctor tantùm ſignificare fuiſſe præceptum permiſſiuum, vel conſultiuum; nam, mutatis circumſtantijs, ſtatus naturæ per peccatum, ratio naturalis dictauit communionem rerum non amplius expedire ad pacem, & debitam hominis ſuſtentationem. Talis enim diuiſio fuit medium moraliter neceſſarium ad euitanda maiora incommoda, & ad maiorem tranquillitatem. Itaque omnia ſunt communia iure naturali non eo ſenſu quaſi ius naturale præcipiat omnia eſſe communia, & prohibeat rerum diuiſionem, ac proprietatem, ſed in alio triplici ſenſu. Primò, quia ius naturale non conſtituit vllam diuiſionem, & proprietatem, ſed relinquit omnia communia, & indiuiſa: 2. quia Iure naturali præciſè ſpectato potuit vnuſquiſque accipere, & occupare quidquid vellet, ſi ab alio non eſſet occupatum: 3. quia contra Ius naturale eſſet ante factam diuiſionem prohibere aliquem ab vſu rerum communium.

Not. 3. Quòd *Inſtitutum in lib. 2. de rerum diuiſione §. quadam diuerſa bonorum genera diſtinguit*; alia dicuntur res communes, quarum vſus omnibus animantibus naturaliter communis eſt, vt aer; alia dicuntur reſpublicæ, & ſunt illæ, quarum vſus de Iure gentium omnibus populis æqualiter communis eſt, vt flumina, portus, & ripæ. Alia dicuntur res vniuerſitatis, & ſunt illæ, quæ vel ad aliquam determinatam Ciuitatem, vel ad totum aliquod Collegium pertinent, vt theatra, ſtadia, fora, & ſimilia. Alia dicuntur res ſacræ, & ſunt illæ, quæ ritè per Pontifices Deo ſacratæ ſunt. vt ædes, Eccleſiæ &c. quæ ad miniſterium Dei dedicatę ſunt. Alia dicuntut res religioſæ, & ſunt illæ, in quibus mortui ſepeliuntur; vnde antiquitùs ille locus efficiebatur religio-

ſus, in quo humanum Cadauer ſepeliebatur. Hodie tamen noſtra Chriſtiana Religio non admittit ſola illatione cadaueris locum antea profanum ſolius priuati arbitrio, & voluntate, religioſum fieri, ſed per Eccleſiæ Miniſtros ſolemni ritu deſtinari debet pro ſepultura mortuorum. Alia dicuntur res ſanctæ, ſic appellatæ non à ſanctitate, ſed à ſanctione, vnde nec ſacræ, nec profanæ ſunt. Huiuſmodi autem res ſunt leges, quæ ſanctiones etiam appellantur, muri, & portæ Ciuitatum, vt videre eſt apud inſtit. & commentatores. Alia denique dicuntur res nullius, & ſunt illæ, quæ in nullius bonis ſunt, idque multipliciter contingere poteſt, nempe natura, facto, diuturnitate temporis, euentu, & hominum cenſura. Natura quidem vt feræ, beſtiæ, piſces, & volucres: facto, vt res, quæ a Domino habentur pro derelictis. Diuturnitate temporis; vt theſaurus. Euentu, vt hæreditas iacens, & tandem cenſura hominum, vt res Sacræ, Religioſæ, & Sanctæ. Verùm bona quoque Deo dicata habent inter homines dominium, quantum ad ea, quæ ſunt pretio æſtimabilia, etſi vſus earum ſit reſtrictus iuxta exigentiam rei Sacræ.

I. Concl. poſt peccatum primi parentis licitè, & rationabiliter fuit facta bonorum diuiſio. *Hæc eſt de fide contra hæreticos dictos, Apoſtolicos, qui aſſerebant, Chriſtianos niſi ſequentes Apoſtolorum vitam, qui omnia habebant in communi, ſaluari non poſſe: Similiter contra Vuiglef damnatum in Concil. Coſtantienſ. ſeſſ. 8. eo quòd docuerit illicitum eſſe Eccleſiaſticis habere poſſeſſiones.* Prob. concl. Nam S. Scrip. huiuſmodi diuiſiones approbat præcipiendo dari eleemoſynas, debita ſolui &c. prohibendo furari, & aliena retinere; ſed hæc omnia ſupponunt rerum diuiſionem, & dominium, ergo &c. Inſuper eadem Scriptura narrat, homines ſanctos, & iuſtos, vt Abraham, Iſac, & Iacob proprias facultates habuiſſe.

II. Concl. prima rerum, & dominium diſtinctio potuit eſſe iuſta à lege poſitiua lata ſiuè à Patre, ſiuè à Principe, ſiuè à Communitate iuſtè regnante, & regente; Ita Scot. loc. cit. concluſ. 6. vbi ſubdit. ſatis probabile eſſe primam rerum diuiſionem hoc modo fuiſſe de facto introductam. Itaque tribus modis potuit fuiſſe facta, & inſtituta huiuſmodi rerum diuiſio. Primo modo per legem latam à primo Parente; nam potuit eſſe quod Adam cum haberet filios poſt

la-

lapſum diuiſerit illis terram dicens, & volens, quod vna pars eſſet huius, & altera illius, cum prohibitione, ne ſine conſenſu alterius alter illam occuparet. Similiter idem facere potuit Noè poſt diluuium, cum totus orbis eſſet ſuus, & ſuorum filiorum, quod ſatis euidenter ex S. Scrip. colligitur; *Nam Gen. 1. narratur Caim, & Abel habuiſſe propria peculia diſtincta: ſiquidem Abel obtulit de primogenitis ſui gregis, & Caim ædificauit Ciuitatem. Noè ſimiliter diuiſit terram filijs ſuis; ſic enim ratio ſuadet.* Secundò potuit iuſtè fieri prima rerum diuiſio per legem latam à Principe, vel Republica, nam caſu quo per partes non fuiſſet filijs facta illa diuiſio, illis creſcentibus, & multiplicatis, liberè conueniſſent in electione, & conſtitutione alicuis capitis, à quo iuſtè fieret diuiſio bonorum. Tertiò caſu quo, ſi nec per paternam, nec per habentem politicam poteſtatem facta eſt rerum diuiſio, potuit eſſe facta per communem hominum conſenſum, quatenus ſimul conuenerint per terras inuicem, quo pacto legitur Gen. 13. *Orto iurgio inter Paſtores Abraham, & Lot, factam fuiſſe inter illos, quando Abraham dixit Lot fratri ſuo; Ecce vniuerſa terra coram te eſt, elige quamuis partem &c.*

Arg. cont. 1. concl. Clemens vt patet *Ex cap. dilectiſs. 22. q. 2. docet per iniquitatem factum eſſe, vt quiſque haberet propria*; ergo nec licite, nec iuſtè fuit facta rerum diuiſio. Reſp. Clementem per iniquitatem voluiſſe ſignificare introductam fuiſſe rerum diuiſionem, occaſione ſumpta ex iniquitate peccati originalis, non autem quod ipſa diuiſio fuerit iniqua: quare hortabatur fideles Ieroſolymitanos ad poſſeſſionem rerum in communi quoad vſum, qualis erat tempore Apoſtolorum.

ARTICVLVS VIII.

Quale dominium habeant filijfamilias, Serui, & Vxores.

NOt. 1. quod *Peculium nil aliud eſt, quam puſilla pecunia, ſeu modicum patrimonium filijfamilias à patrimonio patris ſeparatum*; Quadruplex autem eſt genus peculij, quod filijs adhuc viuentibus ſub patria poteſtate poteſt competere; nempè caſtrenſe, quaſi caſtrenſe, aduentitium, & profecti-

 tium.

tium. Peculium caſtrenſe eſt, quod acquiritur in militia, vel eius occaſione, cuiuſmodi ſunt ſtipendia militum, prędæ ex hoſtibus partæ, donatiua ducum, legata occaſione militiæ, mobilia data à quocunque eunti ad militiam, *Et generatim quidquid filius familias non erat ſine militia accepturus l. Caſtr. 11. ff. de Caſtren. pecul.* Peculium quaſi Caſtrenſe dicitur quod ratione militiæ, vel togatæ acquiritur; Clericatus enim eſt quaſi ſpiritualis militia, & idem eſt de officijs publicis non mechanicis, puta Aduocati, Notarij, Iudicis, Profeſſoratus artis liberalis, &c. Peculium aduentitium eſt quod filio obuenit ex quacunque cauſa, vel à Matre, vel linea materna, vel ex proprijs laboribus, vel proſpera fortuna, vt inuentio theſauri. Peculium profectitium eſt quod obuenit filio ex rebus patris, vel eius cauſa, veluti quę parentes concedunt filijs, vt ea admidiſtrent; vel donantur filijs intuitu parentum, ſeù ob eorum obſequium, & amicitiam.

Not. 2. quod dotis nomine venit quod à muliere, vel eius Patre Marito, vel eius Patri propter onera matrimonij datur, vt perpetuò ſit penès eos, ideſt quandiù durat matrimonium, vt tradit ſumma Azoniſ. dicitur quoque dos Pherna, ideſt donatio, quæ propter matrimonium conceditur, & ſine eo non poteſt eſſe. *Hinc quædam aliæ res dicuntur parapher- nales, ſeu parapherna à para, quod eſt iuxta, & Pherna, quod eſt dos, & ſunt quæ à muliere iuxta dotem inferuntur in domum viri: & Antipherna, ſeu antiphernales, ſunt quæ viciſſim donantur à viro propter nuptias & dicuntur antipherna hoc eſt antidotales, ſicut parapherna dicuntur præterdotales ita Azonius in ſumma.*

I. Concl. Filius ſub patria poteſtate conſtitutus habet plenum dominium, vſumfructum peculij caſtrenſis, & quaſi caſtrenſis: *Ita expreſsè habetur in iure C. de Caſtren. pecul.* Vnde de his bonis poteſt filius diſponere ac ſi eſſet Pater familias, eo modo, quo voluerit vel per donationes, vel contractus, vel per teſtamentum; *Ad teſtamentum autem requiritur, vt ſit pubes, quia ante hoc tempus non poteſt teſtare leg. qua ætate de teſtam.* Quare rectè infertur Patrem in dictis bonis filij nihil ſibi poſſe vſurpari niſi neceſſaria ad alimentum filij, quando pater ex ſuis bonis illum aleret, etſi vſurparet dicta bona filij teneretur ad reſtitutionem, filio non conſentiente.

Cæterùm quod attinet Clericos, quidquid prouenit ex be-

beneficijs Eccleſiaſticis, ſeu officio clericali ſpectat iure, & vſu pleno ad Clericos, immò quidquid non profectitium acquiritur poſt clericatum, *Vt conſtat ex Authent. Præsbyteros, & Diaconos C. de Epiſt. & Cleri.* Vnde ſi pater aliquid vſurparet de huiuſmodi bonis, vt mox dicebamus, teneretur ad reſtitutionem, ſi filius nollit condonare; immò filius ſi non ſperet reſtitutionem iuxta Leſſi. Caſpenſ. Herincx, & alios poteſt vti compenſatione occulta, vel certè, mortuo Patre, exigere ab hæredibus. Quod notandum eſt, inquit Herincx, præſertim pro adoleſcentioribus Canonicis, qui id etiam debere petere videntur, niſi ſit res parui momenti, aut parentes, vel hæredes ſint pauperes.

II. Concl. Filius in bonis aduentitijs habet dominium directum, non verò vtile, ſeu vſumfructum, ita communiter Doctores. Hinc patet filium non habere vſufructum, neque vtile talium bonorum; niſi pater velit dare, in quo caſu, ait Caſp. filius non tenetur conferre illũ vſumfructum in ſuam legitimam, quando cum Fratribus diuiditur hæreditas, quia patrem condonare talem vſumfructum filio in bonis aduentitijs, non eſt donare partem de ſuis, ſed non vſurpare de bonis filij, quod eſt valdè notandum pro caſibus in hac materia occurrentibus. Præterea dans huiuſmodi bona cum tali conditione, vt filius, & non pater fruatur vſufructu, tunc non habebit Pater, ſed filius vſumfructum; Et ſimiliter ſi tale peculium detur filio, repugnante Patre, quia tunc filius, & non Pater accipit vſumfructum, vel vtilitatem. Pari ratione ſi vſusfructus ſit relictus filio; tunc enim Pater non capit illum, ſed filius; quia ſuper vſumfructum non poteſt dari alius vſusfructus, nam vſusfructus eſt ipſa vtilitas, & commoditas rei, *Vndè dicunt Iuriſtæ, ſeruitutis non dari ſeruitutem.* Inſuper ſi pater fiat hæreticus, filius habet vſumfructum in bonis aduentitijs, & tunc filius eo ipſo fit ſui iuris, vt notat Simancas de Cathol. inſtit. tit. 9. nihilominus non obſtantibus prædictis exceptionibus; attendenda eſt conſuetudo loci, & inſpiciendum ius municipale, ſeu proprium Prouinciæ, & Regni. Secùs autem dicendum eſt de bonis profectitijs; ſiquidem nullo modo habet filius dominium directum, nec vſumfructum, neque habet auctoritatem adminiſtrandi talia bona, niſi in patris vtilitatem. Hinc eſt, quod ſola bona profectitia poſſunt

confiſcari ob delictum Patris, ſicut ob delictum filij poſſunt confiſcari alia ſupradicta bona.

III. Concl. Serui propriè dicti ſecundùm Ius Cæſareum (non enim hic loquimur de famulis conductitijs, qui ſe ſua libertate operas ſuas ad tempus locant, vt inde quæſtum faciant) non habent dominium vllius rei. Prob. *Ex inſtit. tit. Per quas perſonas* §. 3. *Item vobis, vbi expreſsè dicitur: Seruos, quidquid acquirunt, quamuis cauſa vel occaſione, acquirere dominis, ipſe enim ſeruus, qui in poteſtate alterius eſt, nihil ſuum habere poteſt, hoc idem habetur lege acquiruntur* 10. §. 1. *ff. de acquir. rer. domin.* & tradunt paſſim Iuriſperiti, & ſignanter Gudelinus in Sintag. de reg. iuris cap. 4. & Innoc. ſcribens *In cap. cum olim de pecul ait: ſeruum, & Monachum in eo eſſe pares, quod neuter alicuius rei dominium habeat.* Verùm conſuetudine potuit rigor iſte, quoad ſeruos mitigari, immò iudicio multorum, vt notat Herincx, mitigatus videtur in locis, in quibus ſerui adhuc reperiuntur. Nihilominus ſeruus eſt dominus ſuarum operationum liberalium, & omnium bonorum, quæ ipſi à domino dantur in compenſationem iniuriæ illatæ. Item eorum, quæ acquirit per illicitum vſum ſui corporis, nec non eorum, quæ ſibi donata fuere à domino, aut ab alijs; famæ pariter propriæ dominium habet, adeout dominus eius non poſſit ſine iniuſtitia eius famam lædere.

IV. Concl. Vxor habet dominium independens bonorum paraphernalium, ac proinde poteſt pro ſuo libito illa diſpenſare, ac diſponere: ratio eſt, quia huiuſmodi bona ſunt præterdotalia, quorum, iuxta communem ſententiam DD. tam legalium, quàm Theologalium, adminiſtratio, & fructus ſpectant ad vxorem; nec vnquam dominium tranſit in maritum, qui, ſi aliquod notabile ex dictis bonis, vxore liberè non conſentiente, accipiat, peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur, nam vxore inuita non poteſt maritus ſe in dictis bonis intromittere *l. 1. C. de pact. conuent.* Immò ſunt quidam Doctores, & præſertim Angelus, Paludanus, Petrus Nauar, & Silueſter, quos citat, & ſequitur Becanus, docentes, quod dimidia pars bonorum in matrimonio acquiſitorum, eſt Vxoris, & dos tota. Vnde, ſoluto matrimonio, tenetur maritus, vel eius hæredes ad reſtitutionem vxori, & hæredibus eius. Alia, quæ ſu-

ſuperſunt dicenda tam de ſeruis, quàm de vxoribus opportuniori loco pertractabimus. Hoc vnum tamen dubium omittere nolo, nempe an Vxor habeat dominium eorum, quæ per adulterium acquirit. Circa quam difficultatem duæ referuntur opiniones. Prima eſt Molinæ, Reginaldi, & quorundam aliorum apud Dian. p. 2. tract. 3. reſol. 7. qui docent mulierem coniugatam non poſſe ſibi retinere pretium adulterij, ſed debere illud marito tradere: ratio eorum eſt, quia maritus eſt dominus Corporis vxoris ſuæ quoad actus coniugales; vnde per talem vſum peccauit vxor contra iuſtitiam marito debitam. Secunda tenet oppoſitum, quia, licet vxor in eo actu peccet contra iuſtitiam, non tamen tenetur ad vllam reſtitutionem; non enim pro omni iniuria debetur hæc reſtitutio; ſed tantùm pro iniuria, quæ fit cum damno pæcunia æſtimabilis: ita Megala, Bonac. Diana loc. cit. & alij. Reſolutio præſentis dubij, aliud dubium mihi ſuggerit an videlicet eadem ratio militet in marito, ſi per vſum ſui corporis aliquid acquirat, adeout ſit dominus huiuſmodi lucri, vel teneatur vxori tradere bona ſic acquiſita; ſiquidem par ratio vtrobiquè apparet; ſicut enim maritus eſt dominus corporis, ſeu vſus corporis ſuæ vxoris, ita vxor eſt domina vſus corporis ſui mariti, ac proinde quidquid definitur de vno, videtur dicendum de alio; ad reſolutionem talis dubij facit lex ſupracit. de ſeruis.

ARTICVLVS IX.

Quale dominium competat Infidelibus in homines catholicos, & an poſſint eo priuari.

NOt. infideles eſſe capaces dominij tam diſpotici, quale habet dominus in mācipium, quàm politici, quod vocari ſolet poteſtas iuriſdictionis, qualem habet Princeps in ſubditos, ab omnibus pro certo habetur, & ſimiliter infideles neutro dominio ex iure diuino priuari, eò quod eorum ſubditi, & ſerui ſint, vel fiant Chriſtiani; Vndè Imperatoribus, & Principibus Hæreticis, non minus Chriſtiani, quam cæteri fuerunt ſubiecti, immò Chriſtus ipſe fidelibus Iudæis, *Vt habetur Matt. 22. reſpondit reddenda Cæſari, quæ*

Cæſari ſunt. Eandem ſubiectionem commendat S. Petrus Epiſt. 1. cap. 2. & Apoſt. ad Rom. cap. 13. clarè expreſſit obligationem talis ſubiectionis ad poteſtates ſublimiores, tunc infideles. Neque alicubi extat ius diuinum, quod infideles huiuſmodi iuriſdictione, aut dominio priuet.

Concl. Infideles ſunt capaces dominij, tum deſpotici, tum politici, quo Eccleſia nequit eos priuare. Prima pars ſatis patet ex dictis: 2. pars eſt ſententia communiter recepta, etſi nonnulli contradicant. Prob. Talis poteſtas, nempè priuandi Principes Infideles poteſtate &c. nullibi reperitur conceſſa Eccleſiæ, immò oppoſitum conſtat ex S. Scrip. *Nam Apoſt. ad Timotheum 1. cap 6. monet fideles Principibus obedire, non ſolum ratione ſcandali, id eſt ne nomen Domini blaſphemetur inter gentes; ſed etiam propter conſcientiam, vt idem Apoſtolus ſcribit ad Rom. cap.* 13. ergo talis poteſtas non eſt Eccleſiæ tribuenda. Neque aliquis opponat eſſe indecentiam fidei, quòd fideles obediant Principibus infidelibus; quia, ſicut non eſt indecens, quod ſeruus fidelis, & probus ſeruiat domino diſcolo, immò potiùs talis ſubiectio congruit humilitati chriſtianæ, ita pari ratione congruit fidelibus eſſe Principibus infidelibus obedientes.

Cæterùm dubitatur, an Princeps infidelis poſſit priuari dominio, quod habet in ſeruos fideles ob bonum, & honorem fidei, ſecluſo periculo peruerſionis; Affirmat D. Thomas q. 10. art. 10. Bannes, Lorca, & alij, ſed oppoſitum tradit communior opinio. Ratio, quia hæc poteſtas non competit Eccleſiæ ex natura rei, neque etiam ex conceſſione poſitiua Chriſti, quæ nullibi apparet, cum potiùs ex varijs Scripturis colligatur contrarium, vt 1. ad Thimotheum, & ad Epheſ. cap. 6. Hinc *Concil. Gangrenſe relatum cap. 1. quis ſeruum 17. q. 4. grauiter reprehendit ſuadentem ſeruo fugam prætextu religionis:* & planè eadem eſt ratio de dominio iuriſdictionis, ac de dominio proprietatis, ideoque videtur D. Thomas de vtroque pariformiter loqui. Vnde ſicut Eccleſia nequit eo, ſic neque hoc infideles, per ſe loquendo, priuare: ita diſcurrit Herincx, qui tamen ſubdit cum communi ſententia, quod ſi infideles ſint mancipijs ob fidem Catholicam moleſti, ac eos minis, perſuaſione importuna ad infidelitatem, aut peccata pertrahere tentent, poſſunt mancipia ratione iniuriæ, & periculi animæ ſe ab eorum do-

dominio eximere, poſſetque Eccleſia fugam præcipere, & per ſe, aut alios eorundem defenſionem procurare, cum Eccleſia poteſtatem habeat in infideles indirectam, hoc eſt quatenus eſt neceſſaria ad bonum fidei, & fidelium, ideoque rationabiliter de omnibus infidelibus, nominis chriſtiani hoſtibus præſumi poteſt.

ARTICVLVS X.

Quale dominium habeant Religioſi.

NOt. Quòd nomine religioſi, hic intelliguntur omnes ij, qui in aliqua Religione à S. Sede Apoſt. approbata emittunt vota obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis. Cum ergo votum paupertatis conſiſtat in abdicatione totalis dominij, vſusfructus &c. rerum temporalium, hinc meritò quærimus quale dominium habere poſſint Religioſi.

I. Concl. Religioſi omnes etiam Mendicantes (exceptis Minoribus in puritate Regulę S. Franciſci viuentibus) habent in communi dominium bonorum temporalium, etiam immobilium. Prob. *ex cap. Cum ad Monaſterium de ſtatu Monachorum, & ex Trid. ſeſſ. 35. c. 3. de Regularibus, & ſeſſ. 25. c. 2. de Regul. vbi interdicitur Regularibus aliquid poſſidere in particulari, tanquam proprio*, aut etiam nomine Conuentus, & præcipit vt ſtatim ea ſuperiori tradantur, & Conuentui incorporentur. Ex quo patet nullius rei Religioſos in particulari dominium habere, nec poſſe habere; cum ratione voti paupertatis ſint incapaces, & omnium bonorum dominium eſſe poenes Conuentum; idque deſumitur ex voluntate Eccleſiæ, quæ Religioſos profeſſos reddit ita incapaces. Vnde votum paupertatis emiſſum extra religionem hoc non operatur, cum poſſimus, mutata priori voluntate, valide acceptare dominium: Nihilominus poſſet incapacitas dominij etiam extra profeſſionem ſolemnem in aliquo cauſari, ſeu habere locum per mandatum, aut per legem ciuilem, ſeu Eccleſiæ, prout de facto Coadiutores (quos vocant formatos) in Societate Ieſu citra ſolemnem profeſſionem habent huiuſmodi incapacitatem ex ſtatuto Sedis Apoſt. vt inter alios tradit Leſſius de Iuſt. & Iure cap. 4. dub. 5. Notanter dicitur in Concl. exceptis Minoribus puritatem

Re-

Regulæ obſeruantibus, quia hi à Trident. hac in parte ſunt excepti, prout determinauit Nicolaus III. & Clemens V. nec non alij Pontifices, quare dominium eorum, quæ ipſis ſunt in vſum, eſt penès Sedem Apoſtolicam.

II. Concl. Religioſi omnes manent capaces dominij iurium, ac bonorum ſpiritualium, v. g. beneficiorum ſuorum. Item habent ius electionum conformiter ad ſuam regulam, & ſtatuta atque etiam ad alimenta, & cætera neceſſaria. Inſuper beneficiati, vt Abbates, Priores &c. habent adminiſtrationem bonorum communium, ſicut & diſpenſationem fructuum ſuorum beneficiorum, cum pro moderata ſuſtentatione propria, tùm ad pias cauſas: ita communiter Doctores, & praxis confirmat: *Non poſſunt tamen ſuperiores inferioribus, ſeu ſubditis religioſis concedere aliqua bona immobilia ad vſum, vel adminiſtrationem irreuocabilem, vt decernit Concil. Trid. ſeſs. cit. cap.* 2. Nihilominus poſſunt ſuperiores Regulares aliqua bona mobilia ſubditis concedere ad vſus neceſſarios, vel pios, vt veſtes, libros, & ſimilia ſtatui paupertatis accommodata; item & pecunias aliquas ad vſum determinatum, & etiam indeterminatum, vt probabiliter diſcurrunt plures. Sunt autem bona immobilia, ſeu ſtabilia vt prata, vineæ, domus &c. item reditus iura, & actiones ad aliquod faciendum, vel quæcunque bona, ſiue mobilia, ſiue immobilia recipiendum: *Abbas in cap. nulli de rebus Eccleſ. non alienand.* Vndè per bona ſtabilia non tantum intelliguntur ea, quæ habent fixam radicem, ſed etiam iure fructifera, vt ſunt cenſus, quibus correſpondent reditus annui, ſeruitutes, & ſimilia bona, quæ incorporalia communiter vocantur.

ARTICVLVS XI.

Quale dominium habeant Clerici.

NOt. 1. Quòd bona Clericorum triplicis generis poſſunt eſſe. Alia dicuntur patrimonialia, qualia ſunt, quæ vel ex hæreditate, contractu, donatione, aut alia iuſta cauſa illis obuenerunt. Alia appellantur quaſi patrimonialia, qualia ſunt, quæ illis ratione propriæ induſtriæ, ſcientiæ, aut Eccleſiaſtici miniſterij, etiam concionandi

Digitiz

di &c. De his omnibus bonis tam primi generis, quàm ſecundi generis nulli dubium eſt Clericos plenum dominium habere. Alia denique ſunt purè Eccleſiaſtica, nempe reditus Beneficiorum Eccleſiaſticorum, præſtimonium, penſio &c. & de his eſt controuerſia inter Doctores, an Clerici habeant verum dominium.

Not. 2. quod non ſemper eadem fuit ratio adminiſtrandi bona Eccleſiaſtica, vt inter alios obſeruat Beccan. in ſumm. Theol. part. 3. de Iuſt. & Iure. Siquidem ab initio Eccleſiaſtici ſequebantur inſtitutum illud vitæ communis, quod apud fideles omnes viguit Ieroſolymis tempore Apoſtolorum, de quo habetur in actibus Apoſtol. c. 2. bona enim, quæ Eccleſijs donabantur, in communi poſſidebantur à Clericis, & eorum diſpenſatio committebatur Epiſcopo, qui in ſuos, & aliorum pios vſus fideliter diſtribuebat, *vt patet ex Can. 58. Apoſt. vbi iubetur Epiſcopum deponi, & communione priuari, qui non fideliter egiſſet*. Verum poſteà ſecutus fuit alius gubernandi modus: nam cumulus bonorum Eccleſiæ diuiſus fuit in quatuor partes, quarum prima Epiſcopo, 2. Clericis: 3. fabricæ, & cultui diuino: 4. pauperibus deputabatur. Hanc diuiſionem fieri curauit Silueſter Papa, *vt patet ex Synodo Romano cap. 4. ſub ipſo celebrata, & deinde à pluribus Pontificibus confirmata; vt conſtat ex varijs canonibus 20. q. 2.* hanc tamen diſtributionem, neque ſtatim ab omnibus receptam, nec eodem modo vbiq; factam eſſe obſeruant Doctores, & quidem non fuit vbique recepta tempore D. Aug. quia aliqui Epiſcopi adhuc viuebant cum Clericis, *vt patet 12. q. 1. cap. certè ego. Similiter in quibuſdam Eccleſijs, non ſolum quarta pars, ſed & tertia contingebat Epiſcopo, vt patet ex cap. requiſitus tit. Extra de teſtam.* Immò alicubi media pars eorum, quæ offerebantur, cedebat Epiſcopo, *vt patet ex 16. q. 1. cap. Antiquos ex Conc. Aurelian.* Vnde ex hac varietate factum eſt, vt iam vix in aliqua Eccleſia reperiatur illa quarta pars deputata pauperibus; omnia enim bona videntur tantùm in tres partes diſtributa, ita vt pars pauperum ſit confuſa cum alijs, nec ab ijs ſeparata. Nihilominus nonnulli putant partem illam pauperum deueniſſe ad hoſpitalia, vel certè ex ea conſtituta eſſe beneficia præſtimonialia, quæ nimirum deputata ſunt ſtudio eorum, qui futuri ſunt Clerici: ſed neutrum eſt probabile, inquit Beccan. non primum,

quia

quia plura hoſpitalia habent certos fundatores; nec ſecundum quia beneficia præſtimonialia videntur potiùs ſucceſſiſſe beneficijs, quibus annexa erat cura aliquarum Eccleſiarum, quæ vel neglectæ omninò erant, vel collapſæ: hæc tamen non ſunt omninò certa.

Not. 3. Quòd controuertitur inter Doctores, an Clerici habeant dominium eorum, quæ non ſunt neceſſaria ad congruam ſuſtentationem; congrua autem ſuſtentatio non conſiſtit in indiuiſibili mathematico, ſed habet ſuam latitudinem, penſatis omnibus circumſtantijs, puta Perſonæ loci, temporis &c. Quidam negant Clericos habere dominium talium bonorum, ac proinde ſi in profanos vſus illa expendant, non ſolum peccare mortaliter, ſed etiam ad reſtitutionem teneri. Alij oppoſitum tenent, vt clariùs declarat concluſio ſequens.

I. Concl. Sententia communior, & verior docet Clericos beneficiatos fieri veros dominos fructuum ſuorum beneficiorum, qui ſuperflui ſunt congruæ ſuſtentationi. Prob. 1. ex Iuribus ſtatuentibus, vt Clerici, ſeu beneficiati non faciant fructus ſuos, ſi quid fecerint, vel facere neglexerint, *Vt ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de reformat. vbi dicitur, abſentem beneficiarium per trimeſtre non facere fructus ſuos*: ergo à contrario præſens facit fructus ſuos, ac proinde eorum ſunt domini. Item *Pius V. conſt. 135. Ex proximo; immò idem Trid. loc. cit. Si beneficiati non recitent officium diuinum, decernit priuandi pro prima vice medietate fructuũ quos fecerint ſuos, pro 2. vice omnibus, quos illo anno lucratus fuit Canonicus abſens vltra trimeſtrem*: ergo Iura Canon. & Conc. ſupponũt fructus omnes eſſe ſub dominio beneficiatorum. Prob. 2. ratione. Nemo eſt priuandus dominio, vel proprietate bonorum ipſi attributorum, niſi ſufficienter conſtet eum non poſſe habere, aut de facto non habere tale dominium; ſed nõ conſtat ſufficienter, Clericos non habere dominium huiuſmodi bonorum, aut hæc bona ex iuſtitia alijs eſſe debita: ergo ſunt veri domini: mai. eſt regula Iuris, min. prob. quia neque conſtat ex modo donationis fidelium, quo hæc bona ad Eccleſiam translata ſunt, neque ex Eccleſiæ diſpoſitione; non primum, quia fideles donarunt hæc bona tum ad poſcenda ſuffragia, & orationes Eccleſiæ; tum ad eius ſplendorem, & dignitatem: tum denique ad maiorem Dei honorem. Quod autem donauerint

cum

cum onere alendi pauperes, certò conſtare, aut probari nequit.

II. Concl. Clerici, ex charitate ſub mortali obligante, tenentur bona ſui beneficij congruæ ſuſtentationi ſuperflua pauperibus, vel in pias cauſas erogare, quod ſi huiuſmodi bona in profanos vſus expendant, peccant quidem mortaliter, ſed ad reſtitutionem non tenentur: concluſio conſtat ex ſententia communi Doctorum, & deſumitur præcipuè ex *Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de reformat. vbi interdicit Epiſcopis (quod ibidem extendit etiam ad Cardinales, & quoſuis Clericos) ne ex reditibus Eccleſiæ, conſanguineos, familiareſuè ſuos augere ſtudeant; cum & Apoſtolorum Canones prohibeant, ne res Eccleſiaſticas, quæ Dei ſunt, conſanguineis donent, ſed ſi pauperes ſint, ijs vt pauperibus diſtribuant, eas autem non diſtrahant, nec diſſipent eorum cauſa*; & loquitur Trid. de bonis mobilibus; cum certum ſit, bona immobilia non poſſe diſtrahi, ſeu alienari.

Cæterùm tradunt paſſim DD. Clericos beneficiatos, habentes bona patrimonalia, & quaſi patrimonalia, poſſe accipere ex bonis Eccleſiaſticis, quæ neceſſaria ſunt congruæ ſuſtentationi; immò de hac portione, ſi ipſi in ea conſumenda ſint parciores, poſſent pro ſuo libito diſponere, ideſt in alienos vſus honeſtos. Ita etiam cum alijs diſcurrit Herincx, qui tamen ſubdit: Non ſim tamen auctor, vt huiuſmodi departitiones ſpeciali præciſione, quarum canones non meminerunt, quis in praxi adhibeat.

Arg. probando, bona Eccleſiaſtica congruæ ſuſtentationi Clericorum ſuperflua, non eſſe in dominio Clerici beneficiati, ac proindè eſſe tantùm adminiſtratores, & diſpenſatores huiuſmodi bonorum. In Iure Canonico bona Eccleſiaſtica dicuntur eſſe donata Deo, *vt patet 12. q. 1. cap. qui Chriſti, & cap. res Eccleſiaſticæ*. Tum quia in Eccleſia ſemper intellectum eſt, huiuſmodi bona particulariter pertinere ad pauperes, & viduas, & alias pias cauſas; *Idquè patet ex Clem. lib. 2. conſtit. Apoſt. cap. 29. & ex Decret. 12. q. 1. cap. præcipuus, & cap. ex his: hinc iure Canonico cap. quia nos de teſtam. Clericis interdicitur teſtari de bonis Eccleſiaſticis*: ergo ex Iure Canonico colligitur, Clericos non habere dominium bonorum, quæ eorum ſtatui ſuperfluunt; & ita docuerunt antiquiores Theologi, vt Alenſis, Ricardus, Antoninus, & alij, quibus conſonat communis ſententia Canoniſtarum, vt oſtendere nititur Nau...

Reſp.

Reſp. conc. bona Clericorum donata eſſe Deo, ideſt donata Miniſtris Eccleſiæ ad honorem, & cultum Dei; ex hoc tamen non ſequitur, Clericos non habere dominium illorum; aliàs neque illius partis, quæ eis neceſſaria eſt ad ſuſtentationem, haberent dominium, quia etiam illa pars donata eſt Deo, & fidelibus iuxta ſenſum prædictum. Quare ad 2. reſpondetur, bona Eccleſiaſtica peculiariter pertinere ad pauperes, non quod pauperes habeant eorum dominium, ſed quia Eccleſiaſtici tenentur ſtricto præcepto, non quidem iuſtitiæ, ſed charitatis huiuſmodi bona pauperibus largiri. Ad 3. quod tangit de teſtamento, negatur conſ. deducta; non enim ſequitur; non poſſunt teſtari, ergo non habent dominium; Nam iure ciuili interdicitur impuberis, teſtari, qui tamen habent dominium ſuorum bonorum. Immò ſumitur argumentum pro noſtra concluſione, quia ſi interdicitur eis teſtari, ſignum eſt, habere dominium, alioquin non oporteret hoc interdicere.

Quæres. An Pontifex habeat dominium temporale totius Orbis. Reſp. quod duplex eſt opinio circa præſens quæſitum. Prima eſt Aluari Pelagij Minoritæ lib. 1. de planctu Eccleſiæ cap. 13. Auguſtini Triunphi Auguſtiniani, Hoſtien. in cap. quod ſuper his. Panormitani, & aliorum ex Iuriſconſultis, qui aſſerunt, Papam habere dominium temporale tam iuriſdictionis, quàm proprietatis totius Orbis, idque iure diuino: fundamentum eſt, quia Chriſtus habuit ſupremum dominium totius Orbis, tam ſpirituale, quàm temporale iuxta illud Matt. 28. *Data eſt mihi omnis poteſtas in Cœlo, & in terra*, ſed Chriſtus vtramque poteſtatem dedit Petro, quando tradidit illi claues, *Vt fatetur Nicolaus Papa in Epiſt. ad Mich. his verbis. Chriſtus beato Petro vitæ æternæ clauigero, terreni ſcilicet, & Cœleſtis imperij iura commiſit*. Inſuper dedit Petro duos gladios, nempe ſpiritualem, & temporalem, iuxta illud Lucæ 22. ergo &c. Secunda opinio, quæ eſt communiter recepta, contrarium docet, tribuendo Pontifici dominium ſpirituale totius Orbis directè, indirectè autem dominium temporale. Ratio à priori eſt, quia Chriſtus non fuit dominus temporalis; ergo nec Pontifex habet directè dominium temporale: ant. patet; nam regnum temporale acquiri poteſt quatuor modis, ſeu titulis. Primo hæreditate: 2. electione populi: 3. iure belli; 4. ſpe-

4. ſpeciali donatione ſuperioris; Chriſtus autem nullis ex his modis acquiſiuit dominium temporale, vt clarè colligitur ex S. Scrip. & oſtendunt DD.

Prob. 2. pars. In Eccleſia Catholica poteſtas temporalis ſubiecta, & ſubordinata eſt poteſtati ſpirituali; ergo Princeps ſpiritualis poteſt imperare Principi temporali, & diſponere de rebus temporalibus in ordine ad bonum ſpirituale, & hoc eſt habere dominium temporale indirectè: ergo &c. ant. eſt manifeſtum; quia finis poteſtatis temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, ſiquidem pax, & tranquillitas Reipublicæ ciuilis iuxta fidem non eſt finis vltimus, ſed ordinatur ad pacem, & tranquillitatem æternam. Tum quia Eccleſia Chriſti eſt vna tantùm, ergo Princeps ſpiritualis, & temporalis conſtituunt vnam Rempublicam Chriſtianam, ac proinde ſunt membra vnius corporis inter ſe connexa, & dependentia vnius ab alio: ergo cum ſpiritualia membra ſint longè nobiliora temporalibus, temporalia à ſpiritualibus dependent, & non è contra: qui plura optat, adeat Doctores de hac re agentes.

QVÆSTIO VI.

De varijs modis acquirendi dominium.

CVm plures, & varij ſint modi dominium acquirendi, qui reuocari poſſunt breuitatis cauſa ad occupationem, acceſſionem, ac traditionem, oportet præſentem quęſtionem in plures articulos, vt clarè procedamus, diſtinguere; ideo ſit.

ARTICVLVS I.

Quomodò acquiratur dominium in homines, & animalia.

NOt. Quòd occupatio, à qua rerum dominium per diuiſionem cæpiſſe creditur, eſt iuſta rei apprehenſio, quę locum habet præſertim in ijs, quæ nullius ſunt; poſſunt tamen ſub dominium cadere; vnde iure gentium fiunt primò occupantis; dixi præſertim, nam ad occupationem

etiam ſpectant capta ab hoſtibus in bello iuſto, quæ, etſi alterius ſint, cedunt victori capienti iuxta dicta in materia de bello.

I. Concl. dominium in hominem poteſt acquiri quatuor modis; primò titulo natiuitatis; ſic ſeruus eſt, qui ex matre ſerua naſcitur, *nam partus ſequitur ventrem, ità habetur in Iure*: 2. ratione captionis in bello iuſto, cum enim in bello captus, iuſtè poſſit occidi, fit ei adhuc ſingularis gratia, ſi ei permittatur viuere in ſeruitutem; excipiuntur tamen Chriſtiani, quia Chriſtiani in bello capti, non fiunt ſerui, ſed ſolummodò captiui, idquè ratione libertatis, qua Chriſtus nos redimendo donauit: 3. acquiritur ratione iuſtæ condemnationis propter crimen, ob quod libertate meritò quis priuatur; deniquè titulo venditionis, quando nimirum, qui à ſe, vel à patre venditur; ità communiter Doctores.

II. Concl. animalia irrationalia natura ſua manſueta, qualia ſunt oues, boues, gallinæ &c. retinent dominium vbicunque vagantur; *hoc conſtat ex inſtit. de rerum diuiſione §. gallinarum*: quare ea capiens, nunquam eorum acquirit dominium, licet quis ea ex Lupi faucibus rapuerit, vel canis &c. quod ſi recuperari non potuiſſent abſque periculo tanto, quin ipſum periculum tanti moraliter eſtimaretur, quanti ipſa animalia, & nihilominus illa voluerit Dominus recipere tanquam ſua, qui ſic ea periculo eripuiſſet, poſſet de iure pretium ſui laboris, ac periculi exigere; ac proinde eorum dominus teneretur, aut ei pro pretio relinquere, aut pretium æquiualens ſoluere.

III. Concl. Animalia ſilueſtria, qualia ſunt lepores, Cerui &c. ſunt primi occupantis; quod ſi huius occupantis euadant cuſtodiam, naturalem recuperant libertatem; quia, *vt inquit Inſtit. §. cit. vel oculos tuos iam effugerant, vel ita ſunt in conſpectu tuo, vt difficilis ſit eius perſecutio*. Vnde Doctores dicunt, eſſe moraliter impoſſibilem eius difficilem capturam. Hinc cum Molina, Vrbano, Herincx, & alijs rectè infertur, dicta animalia in ſyluis, & potiori iure, quæ non ſunt incluſa, ſimiliter piſces in lacubus, dummodò lacus, & ſyluæ ſint magnæ vaſtitatis, non eſſe ſub dominio domini ſyluæ, aut lacus, quia, vt ſic abſolutè ſunt captu difficiles, ac proinde poſſident naturalem libertatem, & fiunt capien-

Digitized by Google

pientium. Secùs tamen dicendum de feris, aut piſcibus incluſis exiguis ſaltibus, aut viuarijs, itaut facilè, cum Domino placuerit, capi poſſint. Adde, examen apum (ſunt enim apes de hoc genere animalium) poſtquam oculos domini euaſit, fieri capientis, & poſſe à quolibet capi, licèt ex aliena arbore pendeat, poteſt tamen dominus impedire, ne in hunc finem alij intrent hortum, vel campum ſuum; hæc omnia habentur ex Inſtit. Ciuil.

IV. Concl. animalia manſuefacta, qualia ſunt columbæ, cerui, coniculi, & alia id genus, quæ domi nutriuntur, domini ſunt quamdiu redeundi retinent conſuetudinem, neque ab vllo capi poſſunt, niſi poſt amiſſam dictam conſuetudinem; hanc autem conſuetudinem amittunt iuxta Nauarrum, & alios, dum bis, vel ter more conſueto non redeunt; idem habet Gloſ. in leg. de quibus; nihilominus alij exiſtimant, inter quos eſt Vuigers, id iudicio prudentum relinquendum eſſe, quia ſi more ſolito non redeant, facile queri poſſunt, ac reduci, eſtò per octo, vel etiam quindecim dies non reuertantur, quæ regula videtur militare etiam de columbis, ſi facilè obſeruari poſſunt. Cæterùm vbi conſtiterit animal manſuefactum naturalem ſuam libertatem obtinuiſſe, fiet primi capientis, licèt portet ſignum impreſſum, quo cognoſcitur, cuius fuerit; hæc dicta ſint ſecundum ius commune Cæſareum, nam in diuerſis Prouincijs, & Regnis, vel conſuetudine, vel legibus municipalibus contrarium fortaſſe ſeruatur.

Quæres 1. An vnicuique licitum ſit tenere columbas.

Reſp. affirmatiuè, niſi ſpeciali lege id prohibeatur, modò tamen, addunt paſſim Doctores, à domino alantur, vel domi, vel in agris proprijs, quod ſi non alantur, ac proinde vicinis magnum damnum inferant columbæ, peccare dominos mortaliter, atque ideò iuxta communem Doctorum ſententiam licitum eſt eas capere, vel occidere, ſi in tuis ſatis comedant, vel in tuo columbario. Ita Toletus, Siluius, & alij; attendenda tamen loci conſuetudo, quando columbæ notabile damnum non inferant. Cæterùm non licet arte, vel exquiſitis ad hoc ſeminibus alienas columbas ad ſuum columbarium trahere, & ſic captæ debent domino reſtitui, ſecùs, vt ſupra indicauimus, ſi cum tuis columbis ſponte redeant ad tuum columbarium.

Quæres 2. Quid cenſendum ſit de fera, ſeu piſcibus laqueo, vel reti tuo captis.

Reſp. Quòd, quamuis nonnulli velint eſſe eximentis à laqueo, rectiùs tamen dicendum eſt, tendentis laqueum, ſi fera ità ſit intricata, vt expedire ſe non poſſit, nam eo ipſo apprehendiſſe videris, aut certè potius apprehendendi ius accepiſſe; nihil enim intereſt manu, an inſtrumento apprehenderis, vt paſſim docent Legales. Similiter de vulnerante, & perſequente feram iudicandum, quam pariter inſtrumento ſuo quaſi captam certa ſpe tenet; *Teſte Gloſ. in lege 5. cap. 1. ff. de acquirend. rerum domin.* Quidem tamen in dubio, an fera ſit vulnerantis, an capientis, docent, hæc tria ex parte vulnerantis obſeruanda; primum ſi ſufficienter læſerit ad capiendum; 2. ſi eam ſic læſam perſequatur; 3. ſi ſit moraliter certum, quod eam ipſe fuiſſet comprehenſurus, quibus deficientibus ſit capientis. *Leg. naturalem ff. de acquiſit. domin.*

ARTICVLVS II.

Qualiter dominium acquiratur per venationem, & piſcationem.

NOt. 1. Quòd licitum eſt Principi inhibere venationem, & piſcationem, & idem eſt de aucupio in locis iuris publici, vt tradit communis opinio contra quoſdam contrarium ſentientes; & quidem hoc facere poſſunt varias ob cauſas. Primò, quando hoc neceſſarium iudicatur ad onera Reipublicæ ſuſtinenda; in tali enim euentu ius illud poteſt elocari, vt ſic procurentur pecuniæ neceſſariæ ipſi Principi, aut Reipublicæ: 2. quando id neceſſarium eſt, ſaltem ad tempus, ne totum ferè genus ferarum deſtruatur, videlicèt quando feræ ſunt grauidæ, aut nix iacet: 3. inhibere poteſt, ne venatio fiat certis inſtrumentis ob eandem rationem, quia ſunt quædam inſtrumenta, quibus quaſi omnia animalia capi poſſent: 4. poſſunt inhibere &c. de conſenſu populi, ſiue gratis, ſiue per contractum præſtito, & inſuper poteſt etiam populus cedere iuri ſuo.

Not. 2. Quòd Principi eſt pariter licitum inhibere venationem, & ius venandi ſibi reſeruare in locis determinatis, etiam

etiam publicis ob ſolam ſuam recreationem abſque conſenſu populi; quia, cum Princeps debeat ſe totum impendere, & applicare in gubernanda Republica, rationabile eſt, poſſe quædam loca ſibi ad recreationem determinare, maximè cum id ipſum conducat ad Principis dignitatem.

Cæterùm Doctores communiter exiſtimant, inhumanum fore, ſi aliquis Princeps vellet populum ab omnibus locis excludere, & ſibi ſoli omnem prorſus venationem reſeruare; ita præſertim Becan. & alij, qui addunt, niſi fortè talem ob cauſam Princeps aliquid populo remittat de tributis ſibi debitis; vel aliter compenſet, quia durum ſanè eſt priuare totum populum omni recreatione, & vtilitate venationis, quæ iure naturali, vel gentium ipſi eſt conceſſa ob ſolum commodum, & recreationem Principis. Quod ſi de facto Principes quodcunque ius in venatione reſeruarent, procul dubio obligarentur ad præcauenda mala, quæ animalia poſſent agris vicinorum, vel alijs eorum bonis inferre, alioquin tenerentur compenſare damna illata.

I. Concl. Qui venatur in loco Iuris publici, vel priuati, vbi eſt prohibitum venari, peccat quidem pro ratione illatæ iniuriæ; non tenetur tamen ad reſtitutionem ferarum, quas cæpit. Prob. 1. pars: Nam inuito Domino non poteſt alienus fundus inuadi; ergo ſi quis inuadat, facit Domino iniuriam, ac proindè peccat. Verùm, vt peccatum mortale conſtituat; debet iniuria quoad feras eſſe magni momenti, quia communi omnium iudicium obligatio non venandi cenſetur parum vrgere conſcientiam, niſi notabile damnum inferatur, prout fieri poteſt, ſi feræ ſunt grauidæ, vel tam frequens eſt venatio, vt penè exauriantur feræ ſilueſtres, cum alioquin videatur etiam Princeps contentus eſſe ſola mulcta, quam incurrit venator deprehenſus poſt Iudicis ſententiam: hæc autem pœna, vt paſſim tradunt Doctores, ſolum eſſe debet pecuniaria, niſi quis ſæpè in pecunijs mulctatus, cenſeatur non velle ſe emendare; tunc enim videtur flagellatio, vel alia ſimilis proportionata pœna poſſe adhiberi. Notanter dictum eſt, iniuriam quoad feras debere eſſe magni momenti &c. quia ratione damni illati per venationem in bonis alienis, peccat quis pro ratione damni; & tenetur ad reſtitutionem; contingere enim ſolet, vt venator, piſcator, vel auceps conculcet ſegetes,

ſe-

ſepes frangat, & alia ſimilia damna inferat, quæ ex iuſtitia reſarciri debent; & quidem ſub mortali, ſi læſio fuerit grauis; etiam ſi venator eſſet Princeps.

Prob. 2. pars. Etenim feræ captæ nullius erant, quia non obſtante prohibitione facta, aut loci prohibiti locatione, poſſidebant ſuam naturalem libertatem, ac proindè neque erant prohibentis, nec conducentis; ergo non tenetur ad reſtitutionem: licet Princeps ſua lege extraordinaria potuiſſet reddere incapacem dominij ferarum eum, qui in alieno ſundo venatur inuito domino. Cæterùm nulli dubium eſt, quin is, qui venatur in loco clauſo non magnę vaſtitatis, vel piſcatur in alterius viuario, inuito Domino, peccet contra iuſtitiam, & teneatur ad reſtitutionem, vel compenſationem ferarum, & piſcium.

II. Concl. Clericis ratione ſtatus lege Pontificia inhibetur venatio, & tantò magis Religioſis: hæc concluſio patet *Ex cap. 1. de Clerico venatore, & deſumitur ex Concilio Aurelianenſi, vbi Epiſcopus huiuſmodi venationem frequentans, ſuſpenditur tribus menſibus, Presbyter duobus menſibus à communione, & ſimiliter Diaconus ab officio*: Quæ pœna, vt inter alios notat Caſpenſ. cum ſit grauis, videtur ſupponere, talem venationem eſſe peccatum mortale: Id tamen maximè intelligendum eſt de venatione, quæ fit cum magno ſtrepitu armorum, vi, canibus &c. ideoque dicitur clamoroſa; Ita communiter Doctores; ſecùs autem ſi venatio non ſit talis, ſed modeſtè ad recreationem fiat; quarè tam Clericis, quam Monachis licitum eſt venari ſine ſtrepitu, & clamoribus, cum retibus, laqueis, aut paucis canibus, modo deſit ſcandalum.

ARTICVLVS III.

Qualiter acquiratur dominium rerum inuentarum.

NOt. Quòd inter res, quæ inueniri poſſunt, maximè locum habet theſaurus, qui ſic deſcribitur *Leg. nunquam ff. de acquirend. rerum domin. Theſaurus eſt vetus quadam depoſitio pecuniæ, cuius non extat memoria, vt iam dominum non habeat*: Quæ deſcriptio competit theſauris propriè dictis, non autem impropriè dictis, quales ſunt, qui deponuntur in aliquo certo loco ad cuſtodiam, quorum Dominus facilè ſcire poteſt;

teſt; nomine autem pecuniæ intelliguntur quæuis opes mobiles, vt catenæ, gemmæ, vaſa, nummi aurei, & argentei.

I. Concl. Res inuentæ, quæ nunquam habuerunt dominium, ſunt inuentoris, ſeu primi occupantis: hæc patet ex ſupradictis; talia autem ſunt gemmæ, lapides prætioſi, & ſimilia, quæ inueniuntur in litore maris; Item illa, quorum Dominus temporis longitudine ignoratur, nec non ea, quæ habentur pro derelictis, qualia ſunt, quæ dominus facilè poteſt recuperare, & non curat; vel quæ ſponte abijcit, ſeu proijcit; huiuſmodi autem bona non ſunt illa, quæ proijciuntur à naufragantibus, cum non cenſeantur ſpontè proiecta, ſed vi, & inuoluntariè; immò talia bona, ſi Chriſtianorum ſunt, nullus occupare poteſt, quin incurrat excommunicationem bullę Cœnæ Domini. Notant tamen Doctores, quod ſi inueniri non poſſint Domini, etiam bonorum, quæ à naufragantibus proiecta ſunt, poſſe huiuſmodi bona retineri ab inuentore, abſque eo quòd excommunicationem incurrat, quia in tali euentu pro derelictis habentur.

II. Concl. Inuenta, quæ verum dominum habent, ipſi domino reſtituenda ſunt, ſi ab inuentore poſſit dignoſci, & reperiri; quod ſi poſt diligentem inquiſitionem dominus reperiri non poſſit, iuxta communem ſententiam debent dari pauperibus; ratio, quia non dimittitur peccatum, ſeu non liberatur quis à peccato, niſi reſtituatur ablatum, vel iniuſtè retentum, at ſecundùm præſumptam voluntatem domini pauperibus talia bona danda ſunt, vel applicanda in pias cauſas, quatenùs ſic reſtituantur, & proſint ipſi domino, quantum hic, & nunc prodeſſe poſſunt. Nihilominus quàm plures Doctores, vt Leſſius, Malderus, Medina, Diana, & alij probabiliter ſuſtinent, poſſe inuentorem ſimilia bona retinere pro ſe, & maximè ſi ipſe inuentor ſit verè pauper; vbi tamen inuentores rei inuentæ dominum reſciuerint, tenentur quamprimùm poſſunt eam domino reſtituere, neque ab eo aliquid ex iuſtitia prætendere valent.

Sed dubium mouetur; an pauperes, qui res aliquas inuentas à ſuperioribus, vel alio modo licito habuerunt pura eleemoſyna, ſi dominus compareat, teneantur illa reſtituere. Dian. tract. 8. reſ. 12. part. 11. reſpondet his verbis;

negatiuam ſententiam ſuſtinet Scotus, Ledeſma, Nauar. etiamſi in propria ſpecie res exiſtat, vel ob eius conſumptionem ditiores facti ſunt, quia non mutuo, ſed in eleemoſynam acceperunt, ac ſi ipſe Dominus id ipſis conceſſiſſet; verùm magis probabiliter dicendum eſt, in tali caſu obligationem reſtituendi adeſſe; & ita docent Molina, & Laiman. Hæc Diana, quibus addo in ſententia plurimorum Doctorum certò obligationem reſtituendi adeſſe, quia ſimiles eleemoſynæ dantur ſub conditione reſtituendi, ſi Dominus poſtea compareat, re exiſtente adhuc in propria ſpecie.

III. Concl. Theſaurus inuentus iure naturæ eſt inuentoris; at iure ciuili ſequentia in commune bonum ſunt iuſtè ordinata. *Primò vt theſaurus arte magica inuentus, ſit fiſci, etſi Magus non teneatur cum fiſco tradere, niſi poſt Iudicis ſententiam, quia eſt lex pœnalis. Secundò vt inuentus in loco publico diuidatur inter inuentorem, & Fiſcum, vel ipſam Communitatem. Tertiò vt repertus in loco Sacro diuidatur inter Prælatum, vel Eccleſiam, & inuentorem, ſi caſu, vel de licentia Prælati repertus fuerit; ſi ſecùs, totus eſt Prælati. Quartò vt theſaurus repertus in loco proprio, totus ſit inuentoris; inuentus autem in fundo alieno, etiam Principis, ſi fortuitò ſit repertus, dimidium erit inuentoris & dimidium domini fundi; Si autem de induſtria quæſitus, ſine conſenſu domini, totus erit domini; vt habetur in Inſtit. de rer. diuiſ. §. theſaurus.* Denique qui ſcit in aliquo loco theſaurum latere, & emit locum illum, antequam eruat theſaurum, efficitur dominus illius, vt tradunt Sotus lib. de Iuſt. q. 3. Nauar. num. 175. Beccan. de Iuſt. & Iure cap. 5. & alij contra quoſdam antiquiores: ratio eſt, quia eruit illum ex loco proprio, nec tenebatur domino priori indicare, ſed poterat vti ſua ſcientia, emendo agrum illum ſecundùm communem æſtimationem, ad quam nihil facit theſaurus reconditus, cuius nulla habetur ſuſpicio. Hactenus dicta de theſauris, procedunt ſecundùm ius commune, quare ſi in aliqua Prouincia ſint aliæ leges particulares, vel conſuetudines de hac re iuſtè ſeruari debent; & idem dicendum eſt de argenti, & aurifodinis, nempè ſpectare ad dominum fundi; ſicut etiam venæ lapidum, & fontium ad dominum ſpectant, niſi leges ſpeciales aliud decernant, prout venas auri, & argenti plerumque Principes per leges ſibi reſeruant, ſiue ex toto, ſiue ex parte ad onera publica &c.

QVÆ-

De poſſeſſione.

NOt. 1. Quòd in ſuperioribus quæſtionibus plura dicta ſunt, quæ ſpectant ad dominium directum, & vtile; in præſenti autem quæſtione agendum eſt de poſſeſſione, quæ eſt quaſi complementum, & vltima perfectio dominij. Vnde hoc nomen, poſſeſſio, vt hinc incipiamus, *dicitur à pedum poſitione, vt habetur leg. 1 ff. de acquirenda poſſeſſione,* quia per pedum poſitionem ſuper bona immobilia, vt ſuper agrum, vel fundum ſolet acquiri poſſeſſio. Et quamuis hoc nomen interdùm ſumatur pro ipſa re poſſeſſa, tamen hic ſumitur pro actu, & iure poſſidendi, à quo homo denominatur poſſeſſor: hic autem ſumitur dupliciter; primò pro acquiſitione poſſeſſionis: 2. pro ipſa poſſeſſione. Poſſeſſio priori modo ſumpta ſic communiter deſcribitur: *Eſt rei detentio vera, vel ficta animi, corporis, & iuris adminiculo;* addunt nonnulli, rei corporalis: at cum etiam rerum incorporalium, v. g. beneficiorum, dignitatum &c. in poſſeſſionem reuerà dentur, non oportet illam particulam addere. Per detentionem intelligitur etiam prima rei apprehenſio, quia per hanc inchoatur poſſeſſio; dicitur autem detentio vera, ideſt, quæ manibus in bonis mobibilibus, pedibus in immobilibus fit; vel ficta, nempe quæ iuris fictione fit, vel habet equiualentiam cum vera: ſic qui accipit claues portæ alicuius domus, aut etiam Ciuitatis, cenſetur accipere illarum poſſeſſionem; dicitur corporis, & animi adminiculo, quia, vt rem aliquam incipias poſsidere, debes eam aliquo modo corporaliter apprehendere, vel manibus, vel pedibus, vel oculis, vel ſimili modo, ſiue per te ipſum, ſiue per procuratorem, filium, ſeruum &c. additur, animi, quia non ſufficit apprehenſio corporalis, niſi fiat animo poſsidendi.

Quare depoſitarius non dicitur poſsidere depoſitum, nec creditor pignus, cum non apprehendat illud animo retinendi; deniquè dicitur, iuris adminiculo, non quòd omnis poſſeſsio ſit iuſta (nam fur verè poſsidet rem furtiuam, non tamen iure) ſed quia ius facit, vt talis apprehenſio cenſeatur ſufficiens ad conſtitutionem poſſeſsionis, nec impedit

eam, ſicut impedit, ne apprehenſio, & detentio rei ſacræ, facta à laico, cenſeatur eſſe poſſeſſio; *Vt patet leg. qui vniuerſitas ff. de acquir. poſſeſs.* Nihilominus valet furi talis poſſeſſio, dum pacificè iam rem detinet, vt ab extraneo priuata auctoritate, immò nec ab ipſo rei domino perturbari poſſit.

Poſterior poſſeſſio, ſumpta nimirum pro ipſa poſſeſſione, ſic deſcribitur: *Eſt ius inſiſtendi alicui rei, tanquam ſuæ, non prohibitæ poſſideri: iſta Bartol. leg. 1 ff de acquir. poſſ.* In primis dicitur, ius, vt excludatur poſſeſſio primo modo ſumpta, quæ eſt quaſi acquiſitio poſſeſſionis, ex qua oritur hoc ius, ſi iuſta fuerit, quod ſi fuerit iniuſta non oritur ex ea ius in conſcientia, ſed tantùm in foro ciuili: 2. dicitur, ius inſiſtendi, vt excludatur dominium, quod per ſe, & formaliter eſt ius perfectè diſponendi de re: at propria ratio iuris poſſidendi eſt, quod poſſeſſor poſſit rem pacificè tenere, & iuris remedijs tueri aduerſus perturbantes: 3. dicitur non prohibitæ poſſideri, *Quia contra iuris diſpoſitionem nemo poteſt habere ius poſſidendi.* Denique dicitur, tanquam ſuæ, quia ſi quis inſiſtat rei alterius, alter poſſeſſor erit.

Not. 2. quòd poſſeſſio diuiditur in poſſeſſionem iuſtam, & iniuſtam. Prima requirit iuſtum titulum, de quo infra: 2. caret iuſto titulo. Item ſubdiuiditur in poſſeſſionem bonæ, & malæ fidei, in coloratam, & non coloratam, quæ omnia in ſequenti quæſtione declarabuntur. Inſuper diuiditur poſſeſſio in naturalem, & ciuilem; hæc eſt, dum ſolo animo retinetur poſſeſſio, prius inchoata corporis, ſimul & animi adminiculo; naturalis verò eſt, quæ corporis, & animi adminiculo retinetur, & hæc aliquando coniungitur cum ciuili, vt quando quis per ſe, vel per alium eſt præſens rebus, quas ciuiliter poſſidet; tunc enim dicitur ciuiliter, & naturaliter poſſidere.

I. Concl. poſſeſſio rerum corporalium tribus modis acquiritur, nempe apprehenſione vera; apprehenſione ficta, & legis diſpoſitione. Prima apprehenſio requiritur ad poſſeſſionem eorum, quæ nullius ſunt, & ad poſſidendam relictam hæreditatem, vel etiam quando vi aliquid poſſidetur: ficta eſt, dum dominus rei talem actum exercet, per quem in iure poſſeſſio tradi cenſetur, vt proximè indicauimus. Legis diſpoſitione poſſeſſio acquiritur, quando res in alterum transfertur ſine vlla apprehenſione vera, vel ficta,

ſed

ſed præciſè, quia leges ita ſtatuunt; ſic v. g. primogenitus ſuccedit in maioratu.

II. Concl. Poſſeſſio iurium, & rerum incorporalium acquiritur exercitio actus circa tale ius, qui actus ſufficit vnicus conſumatus, ſciente, & ferente eo, cuius intererat concedere, vel prohibere, dummodò tamen huiuſmodi actum commodè is, ad quem pertinebat, prohibere potuerit, de quo aliqua dicta fuere in tractatu de legibus, & iuxta opportunitatem, & exigentiam materiæ redibit ſermo.

Quæres. Quibus modis amittitur rerum mobilium poſſeſſio. Reſp. quatuor modis. Primò voluntate poſſidentis, niſi ſit pupillus, vel fatuus: 2. furto: 3. amiſſione: 4. fuga animalium non habentium conſuetudinem redeundi; excipitur tamen mancipium; ſimiliter totidem modis amittitur poſſeſſio bonorum immobilium. Primo voluntate poſſidentis: 2. longa eius abſentia, ſi non proteſtetur: 3. poſſeſſoris negligentia, vel metu eiuſdem, non audentis rem ſuam ab inuaſore recuperare. Denique continua fluminis, vel maris inundatione, de quibus omnibus plura videre licet apud Doctores, præſertim recentiores.

QVÆSTIO VIII.

De præſcriptione, & vſucapione.

NOt. 1. Quòd Iuriſperiti diſtinguere ſolebant præſcriptionem ab vſucapione, eò quòd vſucapio ſit mobilium, præſcriptio verò immobilium. At Canoniſtæ vtramque confundunt, & vnam pro altera vſurpant, quia ius ciuile reuerà non attendit huiuſmodi differentiam. *Nam vſucapio eſt etiam immobilium, vt patet Inſtit. de vſucapione, & leg. vnic. C. de vſucapione.* Similiter præſcriptio in rebus etiam mobilibus locum habet, quando enim eas vſucapimus, vtimur præſcriptione, ſeu exceptione contra priorem dominum. Vnde Roderiq. tom. 3. q. 35. art. 1. non agnoſcit inter præſcriptionem, & vſucapionem aliam differentiam, quam quod præſcriptio eſt exceptio, quæ datur à iure propter lapſum temporis à lege diffiniti, & vſucapio eſt acquiſitio dominij per vſum, & per poſſeſſionem; Vnde præſcriptio eſt exceptio, quæ oritur ab ipſa vſucapione, hoc eſt ab

ipſa dominij acquiſitione, & à longa poſſeſſione per tempus à lege diffinitum. Hinc rectè inter alios obſeruat Beccan. quod diffinitio vſucapionis non eſt formalis, ſed cauſalis, quia vſucapio non eſt formaliter acquiſitio dominij, ſed potiùs cauſa acquiſitionis; formaliter verò nil aliud eſt, quam quædam poſſeſſio rei alienæ.

Not. 2. Quòd res de quibus poteſt eſſe præſcriptio diſtinguntur in corporales, & in incorporales. Corporales autem aliæ ſunt mobiles, puta animalia, veſtes, pecunia &c. aliæ immobiles, vt prædia, domus &c. Incorporales verò ſunt iura, ſeruitutes, & huiuſmodi quorum, quædam pariter ſunt mobiles, vt ſunt iura, debita, & actiones rerum mobilium; & quædam immobiles, vt iura, & actiones rerum immobilium. Inſuper præſcriptio poteſt eſſe tum contra priuatos, tum contra Principes, tum contra Seculares, tum contra Eccleſiaſticos, & Eccleſiam, tum contra leges, ſiuè ciuiles, ſiue canonicas; tum denique, vel cum titulo, vel ſine titulo.

Not. 3. Quòd præſcriptio dicitur, quandoque non procedere; tunc autem cenſetur non procedere, quando propter aliquam cauſam non poteſt incipere, ſeu inchoari. Quandoque etiam dicitur dormire, videlicet dum poſt inchoationem, ſeu inceptionem aliquo tempore ceſſat, quo elapſo, rurſus continuatur præſcriptio eiuſdem rei, computato tempore priori, quo valebat, & ſic dormire dicitur tempore peſtis, belli, incapacitatis ad negotia peragenda, vt in filijsfamilias, pupillis, vxore, viuente Marito, & in Eccleſia mortuo Parocho. Denique quandoque interrumpitur, & tunc eſt, dum poſt inchoationem ita ceſſat, vt ſi fortè poſteà vim rurſus reſumat, non continuetur cum tempore præcedenti, quo fuerat inchoata, ſed de nouo debeat inchoari, quæ omnia ex infra dicendis patebunt.

I. Concl. Præſcriptio, ſeu vſucapio *Eſt acquiſitio dominij per continuationem poſſeſſionis tempore à lege diffinito; ita habetur in leg. 3. ff. de vſucap.* Dicitur acquiſitio, quia propriè eſt ſolùm ipſa actualis acquiſitio dominij, quæ conſequitur poſſeſſionem toto tempore, & cum conditionibus requiſitis, de quibus infra. Dicitur dominij, ideſt tam proprietatis, quàm vtilitatis, vtrumque enim præſcribi poteſt. Dicitur per continuationem poſſeſſionis, quia ſi interumpatur poſſeſ-

ſio, non erit præſcriptio. Tandem dicitur tempore à lege diffinito, quia, cum ea ratione vnus dominium amittat, & alter acquirat humano iure ad lites tollendas, & dominiorum incertitudinem, congruum, & iuſtum fuit, vt id penderet ex diffinitione temporis à lege conſtituti.

II. Concl. Acquiſitio dominij per præſcriptionem iuridicam, licita, & iuſta eſt tam in foro ciuili, quam conſcientiæ: hæc eſt communis ſententia Iuriſtarum, & Theologorum; & quidem de iuſtitia in foro ciuili expreſſè *Patet ex leg. 3. ff. de vſucap & leg. 1. eodem tit. vbi dicitur; bono publico introducta eſt vſucapio, ne diù, & ferè ſemper incerta eſſent rerum dominia; & de foro conſcientiæ conſtat ex Concil. Lateran. relato in cap. fin. de præſcriptionibus, vbi ſupponitur, præſcriptionem bona fidei innixam ſine peccato valere, ac proinde transferre dominium.*

Prob. ratione. Non apparet ratio, cur non valeat Princeps, ſeu legitimus Superior ſtatuere, vt Iure præſcriptionis rerum dominia validè, & licitè transferantur ob commune bonum, ac vtilitatem. Vnde non obſtat, ſi dicatur, neminem eſſe priuandum re ſua abſque ſua culpa: Siquidem id tantum verum eſt, vbi ratio boni communis non exigit ad fugiendas difficultates, & lites in Repuplica: ergo &c. Hinc rectè infertur, quod qui rem legitimè præſcripſit, & poſtmodum cognoſcit eam fuiſſe alienam, non tenetur in conſcientia eam reſtituere, quia tranſacto tempore à lege diffinito, euadit res, quæ erat aliena, ſua, & propria.

III. Concl. Ad iuſtam præſcriptionem, ſeu vſucapionem requiruntur quatuor conditiones. Prima eſt poſſeſſio: 2. bona fides: 3. titulus probabiliter præſumptus: 4. continuatio poſſeſſionis cum bona fide tempore à lege diffinito: hæc pariter eſt communis ſententia Iuriſtarum, & Theologorum. Prob. 1. quoad 1. p. *Ex regula Iuris in 6. Sine poſſeſſione præſcriptio non procedit*: & talis poſſeſſio debet eſſe propria, qua videlicet nomine ſuo quis poſſidet, non autem alieno, ideò Tutor, & Curator non præſcribunt res pupilli, & minoris. Inſuper debet eſſe vel ciuilis tantùm, vel ciuilis, & naturalis ſimul, quia ſola naturalis poſſeſſio non ſufficit. Quare ob defectum huius conditionis non poſſunt præſcribi primò loca Sacra, & ius decimarum à Laico, quia Laicus non eſt capax poſſeſſionis ciuilis talium rerum, cum Ius ei reſiſtat: 2. Religioſus profeſſus non poteſt quidquam præſcribere

bere, ſeu vſucapere, quia nihil poteſt ſuo nomine poſſidere: 3. fructuatarius, Colonus, Fæudatarius, Enphyteuta, Conductor &c. nequeunt proprietatem rei præſcribere; quia eam non poſſident niſi naturaliter: 4. denique nemo poteſt præſcribere quandiù apud ipſum non eſt poſſeſſio ciuilis rei, ſed apud alium, cum præſcriptio incipiat ab eo die, quo prior Dominus amittit poſſeſſionem ciuilem; ita tradunt communiter Doctores.

Prob. quoad 2. part. nempe quod requiratur titulus verus, vel probabiliter præſumptus: *Per titulum hic intelligitur iuſta cauſa poſſeſſionis, ſeu radix, & fundamentum, in quo fundatur iuſtitia poſſeſſionis: huiuſmodi ſunt donatio, emptio, permutatio, collatio, ſucceſſio &c.* Cenſetur autem titulus eſſe verus, ſi ab initio accepiſti rem via donationis, emptionis &c. probabiliter verò præſumptus, ſi ex ignorantia facti emas rem aliquam ab eo, qui non habet ius eam vendendi, probabiliter tamen putatur ab emptore, quod vendens habeat tale ius, *Vt conſtat ex leg. Iuris ff. de iuris, & facti ignorantia, & ex leg. diuina C. de præſcriptionibus longi temporis.* Cæterùm hæc conditio non eſt abſolutè neceſſaria, *Vt patet leg. Sicuti cap. de præſcrip. triginta annorum, vbi dicitur abſolutè abſque titulo res mobiles, & immobiles præſcribi ſpatio triginta annorum, & tunc tempus illud habet rationem tituli.*

Prob. quoad tertiam partem, nempè quod requiratur bona fides. *quæ nil aliud eſt, quam credulitas, ſeu exiſtimatio, qua quis prudenter ſibi perſuadet, rem eſſe ſuam, vel ſaltem neſcit, eſſe alienam. Nam ex regula iuris in 6. poſſeſſor malæ fidei vllo tempore non præſcribit, & etiam patet ex declaratione Concil. Lateranen. relata cap. fin. de præſcrip. vbi reformat quoad hoc ius ciuile, admittens præſcriptionem etiam temporis longi, quæ ab initio laborabat bona fide, fluxu tamen temporis fuit vitiata mala fide.*

Prob. quoad quartam conditionem, nempè continuata poſſeſſio cum bona fide tempore à lege diffinito. Etenim leges ciuiles, & canonicæ pro varietate rerum determinant tempus præſcribendi; & quidem primò ad præſcribendum res mobiles, ſi priuatorum ſint, ſufficiunt, ſi adſit titulus, & bona fides tres anni *leg. ſi quis emptionis cap. de vſucap. ſine titulo triginta anni leg. ſi quis emptionis cap. de præſcrip.* Contra Eccleſiam præſcribuntur res mobiles eodem tempore. *Authent. quas actiones C. de Sacroſanctis Eccleſijs, & appro-*

ba-

batur, à iure canonico cap. vlt. & penult. 16. q. 3. quod valet etiam contra Romanam Eccleſiam, quia in rebus mobilibus nec Eccleſia Romana habet priuilegium.

Secundo ad præſcribendas res immobiles priuatorum cum poſſeſſione bonæ fidei, & titulo requiruntur decem anni inter præſentes, & viginti inter abſentes *leg. cum in long. cap. de præſcrip. longi temporis*. Præſentes dicuntur, qui ſunt in eadem Ciuitate, vel Territorio, vel Regno; è conuerſo abſentes qui ſunt in diuerſis Regnis, vel diuerſis partibus Regni, vt inter alios notat Panormit. *Verùm ſine titulo tam inter abſentes, quàm præſentes præſcribitur triginta annis leg. ſi quis emptionis C. de præſcrip.* Cæterum ad præſcribendum res immobiles Romanæ Eccleſiæ Ius Canonicum cap. cum nobis de præſcrip. petit centum annos. At pro præſcriptione contra alias Eccleſias, Hoſpitalia, Monaſteria poſtulat quadraginta annos *cap. illud autem; & cap. ad aures eodem titulo, ità etiam Authent. C. de Sacroſ. Eccleſ.* Contra Regulares autem per communicationem priuilegij Eugenij IV. Benedictinis conceſſi non currit præſcriptio niſi poſt lapſum ſexaginta annorum; immò addit Rodriq. cui conſonat Portel. ex alio priuilegio eiuſdem Eugenij IV. facto pro Monaſterio S. Pauli extra muros Romæ Ordinis Sancti Benedicti, non minus, quàm centum annorum decurſus ad inſtar Eccleſiæ Romanæ requiritur ad præſcribendum.

Tertio Iura, debita, & actiones, quæ dicuntur res immobiles, præſcribuntur eodem tempore contra priuatos, quo res immobiles, niſi adſit aliquod priuilegium, quod contrarium dicat. Sic præſcribitur beneficium cum titulo colorato, Iuſpatronatus eodem modo præſcribitur. Item Emphyteuſis Eccleſiaſtica, ſeruitus perſonalis, qualis eſt vſuſfructus *leg. vlt. cap. de longo tempore præſcrip.* Actiones autem ciuiles de iure communi præſcribuntur triginta annorum ſpatio, ac eodem tempore debita exigibilia ijs actionibus, dummodò adſit bona fides *leg. ſicut rerum cap. de præſcrip. 39.*

Quarto contra bona Principum non ſupremorum, & patrimonialia Clericorum præſcribitur lapſu eorundem annorum, quo contra bona priuatorum. At contra bona ſpectantia ad Reges, Imperatores, ſeu Coronam, quo etiam pertinent vectigalia, præſcribitur ſpatio centum annorum; *ita Doctores ex leg. finali C. ad Sacroſ. Eccleſ.* Nunquam ve-

verò præſcribitur à ſubdito contra ea, quæ Principi competunt in recognitionem ſupremi Principatus, & debitæ ſubiectionis *leg. competit C. de præſcrip. triginta annorum.* Et idem militat de obedientia ſubditi reſpectu ſui Prælati; *Obedientia namque eſt de lege Iuriſdictionis ex cap. conquerente de officio ordinarij.*

Quintò triennalis, eſt pacifica beneficij poſſeſſio cum bona fide, & abſque ingreſſu ſimoniaco, & cum titulo, qui ſemper debet interuenire, quia ſine eo non poteſt inſtitutio canonica obtineri, & excludit in foro externo omnem actionem cuiuſuis competitoris iuxta regulam Cancellariæ de trienn. poſſeſſione. Verùm an ex vi huius poſſeſſionis acquiratur titulus beneficij, qui reddat poſſeſſorem in conſcientia ſecurum, cognita nullitate tituli, non eſt ſatis compertum. Hinc aliqui negant, vt Couaru. Molina; Caſtropalao: Alij verò affirmant, inter quos recenſetur Lugo, qui diſp. 7. ſect. 7. de iuſt. & iure aſſerens ſententiam affirmatiuam eſſe ſatis tutam, & probabilem.

Cæterùm diximus in ſuperiori explicatione, bonam fidem in eo conſiſtere, vt quis prudenter credat, rem eſſe ſuam, vel non eſſe alienam, idque non poteſt prouenire, niſi ex aliquo errore, vel ignorantia; ſiue iuris, ſiue facti: hinc oritur triplex difficultas de bona fide. Prima eſt de eo, qui dubitat, an res, quam poſſidet ſit ſua, nec ne: 2. de ignorante ex ignorantia Iuris: 3. de ſucceſſore eius, qui habebat malam fidem, an ei noceat ad præſcribendum.

Reſp. ad primam difficultatem: Si dubitans inchoet poſſeſſionem cum dubio, nulla eſt bona fides, ac proinde non datur præſcriptio, quia ad hoc, vt quis incipiat rem facere ſuam, quæ priùs non erat, requiritur, vt determinatè iudicet; vel rem eſſe nullius, & ſic fieri ſuam per occupationem, vel eſſe ſuam per veram donationem, aut emptionem, aut per alium legitimum titulum probabiliter præſumptum; quod ſi quis dubitet, an ſit ſua, vel aliena, iniuſtè agit, ſi eam ſibi attribuit, cum non ſit maior ratio, cur ſibi attribuat, quàm alteri; etſi ille alius dubius eſſet, res diuidi debet, quia vtriuſque eſt par ius; tunc enim poſſumus prudenter ſequi vtramque ſententiam in praxi. Si verò ſit iuris clari, non ſufficit, vt tradit communis apud Molinam, & Leſſium. At ſi in principio poſſeſſor credebat bona fide

poſſidere, & decurſu temporis incipit dubitare, an bona fide poſſideat; tunc tale dubium ei ſuperueniens, non deſtruit, nec interrumpit præſcriptionem; quidquid dicant Adrianus, & Sotus. Ratio euidens eſt, quia *In pari dubio melior eſt conditio poſſidentis, quàm non poſſidentis de reg. Iuris*: ergo cum is, qui incipit dubitare, iam poſſideat, melior eſt eius conditio, quàm non poſſidentis. Quod ſi adhibita diligentia, adhuc maneat dubitatio, poteſt rem retinere, & continuare poſſeſſionem, ac proindè pro ſe ipſo præſcribere.

Reſp. ad 2. difficultatem. Si ignorantia ſit vincibilis, non facit bonam fidem; ſi ſit probabilis, vel eſt facti, vel eſt Iuris; ſi ſit facti, excuſat, & facit bonam fidem, *Ex leg. Iuris ff. de Iuris, & facti ignorantia*. Si ſit iuris, vel eſt iuris dubij, vel iuris clari: Si ſit iuris valde dubij, vel verè dubij, excuſat, vt docet Couaruu. Beccan. Nauar. & alij. Ratio, quia quando ius aliquod eſt verè dubium, id, de quo ſunt multorum ſententiæ, poſſumus in praxi vtramlibet ſequi, non aliter ac ſi ius clarum eſſet. Si verò ſit iuris clari, non ſufficit ad præſcriptionem rei; ita communis ſententia. Ratio eſt, quia præſcriptio eſt introducta iure ciuili, ac proinde tantam vim habet, quanta illi à iure ciuili, vel canonico datur. Ius autem ciuile apertè decernit, non prodeſſe ignorantiam Iuris *Leg. Iuris ff. de iuris, & facti ignorantia. Iuris, inquit, ignorantia in vſucapione negatur, prodeſſe; facti vero ignorantiam prodeſſe conſtat; & conſentit Ius Canonicum cap. Apoſtolicæ de donat.* ergo ignorantia iuris clari non excuſat; nihilominus ſufficit ad præſcribendos fructus ex illa re perceptos, e. g. ſi quis ex vſuris acquiſiuit prædium, putans, eſſe licitas vſuras moderatas, prædium non præſcribit, ſed fructus perceptos benè præſcribit.

Inſuper iuxta Medinam, & Leſſium probabile eſt in foro conſcientiæ errorem iuris in præſcriptione non requirente titulum, nempè quæ fit triginta annis, ſufficere. Hinc ſequitur, ſi quis à fure emit gemmas prætioſas, vel aliquid aliud, neſciens eſſe furem, poteſt præſcribere, quia eſt ignorantia facti. Similiter ſi aliquid accepit à pupillo donatione, vel emptione, neſciens eſſe pupillum, poteſt præſcribere, vt patet *Leg. pro emptore. ff. pro emptore.* Pari ratione ſi emas à Prælato rem Eccleſiæ putans, Capitulum conſenſiſſe, eſt error facti, ac proinde poteſt præſcribere etiamſi Ca-

pi-

pitulum non conſenſerit. Si autem emerit à Prælato, putans, non requiri conſenſum Capituli, eſt error Iuris, & per conſequens non poteſt præſcribere. His tamen non obſtantibus Ioann. Medina C. de reſtitut. q. 17. docet, quamlibet ignorantiam inculpatam tam iuris, quam facti ſufficere ad præſcribendum in foro conſcientiæ, quam opinionem non putat improbabilem Leſſius de Iuſtitia, & Iure cap. 6. & pro qua videri poteſt Caſtropalao diſp. 22. ſ. 8. ex qua doctrina infertur, quod accipiens aliquid ab eo, quem ſcit eſſe Religioſum, aut pupillum, & putans illos poſſe donare, & alienare ſine conſenſu Superioris, aut Tutoris, vel Iudicis in conſcientia poſſe præſcribere. Quare ſecundum hanc ſententiam leges citatæ eſſent explicandæ de foro fori, non autem de foro conſcientiæ.

Ad tertiam difficultatem, mala fides Auctoris, ſeu Teſtatoris nocet ſucceſſori vniuerſali: Succeſſor autem vniuerſalis eſt hæres: non verò particulari ſucceſſori; quia particularis ſucceſſor eſt legatarius; ratio eſt, quia hæres vniuerſalis reputatur vna, & eadem perſona cum Auctore, ſeu Teſtatore, *Vt colligitur ex leg. cum heres ff. de diuerſ. tempor. præſcrip. & leg. vlt. cap. communia de vſucap.* Non nocet autem legatario, *Vt habetur leg. an virum ff. de diuerſ. tempor. præſcrip.* Itaque hæres vniuerſalis immediatus cum teſtatore malæ fidei poſſeſſore, cenſetur vna moraliter perſona iuris fictione, & conſequenter vna eſt vtriuſque poſſeſſio; vnde cum poſſeſſio prioris poſſeſſoris fuerit malæ fidei, ſequitur, quod ſit malæ fidei etiam poſſeſſio ſucceſſoris immediati. Dicitur immediati, nam ſi res iam vlterius tranſierit bona fide ad mediatum poſſeſſorem, ideſt ad hæredem huius hæredis, ille tempore ordinario à lege deffinito, rem, ſeu hæreditatem præſcribere poteſt; ratio eſt, quia *Fictio illa Iuris de mala fide ſecundum heredem non afficit; non enim morem habent iura duas fictiones facere ex eadem cauſa; vt tradunt legales.*

Quæres 1. Quæ res non poſſunt præſcribi.

Reſp. plura non poſſe præſcribi. In primis homo liber nulla temporis continuatione præſcribi poteſt, vt fiat ſeruus *ex leg. fin. C. de long. tempor. præſcrip.* Nihilominus poteſt ſeruus præſcribere contra dominum libertatem, ſi per viginti annos bonam fidem habuit de ſua libertate, licet caruerit titulo libertatis; *ita ex leg. 2. C. tit. 2.* præſcribi nequeunt

queunt

quentes, quæ Principi, vt Principi in recognitionem ſupremæ poteſtatis debentur; vt cenſus, tributa &c. exemptio pariter ab obedientia, & correctione eiuſdem: 3. non poſſunt præſcribi res furtiuæ, & vi poſſeſſæ, vt tradit *Inſtit. de vſucap. §. furtiua quoque res*: poſſunt tamen huiuſmodi res præſcribi tempore extraordinario trigeſimo, vel quadrageſimo anno, quod à iure vocatur tempus longiſſimum, ſuppoſita verò bona fide, quia malæ fidei poſſeſſor nunquam præſcribit. *Ità Doctores ex leg. omnes, & leg. ſicuti in rem C. de preſcrip. triginta annorum*: 4. non currit præſcriptio contra res in communi maſſa exiſtentes, & ad plures pertinentes pro vno tantùm, *leg. ſi communem ff. quemadmodum ſeruitus amittitur*. Denique præſcribi nequeunt limites, & fines Prouinciarum, Epiſcopatuum, & Parochiarum *Ex cap. ſuper eo, & cap. quicumque*. Item res ad publicum vſum deſtinatæ, cuiuſmodi ſunt forum, pons, viæ, regales &c. *l. preſcriptio C. de operibus publicis*. Item ius decimarum à laico ſoluendarum; *ità cap. quamuis 17. & cap. prohibemus de decimis*.

Quæres 2. An detur remedium contra præſcriptionem, & quibus datur.

Reſp. affirmatiuè, & tale remedium eſt reſtitutio in integrum, ita quòd finita præſcriptione, prior dominus poteſt rem ſuam auctoritate Iudicis recuperare, & hoc remedium datur primò minoribus ætate, qui nondum vigeſimum quintum annum expleuerunt, locis pijs, & Eccleſijs etiamſi præſcriptio ſit quadraginta annorum; *Ita Doctores, & Gloſ. in Authent. quas actiones C. de Sacroſanctis Eccleſijs*; idque tam minoribus, quàm Eccleſijs conceditur per quatuor annos poſt completam præſcriptionem, ſi de ea ſcientiam habuerint. Inſuper conceditur maioribus ætate in præſcriptione decem, & viginti annorum, dummodò tamen probent, præſcriptionem fuiſſe peractam cum probabili ſua ignorantia, aut ſine negligentia: *Ita leg. 1. §. fin. ff. ex quibus cauſis, & Abbas, & Fellinus in cap. vigilanti de praſcrip.* Cæterùm habent maiores ſicuti minores quatuor annos poſt completam præſcriptionem. In præſcriptione tamen triginta, & quadraginta annorum, non conceditur maioribus reſtitutio in integrum iuxta Couar. n. 1. Alij autem aliter ſentiunt.

Quæres 3. Quid dicendum ſit de præſcriptione temporis immemorabilis. Reſp. quòd talis præſcriptio non cenſetur

tur comprehenſa ſtatuto, aut lege generalibus verbis prohibente, v. g. nulla præſcriptione obſtante, fieri præſcriptionem, quia hæc ſpecialem fauorem, & æquitatem continens ſpecialem derogationem deſiderat. Ita Laiman. Quare qui poſſeſſionem temporis immemorabilis oſtendere poteſt, non tenetur titulum allegare, cum ob temporis diuturnitatem id ſæpè difficile ſit, & temporis continuata poſſeſſio ius tribuat, ſi capacitas ſit in poſſidente, *vt notat gloſ recepta in cap. 1. de præſcrip. in 6. Abbas in cap. peruenit*. Profectò præſcriptio immemorialis nullum annorum tempus diffinitum requirit, ſed probari debet ſecundùm gloſ. & Doct. in cap. 1. de præſcrip. in 6. Ioann. Fabrius tit. de Iure naturali, gentium, & ciuil. §. ex non ſcripto; per teſtes, quod ſemper viderunt, & audierunt ita eſſe, neque vnquam contrarium, & communis eſt, & fuit ſemper opinio, & fama de hoc facto, neque extet contrarij, vel initij memoria: Ita apud Laiman. lib. 3. de Iuſtit. tract. 1. cap. 8. num. 15.

QVÆSTIO IX.

Quid ſit Iniuſtitia, & quis eam pati poſſit.

NOt. 1. Quòd ſicut Iuſtitia ex dictis poteſt ſumi dupliciter, ita ex oppoſito iniuſtitia duobus modis accipitur: primò pro traſgreſſione cuiuſcunque legis, quæ dicitur iniquitas, & in hoc ſenſu quodlibet peccatum eſt iniuſtitia, prout etiam docuit Ariſt. 5. Eth. cap. 1. quatenus ſemper violatur aliqua lex per præceptum ſuperioris, & de hac iniuſtitia generaliter ſumpta, non procedit quæſtio: 2. ſumitur pro violatione alterius iuris propriè dicti, & ſic eſt iniuſtitia ſpecialis, & vitium directe oppoſitum iuſtitiæ, de qua hucuſque egimus, & de hac procedit quæſtio: quæ quidem iniuſtitia particularis adhuc poteſt ſpectari dupliciter, vel vt eſt actus, *Et ſic eſt alieni iuris violatio, quæ iniuria dicitur*; vel pro habitu oppoſito habitui iuſtitiæ, *Et ſic eſt praua voluntatis diſpoſitio ex iniuſtis actibus acquiſita, & ad ſimiles actus inclinans*.

Not. 2. Quòd duobus modis poteſt alteri inferri iniuria. Primo commiſſione, vt furto, homicidio &c. 2. omiſſione,

non

non faciendo, quod tenetur, non ſatisfaciendo, non reſtituendo &c. vndè homo non redditur minus iniuſtus omiſſione, quàm commiſſione; omiſſio ſiquidem reddit hominem iniuſtum habitualiter, donec reſtituat; rarò tamen omittitur officium debitum abſque poſitiua complacentia voluntatis, licèt aliquando fieri poſſit, vt quis remaneat habitualiter vitioſus abſque habitu reali, vt etiam extra noſtram ſcholam tenet Leſſius lib. 2. de iuſtitia, & Iure cap. 7. dub. 1.

Not. 3. Quòd nonnulli diſtinguunt duplicia bona; alia, quorum domini ſumus: vt eſt fama, honor, & alia bona fortunæ, in quibus ius noſtrum cedere poſſumus; alia quorum non ſumus domini, ſed tantùm cuſtodes, & quodammodò vſufructuarij; vt ſunt vita, corpus, membra, coniux. His prænotatis ſit.

I. Concl. Iniuſtitia prout opponitur Iuſtitiæ ſpecialiter acceptæ, eſt praua voluntas lædendi, ſeu violandi ius alienum: hæc deſcriptio intelligenda eſt oppoſito modo deſcriptionis Iuſtitiæ. Vndè pro praua voluntate intelligitur habitus vitioſus, in voluntate poſitus, inclinans ad lædendum ius alterius, ſicut Iuſtitia inclinat ad conſeruandum, & reddendum vnicuique, quod ſuum eſt.

II. Concl. Nemo ſciens, & volens poteſt propriè iniuriam pati. Prob. Iniuriam propriè pati, eſt violari proprium ius, ſed non poteſt violari ius alterius, eo nolente, vel expreſsè, vel implicitè, itaut ſi sciret, nollet; ſi enim velit, vel permittat ſe lædi, iam cedit iuri ſuo, quantum in ſe eſt: ergo non violatur eius ius *Iuxta regulam Iuris in 6. ſcienti, & conſentienti non fit iniuria, neque dolus.*

Cæterùm concluſio verificatur non ſolùm reſpectu eorum, in quibus habemus ius, ſed etiam in alijs, quorum ſumus tantùm cuſtodes, & veluti vſufructuarij; ſemper enim verum eſt volenti, & conſentienti non fieri iniuriam quantum ad ipſum pertinet. Vndè licèt in ijs non videatur, quòd poſſit quis cedere iuri ſuo, quia, etſi cedat, tamen verè permanet, non quidem formaliter, ſed materialiter, cum ipſe nolit eo vti; quod etiam docuit Ariſt. loc. cit. dicens, *Spontè neminem pati iniuriam, etiamſi ſpontè lædi poſſit, & damno affici.*

Arg. cont. 2. concl. Si hæc concluſio eſſet vera, ſequeretur,

tur; quòd is, qui ſe interficit, non faceret iniuriam, & pa-
riter qui interficeret alterum volentem, & qui cognoſceret
alienam coniugem, conſentiente eius marito, non faceret
iniuriam, quod prorſus falſum apparet: ergo &c.

Reſp. quod qui ſe interficit, etſi iniuriam ſibi ipſi non
faciat, facit tamen iniuriam Reipublicæ, cuius eſt pars, &
Deo; qui eſt Dominus vitæ ipſius; & idem eſt de eo, qui
alium volentem interficit; facit enim iniuriam Reipubli-
cæ, peccando contra iuſtitiam legalem, & Deo. Hinc Da-
uid puniuit. Amalechitem, tanquam homicidam, qui faſ-
ſus eſt, ſe occidiſſe Saulem volentem. Verum eſt tamen,
quòd, cum occidens volentem peccet ſolùm contra iuſti-
tiam legalem, non tenetur ad vllam reſtitutionem hæredi-
bus hominis occiſi. Denique quod attinet ad illud de adul-
terio, coniuge conſentiente, dicimus, coniugem in tali
conuentu pati ſtrictam iniuriam, cum ius, quod habet in con-
iugem legitimè cedere non poſſit. Ita Leſſius, Valentia,
Vaſquez, & alij. Verùm magis mihi quadrat aliorum reſ-
ponſio dicentium; quòd coniux, conſentiente coniuge,
propriè non facit iniuriam coniugi conſentienti iuxta do-
ctrinam allatam in 2. concl. ſed iniuriam facit matrimonio,
cum contra talem legem peccet peccato adulterij, quia ma-
terialiter tantùm remanet ius ipſius coniugis, non autem
formaliter.

Arg. 2. Chriſtus, & Sancti libenter paſſi ſunt, ergo falſa
concluſio aſſerens, quòd nemo volens, patitur iniuriam.

Reſp. Chriſtum, & Martyres indubie quidem paſſos, ſed
nunquam ceſſerunt iuri ſuo; non enim cupiebant ſibi ab
impijs illa mala irrogari, cum impietatem nollent, nec illis
ad hoc nullum ius, vel auctoritatem tribuebant, ſed tan-
tùm permiſſiue ſe habebant, non repugnando, & ſe non
ſubtrahendo eorum poteſtati; hinc eſt, quòd retinent ſem-
per actionem iniuriarum in illos coram tribunali Diuino,
vt teſtatur Sapien. cap. 5. *Stabunt iuſti in magna conſtantia ad-
uerſus eos, qui ſe anguſtiauerunt.*

Pro coronide obſeruandum eſt, quòd ſicut nemo volens,
poteſt iniuriam pati, ſic nemo poteſt propriè iniuriam in-
ferre, niſi volens, quia, cum homo ab alijs agentibus non
diſtinguatur, niſi per rationem, iniuriam inferre nequit
niſi volens; nam bruta lædendo hominem, non faciunt
iniu-

iniuriam; ſufficit tamen, quòd ſit volens implicitè, ſeu interpretatiuè, ad hoc vt faciat iniuriam.

Addo cum Dicaſtillo, & Herincx diſp. 5. de iniuria, & reſtitutione in communi, adhuc fieri iniuriam ei, qui ius ſuum in ijs, in quibus cedere iuſtè nequit, renuntiat; quare in mutilatione, occiſione, adulterio, & ſimilibus, non obſtante ceſſione offenſi, fit iniuria; quia cum eius ceſſio ſit inualida, remanet ius in ſuo robore, ac proinde iniuria ex læſione iuris exurgit. Hinc pupillo etiam conſentienti fit quodam ſenſu iniuria, vti contra ipſum committitur peccatum iniuſtitiæ, ſeu furti. Eſtò ſpecialis quædam ratio iniuriæ appareat in diſſentiente, ſeu inuito, ſicut, & in violentia paſſa; hactenus de iuſtitia, & iure in generali.

DISPVTATIO II.

De Contractibus in genere.

IN ſuperiori diſputatione ſufficienter tractauimus de Iuſtitia, & Iniuſtitia generatim ſumpta, nec nõ de modis acquirendi rerum dominium iure naturali, ſiue gentium, atque iure ciuili; conſequenter in præſenti diſputatione agere oportet de transferendo dominio rerum auctoritate priuata paciſcentium, ſeu voluntate transferentis, quod fit contractu, ſeù quaſi contractu. In hac igitur diſputatione naturam Contractus in genere explicare ſtudebimus, & quidem ea breuitate, qua fieri poterit.

QVÆSTIO I.

Quid ſit Contractus.

NOt. 1. Quòd Contractus ſecundùm nominis etymologiam nil aliud importat niſi tractum plurium voluntatum in vnum, vt notat noſter Vngarellus in addit. ad ſummam Angel. ideoquè dicimus, quòd paciſcendo diuiſas in vnum trahimus voluntates, qua ratione venditio, emptio, locatio &c. dicuntur contractus. Cæterùm contractus ſecundùm rem poteſt ſumi dupliciter: 1. in laxa ſignificatio-

ne, & ſic coincidit cum pacto, & definitur *leg. 1. ff. de pactis, eſt duorum, vel plurium in idem placitum conſenſus:* & in hoc ſenſu comprehendit omnem contractum etiam promiſſionem, vel donationem, in quibus non intercedit mutua obligatio, ſed ſolius promittentis, ſeu donantis: 2. ſumitur in ſtricta ſignificatione, & deſcribitur *leg. labeo §. contractus de verb. ſignif. eſt vltrò citròque obligatio; ſeu eſt conuentio vltrò, citròque obligatoria,* quæ quidem deſcriptio non eſt formalis, ſed cauſalis, quatenus cauſat obligationem in contractibus; nam formaliter *Eſt locutio, vel ſcriptura, vel aliud externum ſignum, quo homines exprimunt mentem ſuam, & ſe ſe inuicem alter alteri obligant.*

Not. 2. Quòd quatuor ſunt modi iuxta DD. communiter, quibus contractus perficitur, nempe re, ſcriptura, verbis, & conſenſu, vt habetur in Inſtit. de obligatione. Itaque primo completur re, dum præſtatur, ſeu traditur res, quæ eſt contractus materia, vt mutuum, depoſitum &c. 2. Scriptura, quando contractui adijcitur ſcriptura, de iure requiſita ad valorem contractus; ſic perficitur emphyteuſis de re Eccleſiaſtica, & alij, quos contrahentes nolunt concludere, niſi coram Notario conficiente contractus inſtrumentum: 3. verbis, quando certæ formulæ apponuntur ex Iuris diſpoſitione, qualiter perficiuntur ſtipulationes omnes, quæ conceptis verbis iuris fieri debent vno interrogante ſic: promittis ne te daturum, & facturum hoc? altero reſpondente promitto: *Ita Inſtit. de verborum obligatione.* Notant tamen paſſim moderni DD. tam Legales, quam Theologales, ſimiles formulas Iuris iam moderationem quandam accepiſſe, adeòut valeant ſtipulationes quibuſcunque verbis factæ, contrahentibus tamen notis, & exprimentibus petitionem, & conſenſum: 4. mutuo conſenſu exteriùs manifeſtato, & ſic perficiuntur emptio, locatio &c.

Concl. Contractus ſtrictè acceptus clariùs deſcribitur ſi dicatur *Eſt conſenſus, ſeu conuentio libera, & legitima plurium perſonarum ſuper re aliqua mutuam obligationem Iuſtitiæ inducens in contrahentibus.* Hæc definitio, vt ex logicis conſtat eſt optima; nam ly conuentio eſt genus, & ſignificat idem, quod pactio de re aliqua; reliqua habent rationem differentiæ; vndè dicitur libera, quia contractus ſi libertate, vel deliberatione careat, non ſubſiſtit; ſimiliter dicitur legitima, ideſt

iuxta

iuxta iuris diſpoſitionem. Dicitur plurium perſonarum, quæ particula patet: & denique ponitur, per mutuam obligationem &c. vt diſtinguatur à pactis donationis, & promiſſionis in quibus vna pars tantùm obligatur. Dicitur, mutuam obligationem Iuſtitiæ inducens, quæ obligatio Iuſtitiæ intelligitur de Iuſtitia commutatiua, quæ vt latè in 1. diſp. diximus, verſatur circa commutationes, vel quaſi commutationes.

Quæres 1. Quotuplex eſt Contractus.

Reſp. Contractus in ſui prima diuiſione rectè partitur in contractum nominatum, & innominatum, prior eſt, qui à Iuribus habet determinatum in ſpecie nomen, tales ſunt emptio, venditio &c. Poſterior eſt, qui à Iuribus nullum in ſpecie determinatum nomen habet, ſed nomine generalis pactionis appellatur, & ſunt quatuor *leg. naturalis ff. de ſcript. verb. Primò do, vt des: 2. Do vt facias: 3. Facio, vt des: 4. Facio, vt facias.* v.g. do tibi aurum, vt des mihi argentum, do tibi triticum, vt tuas operas mihi loces; pingo tibi imaginem, vt des mihi torquem aureum. Aro tuum agrum, vt tu edifices meam domum. His accedit permutatio inquit Suaccius in inſt. lib. 3. cuius nomen commune eſt omnibus conuentionibus, in quibus hincinde aliquod datur, & accipitur, ſiue rerum, ſiue operarum, ſiue officiorum mutatio, & viciſſitudo fiat: *Gloſ. in rubrica C. de rerum permutatione*: 2. diuiditur in formalem, in quo expreſsè obligatio contrahitur, & in virtualem, in quo obligatio contrahitur implicitè; ſic dum quis acceptat officium eo ipſo ſe implicitè obligat ad illud decenter, & diligenter peragendum: 3. alij ſunt contractus bonæ fidei, alij ſtricti Iuris. Primi dicuntur bonæ fidei non prout opponuntur dolo, quia hæc fides in omnibus contractibus requiritur *leg. bonam fidem C. de actionibus, & obligat. ſed prout opponitur rigori Iuris, & tunc nihil aliud eſt, quàm æquitas, & benignitas, quæ cum ſtricto Iure pugnat leg. ſi ſeruus.* Huiuſmodi contractus ſunt emptio, venditio, Societas, & ſimiles Inſtit. de action. §. actionum in quibus omnibus à Iudice poteſt fieri latior, & benignior interpretatio. Alij ſunt ſtricti Iuris, qui nempe ſtrictam interpretationem, & iuxta terminos expreſſos conuentionis factæ poſtulant, quare Iudex in his nil poteſt arbitrari, niſi quod expreſsè concluſum eſt à contrahentibus,

 huiuſ-

huiuſmodi ſunt, qui ab Inſtit. cit. non numerantur v. g. ſtipulatio, donatio, & plures contractus innominati.

Quartò diuiditur Contractus in nudum, & veſtitum. Nudus dicitur qui in mera conuentione conſiſtit, & omni alio robore iuris caret, vt donatio ante traditionem rei; veſtitus dicitur ille, qui præter conuentionem Iure ciuili robur obtinet, quia videlicet iuxta Iuris exigentiam initus eſt coram Notario, & teſtibus, vel per Scripturam. Vndè communiter notant DD. quòd veſtitur contractus ſex modis. Primò re ipſa, vt ſi ſaltem ex altera parte ſit impletus: 2. verbis, vt ſi accedit formula ſtipulationis: 3. literis, vt ſi literis fatearis tibi eſſe ſatisfactum etiamſi ſatisfactum non ſit, & hoc vocatur acceptilatio: 4. ſpecifico nomine contractus, vt omnes contractus nominati ſi in ſuo genere perfecti ſint: 5. cohærentia cum contractu veſtito, vt ſi vendam tibi domum centum aureis cum pacto, vt illam adhuc inhabitem, hoc ſiquidem pactum acceſſorium eſt per ſe nudum, & tamen quia cohæret cum venditione, quæ eſt pactum veſtitum, cenſetur etiam veſtitum, quia *Acceſſorium ſequitur naturam principalis, iuxta regulas iuris*: 6. iuramento.

Quintò diuiditur in contractum lucratiuum, & oneroſum. Lucratiuum eſt in quo nihil rependitur, vt donatio, promiſſio, commodatum &c. Oneroſus eſt, in quo, loco eius, quod datur, aliquod debet reddi, vel præſtari, vt mutuum, emptio, locatio, feudum, emphyteuſis &c. Item diuiditur in abſolutum, & conditionatum; primus eſt, cui non eſt appoſita alia conditio, v. g. promitto tibi hanc rem. Secundus eſt cui apponitur aliqua conditio: de conditionibus autem dicetur infra. Deniquè diuiditur in contractum reſpectiuum, & eſt, in quo vtrimque naſcitur obligatio, & in non reſpectiuum, & eſt in quo ex vna tantùm parte naſcitur obligatio.

Cæterùm huiuſmodi diuiſiones Contractus in genere poſſunt reduci ad tria, quæ ſufficientia, & numeratio ſic habetur. In omni contractu transfertur vel dominium, vel vſusfructus, vel nudus vſus. Si transferatur dominium, vel fit gratis, & ſic eſt donatio, quæ tamen, vt proximè notauimus, non eſt propriè contractus, vel non fit gratis, & ſic, aut res pro re commutatur, & dicitur cambium, aut

res pro pretio datur, & dicitur emptio, cui correſpondet venditio; aut res mutuatur, & ſic eſt mutuatio. Si transferatur vſusfructus non gratis, & ſic eſt emphyteuſis, ad quem reducitur cenſualis penſio; aut transfertur nudus vſus; & hoc ſi fiat gratis dicitur commodatio, ſi autem non fiat gratis, ſed pro alia re, & ſic dicitur permutata commodatio. Quòd ſi vſus concedatur pro pretio, dicitur locatio, cui correſpondet Conductio. Depoſitum, fideiuſſio, & ſtipulatio; hi non enumerantur, quia, cum in iſtis nihil transferatur, ſunt contractus in latiſſima acceptione, ſeu ſignificatione. Inſuper contractus innominati reducuntur ad contractus ſupradictos, vt etiam docet Scot. in 4. diſt. 15.

Quæres 2. Quæ conditiones ad Contractus valorem exiguntur. Reſp. DD. communiter tradunt duas conditiones ex parte efficientis requiri, alteram ex parte contrahentium, nempe, vt ambo dominij, & vſus ipſius ſint capaces, alteram ex parte ſuperioris, vt lege ſua poſitiua non reſiſtat. Ex parte formæ contractus, qui nil aliud eſt, quàm mutuus, & reciprocus contrahentium conſenſus, quatuor conditiones requiruntur: prima vt conſenſus ſit liber, & deliberatus, vt ait Scot. in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. Secunda vt conſenſus ſit promiſſorius, ideſt cum animo ſe obligandi ad leges contractus celebrãdi; quia aliter verba externa ſine animo ſe obligandi, obligationem non inducunt *leg. 1. ff. de pactis, immò ſimulatio conſenſus etiam iure naturæ contractum irritat, quia conſenſus ſimulatus, non eſt conſenſus*. Tertia, vt conſenſus internus aliquo ſigno externo ſit expreſſus, vt ſupra indicauimus. Quarta, vt talis conſenſus ſigno externo expreſſus percipiatur ab eo, cum quo initur contractus. Ex parte autem materiæ contractus duæ aliæ conditiones requiruntur; vna quòd res non ſit aliena; non enim res aliena eſt valida materia contractus, cum ſolus Dominus de ea diſponere iure poſſit. Limitant tamen aliqui, vt Amicus apud Maſt. diſp. 4. q. 1. art. 1. niſi res fuerit vſu conſumptibilis. Altera vt res, quæ in contractum venit ſit pretio æſtimabilis ratione alicuius vtilitatis, vel voluptatis, quia contractus oneroſus, de quo tantùm hæc conditio intelligitur, fundatur in mutua Iurium permutatione, quas conditiones inſinuat Scot. loc. cit.

Verùm remanet difficultas, quas conditiones requirat

con-

contractus ex parte finis, & præſertim, an ſit neceſſarium finem contractus eſſe bonum, vt ſit validus, itaut non valeat contractus ob turpem cauſam, vel turpem finem initus; neque eſt difficultas de fine extrinſeco, ad quem ſcilicet contractus extrinſece tantum ordinatur ex intentione ordinantis; nam certum eſt apud omnes contractum à prauo, & turpi fine extrinſeco non irritari, ſicut nec irritatur ex quauis alia extrinſeca circumſtantia praua temporis, loci, perſonæ &c. vnde ſi quis arma, vel venenum emat, vt inimicum occidat adhuc venditio valida eſt, quia contractus per ſe ſolú ſpectat æqualitatem iurium inter contrahentes, cum ſit opus iuſtitiæ. Igitur difficultas procedit ſolummodò de fine intrinſeco contractus, qui cum materia ipſa contractus coincidit, vt cum aſſaſſino contrahit quis de aſſaſſinio patrando, vel homicidio. In tali autem caſu aſſaſſinium, vel homicidium eſt finis intrinſecus, & materia ipſa contractus. Reſp. Aliqui nullum contractum de opere prauo eſſe validum in conſcientia. Ratio, quia peccatum nulla ratione poteſt eſſe materia contractus; hic autem ſumitur peccatum pro actione peccaminoſa, quæ nullius eſt valoris, & pretij; immò, cum præiudicet animæ, nefas eſt illud in contractum deducere: ex quo ſequitur quicquid ab aliquo acceptum fuerit pro huiuſmodi actione peccaminoſa, reſtituendum eſſe, niſi conſtet id gratis eſſe donatum: ita Nauar. Medina, & alij, qui tamen excipiunt opus meretricium, cum pro eo concedatur actio contra fornicarium ad iuſtam mercedem ſoluendam *leg. 4. ff. de contradictione ob turpem cauſam, vbi ſancitur datum Meretrici ob turpem cauſam fornicationis validè accipi, ac proinde non poſſe iuſtè repeti.*

Verùm melius reſpondere videntur alij ex communiori ſententia, qui cum diſtinctione procedunt. Nam loqui poſſumus, vel ſpectato ſolo iure naturæ, vel ſpectato iure poſitiuo. Si in primo ſenſu loquamur omnis contractus de opere prauo ante operis impletionem iure naturæ eſt nullus; quia nemo poteſt ad peccandum obligari; at obligaretur quis ad peccandum, ſi vi contractus, quo cum alio de homicidio patrando conuenit, ad illud implendum teneretur; Secùs autem eſt dicendum poſt operis impletionem, ſeu conditione adimpleta, tunc enim promittens obligatur ex iuſtitia ad ſoluendum pretium. Ratio fundamenta-

talis eſt, quia quodlibet opus prauum, etſi quatenus malum eſt, & offenſa Dei, non ſit pretio aliquo æſtimabile, tamen, quatenus vtile, ac delectabile eſt, aliquo pretio dignum censetur, ac proinde vt tale vendi poteſt, & contrahens, vel ex vtilitate, vel ex delectatione moueri poteſt ad contractum ineundum. Quarè hæc eadem ratio, quæ à ſententia oppoſita recipitur ſolummodò pro opere meretricio; indubiè militat in quocumq; opere prauo, non enim lex humana ſancire potuiſſet opus meretricium eſſe pretio æſtimabile, niſi præter offenſam Dei habere aliquid, quod in pactum deduci poſſet ſine peccato.

QVÆSTIO II.

Vtrum omnis contractus pariat obligationem in foro interno, & externo.

NOt. 1. Quòd obligatio eſt duplex alia naturalis, & eſt, quæ naſcitur ex ipſa lege naturæ oſtendente nos debere eſſe fideles in promiſſis, ſeu conuentionibus: alia eſt ciuilis, ſeu legalis, & eſt, quæ vim accipit à lege poſitiua humana. Hinc conueniunt DD. quemlibet contractum etiam nudum, & innominatum parere obligationem naturalem, ſeu in foro conſcientiæ, quia ad hoc, vt quis ſe obliget, ſufficit animus verbis expreſſus, & acceptatus, quia omnis contractus includit animum ſe obligandi: ergo ſi ſit acceptatus, neque ex iure ſit irritus, parit obligationem, ſaltem in foro conſcientiæ.

I. Concl. Quilibet contractus etiam nudus parit obligationem naturalem, neque poteſt reſcindi, niſi iure poſitiuo ſit irritus, non tamen parit obligationem in foro ciuili, ſeu externo. Prob. 1. pars. Rationi naturali conforme eſt, atque æquum, vt quiſque ligetur, & adimplere teneatur quod animo deliberato expreſsè promiſit; vnde C. 1. *de pactis dicitur Inita pacta ſuam obtinent firmitatem, & C. 3. ſtudiosè agendum eſt, vt ea, quæ promittuntur opere compleantur, quæ iura cum indefinitè loquantur etiam ad pacta, & contractus nudos extenduntur*: ergo ex quolibet contractu naſcitur obligatio in conſcientia. Prob. 2. pars *ex leg. iuris gentium 7 ff de pactis, vbi dicitur nuda pactio obligationem non parit, ſed parit exceptionem,*

aliaſquè

aliaſquè effectus gignit: habet ſiquidem publica poteſtas facultatem ad contractus irritandos, ne multiplicentur lites, & meliùs conſeruetur ſocietas humana, & pax reipublicæ. Sic irritat contractum impuberis; dat ius excipiendi contra creditorem etiam ſi tantùm ex pacto competat, & plures alios, qui iure naturæ validi eſſent, niſi iure poſitiuo irriti eſſent; nihilominus Ius Canon. vt inter alios notat Caſpenſ. talem actionem concedit, quia cum in foro conſcientiæ obliget, & hoc ius ſit congruum ad ſalutem animarum, conſequenter dat actionem.

II. Concl. Ex contractu nudo, iuramento firmato oritur obligatio in vtroque foro tam Iure Canonico, quàm Ciuili. Hæc ex dictis liquidò patet, quia ſtando in ſolo Iure naturæ, ac gentium antequam Ius ciuile introduceretur, nulla erat differentia inter contractus nominatos, & innominatos, neque inter pacta nuda, & veſtita, ac proinde in foro conſcientiæ, ſpectata rei natura, ex omnibus oriebatur obligatio. Tum quia, vt ſupra innuimus, licèt ius Ciuile ad vitandam litium multiplicitatem non concedat actionem in nudis pactis, attamen non abſtulit ab eis quod iure naturæ obtinent, qua ratione in huiuſmodi pactis Iure Canonico datur actio; ergo potiori ratione ex eodem pacto nudo, Iuramento firmato, dabitur actio, & Iure Canonico, & Iure Ciuili quia, vt notat Caſpenſis ex contractu Iure Ciuili irrito, ſi non ſit contra bonos mores, & ſit iuramento firmatum, oritur obligatio. Cæterùm ad dignoſcendum quando contractus firmetur iuramento, quando verò non, traditur à DD. hæc regula. *Quandocunque iuramentum in contractibus appoſitum abſque peccato ſeruari poteſt, nec turpitudo inuenitur in eo, in cuius fauorem praſtatur, & non ſolam promiſſionem faciendi rem promiſſam continet, ſed etiam talem promiſſionem, vt ſaltem æquipolleat promiſſioni non reuocandi contractum, tunc iuramentum firmat contractum, cui adijcitur*: ex qua regula DD. communiter inferunt primò, quòd quando contractus prohibiti ſunt iure naturali, gentium, & Diuino non firmantur iuramento, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitas autem reperitur in huiuſmodi contractibus.

Inferunt 2. quòd *Quando contractus ſunt prohibiti per ius Canonicum, ſeu Ciuile, immediatè ob bonum publicum, & publicam vtilitatem non firmantur iuramento*; quia paciſci in præiudicium

bo-

Digitized

boni communis eſt renunciare iuri alieno; & in preiudicium illius; quod nemo poteſt facere, ideoquè *in cap. Si diligenti de foro competenti habetur, irritum eſſe pactum iuratum, quo Clericus renuntiat priuilegio fori, vt apud Iudicem laicum conueniatur*; Secus autem ſi contractus ſit prohibitus ob priuatum, & particulare bonum, atque vtilitatem contrahentis primariò, eſto ſecundariò in bonum commune redundet, quia contractus primariò debet eſſe in bonum commune, ad hoc vt iuramento non firmetur; vt notat etiam Nald. in ſumma.

Infertur 3. Quòd *Quando contractus iure prohibetur in odium, & pœnam eius, cuius gratia fit, ſi iuramentum ei adijciatur, non confirmatur, ſed adhuc remanet irritus; at iuramentum ſeruandum eſt, niſi legitima auctoritate relaxetur* v. g. Si quis iurauit vſurario ſe ei vſuras ſoluturum, vel latroni ſibi vim inferenti promiſit ſe ei daturum ſcuta 100. ne ab eo interficeretur. Ratio eſt, quia in his contractibus datur turpitudo ex parte illius, in cuius fauorem iuratur, qua ratione nullum ius acquirit; verùm ex Iuramento oritur naturalis obligatio ſeruandi illud erga Deum, ne Deum teſtem falſum faciamus, eique irreuerentia irrogetur, in cuius veluti præſentia ratione iuramenti promiſſio facta fuit; & iuramentum impletur ſolutione, & poſt ſolutionem poteſt impetrari relaxatio, qua habita, res ſoluta repeti poteſt in iudicio. Immò etiam ante ſolutionem, legitima cauſa concurrente, poteſt iuramentum relaxari. Secus verò quando iuramentum confirmat contractum, tunc enim non ſolum importat obligationem, ſed etiam dat actionem in iudicio, nec poteſt relaxatio impetrari, nec eſſe locus contrauentioni, & tranſit obligatio ad hæredes vtriuſque contrahentis, quia tunc acquiritur Ius tertio ex illo contractu, per iuramentum confirmato: hinc facilè nobis innoteſcere poteſt differentia inter iuramentum confirmatorium, & iuramentum per ſe ſtans. Nam poſterius vnicam tantùm obligationem inducit; nempe religionis erga Deum; in priori autem oritur duplex obligatio, altera religionis erga Deum, altera iuſtitiæ erga illum, cum quo contraxit. Deinde Iuramentum per ſe ſtans relinquit contractum in ſua natura, ac proinde ſi inualidus erat, inualidus manet. Iuramentum verò confirmatorium non relinquit contractum in ſua natura, ſed il-

lum

lum confirmat, & poſt iuramentum, licèt antea eſſet inualidus, euadit firmus, & validus.

QVÆSTIO III.

Vtrum contractus errore, vel dolo celebratus ſit validus.

NOt. 1. Quòd error aliquando dat cauſam contractui, aliquando incidit tantùm in contractum, prior eſt qui dat cauſam contractui ideſt eſt cauſa, cur contractus ineatur, in quantum ſcilicet proponit motiuum, ſeu rationem, ob quam contractus initur, adeout non iniretur, ſi non proponeretur tale motiuum, & hic error vocari ſolet antecedens; poſterior dicitur ille, qui non eſt cauſa, vt contractus ineatur; vndè, etſi talis error non adeſſet, adhuc contractus iniretur, & hic error vocatur concomitans, ſeu incidens.

Not. 2. Quòd *Dolus eſt machinatio, ſeu deceptio, qua quis decipit alterum dicto, vel facto, vel omiſſione eius, quod dicere, vel facere tenebatur l. 1. ff. de dolo*, & eſt duplex, nempe manifeſtus; & præſumptus vt notat Suacc. in comment. Inſtit. manifeſtus eſt machinatio, manifeſtè adhibita ad alterum decipiendum: præſumptus eſt machinatio præſumptiuè adhibita ad alterum decipiendum, & plerumque committitur in omittendo, ideſt non faciendo id, ad quod quis obligatus eſt, & ſcit ſe teneri, ita Caſtrenſ. in lege quod Nerua ff. depoſiti. Hinc patet, quòd dolus diſtinguitur à fraude, quæ eſt executio aſtutiæ per facta, ac proinde eſt quid minùs commune, quàm dolus, qui generatim eſt aſtutiæ executio, tum per verba, tum per facta.

I. Concl. Error antecedens, qui dat cauſam contractui circa ſubſtantialia cuiuſuis contractus reddit illum inualidum, & nullum iure naturæ, eſtò iuramento confirmetur, nec indiget relaxatione: hæc eſt communis, & probatur. De ſubſtantia contractus, eſt conſenſus contrahentium, ſine quo obligatio ex contractu oriri nequit, at dum eſt error antecedens quoad ſubſtantiam rei, non adeſt conſenſus contrahentium: ergo nec contractus eſt validus; min. prob. quia cum errore antecedente quoad ſubſtantiam ſtat ignorantia, ſeu carentia ſcientiæ illius rei, de qua eſt contra-

ctus:

ctus: ergo cum errore antecedente non poteſt conſiſtere conſenſus contrahentium, quibus, ſi fuiſſent nota, non præbuiſſent conſenſum. Immò, vt obſeruat Caſpenſis, idem dicendum eſt, ſi error, & dolus ſit concomitans circa ſubſtantiam rei, & non dans cauſam contractui, quia ad valorem contractus requiritur conſenſus, & voluntas poſitiua, quæ non habetur, quando eſt error circa ſubſtantiam rei eò quia talis error, licèt non efficiat illum actum inuoluntarium, efficit tamen illum non voluntarium: *Ita colligitur ex leg. ſi per errorem ff. de iuriſdict. omnium Iudicum, & leg. 9. C. de iuris, & facti ignorantia, vbi dicitur errantis nullus eſt conſenſus, & ſine conſenſu nullus eſt contractus*. Quare ſi quis gemmam vendat putans eſſe chriſtalli fragmentum, emptor re comperta, ad reſtitutionem gemmæ tenebitur, vel ad perſoluendum venditori iuſtum eius pretium: & hanc doctrinam extendunt DD. non ſolùm ad contractus oneroſos, ſed etiam ad liberales, & gratuitos, qualis eſt promiſſio, donatio &c. vndè quando aliquid donatur alicui titulo eleemoſynę, qui reuerà non eſt pauper, ſed fingit paupertatem, nulla eſt donatio, quia paupertas eſt circumſtantia ſubſtantialis pertinens ad obiectum eleemoſynæ: ſed de hoc alibi redibit ſermo; nam talis donatio tunc eſt inualida, quando donans intenderet non donare, niſi reuerà eſſet pauper.

II. Concl. Error circa qualitatem accidentalem, ſi ſit concomitans, vel incidens non reddit contractum inualidum. Ita communiter Doctores. Ratio, quia cum tali errore ſtat conſenſus contrahentium circa ſubſtantiam, licèt non ſtet circa accidentia: quarè cum dolus, & error circa illa ſit merè concomitans, neque dans cauſam contractui, non inualidat contractum; ac proindè, huiuſmodi errore interueniente, manet conſenſus in ordine ad ſubſtantiam contractus. Vndè ſi quis aſſereret; vinum, quod intendit vendere eſſe ex tali loco, ex quo reuerà non eſt, & alius ob id màgis inuitatur ad ipſum emendum, cum tamen aliàs emeret, adhuc contractus eſt validus, quia talis error, vel dolus per accidens ſe habet ad contractum: licèt enim vinum non eſſet ex tali loco, adhuc ſequeretur emptio; neque in tali caſu ad aliud tenetur venditor, niſi ad reſarciendum damnum, quod per talem dolum potuiſſet pati deceptus: eſt ſiquidem regula generalis. Quòd qui dolosè damnum alicui infert re-

reſarcire tenetur; & præſertim, quando eſſet notabile, v. g. vltra dimidium, *Vt habet gloſ. cap. Cum dilecti 3. de emptione, & vend.* vt in diſp. de vendit. & emptione infra latè explicabitur.

III. Concl. Quoties error circa qualitatem eſt cauſa contractus excitatiua tantum, & impulſiua, non verò obiectum contractus, non eſt iure naturæ nullus. Ita Caſtropal. Caſpenſ. & alij contra nonnullos oppoſitum ſentientes. Prob. Quia error circa qualitatem non verſatur circa ſubſtantiam, & materiam contractus; ſed circa accidentia, & potiùs pertinet ad rationem motiuam, & impulſiuam, quàm ad cauſam, ſeu rationem finalem, vel ſubſtantialem, vt in ſecunda concluſione indicauimus, ergo per talem errorem non redditur contractus nullus iure naturæ. Secùs autem ſi dolus, vel error ſit antecedens, & det cauſam contractui, adeout tranſeat voluntas ad conſentiendum in ſubſtantiam contractus ſub illa qualitate; tali lege, quòd ſi non adſit talis qualitas, non intendit contrahere, quia ſic videtur conditio tranſire quaſi in ſubſtantiam contractus.

Cæterùm quandocunque eſt difficultas. An error qualitatis fuerit impulſiuus, vel conſtitutiuus conſenſus, tunc cenſendum eſt fuiſſe impulſiuum, non conſtitutiuum conſenſus; niſi quando expreſsè, & ſub ea conditione, & non aliter quis conſenſerit; quia tunc ratione talis conditionis qualitas tranſit in obiectum, ſeu ſubſtantiam.

QVÆSTIO IV.

Vtrum contractus, cui metus iniuſtè incuſſus cauſam dedit; ſit validus.

NOt. Quòd hic non eſt ſermo de metu intrinſecè, ſed de metu extrinſecè incuſſo; quid autem ſit huiuſmodi metus extrinſecè incuſſus; & quotuplex explicatum fuit in tract. de Actibus humanis; & fortaſſe de eodem redibit latior ſermo in tract. de matrimonio. Igitur præſens difficultas eſt de metu ab extrinſeco iniuſtè illato; an videlicet inualidet contractum; & inſuper procedere poteſt eadem difficultas, quo iure talis metus contractum inualidet; nempe an de iure naturali, vel ciuili. Et quidem loquendo de

de iure naturali Vaſquez, & Pontius lib. 4. cap. 6 diſtinguentes inter contractus lucratiuos, & oneroſos, affirmant oneroſos eſſe ipſo iure naturæ validos; quia eſt titulus ſufficiens ad illorum valorem, ideſt, dati, & accepti: lucratiuos verò, in quibus nihil rependitur, eſſe nullos, quia in his nullus alius eſt titulus ad transferendum dominium præter voluntatem, quæ, cum non ſit liberalis, & gratuita, ſed metu extorta non eſt ſufficiens ad transferendum dominium.

I. Concl. Contractus ſiue oneroſi, ſiue lucratiui, ex metu graui ab extrinſeco iniuſtè incuſſo celebrati, ſunt iure naturæ validi, excepto matrimonij contractu. Ita D. Bonau. Richard. Scot. Herincx, & alij. Prob. Siquidem talis metus non tollit libertatem contrahentium, qui enim metu coactus conſentit, abſolutè conſentit voluntariè; & licèt huiuſmodi contractui ſit coniuncta quædam nolitio, tamen quia non eſt nolitio ſimpliciter, ſed ſecundùm quid, non tollit volitionem ſimpliciter, qua contractus fit; ergo ſtando in iure naturæ huiuſmodi contractus ſunt validi, & non irriti, ſed ſolùm irritandi *Vt habetur cap. 2. de his, quæ vi, metuſque cauſa fiunt; vbi ſolummodò dicitur quæ vi, & metu fiunt, debent in irritum reuocari*: ergo vt ipſa lex indicat, contractus graui metu iniuſtè illato celebrati, ſunt iure naturæ validi, etſi poſſint ſecundùm leges irritari, *Vt habetur l. dolo C. de inutil. ſtipul. & l. vltima C. de his, quæ vi &c.*

Confirm. etenim metus leuis non reddit irritos contractus iure naturæ, vt conſtat *Ex leg. vani timoris ff. de Regul. iur. & leg. metum ff. de eo quod metus cauſa*; ſed etiam per metum leuem fit iniuria contrahenti, cum eius voluntas iniuſtè cogatur; ergo ſi hæc iniuria non reddit irritum contractum, neque grauis iniuria debet irritare, cum vtrobique iniuria reperiatur.

II. Concl. Contractus, etiam leui, vel metu reuerentiali iniuſtè incuſſo celebrati, poſſunt in foro conſcientiæ reſcindi, etſi nec iure Eccleſiaſtico, nec Ciuili in foro externo concedatur actio ad reſcindendum: ita quamplures DD. & ſignanter Layman, Leſſius, Nauar. Caſpenſ. & alij. Ratio quia aliquando hic metus, non minùs perturbat, & impellit hominem, ac metus grauis; tum quia cogens tali metu ad contractum, iniuriam infert, per metum conſenſum

extorquendo: ergo poteſt huiuſmodi contractus reſcindi, quia poteſt talis iniuſtitia repelli. Vndè, licet metus illatus non cadat in virum conſtantem, quia leuis eſt, attamen, quia iniuriosus eſt, qui patitur illum non tenetur ſtare contractui. ac proinde nec inferens metum poteſt accepta ex tali contractu retinere; quod autem in foro externo non detur actio ad reſcindendum, id fit, vt euitentur litigia, & quia *Vt dicitur ff. de reg. iuris vani timoris non eſt excuſatio.*

QVÆSTIO V.

Vtrum contractus, vel quaſi contractus celebratus ſine ſolemnitatibus, & forma iuris ſit validus.

NOt. 1. Quòd vt aduertit Suarc. in commentarijs Inſtit. quatuor interuenire ſolent in contractibus, nempe ſubſtantialia, naturalia, ſolemnia, & accidentalia. Subſtantialia contractuum dicuntur ea, quæ dant eſſe contractibus, & ſine quibus contractus ipſi conſiſtere non poſſunt *l. pacta conuenta* e. g. in emptione pretium, res, & conſenſus ſunt de ſubſtantia, ſine quibus nec emptio, nec venditio conſiſtere poteſt *leg. 2. ſic in precario reuocandæ rei facultas leg. cum precario* Naturalia ſunt in duplici differentia, quædam per naturam cohærent, & quaſi intrinſeca qualitate inſunt; alia contractibus ex conſuetudine inſunt, & non alia ratione naturalia dicuntur, niſi quia frequentiori, & aſſidua conſuetudine, quæ in nomen naturæ tranſijt, de quibus *Gloſſ. in d. leg. pacta conuenta*: Priora naturalia ſunt ea, quæ pacto tolli non poſſunt; ſic in contractu emptionis pacto fieri non poteſt, vt dominium actu, vel habitu non tranſeat in emptorem; id enim eſt intrinſecum naturale, ſic in contractu ſocietatis conueniri non poteſt, vt alter ſocius lucrum, alter damnum habeat &c. Inſuper naturalia contractuum dicuntur ea, quæ ſecundùm naturam cuiuſque contractus tacitè in quocumq; contractu veniunt, etiamſi non fuerint expreſſa, & hæc ab ipſo cõtractu remoueri poſſunt expreſſo, vel tacito pacto, abſque aliquo ipſius contractus defectu v. g. ſecundùm naturam venditionis eſt, vt venditor teneatur de euictione; etiamſi nil dictum ſit *leg. ex emptione ff. de actione empti*, & huiuſmodi naturalia ſunt

po-

poſteriora, nempe altera pars diuiſionis, quia hæc habentur ex conſuetudine, & quodammodò in naturam contractus tranſierunt, vt ſi paciſcatur in contractu emptionis, vt non debeatur euictio. Solemnia dicuntur requiſita quædam, quæ ad validitatem contractus, præter formam ſubſtantialem eius à lege, requiruntur, vt ne pupillus, aut minor ſine Tutoris auctoritate, & decreto Iudicis alienet, & hæc ſolemnia ſi omittantur, vitiant contractum *leg. obligari ff. de auct. Tutor. & leg. ſine Prædium C. de Præd. minor.* Denique accidentalia contractus dicuntur ea, quæ contractui præter illius naturam pacto contrahentium accedunt *Gloſ. in dicta leg. Pacta conuenta* v. g. aliquis vendit domum, & paciſcitur cum ipſo emptore, vt domum ipſam ſibi pro tali pretio vſque ad tantum tempus locet; *leg. fundi partem ff. de Contrah. empt.*

Not. 2. Quòd ſolemnitates iuris diſtingui poſſunt in ſubſtantiales, & accidentales. Subſtantiales dicuntur eæ, quę ſunt de ſubſtantia contractus, ſeu actus, adeout ſine ipſis neque contractus, neque actus conſiſtere poſſit. Accidentales verò è contrà. Difficultas tamen eſt in explicando qualiter cognoſcatur quando ſolemnitas ſit ſubſtantialis, DD. communiter tradunt quaſdam regulas ad hoc dignoſcendum, vt notauimus etiam in diſputatione de leg. irritante. Igitur ad propoſitum ſit prima regula. Quoties Ius dicit hoc eſſe ſeruandum pro forma, tunc forma ſtat pro famoſiori ſignificato, ac proinde pro forma ſubſtantiali, quæ dat eſſe rei. Secunda. Quoties lex tribuit facultatem actus faciendi, & ſimul modum præſcribit, tunc talis modus cenſetur inductus vt forma ſubſtantialis, niſi quando datur poteſtas, & ſimul præcipitur forma apponi, quæ forma de iure communi ineſt accidentaliter, & non ſubſtantialiter; Vndè Epiſcopus excommunicans non ſeruata forma à iure præſcripta *cap. 1. de ſent. excomm. in 6.* hoc eſt ſine ſcriptura, & ſine expreſſione cauſæ, validè excommunicat, quamuis illicitè.

Concl. Quamuis probabile ſit contractum celebratum ſine ſolemnitatibus ſubſtantialibus à Iure requiſitis validum eſſe in foro conſcientiæ, non verò in foro externo; probabiliùs tamen cenſetur in vtroque foro non valere, excepto teſtamento facto pietatis cauſa, itaut nullam obligationem

 etiam

etiam naturalem pariat. Prob. nam ſicut contrahentes poſſunt apponere in contractibus aliquas conditiones, quibus prætermiſſis, obligatio inter eos non inſurgat, ita à fortiori ius poſitiuum poteſt modum, ac formam in contractibus præſcribere, ita vt, non ſeruata illa forma, contractus ſit inualidus; hoc enim pertinet ad commune bonum, ac proinde non apparet verum aduerſariorum fundamentum, nempe leges contractus irritantes fundari in falſa præſumptione. Siquidem potiùs fundantur in ſolida veritate ad vitandas fraudes, & pericula, quæ in contractibus accidere communiter ſolent. Quare infertur, accepta per contractum lucratiuum, ſine debita ſolemnitate ſubſtantiali factum reſtituenda eſſe, etiam ante Iudicis ſententiam, quia cum ſit inualidus defectu ſolemnitatis ſubſtantialis, nullo iuſto titulo retineri poſſunt; accepta verò contractu oneroſo retineri poſſe titulo compenſationis; dummodo ſine fraude, & inæqualitate inter habentes facultatem alienandi, celebratus ſit, quia retinens non facit iniuriam ei, à quo recepit, nec ei damnum infert, cum tradiderit æquale. Ita diſcurrit Caſpenſis cum alijs. Cæterùm, quod attinet ad teſtamenta pietatis cauſa facta dicetur in propria diſputatione de Teſtamentis infra.

QVÆSTIO VI.

Qualiter conditiones ſe habeant ad contractus.

NOt. Quòd conditiones aliæ ſunt de præſenti, aliæ de præterito, & aliæ de futuro, quæ omnes poſſunt eſſe, vel neceſſariæ, vel impoſſibiles, vel poſſibiles, vel honeſtæ, vel turpes. Neceſſariæ dicuntur, quæ omninò ſeu infallibiliter venturæ ſunt, & ex ijs aliæ ſunt in quibus conſtat de die, vt ſi ſol cras oriatur, aliæ in quibus non conſtat, vt ſi Titius moriatur; licèt enim *Certa ſit mors leg. Publius dies tamen incertus eſt leg. 1. ff. de condit. & demonſt.* impoſſibiles dicuntur illæ, quæ exiſtere non poſſunt, & hæc in triplici differentia ſunt, vt aduertit Suacc. in comment in Inſtit. nam aliæ natura impoſſibiles ſunt, vt ſi quis dicat ſi digito Cœlum attigeris, & huiuſmodi, aliæ de iure, vt quæ ſunt contra bonos mores ſiquidem *Ea nos tantùm facere poſſe dicimus, quæ*

de Iure poſſumus leg. Nepos ff. eod. aliæ ſunt impoſſibiles de facto, quæ nullo modo impleri poſſunt propter maximam impotentiam, vt ſi ſeruo, qui nihil habet concedam libertatem hac conditione, ſi mille aureos hæredi ſoluerit leg. cum hæres. Poſſibiles dicuntur illæ, quæ euenire, & non euenire poſſunt, & hæ pariter ſunt in triplici differentia, nempe caſualis, poteſtatiua, & mixta. Caſualis vocatur illa, cuius euentus à caſu, & fortuna pendet, vt ſi dicatur ſi Titius conualuerit; ſi Nauis ex Aſia venerit, decem dabis aureos. Poteſtatiua dicitur, cuius euentus pendet ex voluntate alicuius, vt ſi dicatur, ſi domum ædificabo, dabis mihi centum. Mixta denique dicitur, quæ partim à fortuna, & partim à voluntate alterius pendet, vt ſi dicatur ſi in patriam rediero, decem aureos dare ſpondeo; hoc enim à fortuna, & à mea voluntate pendet. Honeſta conditio eſt illa, quæ eſt conformis rectæ rationi, & iuribus, vel ſaltem eis non aduerſatur, vt ſi tu ſtudebis, dabo tibi decem aureos. Demum turpis dicitur ea, quæ eſt difformis à ratione, & eſt contra bonos mores, vt ſi tu occideris Franciſcum, fornicaberis &c. dabo tibi octo aureos.

Not. 2. Quòd præter contractum conditionatum traditur à DD. contractus ſub modo, qui quidem in eo conditioni eſt affinis, quòd ſit quædam moderatio ex mente promittentis, aut legantis diſpoſitioni adiecta, vt do mille aureos tibi, vt me ad ſepulturam admittas; & in eo à conditione diſtinctus, quod diſpoſitionem, & effectum illius non ſuſpendat; & huiuſmodi contractus ſub modo, ſeu ſub dicta moderatione celebratus, ſiue ſub modo honeſto, ſiue turpi, ſiue poſſibili, ſiue impoſſibili, ſiue neceſſario, ſi conſenſus de præſenti adſit, eſt validus, quia modus actum non ſuſpendit, ſed actui perfecto aduenit. *Vndè conditio non eſt, ſed modus, ſi in aliqua diſpoſitione apponantur illa verba, hac conditione, vt hoc, vel illud agatur leg. Quoniam ff. de rerum permutat. relata à Naldo V. Conditio: Si dicatur in teſtamento relinquo mille aureos, ſi mea vxor, vel dummodò mea vxor remaneat vidua, & ſeruet habitum vidualem, qua conditione non ſeruata, eſſent reſtituendi mille aurei percepti; Secùs autem ſi dictum eſſet, relinquo &c donec vidualiter vixerit, hac enim particula habet rationem modi, non conditionis.* Verùm in caſu dubio, an moderatio adiecta rationem modi, aut conditionis habeat ex materia, & verbis diſpoſitioni

appoſitis iudicandum eſt, etſi adhuc dubium perſeueret, conditionem eſſe, non modum cenſeri debet; ita Caſtropal. Franciſcus Boneſpei, & alij.

I. Concl. Omnis conditio appoſita de præterito, vel de præſenti, vt promitto me daturum, ſi pater meus viuit, ſi mater mea mortua eſt, non ſuſpendit valorem, aut effectum contractus, ſed ſi vera eſt, ſtatim infert eius valorem; Si falſa, eo ipſo annullat, licèt à paciſcentibus ignoretur, *Ita habetur in leg. cum ad præſens ff. ſi certum petatur, & §. conditionibus*: è contra conditio de futuro ſuſpendit valorem vſque ad conditionis purificationem, ſeu euentum, eaquè poſita, contractus perficitur, & tranſit in abſolutum, ea verò tempore determinato non poſita, contractus omninò euaneſcit.

II. Concl. Conditio de futuro impoſſibilis ſecundùm naturam, aut ſecundùm mores reddit contractum, vel promiſſionem irritam *Ita habetur leg. impoſſibilium ff. de verb. oblig.* vndè ſi quis dicat (dato quòd ſit Sacerdos) *à tempo, e moglie ſe mi date il Cauallo, ve lo pagherò*. Huiuſmodi contractus eſt irritus, quia eſt impoſſibilis ſecundùm mores, ac proinde eſt conditio turpis, quæ, excepto contractu matrimoniali, & vltimis voluntatibus, in quibus conditiones turpes, & impoſſibiles habentur pro non adiectis, *Vt colligitur ex cap. finali de conditionibus appoſitis, contractum irritat*: quòd ſi tamen contrarium aliunde conſtaret, etiam in hoc ſtandum eſſet contrahentium intentioni, quia *Contractus ex conuentionibus legem accipere dignoſcuntur*. Ratio, quarè conditio de futuro impoſſibili, vel turpis irritat contractum, eſt, quia vt ſic eſt ſignum diſſenſus, cum nemo cenſeatur conſentire in rem impoſſibilem, vel malam. Quòd ſi aliunde conſtat, vt innuimus, contrahentes ſeriò conſentire; tunc contractus non inualidatur. Alia plura videri poſſunt apud Laiman lib. 3. de iuſtitia tract. 3. par. cap. 4. vbi agit de qualitatibus contractuum &c.

Quæres 1. Quinam poſſint contrahere.

Reſp. ex communi ſententia omnes, & ſolos poſſe contrahere, qui liberam bonorum adminiſtrationem habent: ex qua regula ſequitur primò, quòd infantes, amentes, aut aliter vſu rationis carentes, pro eo tempore, quo carent, non poſſe contrahere. Item Religioſi profeſſi, cum ex dictis

ſu-

ſupra, nullum habeant dominium, vel vſumfructum; imò per paupertatis votum à ſe abdicauerint omnem proprietatem, nequeunt contrahere, nec legitimè diſponere de bonis Monaſterij ſine Prælati conſenſu. Prælati vero, & conſtituti ab ipſo tamquam adminiſtratores bonorum communium poſſunt quidem contrahere, ſed in multis non, niſi dependenter à conſenſu communitatis, ſeu Capituli, & ad vſus determinatos. Sequitur 2. Filiosfamilias dummodò ſint puberes contrahere poſſe de bonis caſtrenſibus, & quaſi caſtrenſibus, ſaluo beneficio reſtitutionis conceſſo minoribus. Sic pariter Vxores abſque conſenſu Mariti contrahere poſſunt de bonis paraphernalibus, ſecùs autem de antiphernalibus, ita diſponunt leges ciuiles ſupra cit. Tertiò ſequitur Pupillos, & minores pubertati proximos abſque conſenſu tutoris, & Curatoris inualidè inire contractus, ſi tales contractus cedant in vtilitatem Pupilli, & minoris; ſecùs autem ſi cedant in detrimentum. *Ita DD. paſſim colligunt ex Inſtit. de auctor. Tut. §. Placuit, & ratio aſſignatur leg. non eo minus 14. C. de Procurat. vbi dicitur, vt minoribus ætas (ſupple adhuc imbecilli) in damnis ſubueniret, & in proſperè geſtis non obeſſet*; Nihilominus Pupilli, & minores pubertati proximi abſque conſenſus Tutoris, & Curatoris contrahentes reddunt alteram partem ſibi ciuiliter, & naturaliter obligatam, ipſi verò nullam ciuilem, ſed naturalem tantùm contrahunt obligationem; immò ſi nec dum ſint pubertati proximi, nullam contrahunt, nec ciuilem, nec naturalem obligationem, de tali autem obligatione tam naturali, quàm ciuili eſt aliqua altercatio inter DD. ad quos breuitatis cauſa vos mitto.

Quæres 2. Quibus detur reſtitutio in integrum.

Nota, quòd per huiuſmodi reſtitutionem in integrum nil aliud intelligitur, quam reintegratio priſtini ſtatus, & iuris. Reſp. 1. huiuſmodi beneficium conceditur pupillis, & minoribus viginti quinque annis, ſi in aliquo contractu etiam ex propria imprudentia detrimentum paſſi fuerint: *Ita DD. tam Theologales, quàm legales ex leg. 3. & 5. C. de Integr. reſtit. min.* licèt contractus ſit factus de conſenſu Tutoris, vel Curatoris, & auctoritate Iudicis vt habetur leg. 1. ff. de minor. Ratio quia iſta ætas eſt obnoxia læſionibus defraudationibus &c. & notant DD. eos poſſe tali beneficio vti etiam quadriennio integro poſt inchoatam maioritatem, & talis

reſtitutio poſtulari debet à legitimo Magiſtratu. Reſp. 2. tale beneficium reſtitutionis &c. conceditur Eccleſijs, alijſque pijs locis, Reipublicæ, Supremis Principibus, Vniuerſitatibus, & etiam rudibus ita Gloſ. Ponor. Maranta, & Zoeſius. Prima pars conſtat *ex C. 1. & 2. de reſtit. in integ. in 6. Secunda pars patet ex leg. 4. C. quibus ex cauſis, & cætera DD. deducunt ex alijs legibus.*

Quæres 3. Quot modis firmetur contractus.

Reſp. varijs modis: primò vt ſupra indicauimus iuramento: 2. adiectione Arrhæ; nam Arrha eſt initi contractus præſertim emptionis, & venditionis teſtimonium ad eam ſtabiliendam datam, hac conditione, vt qui receſſerit, ſeu reſillierit, ſi arrham dedit, perdat, ſi acceperit duplò refundat *iuxta leg. contractus C. de fide Inſtrum.* 3. pœna conuentionali, quæ nil aliud eſt, quàm mulcta appoſita à contrahentibus licitè præſtanda, ſeu ſoluenda, caſu quo quis à contractu reſiliat; denique firmatur contractus hypotheca, & fideiuſſione, de quibus infra. Cæterùm nonnulla alia extant dicenda, præſertim de ratificatione contractus inualidi, nec non de eo, cui debetur reſtitutio in integrum; at quia hæc, vel ex dictis conſtant, vel ex dicendis patebunt; ideoquè de hac diſputatione hactenus.

DISPVTATIO III.

De promiſſione, donatione, & vltimis voluntatibus, ſeu Teſtamentis.

QVÆSTIO I.

Vtrum promiſſio externa explicitè acceptata à promiſſario obliget in conſcientia.

NOt. 1. Quòd cum promiſſio poſſit fieri non ſolùm hominibus, ſed etiam Deo, & Sanctis, hìc non agitur de promiſſione Deo facta, de qua tractant Theologi in materia de voto, & nos quoque Deo fauente, ſuo loco agemus, ſed de ea, quæ fit hominibus. Hæc autem alia eſt interna, & alia externa. Prior certum eſt quòd ſi fiat Deo, & Sanctis, obligat in conſcientia, vt clarè patet de votis, ſola-

mente factis; poſterior eſt ea, quæ ſignis externis exprimitur promiſſario. Item promiſſio, altera eſt onerosa, quando videlicèt fit promiſſio mutua ex vtraque parte, & dici ſolet contractus promiſſorius, de qua modò non eſt diſputatio. Altera dicitur gratuita, quæ etiam dici ſolet contractus gratuitus, & de hac in præſentiarum agimus: quæ paſſim à Doctoribus ſic diffinitur: *Eſt datio fidei firma, vera, deliberata, & ſpontanea de re licita, & poſſibili*. Per illam particulam datio fidei firma, differt promiſsio à propoſito, cuius violatio non includit aliam turpitudinem correſpondentem propoſito, quàm inconſtantiæ, non verò infidelitatis, aut iniuſtitiæ, quia fit nulla fide alteri data. Aduertunt enim DD. quòd non ſufficit dicere: ego faciam, ſignificando ſolùm animum, & voluntatem faciendi, ſed vlterius requiritur, vt fides detur, & obligetur, ideſt vt homo alteri ſe obliget. Similiter non eſt ſatis dicere ego promitto, me hoc facturum, ſi ſolùm intendat ſignificare animi ſui propoſitum, non autem dare fidem, vt ſæpè fit.

Not. 2. quòd plures conditiones ad veram promiſsionem aſsignantur, quibus explicatis remanebit definitio ſuperiùs tradita ſatis declarata. Prima eſt, vt promiſsio ſit libera, ac deliberata, ea ſaltem libertate, quæ ad peccatum mortale ſufficit, quia promiſsio eſt actus humanus: 2. vt promiſſio ſit ſpontanea, ideſt non coacta, vi, vel metu, vel coactione facta, quæ quidem conditio eſt communis omnibus contractibus: 3. vt ſit verbis, vel ſignis externis facta, quæ pariter conditio eſt communis omnibus contractibus, nam Societas politica, & ciuilis non conſtituit in ſignis internis formalitatem contractus, ſed in externis ſignis: 4. vt promiſſio ſit vera, non ficta, neque verbis tantùm facta, ſed animo promittendi, & ſe obligandi; aliàs, licèt promittat teſte Scot. in 3. diſt. 39. q. 1. obligationem non contrahit; ſiquidem in obligationibus priuatis nullus obligatur, ſi ſe obligare non intendat, quia *ſine conſenſu voluntatis nulla actio tenet ex leg. obligationem 1. ff. de action. & oblig. vbi generaliter traditur, ſine animo ſe obligandi nullam oriri obligationem in contractibus*: 5. vt promiſſio ſit acceptata, quia ante acceptationem nullam parit obligationem naturalem, aut ciuilem, & idem de donatione intelligendum eſt; vnde ſequitur, vtrumque ante acceptationem poſſe licitè reuocari. Promiſsio autem ante

te acceptationem vocatur à Iuriſtis pollicitatio, ſi autem fuerit ſub præſcripta verborum forma dicitur ſtipulatio, de qua alibi erit ſermo. Vltima eſt, vt promiſsio ſit de re licita, & poſsibili; Nam quæ eſt de re illicita iure naturali eſt irrita, & nulla; & ideò *cap. in malis 22. q. 4. dicitur. In malis promiſſis reſcinde fidem; & infra. Impia eſt promiſſio, quæ ſcelere adimpletur*: & denique poſsibilis; quia ad impoſsibile nemo tenetur.

Concl. Promiſsio externa explicitè acceptata à promiſſario obligat ſub mortali in materia graui: hæc eſt communis inter DD. quàmuis nonnulli contradicant, & ſunt Caiet. Henriq. Ledeſ. & Fernandez, quorum opinionem probabilem putant Leſsius, & Diana. Prob. Promiſsione datur ius ad rem, quod etiam ad hæredes promiſſarij tranſit, ſicut & obligatio promiſſoris ad ipſius hæredes: & ob hanc promiſsionem promiſſarius poteſt prætendere rem ſibi deberi, ſed hæc omnia ſpectant ad iuſtitiam, & iuſtitia in re graui obligat ſub mortali; ergo huiuſmodi promiſsio obligat promittentem in re graui ſub mortali. Neque ratio, quæ adducitur à DD. contrariæ opinionis obeſt, ſeu infirmat noſtram ſententiam; dicunt enim, quòd frangere fidem in promiſsis non opponitur iuſtitiæ, ſed fidelitati tantùm, ſiue veracitati; vnde ſicut ex hac virtute tenemur dicere verum, vt verba reſpondeant menti, ita & obligamur implere promiſſum, vt verbis reſpondeant opera; quarè concludunt, quòd hanc fidem frangere non eſt niſi mendacium, ac proindè non eſt mortale, niſi ſit pernicioſum, ſiue promiſſario grauiter nociuum. Non infirmat, inquam, quia præter obligationem fidelitatis, quæ exigitur ne tollatur, ſeu deſtruatur ſocietas humana, ex promiſsione inducitur etiam debitum ex iuſtitia, quia promittere non tantùm eſt affirmare ſe daturum, vel facturum, ſed vlterius eſt obligare ſe alteri, ac proinde tribuere illi Ius ad exigendum, vndè dici ſolet omne promiſſum cadere in debitum. Tum quia promiſsio ſi fiat per formulam ſtipulationis tribuit actionem in foro externo, & promiſſor cogitur eam implere, vt communiter DD. tradunt: formula autem ſtipulationis ſupponit in foro interno obligationem de iure naturæ: ergo etiamſi non fiat ſtipulatio, adhuc promiſſor obligatur in conſcientia ſtare promiſsis, quia ſtipulatio

non

non reddit promiſsionem firmiorem in foro conſcientiæ, ſed ſolùm in foro externo, præſumitur enim maiori deliberatione facta quando interuenit ſtipulatio.

II. Concl. Non obſtante doctrina modò allata probabile eſt præſcriptam obligationem promiſsionis non eſſe iuſtitiæ, ſed fidelitatis, quæ tamen ſit valde affinis iuſtitiæ: Ita inter alios Becan. in tom. de iuſt. & iure. Prob. Nam debitum ex iuſtitia, & debitum ex fidelitate diſtinguuntur, ex communi namque modo loquendi dici ſolet aliquid deberi ex fidelitate, & non ex iuſtitia; ſic œconomus, & omnis, qui officium aliquod nomine alterius adminiſtrat dicitur ad quædam teneri ex fidelitate, non ex iuſtitia, ſed obligatio promiſsionis eſt ſine dubio fidelitatis, ergo non iuſtitiæ. Confirm. quia debitum fidelitatis ortum ex liberali promiſsione eſt multò imperfectius, quàm debitum iuſtitiæ, quod oritur ex contractu, vel ratione damni dati, ad quod quis obligatur, vel ratione lucri ceſſantis, vel ratione damni illati; Secùs autem ſe habet debitum ex fidelitate, cum tribuat tantùm ius ad rem; idquè remotum, ac proindè non teneatur quis, ſi promiſſa non obſeruet ex iuſtitia, alij ſoluere, vel in compenſationem dare. Nihilominus deliberata promiſsio de re graui, etiam ratione fidelitatis obligat ſub peccato mortali, vt etiam docuit Scot. diſt. 38. q. 1. dicens mendacium ex ſuo genere eſſe mortale, & conſequenter non obſeruare promiſſum de re graui eſt peccatum mortale; nemo enim vult decipi à proximo in re graui.

Cæterùm an promiſſio reuerà grauiter, vel leuiter obliget ſpectanda eſt intentio promittentis, qui ſi intendat ſe obligare ſolùm ex fidelitate (qualiter omnes communiter ſolent, niſi aliter expreſſerint) putant aliqui DD. vt Franciſcus Bonæſpei, Vrbanus, Stephanus à Sancto Paulo teneri tantum ſub veniali, ſecus ſi intenderit ſe obligare ex iuſtitia: vndè Diana part. 3. tract. 5. reſolut. 116. ait ſolos ignaros vel pertinaces negare hoc eſſe probabile, & in praxi tutum; quòd ſi dubium ſit, an promittens intenderit ſe obligare ex iuſtitia, vel nec ne, iudicandum eſt in fauorem promittentis, quia in dubio non eſt onus imponendum, quòd non niſi ſponte ſuſcipitur, & vt paſſim docent DD. pro libertate præſumendum eſt, niſi de obligatione conſtet iuxta regulam. Melior eſt conditio poſſidentis. Verùm cen-

cenſeo, in re graui promiſſionem etiam ex fidelitate, vt ſupra oſtenſum eſt, obligare non venialiter, ſed mortaliter, niſi ſit promiſſio facta ratione vrbanitatis, vel ad gratitudinem, vel ad quandam liberalitatem ſignificandam &c.

III. Concl. Promiſſio interna verbis, vel actibus externis non explicita facta hominibus non obligat in conſcientia: ita communis ſententia DD. & ſignanter Azorij, Rodriquez; Fabri, Bonac. & aliorum contra Sotum, Molinam, Ledeſma, & nonnullos alios. Prob. breuiter. Promiſſio non poteſt inducere obligationem, nec fidelitatis, nec iuſtitiæ, niſi voluntas promittentis ſit aliquo modo manifeſtata alteri, quia fidelitas, & iuſtitia tendunt in alterum: ergo quandiù promiſſio eſt mente retenta nullam obligationem inducit erga alterum, ac proinde, ne venialiter quidem peccat ratione infidelitatis, aut iniuſtitiæ, ſed ſi aliquis defectus adſit, erit ſolummodò inconſtantiæ.

Quæres. Quanti momenti debeat eſſe res promiſſa.

Reſp. variare in hoc DD. quidam, vt Nauar. cum quibuſdam alijs putant ſufficere, quòd valor rei promiſſæ ſit tanti momenti, vt ſufficiat, ſicuti in furto, ad peccatum mortale. At hæc opinio videtur nimis rigoroſa, ideò probabiliùs dicendum eſt cum Lopez, Leſſio, Carpenſ. & alijs ad inducendum peccatum mortale in promiſſione non ſufficere materiam quæ ſatis eſſet in furto, ſed debere eſſe multò maioris momenti, ideſt quadruplo maioris, vel ſaltem duplo. Ratio, quia quod ex liberali promiſſione debetur eſt modo longè imperfectiori debitum, quàm quod eſt abſolutè alterius, vel quod alteri debetur ratione damni dati, aut contractus oneroſi: Siquidem fidem non ſeruans in promiſſione liberali non aufert rem alienam, ſicut qui eam furatur, ac proindè multò minor eſt iniuria; ergo plus requiritur ad hoc, vt promiſſio inducat peccatum mortale, quàm furtum. Sed fortaſſe meliùs reſpondent nonnulli, dicentes id relinquendum eſſe prudentis viri iudicio, & conſequenter ex æquo, & bono iudicandum eſſe.

Quæres 2. An promiſſio externa ante acceptationem obliget. Reſp. Probabiliùs eſt ſecundùm DD. præſertim ſecundùm Beccan. Maſca. & alios, quòd promiſſio, & etiam donatio non habeant vim obligandi ante acceptationem, *nec ex iure ciuili, vt habetur ex leg. 1 ff. de pollicitationibus, & ex le-*

ge abſenti ff. de donationibus. Ratio eſt, quia obligatio non naſcitur niſi ex mutuo conſenſu duorum leg. 1. ff. de pactis, ergo priuſquam alterius conſenſus accedat, poteſt quis pœnitere, & ſuam obligationem reuocare; quare mortuo donatario, ſeu promiſſario ante acceptationem inualida eſt donatio, quia ampliùs acceptari non poteſt, nec prętendi ab hærede, ad quem non erat directa donantis intentio, neque ex iure naturali, vel gentium, quia, in contractibus oneroſis ante acceptationem, licitum eſt iure gentium pœnitere, & reuocare ſuam obligationem, vt patet in contractu emptionis, ſponſalium &c. Tum quia promiſſio, & donatio gratuita habet tacitam conditionem videlicet ſi acceptetur. *Nam, vt dicicitur in lege qui abſenti ff. de acquir. poſſeſſ. qui promittit, vel donat non videtur animum ſe obligandi habere, niſi alter acceptet*; ergo nondum conditione impleta poteſt reuocari obligatio, ſeu oblatio. Cæterùm licèt donatio, & promiſſio ordinariè non obligent ante acceptationem excipiuntur tamen à DD. aliquę pollicitationes obligantes antequàm acceptentur, nempe quæ fiunt Ciuitati, vel vniuerſitati, vel Eccleſiæ, vel hoſpitali. Verum in iure, vt notat Beccan. non inuenitur expreſsè niſi de promiſſione facta Ciuitati ad inſtaurandas ruinas, vel ob honorem ab eo receptum, aut recipiendum, vel ad opus aliquod faciendum, ſi tale opus ſit inchoatum, *Vt habetur ff. de pollicitationibus*. At DD. id extendunt etiam ad promiſſiones, quæ fiunt vniuerſitati, vel Eccleſiæ, vel hoſpitali. Ratio eſt, quia donationes, & promiſſiones ad pias cauſas videntur æquari donationibus, & promiſſionibus factis Ciuitati ſi priuilegia ſpectemus, *Vt patet leg. illud, & leg. vt inter C. de Sacroſanctis Eccleſijs*.

Quæres 3. Quas ob cauſas ceſſare poteſt obligatio promiſſionis. Reſp. quòd ceſſare poteſt ob plures, & diuerſas cauſas. Prima eſt conſenſus vtriuſque contrahentis, ſicut enim voluntate contrahentium fit, ita diſſolui poteſt: 2. quando lapſus eſt terminus implendi promiſſiones, tunc enim manet liber, qui non fuit cauſa dilationis: 3. quando ita mutatur ſtatus rerum, vel perſonarum, vt ſi promiſſor hanc mutationem primò cogitaſſet, vel præuidere potuiſſet, promittere, vel donare noluiſſet: ratio, quia lex, quæ abſolutè lata eſt non obligat in ijs caſibus, quos legislator expreſsè, vel interpretatiuè noluit comprehendere; ſed ſic eſt, quòd

pro-

promiſſio eſt lex quædam particularis, quam ſibi quis ſponte imponit; ergo non obligat in ijs caſibus, quos expreſsè, vel implicitè non cenſetur comprehendiſſe. Nec refert etiamſi iuramento promiſſio ſit firmata, quia iuramentum non dat vim promiſſioni, niſi ſecundum eam mentem, ſeu intentionem, qua promiſſio cenſetur facta, etiam in donationibus non reſpectiuis, vt ſi nunc promittam tibi aliquid, tù autem mihi promittas poſt medium annum. non reſpectu meæ donationis, vel promiſſionis iam tibi factæ. In tali caſu currit eadem ratio, quia non eſt reſpectiua, Ideſt ſi non ſtes promiſſis, nec ego ſtabo: 4. quando res promiſſa ſit illicita, vel inutilis, vel impoſſibilis. Ex qua doctrina plures caſus reſolui poſſunt, & ne breuitatis limites prætereamus vnicum tantùm caſum ſingularem proponimus. Si quis promiſerit puellæ pauperi ſcuta 50. vt poſſit honeſtè nuberè, & inſuper talem promiſſionem iuramento firmat. Interim obuenit pręfatæ puellæ pinguis hæreditas, qua poteſt nubere honeſtè, & honoratè. Non tenetur ſoluere promiſsionem, ſeu adimplere, quia, vt ſupradictum eſt, ſtatus puellæ ita mutatus eſt, vt non cenſeatur, ſe in tali caſu voluiſſe obligare, etiamſi iurauerit, vt ex dictis conſtat. Aduertunt tamen DD. quòd promiſsio alteri facta, etiamſi iuramento confirmetur, non obligat contra priorem promiſsionem tertiæ perſonæ acquiſitum; quod habet locum, etſi ex aliqua cauſa primus contractus diſſoluatur; nam vt rectè obſeruat Caſpenſ. cum Sanchez *Quod ab initio validum non fuit, ſolo temporis tractu non conualeſcit ex Regula non firmatur*, ſed illa poſterior promiſsio fuit nulla; ergo nunquam inducit obligationem.

QVÆSTIO II.

Quid ſit donatio, & quando fiat validè, vel inualidè.

NOt. 1. Quòd donatio ſecundùm nominis etymologiam, *Vt notat Aſteſſanus lib. 3. tit. 20. ex leg. Senatus eſt doni datio; ſecundùm autem rem definitur ab Ariſt. in 4. lib. Eth. cap. 2. quòd ſit datio irredibilis*; ſed vt clariùs pateat quidditas donationis, dicimus cum communi ſententia: *Donatio eſt datio liberalis*. Per donationem intelligitur actio donantis natura

ſua

ſua ſufficiens ad dominium transferendum, quæ fit, vel traditione rei, vel verborum officio. Duplex namque eſt donatio, altera incipit à reali traditione, vt quando res ipſa ſimul traditur, & hæc eſt completa donatio transferens dominium; altera incipit à promiſsione, vel à verbali traditione, vt e. g. do tibi meum equum, qui abſens eſt; Hæc quidem donatio verbalis ſufficiens eſt ex ſui natura ad transferendum dominium, attamen iure poſitiuo impeditur talis translatio dominij, niſi ſecuta reali traditione. Vndè ſi quis rem ſic donatam Petro, donaret, aut venderet Paulo, & eidem traderet, Paulus acquireret illius rei dominium, & Petrus ſolùm haberet actionem perſonalem in donatorem, vt ei compenſet rei æſtimationem. Cæterùm ad donationem exiguntur omnes conditiones, quas in quæſt. præcedenti diximus requiri ad promiſsionem humanam; & inſuper vt habeat dominium, & adminiſtrationem cum facultate alienandi, qui enim tantùm habent dominium, non poſſunt donare, quales ſunt pupilli, & qui manent ſub tutoribus, quia donatio pertinet ad regimen, & diſpoſitionem bonorum. Similiter qui ſolùm habent adminiſtrationem, niſi de mente Domini non poſſunt donare; vt infra magis patebit.

Not. 2. Quòd donatio variè diuiditur. Primò in realem, ſeu perfectam, & in verbalem, ſeu imperfectam, vt ſupra indicauimus: 2. diuiditur in gratuitam, & remuneratiuam: Prima eſt, quæ nullam prorſus obligationem ſupponit: 2. eſt compenſatio beneficij iuxta obligationem gratitudinis: 3. in donationem inter viuos, & donationem cauſa mortis: prior eſt, quæ ante mortem ſortitur ſuum effectum; poſterior quæ morte donatoris confirmatur, vt ſunt teſtamenta, & vltimæ voluntates. Vt autem agnoſcatur quando donatio inter viuos fuerit, quando cauſa mortis, attendendum eſt, an in donatione facta ſit mortis mentio, vel nec ne, quia ſi nulla facta ſit mentio mortis, cenſeri debet donatio inter viuos, *Vt habetur leg. ſeia §. finali ff de donat. cauſa mortis*: 4. diuiditur in donationem puram, & eſt illa, in qua non apponitur conditio, vel cauſa, & non puram in qua ponitur conditio, vel cauſa.

I. Concl. Donatio *Eſt actio liberalis transferens rei dominium per actualem traditionem*. Hæc deſcriptio eſt rectè tradita, quia

quia explicat eſſentiam ipſius, nam actio liberalis ſtat loco generis, ratione cuius conuenit cum promiſſione. Cæteræ particulæ ſtant loco differentiæ, quia promiſsio ex ſui natura, ſecluſo iure poſitiuo, non habet vim transferendi dominium. Donatio autem etiam verbalis hoc habet: promiſsio ſiquidem reſpicit donationem futuram. Donatio verò eſt translatio rei in alterum in præſens. Diximus ex ſui natura, quia poſito iure impediente dominij translationem per donationem verbalem, parum videntur inter ſe differre donatio, & promiſſio: hinc patet differentia donationis à pollicitatione, quæ eſt ſolius offerentis promiſſum, & à pacto, quod eſt duorum conſenſus atque conuentio; & etiam à ſtipulatione, quæ eſt contractus verborum, vel formula contrahendi, quæ fit præcedente interrogatione creditoris, & ſecuta reſponſione debitoris v. g. promittis centum? promitto &c.

II. Concl. Donationes factæ à non habentibus dominium, & adminiſtrationem bonorum ſunt inualidæ. Ratio eſt manifeſta, quia vt docet Scot. in 4. diſt. 5. requiritur in donante facultas transferendi dominium, & in acceptante voluntas acceptandi tale dominium, ſi recipiens dominij ſit capax, ergo ſi non adſit talis facultas non transfertur dominium, ac proindè donationes ſunt inualidæ; ex quo fit, vt non poſsit donare. Primò qui caret vſu rationis, vt amens furioſus: 2. prodigus, qui à Magiſtratu, vel à Iudice poſitus eſt ſub curatore, ac proindè aufertur ab eo adminiſtratio bonorum: 3. Impubes, *Qualis eſt maſculus, qui nondum expleuit annos* 14. *& fœmina, quæ nondum* 12. *ex leg. final. C. quando Tutores, vel Curatores eſſe deſinant*: 4. filius familias, etſi pubes ſit, non poteſt donare de bonis paternis, ſecus autem de caſtrenſibus, & alijs, vt ſupra diximus; 5. minor 20. annis, ſi Curatori ſubſit, nequit donationes facere de ſuis bonis, quæ neque caſtrenſia, neque quaſi caſtrenſia ſunt abſque conſenſu expreſſo, vel tacito, & debito Curatoris. Cenſetur autem conſenſus tacitus, vel debitus reſpectu donationum, quas alij viri paris conditionis ſecundùm morem patriæ &c. donare ſolent. Quòd ſi profusè donet, etſi peccet ad reſtitutionem, non tenetur, quia ſunt bona propria: 6. Superiores Regulares non poſſunt donare ad vſus profanos, quia Conuentus, qui eſt Dominus bonorum nec conſen-

ſentit in tales donationes, nec conſentire poteſt, quia per leg. Can. prohibetur; excipiuntur tamen donationes remuneratoriæ, vel quaſi remuneratoriæ: Similiter regulares ſubditi, quia ratione voti paupertatis nullum dominium habent, nec in bonis Monaſterij, nec in bonis, quæ ipſimet proprijs laboribus acquirunt iuxta regulam quicquid acquirit Monachus acquirit Monaſterium, non poſſunt donare abſque conſenſu ſuorum Superiorum expreſſo, vel tacito. Quid autem, & quantum poſsint religioſi donare non poteſt aſsignari certa regula. Igitur oportet; quòd vſunquiſque religioſus videat, & conſideret ſuam regulam propriam profeſſam, & conſulat conſtitutiones nedum Ordinis; ſed etiam Pontificias, & inſuper DD. tractantes ex profeſſo de paupertate regularium vtriuſque ſexus, & præſertim ſunt Roderiq. Miranda, Cord. Lezzana, Bartholomæus à S. Fauſto, Pellizarius de Monialibus, & alij.

III. Concl. Donatio facta ſine inſinuatione, quæ excedit ſummam trecentum Scutorum inualida eſt. Ita determinat *Ius poſitiuum, Ciuile leg. ſancimus C. de donat. Inſinuatio autem, vt ad præſens ſpectat eſt manifeſtatio donationis in iudicio, approbante illam Iudice, vt bonam, & abſque vi, dolo, aut fraude, liberè factam:* Quæ doctrina intelligenda eſt etiam de remiſsione debiti excedentis prædictam ſummam, nam remiſsio debiti eſt verè donatio, & à Iure inter donationes computatur *leg. in Ædibus ff. de donat.* Quod verò vltra prædictam ſummam donatum eſt retineri poteſt donec à donatore, vel eius hæredibus repetatur, quia allegatæ leges non reddunt donatarium inhabilem, ſed tantum tribuunt donatori facultatem ad libitum repetendi, ac proinde quamdiù non repetit, retineri poteſt, nam ſcienti, & volenti non fit iniuria. Et nota, quòd inſinuatio eſt adeo neceſſaria in donatione excedente dictam quantitatem, vt abſque ea inualida ſit, licèt donator renunciet legi, & inſinuationi, quia non eſt liberum donatori omittere ſolemnitatem à iure præſcriptam tamquam formam *Argumento legis nemo poteſt ff. de leg.*

Cæterùm ſi in pluribus vicibus per aliquod temporis interuallum donationes attingerent quantitatem excedentem præſcriptam à leg. in tali caſu abſque inſinuatione valerent, & maximè ſi fiant pluribus perſonis, *Vt colligitur ex*

 leg.

leg. ſancimus, iuxta quam donatio eſt inualida, quamuis pluribus perſonis fiat, ſi proueniat ex vnico quaſi animi impetu. Ita diſcurrit Becc. in tom. de Iuſt. & Iur. p. 3. Excipiuntur tamen nonnulli caſus, in quibus donatio abſque inſinuatione valida eſt, etſi prædictam quantitatem excedat. Primò ſi iuramento confirmetur teſte Claro Iuriſta, qui aſſerit modò eſſe communem ſententiam: 2. Si donatio fiat ad redemptionem captiuorum: 3. Si ad reparationem ædium incendio, aut ruina deſtructarum: 4. cum Magiſter militum dat militi mobilia, quantumuis ea ſint magni pretij: 5. quando donatio eſt remuneratoria; hæc enim non comprehenditur à lege cum non ſit propriè donatio: 6. Si quis renunciet bonis, vel Iuribus ſperatis nondum obtentis: 7. denique ſi quis donet Eccleſiæ, vel ad piam cauſam, *Quia vt habetur in Authent. Cæſarea optima menſura Eccleſiæ donatorum eſt immenſitas*. Ita plures Iuriſperiti, & inter Theologos Angelus, Silueſter, Fernandez, & alij &c.

IV. Concl. Omnes donationes ob turpem cauſam factæ, puta ad falſum teſtimonium dicendum, vel homicidium patrandum ſunt inualidæ, & irritæ iure naturæ. Ita communis ſententia Theologorum. Ratio eſt, quia omnis donatio aliquam obligationem inducit, at nemo ad peccandum obligari poteſt, ergo huiuſmodi obligationes non poſſunt obligare donatarium, aliàs obligarent ad peccatum, quod repugnat legi naturæ, & diuinæ, & licèt Amicus à Maſtrio relatus diſp. 6. de contract. q. 2. art. 2. cum nonnullis dicat, hoc totum intelligendum eſſe ante patratum peccatum, quia poſt patratum peccatum poteſt donatio iure naturæ eſſe valida, non propter commiſſum peccatum, ſed ob impenſum laborem, & periculum, cui donatarius in gratiam donantis ſe expoſuit, quod cenſetur pretio æſtimabile, & conſequenter eſt aliqua mercede dignum; nihilominus id verificari non poteſt, quia ſiue ante commiſſum peccatum, ſiue poſt, ſemper eadem ratio militat, & idem dicendum eſt de promiſſionibus, quæ pariter Iure naturæ ſunt inualidæ, & irritæ.

Quæres I. An donatio facta alicui Clerico loco tituli patrimonij cum obligatione ex pacto, vt ſtatim ſuſceptis ordinibus reſtituat donatori bona donata ſit valida tam in foro conſcientiæ, quàm Ciuili.

Reſp.

Reſp. talis donatio in vtroque foro eſt inualida, ac proinde Clericus non poteſt renunciare, quia talia bona fuerunt ei aſſignata *iuxta formam Trident. ſeſſ.* 21. *cap.* 1. Sanè fuit pactum turpe, & promiſſio contra Ius publicum, ex qua nulla oritur obligatio; Vndè donatarius ad nihilum remanſit obligatus in conſcientia, & conſequenter in vtroque foro erit tutus propter fraudem, & iniuriam, quam donator fecit Eccleſiæ illam illudens, & decipiens. Ita Carpenſ. t. act. 19. de contract. diſp. 2. ſect. 2. qui refert Cordubam putantem in foro interiori non valere prædictam donationem vltra intentionem donantis, ac proinde teneri donatarium in conſcientia iuxta promiſſionem ei factam reſtituere bona data; & licèt hæc opinio non videatur admittenda, nihilominus ſi inſpiciamus donantis intentionem, quæ reuerà non fuit donandi ex hac parte non videtur improbabilis; quia verò forum Eccleſiaſticum pluries contra donantes ſententiam dixit, cenſendum eſt, donatarium in conſcientia non teneri ad reſtitutionem, & fortaſſe in pœnam etiam fictè donantis in præiudicium legis Eccleſiaſticæ tali pœna punitur: Et Pet. Marchant. t. 3. Tribunal. ait in talibus donationibus peccare mortaliter, quia decipiunt Eccleſiam in re graui, & tenentur ſic donantes Clericum alere, ſi indigeat &c.

Quæres 2. An donationes in filios ſint validæ.

Reſp. Donationes Patris in filios non emancipatos eſſe inualidas, itaut pro arbitrio Patris reuocari poſſint *leg.* 1. *de inoffic. donat.* Ratio eſt, quia quamdiù filius eſt ſub poteſtate Patris cenſetur quaſi vna perſona ciuilis cum Patre, & ita Pater videtur ſibi donare: quod tamen non eſt idem de matre, quia proles non ſunt ſub poteſtate Matris, ſed Patris. Verùm donatio Patris in Filios non emancipatos firmatur duobus modis, nempe iuramento, & morte donantis, ſi res ante mortem fuerit tradita. Similiter valet ſi Pater Filio donet in dotem, vel ad matrimonium. Item ſi donet mobilia proficiſcenti ad bellum, vel profeſſum aliquam diſciplinam, aut ſcientiam det libros. Item ſi vſumfructum, quem habet in bonis aduentitijs filij, condonet filio, vel denique ſi aliquid donet in remunerationem obſequiorum.

Quæres 3. An quis poſſit donare omnia ſua bona alteri.

Reſp. Donatio, qua quis donat alicui omnia ſua bona tam præſentia, quàm futura Iure communi eſt inualida, vt patet ex leg. ſtipulatio hæc modo ff. de verbor. obligat; & eſt communis ſententia. Ratio eſt, quia per hanc donationem auſert ſibi homo poteſtatem liberè teſtãdi, quod, leges improbant, tanquam contra bonos mores, non quidem naturales, ſed ciuiles, quos in Republica bene conſtituta eſſe decet. Hinc patet, quòd donatio bonorum præſentium, non autem futurorum eſt valida, & maximè, ſi ſibi reſeruet aliquid ex ſuis bonis; ſunt tamen duo caſus in quibus donatio omnium bonorum præſentium, & futurorum valet. Primus ſi fiat Eccleſiæ, vel in aliquam piam cauſam: adde ſi quis ob amorem Dei abdicet à ſe omnium bonorum dominium, & gratia imitandi Chriſtum mendicet: 2. Si iuramento confirmetur ita tradunt DD. tam Theologales, quàm Legales; eſtò nonnulli contradicant, putantes iuramentum contra bonos mores non obligare, quæ regula vera eſt de bonis moribus naturalibus, non ciuilibus, quia iſti non ſunt contra legem obligantem ad peccatum, ſeu contra rationem, ſed ſolum contra quandam decentiam politicam.

QVÆSTIO III.

Vtrum vxor pro ſuo libito donare poſſit, & quantum donare poſſit.

NOt. Quòd pręſens quæſtio non mouetur de bonis paraphernalibus, quorum, vt alibi dictum eſt, ſicut vxor habet dominium, & adminiſtrationem independenter à ſuo marito, ita ſine conſenſu eiuſdem poteſt pro ſuo libito alienare, donare &c. ſed quæſtio mouetur de quibuſdam bonis, quæ videntur communia Coniugibus, & de quibuſdam bonis, quæ ab vxore labore, induſtria, & negotiatione acquirere, ſeu lucrari poteſt. Quarè triplex genus bonorum iuxta ſummam Angelicam, Silueſtrinam, Filiuccium, & alios diſtingui poteſt. Primum Paraphernalium: 2. eorum, quæ vxor ſuo labore, & induſtria acquiſiuit: 3. bonorum communium cum dote, quorum adminiſtratio ad virum pertinet.

Concl. Vxor poteſt facere donationes, eleemoſynas &c.

ne dum de bonis paraphernalibus ſed etiam de bonis labore, induſtria acquiſitis ita tradunt præſertim Sum. Angel. citans plures DD. & leges, Silueſter, & alij paſsim.

Prob. Vxor habet de prædictis bonis dominium, & liberam adminiſtrationem de Iure communi Cęſareo ad excludendas quaſdam leges municipales, quæ vigent in Hiſpania, & Luſitania circa huiuſmodi bona; ergo vxor poteſt de prædictis bonis independenter à Marito donare &c.

Prob. conſ. à Summa Angel. ſic, Vxor non tenetur laborare pro viro, ſi habet dotem ſufficientem pro parte onerum ſupportanda, *Vt patet argumento cap. per veſtras de donatione inter virum, & vxorem, & in leg. ſi cum dote §. ſin autem in ſauiſſimo ff. ſoluto matrimonio, & notat Panorm. in cap. littera de reſtitut. ſpoliat. vbi determinat, nec etiam cauſatiuè poteſt vir Vxorem compellere ad laborandum ſubtrahendo ſcilicet alimenta*, ergo ſibi poterit laborare. Si verò non portauit dotem ſufficientem ad ſubſtentanda onera matrimonij, ſaltem pro parte, ſic credo, quòd debeat laborare pro ipſis oneribus ſupportandis, etſi non vult, Vir poteſt ei denegare alimenta &c.

Confirmatur ab eodem Doctore. Aut Vxor operatur in bonis viri pro ſuo vſu, vt puta in lana viri, vt ſibi faciat veſtimentum, vel in lino, vt ſibi faciat linteamina pro vſu, & ſic cedit lucro Viri, quia non minus tale veſtimentum erit viri, quàm ſi nihil operis in eo feciſſet, nec pretium laboris à Viro in hoc caſu poterit petere, *Vt habetur in leg. Ciuili, ſed ſi Vir*, & idem dico de hæredibus Viri, apud quem alimentatur: aut laborat in rebus viri, vt inde habeat lucrum, vel in alijs quibuſcumque, vt puta eſt textrix, vel filat, vel eſt negotiatrix, & huiuſmodi, & ſic non cedit lucro Viri, ſed ſibi acquirit, niſi in caſu, quo non habet dotem ſufficientem ad alendum ſe, & communes liberos cum Marito, vbi Maritus non habet alia bona ſufficientia; ſed ſi habet dotem ſufficientem ad alendum ſe, & communes liberos, vel ſaltem ſe ipſam, quando Maritus habet alia bona ſufficientia, ſic credo non teneatur cedere lucro Mariti, ſed poteſt in eius bonis, vel alijs laborare, vt habeat pretium laboris, & ſibi acquiret, & hoc videtur ſequi Bartolus, vt dicit ipſa Summa Angelica. Ex qua doctrina rectè infertur, quòd Vxor non peccat mortaliter accipiendo, vel expendendo bona Mariti. Primò ſi quantitas iudicio pruden-

tis ſpectató ſtatu, & cæteris circumſtantijs non ſit notabilis: 2. ſi det in extrema, vel graui neceſsitate: 3. ſi det ex ſuis bonis, nempe paraphernalibus, vel ex lucro ſuæ induſtriæ, præſertim ſi attulit dotem ſufficientem ad ſe alendam: 4. ſi faciat eleemoſynas, & donationes ſecundum conſuetudinem aliarum mulierum ſuæ conditionis. Quòd ſi Maritus prohibeat videtur tantùm prohibere exceſſum; immò ſi abſolutè prohibeat, adhuc poteſt, vt veriùs putat Becc. alijs cit. Ratio, quia, vt ait Ang. conſuetudo tribuit ius, non ſecùs ac priuilegium, vel lex, quo iure Maritus illam priuare non poteſt: 5. ſi det ad impediendum damnum Mariti ſiue temporale, *Vt fecit Abigail lib. 1. Reg. cap. 25. ſiue ſpirituale largiendo eleemoſynas, ne Deus illum ob multa peccata grauia puniat, vel vt ad fidem conuertat*. Ratio, quia vtiliſsime gerit negotium Mariti, nec ipſe poteſt rationabiliter eſſe inuitus: 6. ſi Maritus eſt fatuus, vel amens, tunc enim adminiſtratio ad Vxorem deuoluitur, niſi aliter à Iudice, vel à Principe ſit prouiſum: 7. ſi Maritus eſt diſsipator, qui rem communem in compotationes, largas donationes, ludos, & ſimilia profundat, quia ſic facit iniuriam Vxori partem ipſius diſſipans, nam dimidia pars bonorum in matrimonio acquiſitorum, vt quàm plures DD. tradunt eſt Vxoris, & dos tota: 8. ſi Pater, vel Mater Vxoris ſint pauperes, adeò vt miſerè ſecundùm ſuum ſtatum viuant, tunc ſi Maritus nolit illis ſuccurrere, poteſt Vxor ex bonis communibus, vel ex ſua dote ſubtrahere, vt illis det; & idem dicendum eſt, ſi habeat filios ex alio matrimonio, qui pariter egeant. Ratio, quia iure naturæ tenetur illis ſuccurrere, vt inter alios docent Nauar. Cordub. & Angel. cit. à Becc. qui ſubdit, teneri autem Vxorem omnia, quæ ſic dederit, referre in ſuam partem, cum ad portionem cum hæredibus viri ventum erit. Similiter ſi Frater, vel Soror egeant, probabile eſt vxorem poſſe illis ſuccurrere. Ratio eſt, quia Maritus iure communi tenetur Fratribus ſuis ſubuenire, *Vt docent communiter DD. cum Gloſ. in leg. Qui filium ff. vbi Pupillus educari debeat*: ergo idem dicendum eſt de vxore, *& colligitur ex leg. mutuus ff. de iure dotum*.

Arg. cont. concl. Vxor non eſt domina ſui, ſed manet ſub viri poteſtate, non aliter ac ſeruus, ſed quicquid acquirit ſeruus, acquirit domino, & non ſibi, ergo quicquid acqui-

acquirit mulier, vel induſtria, vel negotiatione, acquirit non ſibi, ſed Marito; ergo nequit pro libito ea donare &c.

Reſp. neg. aſſumptum in mai. quia vxor non eſt ſub poteſtate viri, velut mancipia, ſed eſt ſocia, & manet ſub viri poteſtate, quatenus ſubordinatur Marito in ijs, quæ pertinent ad rectam domus gubernationem, reſpectu cuius mulier habet poteſtatem ſubordinatam poteſtati viri.

Arg. 2. Vxor tenetur laborare, ſuamquè induſtriam impendere pro conſeruatione domus Mariti; alioquin daretur hoc abſurdum, nempe quòd poſſet eſſe notabiliter otioſa, nullam curam agere de domo, neque domus neceſſaria prouidere, quod nemo dixerit. Reſp. Ex hactenus dictis colligi poteſt reſponſio; quare Vxor prudenter, & cum diſcretione ſe gerere debet in huiuſmodi laboribus induſtria, & negotiatione, ita vt res domeſticæ notabile detrimentum non patiantur, neque occaſionem ipſa præbeat viro exprobrandi ſuam negligentiam in ijs, quæ ad rectam domus gubernationem ſpectare noſcuntur.

Quæres 1. An donatio conditionalis valeat ante conditionem impletam. Reſp. negatiuè: ita communiter DD. ratio eſt, quia donantis voluntas pendet ab illo euentu futuro, quare, non poſita conditione, non valet donatio. Neque liberum eſt donanti reuocare donationem conditionatam acceptatam à donatario ante impletam conditionem, ſed expectare tenetur conditionis euentum, quòd ſi accidat, vt conditio poſtulat, tenetur ad donationem implendam: immò talis donatio acceptata tranſmittitur ad hæredes donatarij, ac proinde poſſunt illam petere in iudicio.

Quæres 2. An modus annullet, vel ſuſpendat donationem. Reſp. modus in donatione vocatur grauamen, quod apponitur donatario, v. g. do tibi centum Florenos, vt ædifices domum. Si modus purus eſt, quia donatio perfecta fuit, etſi apponatur grauamen, nec inualidatur, nec ſuſpenditur; dixi ſi purus modus eſt, quia aliquando modus tranſit in conditionem hinc Fernand. in medulla Theologiæ par. 1. cap. 16. §. 5. dicit, quòd habent validitatem donationes factæ, grauamine turpi tacitè, vel manifeſtè appoſito, vt quæ fiunt fœminæ ad ſtuprum, vel teſti ad periurium, vel Iudici ad ſententiam iniuſtè ferendam, quia dona-

tiones intelliguntur factæ abſolutè. Grauamen tamen turpe non eſt implendum. Donationes etiam factæ; appoſito grauamine honeſto, licèt non impleatur, vt dono, vt ædifices domum; etſi donatarius ex gratitudine teneatur grauamen ſubire, ſi tamen ſubeat non tenetur quidquam reſtituere, quia donatio fuit abſoluta.[f]

Quæres 3. Quæ donatio cauſalis eſt inualida.

Reſp. Quòd cauſa, prout ſpectat ad ſubiectam materiam, dicitur id, propter quod præſens, aut præteritum ſit donatio, & explicari ſolet per particulam, quia v. g. quia pauper, quia conſanguineus, quia egiſti hæc negotia, & ſimilia. Illa verò donatio, quæ fit ob cauſam, vt finem, & talis cauſa non exiſtit, & voluntas donantis eſt dare, ſi exiſtat talis cauſa, & non aliter, cum donatio habeat vim à libera voluntate donantis, cauſa non exiſtente, non eſt valida. Eſt tamen donatio valida, quando cauſa fuit tantùm impulſiua, ſine qua donans non moueretur ad donandum, quia donatio fuit omninò libera, ita communiter DD. teſte Fernand. loc. cit.

QVÆSTIO IV.

Quibus caſibus donatio inter viuos, & etiam cauſa mortis facta reuocari poſſit.

NOt. Quòd, vt paulò ſuperiùs diximus, donatio alia eſt inter viuos, alia eſt mortis cauſa. Prior eſt, quando quis ſic donat, vt etiam ſe viuente velit rem abſolutè eſſe alterius; poſterior autem eſt, quando quis donat, vt rem non velit abſolutè, & irreuocabiliter eſſe alterius, niſi poſt ſuam mortem; vt ſi dicat dono tibi hanc rem poſt mortem meam, vel cum moriar, vel quia nunc timeo mori &c.

I. Concl. Donatio, inter viuos, etiamſi ſit acceptata, & res ſit tradita generatim triplici ex cauſa poteſt reuocari. Primò ob ingratitudinem donatarij: 2. ob prolem ſuſceptam: 3. ſi ſit inofficioſa, ita communiter Doctores tum legales, tum Theologales. Prob. quoad 1. part. nempe ratione ingratitudinis. *Sic enim habetur in leg. final. C. de reuoc. donat.* Ingratitudo verò ſatis probatur per grauem iniuriam donatori præſenti, vel abſenti factam, quæ verò ea ſit in

vtro-

vtróquè foro relinquitur prudentis iudicio, ſed eſt manifeſta cùm donatarius percuſſit donatorem ligno, lapide, aut ferro, ſi in illum violentas manus iniecit, vel graue damnum procurauit, & deniq; ſi donatorem inedia, ſeu inopia preſſum non aluerit, quod Doctores notant pro ſimplicibus, qui omnia donant ſuis filijs, à quibus poſtea negliguntur. Addunt quidam ſi donatarius adulterium commiſit cum Vxore donantis, & ſtuprum cum filia: ita Card. de Lara ſuper leg. ſi quis à liberis ſ. idem iudex, & Silueſter cum alijs: Ratio eſt, *Quia vbi eadem ratio eſt, eadem videtur eſſe iuris diſpoſitio iuſta leg. Illud ff. ad leg. Aquil.* Hæc tamen regula non habet locum in pœnalibus legibus, & ideo oppoſitam ſententiam tenet *Gloſſ. leg. in condemnatione ff. de reg. iur. & Bald. ſuper leg. vlt. C. de donat. reuoc.*

Prob. Concl. quoad 2. part. nempè ratione prolis ſuſceptæ, vt ſi quis prole carens, & magnam partem bonorum ſuorum donauit, & poſtea naſcatur ei proles, donatio reuocari poteſt: *Ita habetur in leg. ſi vnquàm de donat. renocat.* Ratio eſt, quia præſumitur fuiſſe facta ſub tacita conditione, niſi naſcerentur filij, & quidem ſi facta ſit donatio extraneo reuocatur tota, ſi facta ſit alicui aſcendentium, vt Patri, vel Auo reuocatur ſolùm quoad legitimam filiorum, poſtea ſuſceptorum iuxta Gomez, & hæc ratio militat etiamſi iuramento promiſerit ſe talem donationem non reuocaturum, *Quià iuramentum non excludit tacitam conditionem, quæ ex iuris diſpoſitione ineſt tali donationi.* Secùs autem ſi expreſsè excluderit illam conditionem, & vellet donationem valere, etiamſi filij naſcerentur, non poſſet eam reuocare, & idem eſſet, ſi priuilegio legis, ſe nunquam reuocaturum renunciet. Nihilominùs poterunt filij poſt eius mortem eam reuocare, quatenus donatio fuit eis inofficioſa, ideſt quatenùs legitimam eorum abſtulit, & ſic renunciatio Patris non poteſt tollere ius filiorum, quod poſt mortem Patris habent ad ſuas legitimas.

Prob. quoad. 3. part. nempè ſi donatio ſit Inofficioſa; tunc autem dicitur inofficioſa, ſi ſit contra officium pietatis paternæ in filios, quod tunc fit quando Pater tantum donat, vt filij priuentur ſua portione legitima *leg. 1. & ſequent. C. de inoff. donat.* & quidem ſi facta ſit alicui ex filijs, reuocatur ſolùm, quoad legitimam aliorum filiorum

Co-

Couar. reſ. lib. 1. c. 19. ſi facta ſit extraneo animo defraudandi liberos reuocatur tota, ſi autem non ſit facta eo animo reuocatur ſolùm quoad legitimam eodem Couar. Verùm talis donatio non poteſt reuocari à filijs, niſi poſt mortem Patris. Tunc enim primò debetur filijs ſua legitima, & tunc incipit illa donatio cedere in filiorum pręiudicium. Vndè peccat Pater in huiuſmodi donationibus, *Etſi iuramento eam firmet, non tamen tenetur implere, quia ſine peccato implere non poteſt, vt colligitur ex multis iuribus C. de inoff. donat.*

II. Concl. Donatio, quæ mortis cauſa facta eſt reuocari poteſt pariter triplici ex cauſa. Primò ſi donatorem pœniteat, quia ſicut teſtamentum, & Legatum pro arbitrio teſtatoris vſque ad mortem reuocari poteſt, ita etiam donatio, quæ mortis cauſa fit; nec refert an expreſsè pœniteat, an implicitè, *Vt colligitur ex leg. qui mortis cauſa ff. de mortis cauſa donat*: Secundò ſi donator dedit intuitu alicuius periculi inſtantis, ex quo metuit mortem incurrere; nàm hoc ipſo, quòd periculum euaſerit, cenſetur tacitè reuocata donatio *leg. 3. & ſeq. eodem titulo*. Tertiò ſi donatarius moriatur ante donationem ipſo iure eſt reuocata.

III. Concl. Donatio facta Eccleſiæ, vel aliæ piæ cauſæ reuocari poteſt quantum neceſſarium eſt, vt filij ſuſcepti non careant legitima: ita communis ſententia, & ſignanter Couar. 1. reſol. cap. 19. Leſs. & alij, qui cum eodem Leſs. docent expedire, vt in tali caſu Prælatus etiam reſtituat totum, quod Eccleſiæ, vel Monaſterio datum eſt, maximè ſi Monaſterium habeat vndè commodè viuere poſsit. Obſeruandum inſuper, quòd donatarius non tenetur ad reſtitutionem ante ſententiam, quia eſt pœna, vt colligitur ex leg. cit. Vndè debet interponi quærela, & ingratitudo probari, vel alia cauſa, ob quam reuocari poſsit donatio, ſi tamen res nondùm ſit tradita poteſt non tradere, & exceptione ingratitudinis agentem repellere.

Quæres. An donatio reuocetur ſi poſt factam donationem naſcantur filij naturales, vel ſpurij.

Reſp. Communis opinio, teſte Maſtrio, negat contra Clarum, & quoſdam alios Iuriſtas. Ratio eſt quia *In leg. ſi Totas. C. de inoff. donat. non fit mentio filiorum naturalium, ſed tantùm legitimorum*, hoc eſt, qui ex legitimo matrimonio nati ſunt, vt textus iuris loquitur; quarè non eſt facienda exten-

tenſio vltra conceſsionem, & verba legis: Verùm ſi legitimentur per ſubſequens matrimonium, reuocatur donatio, quia filij ſic legitimati æquiparantur filijs verè legitimis: Secùs autem ſi legitimentur auctoritate Principis; ſed de iſta legitimatione Principis eſt diſſidium inter Doctores: alij enim affirmant, alij negant; & vtraque opinio videtur probabilis, quia cum Princeps habeat facultatem legitimandi, conſequenter legitimatus acquirit ius ſicut verè legitimus; quòd ſi poſt donationem reuocatam ob prolem ſuſceptam filij moriantur, viuente Patre, communis opinio negat redire donationem ad donatarium, cui priùs fuerat facta. Ratio quia donatio ratione prolis ſuſceptæ fuit extincta; donatio autem ſemel extincta, non reuiuiſcit, niſi per nouam voluntatem expreſſam, vel tacitam donatoris illa in donatarij poteſtatem transferatur.

DISPVTATIO IV.

De Teſtamentis.

QVÆSTIO I.

Vtrum vltima voluntas, ſeu Teſtamentum factum ſine ſolemnitatibus Iuris ſit validum.

NOt. 1. Quòd ſicut per donationem transfertur dominium in alterum, ſic etiam per teſtamentum, ſeu vltimam voluntatem dominium transfertur. *Eſt autem vltima voluntas gratuita diſpoſitio eorum, quæ quis poſt ſuam mortem fieri vult:* quæ quidem vltima voluntas diuiditur in Teſtamentum, Codicillum, Legatum, Fideicommiſſum, & Donationem cauſa mortis. Verùm in præſenti quæſtione agimus ſolùm de teſtamento, nàm de alijs agetur infra Itaque *Teſtamentum ſecundùm nominis etymologiam dicitur quaſi mentis teſtatio iuxta inſtit. ciuil. de teſtam. §. 1. at ſecundùm rem ſic definitur ab Vlpiano leg. 1. ff. de teſtam. Teſtamentum eſt voluntatis noſtræ iuſta ſententia de eo, quod quis poſt mortem ſuam fieri vult;* Sed quia hæc definitio conuenit etiam alijs vltimis voluntatibus, nempè Codicillo, legato &c. Ideò Doctores addunt hanc particulam, *Ideſt cum directa hæredis inſtitutione*. Per hanc ſiquidem

particulam diſtinguitur ab aliјs vltimis voluntatibus, quia nullum ex illis continet directam hæredis inſtitutionem, niſi fortè ex priuilegio, vt infra dicetur. Vndè teſtamentum eſt propriè hæredis inſtitutio.

Not. 2. Quòd teſtamentum eſt duplex. Aliud dicitur in Scriptis, ſeu clauſum, eò quòd Teſtator latere velit, quod in eo continetur, & dicitur ſcriptum, quia ſcripto fit, vel per Teſtatorem, vel per aliquem alium cum ſubſcriptione, & obſignatione teſtium, *Vt habetur l. hac conſultiſſima C. de teſtament.* Aliud dicitur Nuncupatiuum, eò quòd Teſtator ſine ſcriptura coram teſtibus declaret quid de bonis ſuis fieri velit poſt mortem, ideoquè *Dicitur teſtamentum apertum l. per nuncupationem C. de teſtam.* Cæterùm ad vtrumque teſtamentum, ac eorum validitatem plures exiguntur ſolemnitates à legibus, quæ etiam non ſunt eædem in omnibus locis. de quibus exacta cognitio, inquit noſter Poncius, non ſpectat ad Theologos, ſed ad Iuriſtas. Nihilominùs plura ad hanc rem Theologus ſcire debet, vt iuxta iuſtitiam, & conſcientiam reſoluere valeat multos caſus dubios. Vndè ad teſtamentum clauſum à iure ciuili plures ſolemnitates requiruntur. Igitur primò debet ſcriptura confici: 2 requiruntur ſeptem teſtes maſculi, puberes, & ad id rogati, quorum nullus poteſt inſtitui hæres: vt autem cenſeantur teſtes rogati à Teſtatore, vel ab alio illius vice, ſatis eſt, quòd nomen ſuum ſubſcripſerint, ſciente, & tolerante teſtatore, vel hoc ſciente, & tolerante permiſerit ſua nomina deſcribi à Notario *Argumento leg. Qui patitur ff. mandati*: 3. requiritur Notarius, vel eius loco octauus teſtis, qui cum aliјs ſeptem ſubſcribat. 4. vt Teſtator ſimul coram exiſtentibus teſtibus, dicat illud eſſe ſuum teſtamentum, & ſtatim coram iiſdem illud ſubſcribat; quod ſi non poſſit, octauum teſtem adhibeat, qui eius loco illud ſubſcribat. Ad teſtamentum autem nuncupatiuum, ſeu apertum duo exiguntur. Primum vt adſint ſeptem teſtes mares, puberes &c. Secundum vt illi audiant Teſtatoris voluntatem ſcriptam, aut voce probatam. Si verò ſcribatur, tutiùs erit Teſtatorem ſubſcribere ſi poſſit, & iam vſus obtinuit, vt huiuſmodi teſtamenta ſcribantur, tum ob memoriam eorum, quæ à Teſtatore diſponuntur; tum quia plerumque teſtes moriuntur, vel etiam facilè obliuiſcuntur.

Concl. Teſtamentum factum ad cauſam profanam ſine debitis ſolemnitatibus eſt inualidum in foro externo, eſt tamen validum in foro conſcientiæ, vt tradit probabilior Doctorum ſententia, quam ſignanter docent Sum. Angel. Ioan. Medina, Silueſter, Panormitanus, & Molina; & eadem apertè colligitur *ex leg. etſi inutiliter de fideicom. hæred. §. vlt.* Ratio eſt, quia ex teſtamento minùs ſolemni oritur obligatio naturalis, prout tradunt Doctores vtriuſque iuris, & fatetur Couar. num. 10. ſed hoc nihil aliud eſt, quàm tale teſtamentum in foro conſcientiæ eſſe validum; ita vt hæres ab inteſtato teneatur eis ſatisfacere, & inſtitutus poſſit relictum petere, & retinere; quàmuis ius ciuile ex ea non concedat actionem, *Quia obligatio naturalis apud Iuriſtas vocatur ea, quæ præciſo omni iure poſitiuo oritur ex natura actus, & à iure poſitiuo ſuperueniente non irritatur*, ac proindè præciſo iure poſitiuo oritur ex tali teſtamento obligatio iuſtitiæ.

Confirm. Etenim numerus teſtium, & ſimiles ſolemnitates ſolùm requiruntur in teſtamentis, vt fidem faciant in foro externo, ſeu vt falſitas, & omnis deceptio vitetur, vt expreſsè dicitur *leg. quæſtionum C. de fideicom.* ergo non fuit mens legislatorum reddere irrita talia teſtamenta in foro conſcientiæ, ſed tantùm in foro externo non aſſiſtere, ſeù non dare actionem, ſicut non dant actionem ex nuda promiſſione, niſi formula ſtipulationis, vel ſimili modo ſit præſtita. Ex qua doctrina infertur, illos, quibus aliquid teſtamento minus ſolemni relictum eſt, poſſe illud retinere abſquè ſcrupulo, imò ſibi occultè ſatisfacere ſi abſit ſcandalum. Inſuper iuxtà Leſſ. Lugo, Becc. Buſemb. ſi hæres ab inteſtato fateatur mentem teſtatoris fuiſſe, vt hæreditatem nomine fideicommiſſi alteri traderet, vel legatum aliquod ſolueret; ſi oblato iuramento iurare noluerit oppoſitum, cogendus eſt etiam in foro externo hæreditatem tradere, vel legatum ſoluere. Vel ſi dubium ſit de voluntate teſtatoris debet cum illis componere ratione dubij. Ita Molina diſp. 81. & Becc. Ratio eſt, quia cum nec ipſe, nec alij cœperint adhuc poſſidere bona fide, in dubio par eſt conditio eorum.

Nihilominus, etſi hucuſquè dicta ſint probabiliora, vt etiam in principio concluſionis indicauimus, attamen probabilis eſt etiam opinio oppoſita, quam docent plures

Do-

Doctores, nempè teſtamentum ad cauſas profanas factum abſque ſolemnitatibus à Iure requiſitis eſſe inualidum in vtroquè foro; quare Confeſſarius non poſſet denegare abſolutionem hæredi ab inteſtato, qui teſtamento minùs ſolemni ſatisfacere nó vellet, ſed conformare ſe oppoſitæ ſententiæ, quæ nec probabilitate externa, nec interna caret.

II. Concl. Teſtamentum factum ad pias cauſas etiam in foro externo eſt validum, modò adſint duo teſtes requiſiti à Iure Canonico, nec requiritur præſentia Parochi, vt quidam volunt: *Ità expreſſè habetur in cap. Relatum 1. de teſtam. vbi Alexand. III. mandat, vt Iudex non ſecundùm leges ciuiles, ſed ſecundùm Canones tractet eas cauſas, in quibus agitur de bonis relictis Eccleſijs, duobus, vel tribus tantùm legitimis teſtibus requiſitis.* Immò nec quidem duos teſtes aliqui putant neceſſarios, ſi adhibita ſint, quæ iure naturali ſufficiunt ad dominij tranſlationem faciendam per vltimam voluntatem, eò quia Ius canonicum ſolùm requirat duos teſtes, vt in foro externo probetur quantum ſatìs eſt, prout colligunt ex d. cap. Relatum. Vndè ſi hæredi ab inteſtato certè conſtet de voluntate Teſtatoris, tenetur in conſcientia implere eius voluntatem, cum eius ſola voluntas ſufficiat ad transferendum dominium rei relictæ alteri, vt ſi dicat. Volo, quòd des pauperibus, vel Eccleſiæ quinquaginta florenos, vel etiam alicui ſuo amico; & nota, quòd teſtamentum ad pias cauſas dicitur quando hæres eſt pia cauſa, aut quando ſubſtitutionis via hæreditas deuenit, ad pias cauſas ita Malet. lib. 4. de Hierarchia, & iure Eccleſ. Cæterùm omnes condere poſſunt teſtamenta ad pias cauſas, qui de iure communi teſtari non prohibentur. Vndè filius familias de bonis aduentitijs abſque conſenſu Patris teſtari non poteſt ad pias cauſas. Similiter Impubes, etiamſi doli ſit capax, nequit teſtari ad pias cauſas; ſicut nec Vſurarij *ex cap. quamquàm de vſuris in 6. niſi poſita cautione priùs de ſatisfaciendo*; de alijs autem dicetur infra.

Præterea ſi moriturus cœpit facere teſtamentum ad pias cauſas, & morte præuentus, non abſoluit, valet quoad relicta pia, quæ in ſua illa perfecta diſpoſitione iam expreſſerat, dum appareat ex verbis teſtatoris, eum habuiſſe talem voluntatem pro perfecta, & abſoluta; ſecùs verò ſi appareat non habuiſſe voluntatem perfectam; Valet pariter teſtamen-

mentum ad pias cauſas, ſi nutu cognitum ſit: ità Molina, Laiman, Lugo, licèt iure ciuili hæredis declaratio nutu facta irrita ſit *l. Iubemus C. de teſtam. non tamen legatum, vt conſtat ex l. nutu ff. de lege 3.* Nihilominus quod attinet ad pias cauſas, tam in teſtamento, quàm in legato ſufficit quocunque ſigno externo voluntatem defuncti declaratam eſſe, quia iure naturali, ac gentium plus non requiritur. Adde cum Nauar. Couar. & Franciſco Bonæſpei diſp. 7. quòd ſi teſtator coram teſtibus dixerit, ſe quoad pias cauſas confeſſario, aut Parocho ſuam mentem aperuiſſe, Parochus, aut Confeſſarius audiri debet, eiuſquè declarationem exequi ſi prudenter præſumuntur verum dicere.

Quæres 1. Quid ſit Codicillus, & Legatum.

Reſp. Codicillus eſt quædam vltimæ voluntatis diſpoſitio, qua circa factum teſtamentum aliquid ordinatur additione, mutatione &c. Legatum autem eſt diſpoſitio, per quam hæres grauatur ad rem legatam, vel ita donatam præſtandam legatario, aut donatario.

Quæres 2. Quid ſit Fideicommiſſum.

Reſp. eſt illud quod à teſtatore hæredis fidei relinquitur poſt illius mortem exequendum; vndè Fideicommiſſum in hoc à teſtamento differt, quòd per illud non directè, ſed tantùm indirectè quodammodò quis hæres inſtituitur; nam per fideicommiſſum teſtator committit fidei hæredis ſui, vt deferat hæreditatem, vel in totum, vel in partem alteri ſubſtituto, poſt aliquod tempus elapſum, vel poſt aliquam conditionem impletam. Verùm codicillus à teſtamento differt, quòd iure communi requiruntur quinque tantùm teſtes, & ſufficiunt puberes, licèt non rogati, nec maſculi, niſi codicilli ſint Cœcorum, ita ex communi notat Fernandez in exam. theol. moral. præter differentiam ſuperiùs aſſignatam de inſtitutione hæredis; nam in codicillo non fit hæredis inſtitutio, neque admittitur, niſi alicui conceſſum ſit priuilegium inſtituendi aliquem hæredem per codicillum, quale conceſſum eſt militi *l. milites ff. de militum teſtam.* Imò milites etiam modò gaudent iiſdem priuilegiis teſtandi, quibus olim, dummodò in caſtris, vel in proxima expeditione verſentur, vt pluribus citatis tradit Diana part. 7. tract. 6. reſol. 43. vndè ſufficiunt duo teſtes non rogati etiam aliàs non idonei, modò non ſint impuberes, nec Cœci,

ci,

ci, vel ſerui, vt videre licet apud Laiman lib. 3. de Iuſt. tract. 5. cap. 4. apud Dianam, & alios.

QVÆSTIO II.

Quinam poſſint teſtari, & qui poſſint hæredes inſtitui.

PRima Concl. Quilibet poteſt teſtari, dummodò ſufficientem habeat vſum rationis, & liberam bonorum adminiſtrationem, & non prohibeatur à Iure. Prohibentur autem à Iure: 1. Impuberes tàm maſculi, quàm fœminæ: 2. carens vſu rationis, & furioſus, qui non habet lucida interualla *l. furioſus C. qui teſtam. &c.* 3. Filiusfamilias, qui ſi ſit pubes poteſt de bonis caſtrenſibus teſtari, non tamen de aduentitijs bonis, quamuis pater conſentiat *l. qui in poteſtate ff. de teſtam. licèt Patre conſentiente de bonis aduentitijs ad pias cauſas teſtari poſſit cap. Licet de ſepulturis in* 6. Similiter ſi ſit Clericus poteſt de aduentitijs perindè, ac de caſtrenſibus liberè teſtari *Authent. Presbyteros C. De Epiſcopis, & Clericis*, & ex communi docet Abbas, quia apud Laiman loc. cit. 4. non poſſunt teſtari, qui commiſerunt aliquod delictum, cui iure annexa eſt pœna, qua ipſofacto ſunt inhabiles *l. is, cui, & ſunt illi, qui inſecuti ſunt hoſtiliter Cardinalem, aut eum cœperunt, aut percuſſerunt, aut qui ad hoc operati ſunt, vt habetur cap. felicis de pœnit. Item hæretici, & receptores, & fautores eorum, ſi intra annum non ſatisfecerint, vt pat. in Authent. Credentes*. Similiter damnati ad mortem naturalem, vel ciuilem. Vt eiecti in exilium perpetuum, & damnati ad perpetuos carceres teſtari nõ poſſunt, niſi ad pias cauſas, ſic pariter damnati in pœnam libelli famoſi: 5. Religioſi niſi ex conceſſione Summi Pontificis teſtari non poſſunt: clerici autem, qui non ſunt religioſi, teſtari poſſunt ad cauſas profanas de patrimonio, & de alijs caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus &c. non verò de ijs; quæ ex beneficiorum prouentibus congruenti ſubſtentationi ſuperſunt: 6. Surdus, & mutus à natura non poſſunt: ſecùs ſi ſit ſurdus, & mutus à caſu *l. diſcretis C. eod. tit.* Prohibentur pariter, qui non poſſunt articulatè loqui, it ut nequeant hæredem inſtituere *l. iubemus C. eod. tit.* Denique non poteſt licitè fieri teſtamentum ab Excommunicato, quia, ob communionem illi prohibitam, non poteſt neceſ-

ceſſaria peragere ad teſtamentum, vt vocare Notarium, teſtes &c. *Valet tamen ſi faciat ex communi Doctorum ſententia in cap. Veritatis de dolo, & contumacia, & in cap. decernimus de ſententia excom. in 6.* Ratio, quia non extat lex irritans teſtamenta excommunicati: teſtamentum enim habet vim ex voluntate teſtatoris, & cum nemo prohibitus ſit teſtari, præter à iure exceptos, non eſt denegandum excommunicato ob generalem communionis prohibitionem.

II. Concl. Omnes iure non prohibiti poſſunt inſtitui hæredes; etiamſi ſint Infantes, Amentes, Religioſi, & Clerici, imò & Communitas: ita communiter Doctores, & ſignanter Bonacina de contract. diſp.4.q.vlt. quia ad hoc tantùm requiritur plena poteſtas in diſponente, & capacitas in hærede. Incapaces autem ſecundùm iura ſunt in primis Apoſtatæ, & Hæretici, eorumquè receptores, & fautores, licèt probabile ſit, eos ante ſententiam Iudicis ad reſtitutionem non teneri, eò quòd hoc ius in eo rigore non ſit receptum, ita Leſſ. lib. 2. cap. 49. dub. 5. Sanchez lib. 2. cap. 14. Secundò Ciuitas hoſtium, & Communitas Iudęorum, Collegium, quod publica auctoritate non eſt erectum *l. Collegia ſ. in Summa ff. de illicitis Collegijs*. Tertiò damnatus ad metalla; item Deportatus *l. 3. ff. de ijs, qui pro non ſcriptis habentur*. Similiter perſecutores, & percuſſores Cardinalium, & qui ob crimen actiuè inteſtabiles ſunt. Quartò occiſor Teſtatoris, ſaltem per Iudicis ſententiam debet priuari hæreditate, ita Clarus ſ. homicidium. Quintò *Spurius, ſeu natus ex damnato coitu, vt habetur in Authent. licet, in fine C. de naturalibus liberis*. Denique fratres Minores, omnes, qui viuunt in puritate Regulæ, quales ſunt Reformati, Capuccini; & etiam Obſeruantes non poſſunt inſtitui hæredes; eſtò poſsit in eorum fauorem relinqui aliquod legatum, ſeu hæreditas, vt vendatur per alios, & pretium impendatur in eorum neceſsitatibus, eo modo, quo docent Doctores ſcribentes ſuper Regulam Minorum, inter quos ſignanter ſunt Corduba, & Rodriq. in qq. reg. & Marchant.

III. Concl. Filius naturalis poteſt à Parentibus, qui non habent prolem legitimam inſtitui hæres, relicta tamen aſcendentibus legitima *auth. licet C. de nat. lib.* Si verò Filius naturalis non fuit inſtitutus hæres à Patre non habente Filios legitimos, non ſuccedit Patri ab inteſtato, præter-

 quam

quàm in ſexta parte; Authent. de hęred. ab inteſtato, & DD. Quòd ſi Pater inteſtatus moriatur relictis filijs legitimis, filius naturalis non ſuccedit in ſexta parte, eſtò habens filios legitimos, vel legitimatos potuiſſet filio naturali relinquere duodecimam partem vt tradit Couar. p. 2. de Matrim. cap. 8. ſ. 4. cum multis alijs. Cæterùm Matri non habenti filios legitimos, filius naturalis ſuccedere poteſt, quamuis non confecerit teſtamentum: *At Matri habenti filios legitimos ſuccedit filius naturalis æqualiter cum legitimis ex l. ſi qua illuſtris C. ad Senat. Conſul. orficianum; & tradit Molina diſp. 116.*

IV. Concl. Spurij, qui videlicet nati ſunt ex parentibus, inter quos tempore conceptionis, vel partus erat impedimentum dirimens, non poſſunt aliquid accipere à Patre, ſiuè ex teſtamento, ſiuè ab inteſtato, ſiuè ex contractu inter viuos, quia ipſi per leges facti ſunt incapaces *l. Liber C. de natural. liber. Couar. de Matrim. cap. 8 & alij.* Item Spurius non poteſt ſuccedere matri, etiamſi proles nulla alia ſuperſit; debentur tamen Spurijs alimenta, niſi poſſint ſe aliundè ſuſtentare *Ex cap. cum haberet de eo, qui duxit in matrim. nec in hoc ius ciuile in contrarium ſeruandum eſt, vtpotè minùs conſentaneum pietati naturali.* Quare filiæ ſpuriæ debetur dos, quæ eſt loco alimentorum, etiamſi Pater eſſet Sacerdos teſte Nauar. cap. non liceat; filius Spurius legitimatus poteſt nihilominus hæres inſtitui, ſiuè factus ſit legitimus per matrimonium ſubſequens, ſiuè per priuilegium, vt tradit Couar. cap. 8. ſ. 2. & alij: imò ſi filius legitimatus fuiſſet præteritus in teſtamento, inualidum eſſe teſtamentum, niſi fortè fuiſſet legitimatus, cum hac clauſula, vt non ſuccedat in hæreditate.

Quæres. Quot modis poſſit quis ſubſtitui hæres.

Reſp. Sex modis. Primo ſubſtitutione vulgari: 2. Pupillari: 3. Exemplari: 4. Fideicommiſſaria: 5. Reciproca: 6. Compendioſa. Vulgaris eſt, qua quis à iure non prohibitus ſubſtitui poteſt à quocunque. Pupillaris eſt, qua quis proli impuberi in ſua poteſtate conſtitutæ aliquem ſubſtituit; cum enim nemo poſſit ante pubertatem condere teſtamentum, iura conceſſerunt, vt pater impuberis poſſit loco illius teſtari in ſuo teſtamento directè ſubſtituendo ei hæredem, ſi ante pubertatem deceſſerit. Exemplaris eſt, qua filio amenti, vel muto, vel prodigo, cui interdicta eſt

ad-

adminiſtratio, ſit ſubſtitutio. Fideicommiſſaria eſt, qua hæres grauatur, vt totam hæreditatem, vel partem eius, vt dimidiam, aut tertiam alteri reſtituat, qui dicitur fideicommiſſarius, ità Gomez cap. 5. & alij. Compendioſa eſt, quæ plures continet ſubſtitutiones quoad diuerſa tempora. Deniquè ſubſtitutio reciproca, quæ etiam breuiloqua dici ſolet, eſt, qua inſtituti ſibi inuicem ſubſtituuntur, vt ſi teſtator dicat, inſtituo tales hæredes, quos inuicem ſubſtituo; *Subſtitutio autem nihil aliud eſt, quàm ſecunda hæredis inſtitutio, vt Inſt. lib. 2. tit.* 25. de quibus omnibus prædictis ſubſtitutionibus agunt Doctores Legales, ad quos &c.

QVÆSTIO III.

Vtrum Pater poſſit exhæredare filios.

NOt. 1. Quòd præter ea, quæ dicta ſunt pro validitate teſtamenti, requiritur, quòd ij, qui filios in poteſtate habent, vel hæredes inſtituere, vel nominatim exhæredare debent, ad hoc vt teſtamentum ſit validum *l. inter cætera ff. de liberis, & poſthumis*, quarè homines liberi, tam maſculi, quàm fœminæ; tam in poteſtate, quàm emancipati; tàm nati, quàm poſthumi, aut expreſsè inſtitui, aut nominatim exhæredari debent, aliàs, ſi ſilentio prætereantur, teſtamentum eſt nullum: & quidem ſtatim, ſi fuerint præteriti filij iam nati, ſi verò poſthumi, tunc demum ſi naſcantur; quòd ſi nõ naſcantur, vel mulier abortum fecerit, *Valet teſtamentum §. 1. §. ſed non ita §. poſthumi inſt. de exhæred. lib.* & notat Suacc. quòd lex non ſolùm in filijs locum habet, ſed etiam in nepotibus ex filio cæteriſq; ex virili ſexu deſcẽdentibus.

Not. 2. Quòd hæreditas diuidi ſolet in duodecim vncias, ſiuè partes, quæ omnes ab vncia vſquè ad aſſem certa nomina habent: nam As duodecim vncias, & ſic totam hæreditatem ſignificat, Deunx ſignificat vndecim, Dextans decem, Dodrans nouem, Bes octo, Septunx ſeptem, Semis ſex, & ſic ſignificat dimidiã hæreditatem: Quincunx quinque, Triens quatuor, quaſi tertia pars; Quadrans tres, quaſi pars quarta, Sextans duas, quaſi ſexta pars *§. hæreditas hoc tit. & l. ſeruum §. final. ff. eod.* Modò ſi teſtator vnum tantùm hæredem inſtituit, is quàmuis ex parte tantummodo inſtitutus ſit, to-

tam nihilominùs hæreditatem accipiet, *Cum nemo poſſit decedere pro parte teſtatus, & pro parte inteſtatus, niſi ſit miles d. §. hæreditas, & l. Ius noſtrum ff. de reg. Iur.*

Not. 3. Quòd liberis, niſi iuſta de cauſa exhæredati, ſiuè præteriti ſint, debetur legitima, eaque legatis, & fideicommiſſis detrahenda, aliàs competeret proli præteritæ querela inofficioſi teſtamenti. Eſt autem Legitima liberorum iure nouo communi (mores enim poſſunt alibi variare iuxtà leges alicuius regni, ſeu prouinciæ) Triens, ſeu quarta pars bonorum, vel ſi plures, quàm quatuor liberi ſint, Semis, ſeu dimidia pars Nouella 18. cap. 1. *Inſuper extat pars, quæ dicitur falcidia, non à falce, ſed ab auctore C. Falcidio Tribuno plebis Auguſti temporibus nomen ſortita, vt inter alios notat Herinex, quæ eſt pars quarta bonorum, & iſta debet manere ſalua hæredi inſtituto, ſi vltrà illam ſit legatis grauatus, & eſt altera pars, quæ dicitur trebellianica ad exemplum falcidiæ inducta per Senat. Conſ. Trebellianum, & eſt quarta pars, quæ ſalua manere debet hæredi grauato fideicommiſſis.*

I. Concl. Filius non poteſt à Patre exhæredari abſque iuſta cauſa. Cauſæ autem, ob quas poſſit exhæredari ſunt ſequentes. Prima eſt ingratitudo, niſi filius redierit in gratiam: 2. ſi delator contra parentes inſtiterit, nempe ſi accuſauerit parentes de crimine capitali, niſi ſit aduerſùs Principem, aut Rempublicam, vel catholicam Religionem: 3. eſt procuratio, ſeu attentatio mortis Patris: 4. Si cum maleficis, vt maleficus verſetur: 5. Si copulam habeat cum Nouerca vxore ſui Patris: 6. Si Patrem furioſum curare, vel nutrire neglexerit: 7. Si filius ſit hæreticus Patre exiſtente catholico: 8. Si filius impedierit Patrem, ne conficiat teſtamentum: 9. Si Filius dilapidauerit bona parentum cum maximo diſpendio. Deniq; ſi violentas manus in Patrem iniecerit: Ita communiter Doctores.

II. Concl. Filia non poteſt exhæredari, eò quòd matrimonium contraxerit inuito Patre, vel cum indigno, quia hoc videtur repugnare libertati matrimonij: immò nec poteſt fieri ſtatutum, quo filij nubentes contra Patris voluntatem priuentur hæreditate. Verùm ſi filia turpem vitam agat priuari poteſt hæreditate Couar. cap. Raynutius de teſtam. Molina diſp. 176. Sanchez lib. 4. de matrim. diſp. 24. & alij, quod intelligendum eſt, vt notat Mallet. lib. de

Hierarchia, & Iure; dumodò filia ſit minor viginti quinque annis; Mater verò luxurioſè viuens non poteſt exhæredare filiam luxurioſam vitam agentem, quia pari turpitudinis nota afficitur, niſi mater correcta ſit tunc temporis, quo filiam exhæredat.

Cæterùm cauſa exhæredationis, vt tradit Suaccius ſuper Inſtit. ſemper à patre in teſtamento nominatim exprimi debet, & ea poſteà ſi iuſta ſit per hæredem ſcriptum probari debet, *Interim filio in poſſeſſione bonorum paternorum manente Authent. non licet C. de liberis præteritis*. Poſſet hic agi etiam de Succeſſione hæredum ab inteſtato, aut teſtamento rupto, vel irrito, quia verò id eſſet nimis longum, ideò relinquamus hanc materiam Doctoribus legalibus, ad quos præcipuè ſpectat. Nos infrà, aliqua alia magis pertinentia ad conſcientiam, & præſertim de legatis attingere ſtudebimus.

Quæres 1. Ad quid teneatur Hæres.

Reſp. Hæres tenetur ſtatim poſt aditam hæreditatem ſoluere omnia debita realia Defuncti. Ratio, *Quia hæres perſonam Defuncti repreſentat l. hæres ff. de vſucapione*. Habet tamen iuxta leges tres menſes hæres ad deliberandum, num velit hæreditatem adire, nec intra tale tempus poteſt ei afferri moleſtia à Creditoribus, vel legatarijs; & inſuper tenetur ſoluere legata ab eodem Teſtatore facta intra ſex menſes, niſi iuſto impedimento excuſetur, ita Molina, Vaſquez, & Diana part. 8. tract. 5. reſol. 53. Quòd ſi notabiliter differat præſertim ſolutionem piorum legatorum, aut negligat exequi, grauiter peccat, ac proindè tenetur damnum, quod alij ipſius culpa acceperunt compenſare, ita Diana loc. cit. cum Bonac. & alijs. Quando hæreditas non eſt ſufficiens ad ſatisfaciendum pro omnibus debitis, & legatis, tunc priùs ſatisfaciendum eſt debitis certis, quàm incertis, debitis contractis ex contractu, quàm ex delicto; priùs debitis oneroſis, quàm gratuitis, & priùs creditoribus realibus habentibus hypothecam, quàm creditoribus perſonalibus hypothecam non habentibus; legatis autem ſatisfaciendum eſt ad ratam, ſi hæreditas non ſufficiat pro omnibus. Vota ſunt præferenda legatis etiam pijs, detractis expenſis funeri neceſſarijs, non tamen vota ſunt præferenda debitis ex iuſtitia, nam vota perſoluenda ſunt ex bonis hæreditatis; *Bona autem hæreditatis dicuntur ea, quæ ſuperſunt dedu-*

deducto ære alieno l. Mulier bona ff. de Iure dotium; quòd ſi hæreditas non ſufficiat pro omnibus votis, tunc hæres ſi agnoſcat quodnam ſit votum de re meliori, debet illud exequi, & ſi non agnoſcit debet perſoluere illud, quod priùs fuit emiſſum; ſi autem hoc ignoret, & conſtet, omnia vota eſſe æquè bona, tunc electio datur hæredi, vt quod vult impleat, ideſt vel vnum, vel alterum.

Quæres 2. An parentes poſſint plus vni filio legitimo relinquere, quàm alteri.

Reſp. cum communi ſententia apud Bonacin. & Dian. quòd poteſt quis de ſuis proprijs bonis plus relinquere vni filio, quàm alteri abſolutè loquendo; debet tamen ſemper adeſſe iuſta cauſa, vt videlicet ob merita, aut obſequia maiora, vel ob aliam rationabilem cauſam, vt ſi alij habeant bona propria, vel ſint prouecti in arte, aut ſtudijs, vel commodiùs aliundè poſſint bona procurare, aliàs peccant venialiter, ſi id fecerint ex amore inordinato, & mortaliter ſi ex odio.

Quæres 3. Qualiter relicta incerta executioni ſint mandanda. Reſp. Si incertitudo ſe teneat ex parte legatarij, iure ciuili corruit legatum, quia e. g. ſunt duo eiuſdem nominis, & amicitiæ erga teſtatorem: at in foro conſcientiæ, vt docent Molina, Diana, & alij tenetur executor inter eos diuidere æqualiter, ſi in id conſentiant. Verùm legata ad pias cauſas ob incertitudinem loci, vel Eccleſiæ non fiunt caduca, ſed plerùmque pauperiori loco, vel Eccleſiæ danda erunt. Si verò incertitudo ſit ex parte rei legatæ, videndum, an terminos à natura habeat, vt v.g. Bos, & Equus, vel ab arte, & induſtria, vt Veſtis, Domus &c. ſi à natura habeat danda eſt vna ex mediocribus; ſi ab arte electio ad hæredem pertinet, qui rem in eo genere minimam dando ſatis facit. Et idem dicendum eſt de legatis in numero, pondere, & menſura conſiſtentibus, de quibus videri poteſt Laiman in tract. de Teſtamentis.

Præterea ſi acceperint ſummam pecuniæ diſtribuendam pauperibus, non tenentur executores dare illam pauperioribus, ſed poſſunt etiam dare Hoſpitalibus, Eccleſijs, quæ ornamentis indigent, Monaſterijs, vel etiam ijs, qui ſecundùm ſuum ſtatum non poſſunt viuere; ſiue tales ſint opifices, ſiuè alterius conditionis, ita Molina, Vaſquez, & alij:

dum-

-dummodò tamen non conſtet, vel ex ſignis colligatur; aliam fuiſſe intentionem Teſtatoris, quæ ſemper attendenda eſt, vt iura præſcribunt. Quòd ſi executores deſignauerint ſemel certos pauperes, non poſſe eos variare aſſerit Vuading. ſed affirmat Lugo, Diana part. 8. tract. 5. reſol. 50. & hæc mihi apparet verior, quia poſſunt occurrere motiua meliora: tum quia ſola deſignatio non tribuit pauperibus deſignatis aliquod ius, quod priùs non habebant: immò poſſunt etiam ſibi ipſis, vel ſuis Cognatis, ſi verè pauperes ſint, eam applicare, maximè ſi teſtator id agnouerit; vt tradit Diana loc. cit. cum alijs.

Quæres 4. An legata ad determinatas pias cauſas poſſint ab executore, vel Epiſcopo commutari in alium pium vſum. Reſp. Si voluntas Teſtatoris impleri poteſt iuſtè, & honeſtè, non licet, eam commutare in opus, quantumcunque melius, niſi ex diſpenſatione Pontificis, & iuſta de cauſa, *Vt colligitur ex Trident. ſeſſ. 22. cap. 6. de Reformat. vbi ſpecialiter ordinat, vt ante executionem in commutationibus vltimarum voluntatum, quæ non niſi ex iuſta, & neceſſaria cauſa fieri debent, Epiſcopi, tanquàm delegati Sedis Apoſtolicæ ſummariè, & extraiudicialiter de veritate narratorum &c.* ſupponens, vt apparet, inquit Herincx diſp. 2. q. 4. de teſtam. rem iſtam non eſſe Iuris Epiſcopalis, vt videtur opinari Vaſquez cum nonnullis alijs. *Ibidem etiam ſignificat Trident. requiri in ipſo Pontifice iuſtam, ſeù neceſſariam cauſam; aliàs omninò ſeruandæ ſunt vltimæ voluntates iuxtà l. 1. C. de Sacroſ. Eccl. & fanct. cap. vlt. voluntas 13. q. 2.* Epicheiam interpretari non alienum eſſe à defuncti voluntate, ſi mutatio fiat v. g. ſi teſtator pecuniam Eccleſiæ leget ad calices comparandos, quibus non egeat, ſed caſulis, niſi aliter expreſſè à teſtatore ordinetur. Quarè ſi ad vſum à Teſtatore deſtinatum applicari nequeunt legata, non ideò fiunt caduca, ſed arbitrio Epiſcopi, & executoris ad aliam piam cauſam applicanda ſunt, ità tamen, vt quoad fieri poteſt, defuncti voluntas impleatur: Ratio eſt, quia principaliter Teſtator intendit ea in ſalutem animæ ſuæ ad Dei honorem relinquere. Ex qua doctrina infertur, quòd ſi Teſtator pauperi determinato aliquid legauit, hic autem antè ſolutionem moriatur, hæres tenetur illud alteri pauperi dare, *Quia præſumitur legatum pium factum in beneficium animæ Teſtatoris, ac proindè deſignatio pauperis demonſtratiuè, non ta-*

xatiuè facta fuiſſe, niſi tamen aliud conſtet, vel ex circumſtantijs colligatur de Teſtatoris intentione, quæ ſi ſit dubia exequi debet per rationem aſſignatam, quia ſi ceſſat finis ſubleuationis pauperis, non tamen ceſſat finis principalis, ideſt ſubleuatio propriæ animæ. Sed quid ſi teſtator legauerit ſummam pecuniæ pro certo numero Miſſarum, & hæres dictam ſummam Sacerdoti cuidam tradiderit, & poſtea ob mortem dicti Sacerdotis fortaſsè intempeſtiuam, ſeù ob aliam cauſam, dubitet prudenter, an ſacrificia illa ſint peracta? & idem dubium poteſt habere locum etiam in Sacerdote, qui Miſſas ab alio acceptas tradidit alij Sacerdoti celebrandas, & paulò poſt moritur, ſeù ob aliam cauſam poteſt prudenter dubitare de Miſſarum celebratione.

Reſp. ad 1. cum Bardi, cui conſentit Buſembau. ſatisfeciſſe Teſtatoris voluntati, & idem reſpondendum eſſe cenſerem de Sacerdote dante alteri Sacerdoti Miſſas celebrandas, niſi benefactor expreſſerit dictas Miſſas velle celebrari ab eodem Sacerdote, cui illas dedit, quàmuis etiam in tali caſu non appareat ratio conuincens, quòd Sacerdos teneatur Miſſas alteri datas celebrare, cum rationabiliter præſumi debeat de quocunque fideli, & maximè Sacerdote, ſatis prouidiſſe ſuæ conſcientiæ.

Quæres 5. Titius facit legatum Eccleſiæ ſub conditione, ſi ibi ſepeliatur, interim accidit, quòd Titius moritur excommunicatus, vel interficit ſe ipſum, an legatum debeatur Eccleſiæ, quia ratione excommunicationis in illa non ſepelitur.

Reſp. cum Sum. Ang. quæ citat *Bart. in l. miles, & Bald. in l. ſi quis ad declinandum C. de Epiſc. & Clericis, quòd legatum adhuc debetur Eccleſiæ*; ratio quia in legato ad pias cauſas attenditur duplex fauor, ſcilicet legantis, & cui legatur. Quare licèt in notorio peccatore ceſſet fauor animæ eius, non tamen ceſſat fauor Eccleſiæ, cui reliquit. *Inſuper quia illa conditio eſt impoſſibilis, ac proindè non vitiat legatum l. obtinuit.*

Quæres 6. An Caius deputatus executor legati pro puellis maritandis; ſi tradat dotem aſſignatam ex legato puellæ à ſe corruptæ, peccet ne dum contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam, ac proindè ad reſtitutionem teneatur; immò an, & ipſa puella poſſit in conſcientia talem dotem retinere.

Reſp. Caius peccauit non ſolùm contra charitatem, ſed etiam contra iuſtitiam. Ratio, quia lædens ius alienum peccat contra charitatem, & contra iuſtitiam; ſed Caius læſit ius aliorum; ergo &c. Min. prob. Nam, etſi Caius quatenus eſt legati executor, habet liberam poteſtatem quidem, & indeterminatam eligendi puellam, non tamen in eligendo ea abuti poteſt l. fideicom. ergo Caius tribuens dotem puellæ, quam ſpe eiuſdem dotis obtinendæ induxit ad ſecum peccandum abutitur poteſtate ſibi conceſſa in perniciem Animæ propriæ, & puellæ; quod eſt contra charitatem, & inſuper peccat contra iuſtitiam, quia licèt ſit legati executor, non tamen eſt Dominus illius, ſed ſe habet velut inſtrumentum Teſtatoris, quo mediante ſic, vel ſic diſponit, ac proindè *Si à mente Teſtatoris, quæ neceſſariò eſt ſeruanda cap. vltima voluntas 13. q. 2. Authent. de nuptijs §. diſponi, & tradunt Doctores*, apertè deuiat, & contra eius mentem facit, peccat contra iuſtitiam; & per conſequens tenetur ad reſtitutionem.

Confirmatur. Etenim Teſtator legans dotem pro puellis maritandis reſpexit ad ſubleuandam honeſtarum puellarum paupertatem, nec non ad remouenda pericula cadendi à ſtatu honeſtatis, & non exhibendi fomentum ad puellarum pudicitiam violandam, & deturpandam; ergo Caius contrauenienѕ voluntati, & fidei Teſtatoris lædit eius ius; ac proindè ad reſtitutionem dotis tenetur. Ex quo fit, quòd nec etiam puella tuta conſcientia poteſt eam dotem retinere: quia *Omnis actus fundatur in potentia, & voluntate C. cum ſuper de officio Deleg.*

Quæres 7. Duo homines de communi conſenſu condiderunt teſtamentum, in quo omnia ſua bona relinquunt alicui pio operi: poteſt ne teſtator ſuperſtes, altero mortuo, teſtamentum quoad ſuam partem reuocare?

Reſp. affirmatiuè: ita Doctores communiter; & ſignánter Couar. in rubr. de teſtamentis part. 2. Gomez deciſ. 158. & vterque Molina, quos citat, & ſequitur Fernandez. in exam. theol. moral. Ratio eſt, quia teſtandi actus vſque ad vltimum mortis inſtans eſt liber, & reuocabilis; neque alius contractus illius naturam mutare valet.

Quæres 8. Ad quid tenetur, qui dolo, áut fraude alium induxit, vt ambo relinquerent bona ſua alicui pio operi eo ani-

animo, vt ſupraniuens ſuam partem reuocaret? Reſp. tenetur ad reſtituendum hæredibus teſtatoris partem eius, quam dolo extraxit in illud opus; ita ex communi tradit Fernandez cit.

Quæres 9. Conſentit Vxor, vt maritus de communibus bonis teſtamentum conderet. Mortuo marito poteſt ne Vxor teſtamentum quoad ſuam partem reuocare?

Reſp. negatiuè: ita Couar vterque Molina, Fernand. & alij: ratio eſt, quia tota illa diſpoſitio, licèt ex conſenſu Vxoris, fuit mariti, ac proindè per illius mortem abſolutè confirmatur irreuocabilis?

Quæres vltimò. An teſtamentum ſemper à teſtatore adhuc viuente ſit reuocabile?

Reſp. affirmatiuè, quia teſtamentum ex natura ſua, vt habetur etiam ex S. Scrip. ad Hebræos cap. 9. ſolùm confirmatur morte teſtatoris; quòd ſi quis iuraſſet, ſe non reuocaturum, non poteſt illud reuocare, quidquid dicant in hac parte Bart. & Gomez, & reuocando illud mortaliter peccaret, quotieſcunque non adſit iuſta cauſa tale iuratum teſtamentum reuocandi: poteſt tamen peti ad Epiſcopo iuramenti relaxatio, quòd ſi, non obtenta relaxatione iuramenti reuocaret teſtamentum; communior opinio aſſerit, eſſe validam reuocationem, vt etiam leges Luſitaniæ, teſte Fernand. tradunt. Qui plura in hac materia optat conſulat Doctores Legales, & etiam Summiſtas, præſertim Sum. Angel.

DISPVTATIO V.

De Mutuo, & Vſura.

QVÆSTIO I.

Vtrum Vſura ſit peccatum, & quo Iure ſit probibita.

NOt. 1. Quòd Mutuum *ſecundùm nominis etymologiam dicitur ab eo, quòd de meo ſit tuum l. mutuum ff. ſi certum petatur.* Mutuum autem quoad rem ſic definitur. *Eſt contractus, in quo transfertur dominium per rei traditionem cum obligatione eam reddendi in ſpecie, vel valore;* dicitur per traditionem, quia mutuum eſt vnus ex contractibus, qui re, & traditione ipſa per-

perficiuntur, & per hoc differt à Locato, Commodato, & Depoſito; & per particulam qua indicatur obligatio reſtituendi differt à donatione, emptione, & venditione: materia autem, ſeù res, quæ mutuatur debet eſſe vſu conſumptibilis, *Vt colligitur ex l. cit. vbi dicitur, obligationem mutui in his rebus conſiſtere, quæ pondere, numero, & menſura conſtant* v. g. in vino, oleo, frumento, pecunia, & ſimilibus, quàmuis à Doctoribus tradatur, mutuum poſſe fieri etiam in aliquibus rebus non conſumptibilibus. At meo videri ſi eſt mutuum debet reduci ad ea, quæ vſu conſumuntur, cum res, quæ vſu non conſumuntur, ſoleant communiter vendi, locari, commodari &c.

Not. 2. Quòd Vſura alia eſt ſpiritualis, & bona, vt notat Iacobus Vngarellus in addit. ad Summ. Angel. & ſumitur metaphoricè prò ſuperexcreſcentia bonorum ſpiritualium, quam exigit Deus à nobis, volens quòd proficiamus in bonis ſemper ab eo acceptis ad vtilitatem noſtram, non ſuam, & de hac dixit Salomon in Prouerb. cap. 19. *Fœneratur Deo, qui miſeretur pauperi, & D. Aug. ait, miſer homo, cur fœneraris homini? fœnerare Deo, & centuplum accipies, & vitam æternam poſſidebis.* Alia eſt corporalis, & iniqua, de qua in præſenti agimus: & hæc poteſt ſumi dupliciter; primò pro contractu vſurario, ſeù actione vſuraria, & ſic vſura eſt mutuatio cum pacto accipiendi aliquid ſuprà ſortem præcisè ratione mutui: 2. pro lucro vſurario, & ſic vſura eſt lucrum immediatè prouueniens ex mutuo. Inſuper Vſura quatenùs ſignificat actum ipſum peccáminoſum ſic explicatur: eſt actus, ſeù voluntas, qua quis intendit lucrum. Lucrum autem eſt acquiſitio commodi pecunia æſtimabilis, & dici ſolet etiam emolumentum aliquod.

Vſura diuiditur in mentalem, & realem, ſeù, vt alij loquuntur, in interiorem, & exteriorem, ſeù in conuentionalem, & non conuentionalem: Vſura realis, ſeù conuentionalis eſt illa, in qua intercedit pactum aliquod de lucro vltra ſortem ratione mutui: hoc verò pactum eſt duplex; aliud expreſſum, & eſt quando mutuans expreſſis verbis conuenit cum mutuatario, vt det ſibi aliquid vltra ſortem. Aliud tacitum, ſeu implicitum, & eſt quando fit conuentio non verbis expreſſis, ſed palliatis, quibus innuitur, ſe velle aliquid vltra ſortem: v. g. mutuo tibi centum; tu

autem

autem ſcis vſum communem; & hæc dici ſolet vſura palliata, quia contrahentes videntur prætendere alium contractum v. g. emptionis, locationis &c. licèt reuerà contractus ſit vſurarius. Vſura mentalis eſt, quando quis mutuat aliquid hac intentione, vt ex mutuo lucrum vltra ſortem accipiat, nullo tamen ſigno manifeſtando ſuam intentionem. Præterea aduertit Tolet. lib. 5. cap. 3. quòd vſura exterior dupliciter palliari poteſt; primò ratione pacti; quando videlicet pactum non eſt expreſſum, ſed tacitum: ſecundò ratione mutui, quando nempe mutuum non eſt formale, & expreſſum, ſed virtuale, & occultatur ſub ſpecie alterius contractus, vt v. g. cum quis vendit rem dilata ſolutione cariùs ſummo pretio. In quo caſu latet mutuum ſub ſpecie contractus venditionis; qui enim hoc modo vendit quaſi mutuat ſummum pretium emptori, vt tranſacto illo tempore reddat ſortem, & vltra illam exceſſum ſupra ſummum pretium. Idem etiam contingit in vſura mentali, vt obſeruat Caſpenſis cum Molina, & Nauar. Tunc verò vſura mentalis eſt aperta, & non palliata, quando ex mutuo formali ſolo animo intenditur lucrum, nullo pacto intercedente, & tunc eſt palliata, quando quis ex venditione dilata ſolutione, eſtò expreſsè non exigat niſi iuſtum pretium; animo tamen intendit ob dilatam ſolutionem aliquid ſupra iuſtum pretium.

Concl. Vſura eſt peccatum ex ſuo genere mortale, prohibita iure naturali, diuino, & humano: Hæc eſt de fide contra quoſdam hæreticos relatos à Caſtro contra hæreſes Verb. Vſura, qui aſſerebant, vſuram non repugnare iuri naturali, neque diuino; & in Euangelio non eſſe prohibitam; *Ita enim definitum eſt in Concil. Viennen. & conſtat ex Clementina incipienti Ex graui de vſuris*. Prob. 1. pars. Accipere lucrum pro mutuo eſt contra iuſtitiam commutatiuam, ad quam pertinet conſtituere æquale inter datum, & acceptum, vt latè dictum eſt in diſput. principiorum generalium Iuſtitiæ, & Iuris, ſed iniuſtitia eſt contra ius naturæ, & ab eo prohibita; ergo &c.

Prob. 2. pars. In vtroque teſtamento S. Scrip. vſura expreſsè prohibetur. nam in Pſal. 14. dicitur: *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo? qui pecuniam ſuam non dedit ad vſuram, & in Pſal. 54. Inter mala ciuitatis refertur, quòd in plateis non defecerunt*

runt vſura, & dolus, & Luca cap. 6. Mutuum date nihil indè ſperantes. Prob. 3. pars Concil. Nicænum 1. *can.* 18. *Seueriſſimè prohibet vſuram, & Concil. Lateran. non ſolùm prohibet, ſed etiam vult Iudæos compellendos eſſe ad reſtitutionem, & lex Eccleſiaſtica apertè prohibet, ac dãnnat vſuram, vt habetur* 14. *q.* 3. & 4 *nec non in Decretalibus tit. de vſuris, & Clement pariter de vſuris*, ergo à primo vſque ad vltimum habemus. vſuram eſſe prohibitam iure naturali, Diuino, & Eccleſiaſtico.

Arg. cont. 2. concl. Deus permiſit Iudæis, & Gentilibus, vt alienis à gente ſua ad vſuram darent, ità in Deuteron. cap. 23. *Non fœnerabis fratri tuo &c. ſed alieno, & cap.* 15. *Fœnerabis gentibus multis, & ipſe à nullo accipies mutuum*: hinc etiam modo Iudæi deducunt poſſe à chriſtianis tanquàm ab alienis dare ad vſuram; ergo non eſt contra legem diuinam, dum ipſa lex vſuram approbat.

Reſp. cum D Thoma 2. 2. q. 78. art. 1. Deum permiſiſſe Iudæis vſuram ab alienigenis accipere in foro tantùm externo, quatenus Deus non impoſuit pœnam dantibus ad vſuram. Verùm meliùs videntur reſpondere Franciſcus de Platea, Marchant. & alij cum D. Ambroſio lib. de Tobia cap. 15. Qui per alienum intelligit non ſimpliciter alienigenam, ſiuè gentilem, ſed gentes hoſtiles, vt Amalecitas, Amorrhæos, & Chananæos, quorum bona iure belli, Deo permittente, erant Iudæorum, & ſic vſuras exigebant ab eis tanquàm ab hoſtibus, & iniuſtis poſſeſſoribus: ait enim Ambroſius: *Vſuram exige, cui meritò nocere deſideras, cui iure inferuntur arma, & ab hoc vſuram exige, quem non ſit crimen occidere &c.* ergo vbi ius belli, ibi etiam ius vſuræ. Quarè abutuntur hoc loco Iudæi, dum putant ſe poſſe quibuſcunquè extrà ſuam nationem ad vſuram dare: hæc quo ad primam ſcripturam allatam. Quòd attinet ad ſecundam, dicit Marchant. quòd illa ſcriptura non fauet vſuris; quia fœnerari ſimpliciter apud Hebræos ſignificat mutuare.

Arg. 2. cont. 5. concl. Ius ciuile permittit vſuras, & ad eas concedit actionem, ſi tamen per ſtipulationem de eis conuenerit *l.* 1. *C. de vſuris*, ergo lege humana vſura non videtur prohibita, ac proindè nequè eſt contra ius naturale; non enim eſt credendum id latuiſſe ſapientiſſimos Iuriſperitos. Reſp. Quoſdam Iuriſperitos putaſſe vſuras moderatas eſſe licitas, quatenus non puniuntur in foro ciuili, vt

Vi-

vitentur maiora incommoda; prout in aliquibus locis non puniuntur qui ex ſuis locis faciunt lupanaria. Cæterùm *Ius ciuile hac in parte abrogatum eſt per ius canonicum; nam Clementina vnica de vſuris excommunicantur Iudices cogentes ad ſolutionem vſurarum.*

Dices. Nemo tenetur ex iuſtitia ad præſtandum mutuum, ergo poteſt exigere aliquid præter ſortem, cum ipſe ſe priuet ſua re ad alterius commodum.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Ratio eſt, quia, licèt nemo teneatur ex iuſtitia dare mutuum proximo, etſi aliquando ex charitate poſſit eſſe obligatio; attamen ſi mutuat, gratis mutuare debet. Vndè ſecluſa graui neceſſitate eſt purum conſilium dare mutuum. Verùm eſt annexum præceptum de non exigendo vſuras, ideoquè dicit Scriptura. *Date mutuum*; quæ verba indicant conſilium; & deinde ſubdit; *nihil inde ſperantes*, quæ indicant præceptum, vt patet ex dictis. Cæterùm ex tradita doctrina colliguntur iuxta communem Doctorum ſententiam duæ regulæ generales ad cognoſcendum quando contractus ſit vſurarius, & quando non. Prima eſt. *Quandocunque in contractu mutuum interuenit, ſiue formale, & expreſſum, ſiue virtuale, & implicitum, & ex eo lucrum accipitur, talis contractus cenſeri debet vſurarius; niſi aliquo iuſto titulo excuſetur*, de quibus in ſeq. quæſt. Secunda. *Omne pactum, vel grauamen, ſiue onus additum mutuo præter id, quod ei proprium, & intrinſecum eſt, reddit contractum vſurarium; niſi pariter excuſetur aliquo iuſto titulo.*

QVÆSTIO II.

Quibus titulis liceat mutuanti aliquid vltra ſortem accipere à Mutuatario.

NOt. 1. Quòd tituli, quibus licet mutuanti aliquid vltra ſortem accipere à Mutuatario ſunt tres; nempe lucrum ceſſans, damnum emergens, & periculum ſortis. Damnum emergens dicitur, quando quis detrimentum patitur in rebus, quas habet, vel quæ ipſi debentur, vt cum quis ratione mutui, quod alteri præſtitit, cogitur ipſe pecuniam fœnore accipere, & vſuram ſoluere, vel res ſuas minoris vendere. Lucrum ceſſans dicitur, quando quis impedi-

ditur ab aliquo bono conſequendo, ſeu à lucro, quod illi non erat debitum. Periculum ſortis eſt, quando quis probabiliter timet periculum perdere ſortem, vel in toto, vel in parte, vel moleſtias in illa recuperanda. Quidam Doctores referunt, Scotum non admiſiſſe; immò negaſſe in 4. d. 15. q. 2. Titulum damni emergentis eſſe iuſtum, ſed vel non viderunt Scotum, vel non attentè ipſum legerunt, nam Scotus loc. cit. *Apertè docet, quòd quandoquè licet accipere aliquid vltrà capitale ex pacto; idquè tripliciter fieri poſſe: Secundus verò modus, quo id licet, ait Doctor, eſt ratione intereſſe*; debitor enim, ex cuius ſolutione creditor notabiliter damnificatur, tenetur de iuſtitia ſatisfacere creditori de intereſſe; nomine autem intereſſe iuxta communem ſignificationem venit damnum emergens.

Not. 2. Quòd mutuum debet eſſe vera cauſa lucri ceſſantis, aut damni emergentis, aut periculi ſortis, & damnum debet eſſe verum, & certum, & non fictum, aut tantùm probabile, vt certò computetur, & deducatur in ſortem; vndè vbi eſt tantùm probabile, vel contingens, non poteſt niſi ſub conditione deduci, & computari, nimirum ſi accidat, ſi eueniat: ita ſentit Marchant. etiam de periculo, de quo tamen eſt opinio ſatìs probabilis in contrarium, vt infra patebit, nec poſſe in pactum deduci totum lucrum ceſſans, quia cum hoc adhuc ſit incertum ob multiplex periculum, quo poſſet impediri, non tantum valet in ſpe, quantum in re. Deinde detrahi etiam debent labores, & expenſæ, quæ fieri ſolent in negotiatione, vel alia re, qua lucrum acquireretur, licèt de laboribus varient Doctores, quia, aiunt, plures mallent illos labores pati, quàm diminutionem lucri, aliàs vix quidquam ratione lucri ceſſantis accipi poſſet, vt notat Stephanus à S. Paulo in ſua Theologia morali; quoad periculum autem monent Doctores non plus poſſe accipi quàm vellet ipſemet dare, vt ſimile periculum ſibi imminens redimeret: deniquè aduertunt Doctores, quòd mutuans debet exprimere mutuatario id, quod prætendit ratione iuſti tituli; quòd ſi nequè damnum ipſum, nequè periculum damni deduxit in pactum, mutuatarius non tenetur quidquam pro eo ſoluere, etſi poſtea euenerit: modò ipſe non fuerit in mora ſoluendi, quia nec tenetur ratione pacti, nec ratione culpæ, ſed mutuans

hoc

hoc ipſo, quòd non deduxit in pactum, cenſetur illud in ſe recipere.

I. Concl. Mutuans, etiamſi ſponte mutuet, poteſt licitè, & citra vſuram in pactum deducere lucrum ceſſans, quo pacto ſuppoſito mutuatarius tenetur in conſcientia ſoluere lucrum ceſſans: hæc eſt communior, & probabilior ſententia contra nonnullos Thomiſtas, & præſertim Sotum citantem pro ſe D. Thomam: eſt tamen Scoti in 4. d. 15. q. 2. Prob. Huiuſmodi lucrum ceſſans eſt pretio æſtimabile, & mutuatarius eſt in cauſa, vt tale lucrum ceſſet mutuanti ratione mutui, ſed mutuator non tenetur mutuare cum ſuo damno, & intereſſe, vt docet Scot. & conſentiunt alij, ergo poterit mutuans licitè petere compenſationem illius per pactum in quocunque euentu, ſiuè inuitè, ſiuè ſponte mutuet: ex quo ſequitur, quòd, cum pactum licitum inducat obligationem, ſuppoſito tali pacto, mutuatarius tenebitur etiam in foro conſcientiæ ſoluere lucrum ceſſans; ità Alenſ. Richard. Monaldus in ſum. & communiter Recentiores omnes. Prob. inſuper. Nam tradens pecuniam lucro deſtinatam, tradit quodammodo etiam lucrum in illa latens; licèt enim pecunia ex Ariſt. 1. Polit. ſit ſterilis; attamen per induſtriam eſt velut ſemen fœcundum lucri; ergo licitè mutuans talem pecuniam poteſt petere ſibi recompenſari lucrum ceſſans.

Cæterùm vt ſupradicta ſint vera requiruntur tres conditiones: prima, vt hæc mutuatio ſit vera cauſa lucri ceſſantis, ideſt quòd mutuetur pecunia deſtinata negotiationi, vel emptioni rei frugiferæ: quòd ſi mutuans habeat pecuniam otioſam, quam commodè ſubſtituere poteſt abſque periculo damni in locum pecuniæ mutuatæ, & eidem lucro deſtinare, non tenebitur mutuatarius ſoluere lucrum ceſſans. Notanter dicitur commodè, nam etſi habeat aliam pecuniam repoſitam, & reſeruatam ad alios fines, vt ad familiam alendam, filias dotandas, vel ad euitanda infortunia paſſim occurrentia, quam proinde non vult propter lucrum in aliquod diſcrimen conijcere, poterit mutuans etiam in his caſibus, & ſimilibus pro lucro ceſſante paciſci, quia reuerà mutuatio illa cenſetur cauſa, cur lucrum illud ei ceſſet, quod per dictam pecuniam ſperabat; ita diſcurrunt communiter Doctores; ſi autem reſeruet pecuniam

illam ex auaritia, aut puſillanimitate, reuerà non ceſſat ſibi lucrum, vt notat Herincx, quia tunc ceſſaret lucrum ex propria voluntate. Secunda vt non tantùm exigatur, quantum lucrum ſperatum, ſed minùs, vt ſupra indicauimus. Tertia denique conditio, quòd compenſatio lucri ceſſantis non exigatur ſtatim dato mutuo, ſed conuenienti interuallo; vt ſi v. g. ex mutuo centum Florenorum debeantur mutuanti decem, nomine lucri ceſſantis. quia, vt bene diſcurrit Beccan. cum Medina; ſi ſtatim velit reddi decem; iam in re non mutuat alteri centum, ſed tantùm nonaginta, ac proinde tantum exigit pro lucro ceſſante ex nonaginta, quantum ex centum, quod apertè eſt iniquum.

II. Concl. Mutuans poteſt licitè accipere aliquid vltrà ſortem, ratione damni emergentis, quod patitur ex eo, quòd mutuatarius ſit in mora ſoluendi poſt terminum ſolutioni præfixum, ſiuè hoc deducat mutuans in pactum expreſsè, ſiuè non; immò ipſum mutuatarium teneri in conſcientia huiuſmodi damnum reſarcire: ità vtraq; Schola cum D. Thoma, & Scot. ratio eſt, quia æquitas non poſtulat, vt mutuator alteri ſubueniendo damnum notabile patiatur, ſed ſic eſt, quòd damnum pateretur, ſi non poſſet ſic paciſci, & mutuatarius iniuſtè debitum retinendo eſt cauſa damni, quod mutuans patitur; ergo mutuatarius in conſcientia tenetur illud reſarcire iuxtà doctrinam, quam Doctores colligunt *Ex text. in cap. Prouenit de fideiuſſoribus, vbi decernitur, quòd cum fideiuſſor pro principali debitore ſoluit, tenetur debitor ad omnia damna reſarcienda, quæ per huiuſmodi ſolutionem patitur*. Similiter idem dicendum eſt, vt videtur indicare Scotus loc. cit. etiamſi mutuans tale damnum non deduxit in pactum, & re ipſa ſequatur, ex eo quòd mutuans fuit in mora ſoluendi poſt terminum ſolutioni præfixum: & ratio eſt, quia quando in contractibus terminus ad ſoluendum præfigitur, tacitè cenſetur pactum hac lege initum, vt qui non ſoluerit intrà illum terminum, teneatur ad intereſſe ex defectu ſolutionis proueniens *l. 2. §. Non vtique*: hoc autem intelligendum eſt, ſi mutuatarius ſit in mora culpabili ſoluendi, nam ſi abſquè ſua culpa, præfixo tempore, mutuatarius debitum non ſoluat, in tali euentu ex æquitate non cenſetur contractus debitorem obligare, niſi fortè id expreſsè in pactum deducatur.

Verùm controuertitur à Doctoribus, an pro damn o emergente ante terminum ſolutioni præfixum licitè poſſit mutuans aliquid vltra ſortem accipere, ſi hoc cum mutuatario in pactum non ſit deductum: & quidem quamplures Scotiſtæ affirmant, mutuatarium etiam in tali caſu teneri in foro conſcientiæ aliquid vltrà ſortem ſoluere: ità ſignanter Faber, & Hiquæus Scoti commentator; vt obſeruat Maſtrius, contrarium tenet Scotus, & cum eo, nec non cum D. Thoma tradit communior, & probabilior ſententia; ratio quia ſi damnum emergens, vel periculum eius ante terminum ſolutioni præfixum in pactum deduceretur, fortaſsè mutuatarius nollet cum eo onere mutuum accipere, & licèt mutuatarius tacitè ex mutui contractu teneatur ad damnum, quod ex mora mutuans patitur, vt ſuprà dictum eſt, non tamen tenetur ad damnum, quod patitur mutuator intrà terminum præfixum ad ſoluendum, ac proindè cenſetur mutuator, nec recepiſſe, nec obligari ad tale damnum.

III. Concl. Licitum eſt in Mutuo aliquid vltra ſortem accipere ratione periculi amittendi capitale, vel illud recuperandi cum expenſis. Hæc eſt communiter ſententia contra Nauar. in ſum. cap. 23. & Sot. de Iuſtitia, & Iure q. 4. art. 1. Petrum Marchant. & quoſdam alios, eamquè videtur docere expreſsè Doctor ſubtilis, vt notat Maſtr. in Theol. Moral. diſp. 5. de contract. q. 2. art. 3. nam Scot. loc. cit. aſſignans tertium modum, quo licet aliquid recipere vltra ſortem ex mutuo, ait eſſe, quando capitale, & illud ſuperfluum, quod ſupra ſortem principalem accipitur, ponitur ſub incerto, ſiuè exponitur periculo; quod probat *Argumento à ſimili ex cap. Nauiganti extra de Vſuris caſu 3. qui eſt quando quis vendit pannos, & alias merces, vt amplius accipiat tempore conſtituto, quàm valebant tempore venditionis, & ait id licitum eſſe ratione dubij, & hac de cauſa talem ab vſura excuſari;* ſicut ergo in venditione, quæ fit credita pecunia poteſt aliquid accipi ob periculum amittendi creditum; ita pariter quando quis mutuat pecuniam alicui, & eam periculo exponit, ſeu incertitudini, & dubio quoad capitale, poteſt citra vſuram aliquid recipi ſupra ſortem: & confirmatur paſſim à Doctoribus hac ratione, quia huiuſmodi pericula ſunt pretio æſtimabilia, nec mutuator tenetur gratis illa

ſubi-

ſubire, vt ſi mutuet homini non ſatìs noto, aut dubiæ fidei, vel ſi probabiliter timeat magnas moleſtias in ſorte recuperanda, ergo poteſt aliquid accipere ob huiuſmodi pericula: idquè verum eſt, etiamſi reuerà nullum poſtea damnum patiatur, quia quod accipit vltra ſortem non pro damno actuali, ſed pro periculo damni, cui mutuans exponitur, accipit. Prob. denique à paritate fideiuſſoris; nam is poteſt aliquid exigere ab eo, cui fideiubet ob ſolum periculum, quod in fideiuſſione ſubit, eſtò fideiuſſio ſit contractus gratuitus; ergo & mutuator ob ſimile periculum poteſt aliquid recipere ab eo, cui mutuat citra labem vſuræ. Hæc eadem doctrina militat etiam in contractu commodationis, quia ſi timeatur res accommodata perire, aut deteriorari ex negligentia Commodatarij, commodans aliquid exigere poteſt ratione periculi; ita diſcurrunt omnes Scotiſtæ, teſte Maſtrio loc. cit.

At ne mutuans labem vſuræ contrahat ſeruare debet has conditiones. Prima: vt periculum, cui res mutuata exponitur, ſit verum, ex quo probabiliter timeatur incommodum, non imaginarium, & fictum. Secunda eſt, vt mutuatarius non cogatur ad hanc obligationem ſuſcipiendam, ſed eius arbitrio relinqui debet, vt vel per hanc obligationem, vel per fideiuſſionem, vel per pignus, vel alio modo mutuantem aſſecuret de pecunia; & denique obſeruet alias conditiones paulò ſuperiùs aſſignatas.

Arg. cont. 3. conc. *Ex cap final. de vſuris, vbi ſic habetur. Nauiganti, vel eunti ad nundinas certam mutuans pecuniæ quantitatem, pro eo quòd ſuſcipit in ſe periculum, recepturus aliquid vltra ſortem, vſurarius eſt cenſendus:* ergo clarè ex his verbis infertur licitum non eſſe in mutuo vltra ſortem aliquid recipere.

Reſp. Laborant Doctores, vt adæquatè reſpondeant textui allegato; mihi tamen magis probatur reſponſio quorundam Theologorum, ac Iuriſperitorum, & ſignanter Tuldeni in C. de nautico fœnere, qui cenſet textum eſſe vitiatum, adeoque legendum eſſe. Vſurarius non eſt cenſendus. Rationem euidentem huius erroris dant Medina, Faber, & Herinex, quia non eſt veroſimile Pontificem in tribus caſibus capite illo adductis ſibi contradicere; cum igitur in ſecundo, & tertio caſu ſibi propoſitis reſpondeat poſſe in venditione, dilata ſolutione, aliquid vltra iuſtum

 pre-

pretium recipi abſque vſura, ratione dubij, & periculi, cenſendum non eſt hoc negare voluiſſe in primo caſu, cum eadem ratio reperiatur in primo ac in ſecundo, & tertio; & hoc indicat contextus, in quo alia exempla ſubiunguntur.

Quæres 1. An pecunia locari poſſit, & per talem locationem aliquod lucrum accipi poſſit.

Reſp. affirmatiuè ex Scoto. Nam etiam pecunia, ſicut & aliæ res corporales, etſi rarò, ſoleat locari: Siquidem pecunia ex ſui natura apta eſt ad ornandum aliquem; ad oſtendendum, eſſe diuitem, & ſimilia: quo pacto talis pecuniæ traditio non eſt mutuatio, ſed locatio, & reſtitui debet eadem in numero, & pondere, niſi fortè locanti placeat reſtitui æqualis in pondere, & valore; ita etiam tradit Aſteſanus lib. 3. tit. 11. art. 4.

Quæres 2. An ſit vſura fructus pignoris pro Mutuo dati vltra ſortem accipere.

Reſp. affirmatiuè, vt patet *Ex cap. 1. & 2. de vſuris, vbi decernitur, quòd ſi aliquis alicuius poſſeſſionem data pecunia mutuò acceperit in pignus, ſi ſortem ſuam deductis expenſis de fructibus iam perceperit, teneatur poſſeſſionem debitori reſtituere:* ratio, quia tunc fructus percipiuntur ex re aliena; dominium namque pignoris eſt apud illum, qui rem dedit in pignus, ac proindè non poſſunt recipi vltra ſortem abſque vſura, & hæc ratio militat etiam in mutuo virtuali, nempè quando datur pignus, interim dum pretium rei venditæ non ſoluitur, vel dum res empta non traditur, vnde ſit regula generalis: *Quotieſcumque fructus pignoris percipiuntur pro dilatione temporis, quia in his euentibus eſt mutuum virtuale. & non adeſt titulus, ratione cuius poſſint percipi in mutuum, creditor tenetur huiuſmodi fructus in partem ſortis computare.*

Verùm excipiuntur duo caſus; primus habetur *In cap. Conqueſtus de Vſuris, vbi dicitur, quòd ſi feudatarius dat in pignus rem, quam feudo habebat proprio Domino, tunc fructus talis rei non debent ab ipſo domino in ſortem computari, dummodo ſeruitium feudi interim remittat;* ratio huius nulla alia aſſignari poteſt, niſi ipſa res feudi, quia videlicet à principio huiuſmodi contractus cum hac conditione celebrari cœpit explicitè, vel implicitè, vt ſi res feudo data rediret in poteſtatem domini, etiam per modum pignoris, fructus illius pro eo tempore ad proprium dominum pertinerent; vnde Nauar. ait, quòd in hoc

cuen-

euentu dominium vtile conſolidatur cum directo, quoties res feudi redit ad dominum; 2. habetur *In cap. ſalubriter de vſuris, vbi decernitur, quòd quando Socer non dat ſtatim Genero dotem promiſſam, ſed pignus fructificans interim dum non ſoluit dotem, non tenetur Gener fructus pignoris, quos recipit in ſortem, computare, ſed illos poteſt licitè recipere citrà vſuram, & poſtea dotem integram, cuius hanc rationem reddit Pontifex, quia nimirum frequenter dotis fructus non ſufficiunt ad onera matrimonij ſupportanda.*

Quæres 3. An vidua anno ſuæ viduitatis poſſit accipere fructus pignoris, dum ſoluitur dos.

Reſp. Nonnulli exiſtimant tantùm poſſe illos accipere ratione lucri ceſſantis, & damni emergentis: Alij verò cenſent poſſe illos recipere pro alimentis; hoc enim videtur rationi, & iuri conſonum, nàm lex dat hæredibus mariti mortui hoc priuilegium, vt non teneantur dotem reſtituere vſque ad annum poſt mortem mariti, ac proindè ſi nolit remanere legitima cauſa in eadem domo, tenentur hæredes ei ſubminiſtrare alimenta; poſt annum autem à lege indultum non poteſt Vidua recipere ob dotem non ſolutam aliquid à moroſo hærede, niſi ratione intereſſe: ità communior cum Philiarco; ſed de hæredibus, qui habent pignus datum à Socero Generi iam mortuo, an poſſint illud retinere vſque dum ſoluatur dos. Reſp. cum Franciſco de Platea, quòd eſt diuerſa ratio in marito, & hæredibus; nam hæredes ſtatim poſſunt reddere pignus obligatum pro dote, quia ſoluto matrimonio deſinit eſſe dos.

Quæres 4. An liceat in Mutuo apponere pœnam ſoluendam à mutuatario, niſi tempore præfixo ſoluerit.

Pro reſponſione ad quæſitum aduertendum, quòd pœna huiuſmodi appellari ſolet pœna conuentionalis, quia eſt pactum mutuantis cum mutuatario; vt ſi termino præfixo non reddat ſortem, ſoluat aliquid vltra eandem ſortem. Solet etiam aliquando apponi aliqua conditio, cui partes ſtare debent, & dicitur lex commiſſoria, quæ nil aliud eſt, quàm conditio addita contractui, vt ille reſcindatur, ſi contra pactum aliquid committatur; quæ quidem lex poteſt apponi varijs contractibus. Igitur ad quæſitum dicendum cum Scoto in 4. d. 15. q. 2. art. 2. quòd eſt licitum apponere talem pœnam; ac proindè ſi mutuatarius non ſoluat tempore determinato, poteſt mutuans illam exige-

re. Ratio, quia licet me ſeruare indemnem, ſic præmonendo mutuatarium, cum quo contraho; & hæc eſt communis opinio recentiorum, quos refert Bonac. diſp. 3. q. 3. punct. 7. & probat, quia mutuatarius exiſtens in mora peccat contra iuſtitiam; adeòque dignus eſt aliqua pœna ex conuentione partium, dummodò pœna ſit iuſta: tum quia non ſolùm ad ſuperiorem pœnas imponere ſpectat, ſed etiam ad priuatos de ipſorum conſenſu; quilibet enim eſt rerum ſuarum moderator, & arbiter; hoc tamen diſcrimine, quòd Superior pœnam imponere poteſt ſubdito etiam inuito, priuati verò contrahentes non niſi de partis conſenſu prout habetur in cap. ſuam de pœnis, & l. ſi pacto. Verùm, vt talis pœna contractui mutui appoſita ſit iuſta, *Tres conditiones ex Scoto deſiderantur, quas etiam Recentiores paſſim recipiunt. Prima eſt. Quòd pœna ſit moderata, & culpæ proportionata: 2. quòd pœna non apponatur in fraudem vſuræ: vt Scot.* monet, id eſt vt non apponatur contra voluntatem mutuatarij ad palliandam vſuram, vt contingit, quando mutuator apponit, vt aliquid ratione mutui exigere poſſit ad vſuram palliandam, quod diſcerni poteſt, quando mutuans magis vellet pecuniam ſibi ſolui die præfixo, quàm in craſtino cum pœna ſibi adiecta; & per oppoſitum eſt in fraudem, quando vult diem tranſire potiùs, quàm pecuniam ipſo die ſolui: *3. Vt mutuatarius reuerà ſit in mora culpabili ſoluendi; & notat Beccan. quòd debet eſſe mora notabilis*; non enim vnius diei interuallum ordinariè ſufficere videtur ad pœnam incurrendam; nihilominùs qualitas negotij, & mos Prouinciæ ſpectandus eſt. Cæterùm, an talis pœna ſit ſoluenda à mutuatario ante ſententiam Iudicis, variant DD. alij affirmantes, alij negantes, & quidem omnes probabiliter.

Quæres 5. An ſi quis debeat ſoluere Titio centum ducata poſt tres annos, ita ut priùs non teneatur, & ſoluat ad præſens, cum pacto quòd retineat ſibi quindecim, vel decem ducata ob intercurrens tempus trium annorum, quorum terminum præuenit, ſit reuerà vſura illud tempus vendendo. Reſp. Franciſcus de Platea cum Gerardo Odone Minorita Patriarcha Antiocheno, quòd poteſt ſibi retinere quindecim ducata, quia præuenit tempus ſolutionis. Ratio, quia iſtud tempus eſt ſui iuris, & idcircò Titius poteſt vendere valorem illius, & alius emere, *Facit ad hoc lex ſi conſtan-*

ſtante §. quoties ff. ſolut. matrim. Si enim tempus illud nihil valeret, non amplius eſſet teneri ad mox ſoluendum, quàm teneri ad ſoluendum vſque ad poſt tres annos, & non ante. Si autem obijcias, quòd qua ratione pecunia mutuata nihil vltrà ſe valoris vendibilis habet, eadem ratione nec pecunia ad tres annos ſoluenda, & ideò vendere tempus eius quindecim ducatis videtur vſura: Dicendum quòd hic non venditur pecunia, ſed ſolutionis ipſius tempus, quod vtique eſt vendentis, & è conuersò: tempus autem pecuniæ mutuatæ non eſt præſtitoris pecuniæ, ſed receptoris, ſcilicet vſque ad terminum ſibi præfixum; ideòque ſibi vendi non poteſt ſine vitio vſuræ. Si verò is, qui tibi poſt tres annos tenetur ſoluere, mutuaret tibi octoginta ducata; tunc indubitanter vſura foret, eò quòd venderet tibi tempus pecuniæ mutuatæ.

QVÆSTIO III.

Vtrum ob carentiam pecuniæ liceat in Mutuo aliquid vltra ſortem accipere.

NOt. Quòd pecuniæ pretioſitas ex communi doctrina attendi poteſt, vel penes hominum æſtimationem, quo ſenſu pecuniæ pretioſitas nil aliud importat, quàm quandam maiorem æſtimationem, nam pluris faciunt homines pecuniam præſentem, quàm numerandam; huiuſmodi autem æſtimatio, ſiuè maior, ſiuè minor, nec auget, nec minuit pecuniæ valorem, cum conſiſtat in quadam humana opinione, quæ nec rei qualitatem, nec ſubſtantiam mutat: vel attendi poteſt penès valorem pecuniæ, vt pecunia eſt, & ſic ſiuè ſit præſens, ſiuè futura non habet maiorem pretioſitatem in ſe; Tempus ſiquidem præſens, vel futurum nil pretioſitatis ſuperaddit, vel adimit pecuniæ, alioquin emeretur, & venderetur tempus. Quare ad Principes ſpectat augere, vel minuere monetæ valorem, non quidem ad libitum, ſed prout ratio, & iuſta politia poſtulat.

Cæterùm non defuerunt, qui auſi ſunt aſſerere ob pecuniæ carentiam mutuò datam licitum eſſe aliquid vltra ſortem accipere, eo fundamento ducti, quia pecunia præſens

pluris valet, & æſtimari ſolet, quàm futura; ſicut enim in alijs rebus, & oneribus poteſt aliquod pretium imponi, ita etiam oneri carendi ſua pecunia tanto, vel tanto tempore videtur poſſe imponi aliquod pretium; ita Diana part. 1. tract. 8. reſol. 49. vbi partem benignam, & affirmatiuam ait ſibi videri probabilem, nam & probabilis viſa eſt Azorio, Caiet. Armil. Petro de Ledeſma, & denique Caramuel; qui ſic diſcurrit in Theol. fundam. Si tanti valet numerata pecunia, quanti numeranda, & è contra cum hæc ſit veritas practica, & ab experientia pendens, tantum emere in foro potero numeranda pecunia, quantum numerata; at euidentiſſimum eſt, hoc eſſe falſum, ergo euidentiſſimum eſt, numeratam pecuniam eſſe meliorem, & maioris valoris. Si autem negas vis te, & omnes eſſe cœcos, & erras defectu ſolius experientiæ, vade obſecro ad nundinas cum tua pecunia futura: & videbis, an eodem pretio ſis habiturus ſingula, quo habent, qui præſentem exponunt. Verùm ſe eſſe cœcum, & non alios ex oppoſito diſcurrentes, Caramuel ſe oſtendit, vt in ſequenti concluſione ſtatuetur.

Concl. Non licet ob pecuniæ carentiam aliquid ſupra ſortem accipere, & oppoſitum dicere eſt damnatum ab Innoc. XI. & eſt quadrageſima prima inter damnatas, quæ ſic iacet. *Cum numerata pecunia pretioſior ſit numeranda, & nullus ſit, qui non maioris faciat pecuniam præſentem, quàm futuram, poteſt creditor aliquid vltra ſortem à mutuatario exigere, & eo titulo ab vſura excuſari.* Accedit ratio euidens, quia pecuniæ carentia ad tempus eſt de eſſentia mutui, & prorſus inſeparabilis à mutuo, ſiquidem qui dat mutuo ſuam pecuniam, alienat illam à ſe, & dat alteri, ergo neceſſariò ea caret, ac proindè ratione mutuatæ pecuniæ, quia eam præſentem non habet, ab vſura excuſari non poteſt.

Confirmatur, etenim prætendere aliquid ſupra ſortem ob pecuniam mutuatam, quia pecunia præſens eſt pretioſior numeranda, eſt prætendere aliquid ſupra ſortem præcisè ratione mutui, quod eſt damnatum in Concil. Viennenſi; ergo non licet &c. Hinc patet falſitas huius alterius propoſitionis damnatæ ab Alexand. VII. *Licitum eſt mutuanti aliquid vltra ſortem exigere, ſi obliget ad non repetendum ſortem vſque ad certum tempus.* Itaque fateatur Caramuel cum alijs ſupra relatis non licere ratione mutui præcisè aliquid ſupra ſortem re-

recipere ac proindè nec ob carentiam pecuniæ, quæ quidem carentia eſt inſeparabilis à mutuo: vnde non oportet ad nundinas ire ad hoc videndum; cum ibi ſubſint plerumque iuſti tituli, nempe lucrum ceſſans, & periculum ſortis.

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat in Mutuo vltra ſortem aliquid exigere tanquàm ex beneuolentia, & gratitudine debitum.

NOt. Quòd ſigna amicitiæ, ſeu beneuolentiæ, & gratitudinis ſunt duplicis generis: alia generalia, qualia ſunt amicum, & gratum ſe oſtendere erga benefactorem, quando, & vbi occaſio tulerit, re, vel obſequio beneficium acceptum reddendo, vel recompenſando, alioquin cenſeretur beneficij immemor, ac proinde ingratus iuxta illud Senecæ lib. 3. benef. cap. 1. *Ingratiſſimus omnium eſt, qui beneficij oblitus eſt*. Alia ſunt ſigna ſpecialia, & determinata, vt hæc, vel illa ſigna beneuolentiæ, & gratitudinis in particulari oſtendere.

Concl. Nec ſigna primi generis, nec ſigna ſecundi generis poſſunt in pactum deduci: ita videtur determinatum ab Innoc. XI. in propoſitione, quæ inter damnatas eſt 42. & eſt huiuſmodi. *Vſura non eſt dum vltra ſortem aliquid exigitur, tanquàm ex beneuolentia, & gratitudine debitum, ſed ſolùm ſi exigatur tanquàm ex iuſtitia debitum*. Suffragatur ratio, quia gratitudo eſt virtus moralis inclinans ad beneficij accepti æſtimationem, & repenſionem; beneficium autem eſt res donatario gratis donata, & per conſequens excluditur à gratitudinis virtute omne debitum; nam ly gratis tollit omne id, quod habet rationem debiti, quòd ſi ſubeſſet debitum eſſet merces, ſolutio, & compenſatio; agnoſcit ſiquidem gratitudinis virtus debitum non legale, & in iuſtitia fundatum, ſed morale, & in ſola honeſtate morum repoſitum, quod obligat beneficiatum, non quidem ad ſigna ſpecialia, ſed generalia, prout prudentia dictat, hoc eſt pro ratione loci, temporis, & aliarum circumſtantiarum, & prout ſibi commodum fuerit; quòd ſi etiam concederetur in aliquo caſu tales adeſſe circumſtantias, vt mutuatarius ex gratitudine, vel ſaltem ex morali honeſtate obligatus cenſeatur

huiuſ-

huiuſmodi officium, vel beneficium præſtare, non tamen rectè conceditur, poſſe illud etiam in pactum deducere: cum omne pactum, propriè loquendo, iuſtitiæ obligationem præſeferat, nam & pactum nudum inducit obligationem, cum lex naturalis, & gentium iubeat ſtare promiſſis, vt docet D. Thomas 2. 2. q. 78. art. 2. vbi debitum ex pacto vocat debitum ex iuſtitia: idem docet Scot. in 4. d. 15. q. 2. art. 2. vbi dicit vitiare non ſolùm quicquid pecunia æſtimabile eſt ex debito iuſtitiæ, ſed etiam ex nudo titulo beneuolentiæ, liberalitatis, ſiuè gratitudinis exigitur, iuxtà præceptum diuinum mutuum date, nihil inde ſperantes: *Quicquid enim ſorti accedit ex intentione corrupta à parte creditoris, qui non mutuaſſet principaliter niſi propter ſpem lucri, vſura eſt, vt habetur 14. q. 3.* quod intelligendum eſt, quando cauſa mutuandi principaliter ponitur in ſpe, vel expectatione lucri, ſiuè emolumenti, nàm ſi ob charitatem, & dilectionem principaliter mutuat; ſecundariò tamen aliquid expectat retributionis, non videtur vſuram eſſe *l. naturaliter ad antidata obligatum ff. de pet. hæred. leg. final. etſi §. conſuluit, & ideo de retributione ſperare poteſt 1. q. 2. Quam pio: extrà de Simonia cap. Tua*. Hinc Franc. de Platéa, cum Alexandro Alenſ. & alijs ſic diſcurrit: poteſt tamen mutuans ſperare illud, ad quod tenetur accipiens, quia in conſimili caſu neceſſitatis tenetur ſibi dare mutuum, & tenetur ſimiliter ex charitate, etiamſi non dediſſet primus; vndè poteſt illud mutuans ſperare ab accipiente, non tamen ex vi mutui, ſed ex charitate accipientis mutuum; mutua enim beneficia accendunt charitatem. Quarè mutuans ſecundùm Doctores, & præſertim Hoſtienſ. & Monald. non poteſt deducere in pactum illam naturalem obligationem, qua ei debitor tenetur ad antidata; ratio eſt, quia vt dicit Archidiaconus, ante pactum non eſt debitum ſpecialiter, & ideo cum deducitur in pactum, naſcitur obligatio, & ita plus promittitur, quàm ſit mutuatum & ſic eſt vſura. An autem mutuans poſſit deducere in pactum, vt debitor teneatur remutuare, diſputabitur in quæſt. ſequenti.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum mutuans poſſit abſque labe vſuræ obligare mutuatarium, vt ſibi aliquid remutuet.

NOt. 1. Quòd quæſtio poteſt procedere tam de remutuando aliquid in futuro, quàm in præſenti, hoc eſt quando fit contractus mutui. Adrianus in tract. de vſuris exiſtimat, contractum irritum cum mutuatario de remutuando tam de præſenti, quàm in futuro eſſe licitum, cum iſtis tamen duabus conditionibus: prima, quòd indigentia mutuantis ſit æqualis: 2. quòd mutuatarius poſſit mutuare abſque aliquo ſuo damno: contrarium ſentit Sot. lib. 6. de iuſt. & iur. art. 2. & nonnulli alij Recentiores; videlicet, huiuſmodi contractum de remutuando ſiuè de præſenti, ſiuè de futuro ſemper eſſe vſurarium, quia eadem videtur vtrobique ratio.

I. Concl. Mutuans poteſt abſque vſura obligare mutuatarium ad remutuandum de præſenti eandem quantitatem, vel aliquid aliud: ità expreſsè docet D. Thomas q. 78. art. 2. ad 4. vbi ait: *Repugnare mutuo obligationem ad mutuum faciendum in poſterum, quia talis obligatio æſtimari poſſet*, & ſubdit, *licet tamen ſimul mutuanti vnum aliquid aliud mutuum recipere, non autem licet eum obligare ad mutuum poſtea faciendum*, & hanc ſententiam tanquam probabiliorem ſequuntur Molina, & Turrianus; ità etiam ſentiunt Adrian. Angelus, Maior Leſſius, & Laiman, qui addit, quòd ad hoc, vt talis obligatio remutuandi ſit iuſta, debet fieri tanquàm mera conditio, cum qua, & ſine qua non mutuandi, non autem propriè in pactum deduci cum obligatione iuſtitiæ mutuatario imponenda ad viciſſim mutuandum, vendendum &c. ità lib. 3. de Iuſt. tract. 4. cap. 16. de Vſur. num. 3. Villalobos, & Buitron.

Prob. 1. Etenim licèt eſſet onus aliquod pretio æſtimabile obligare alterum ad remutuandum de præſenti, attamen poſſet eſſe æqualitas, quia etiam alius obligatur ad mutuandum de præſenti: mutua enim ſubintelligitur conditio v. g. mutuum dabo, ſi volueris remutuare, ac proinde non eſt vſura, ſicut non eſſet vſura, ſi quis obligaret alium ciuili obligatione, vt ſibi mutuaret in futurum decem menſu-

ſuras tritici v. g. ea lege, vt viciſſim ipſi obligetur ad remutuandum tantum vini, aut olei, ſi onera eſſent æqualia: eſt enim æqualis contractus vtriuſque, & vna obligatio ciuilis compenſatur alia, neque aliquis eorum accipit lucrum pro mutuo, ſed pro obligatione mutuandi, qua neuter tenebatur ſe obligare ad mutuandum, neque abſolutè, neque ſuppoſito, quòd velit mutuare.

Prob 2. quia mutuum de præſenti factum modo prædicto non habet onus aliquod pretio æſtimabile, alioquin ex hoc tantùm, quòd quis velit de præſenti mutuare, poſſet pro eo onere aliquod pretium exigere, quod eſt omninò falſum. Hinc facilè diluitur tacita obiectio, dicendo eſſe diuerſam rationem in mutuo de præſenti, & in mutuo de futuro; quia in illo non eſt onus aliquod pretio æſtimabile, neque diſtinctum ab ipſo mutuo remutuare, & ſic qui mutuat ſine labe vſuræ poteſt exigere remutuationem de præſenti: at obligatio, qua obligaretur mutuatarius ad remutuandum de futuro eſt onus graue, & pretio æſtimabile, quod ipſe non tenetur gratìs ferre; nam quamuis, ſi mutuandum eſt, teneatur gratis mutuare, non tamen tenetur gratìs ſibi imponere obligationem in futurum remutuandi, ac proin lè ſi extorqueatur ex mutuo vltrà ſortem erit vſura: ità diſcurrit Caſpenſis tom. 2. tract. 19. de contractibus diſp. 3. ſect 3.

II. Concl. Mutuans non poteſt obligare mutuatarium ciuili obligatione, vt ſibi remutuet eandem, vel aliam quantitatem de futuro abſque peccato vſuræ: ita communiter Doctores contra Adrianum. Prob. Talis obligatio eſt quoddam onus pretio æſtimabile diſtinctum ab obligatione mutui, nam ex vi mutui ſolùm tenetur reddere ex iuſtitia ſortem principalem: ergo &c.

Confirmatur. Etenim, interueniétibus etiam illis duabus conditionibus, quas exigit Adrianus, non licet ſine vſura obligare mutuatarium ad remutuandum, quia, adhuc exiſtentibus illis duabus conditionibus, non tenetur ex iuſtitia, ſed ſolùm ex gratitudine, ergo cum obligatio ciuilis ſuperaddita gratitudinis obligationi ſit pretio ęſtimabilis, non poteſt abſque vſura imponi

Arg. Mutuatarius naturaliter manet obligatus ratione mutui ex gratitudine ad remutuandum; ergo ad id poteſt illum

illum obligare: conſ. patet, quia hæc non videtur noua obligatio diſtincta ab illa, quam habet. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. & ratio eſt, quia obligatio ſuperaddita obligationi naturali, ſeu gratitudinis, eſt oneroſa, & contra rationem gratitudinis, quæ obligat beneficiatum recompenſare beneficium quando, vbi, & quomodò erit ſibi placitum, & commodum, vt ſupra clarius explicauimus, ac proinde non poteſt abſque vſura deduci in pactum, vt remuneret.

QVÆSTIO VI.

Vtrum mutuans poſſit abſque vſura obligare mutuatarium ad facienda ea, quæ aliàs eſſet facturus; immò & ea, quæ in conſcientia tenetur facere.

NOt. Quòd ſenſus præſentis quæſtionis eſt, an mutuans ratione mutui poſſit obligare mutuatarium, vt v. g. ex ſua officina emat merces, quas erat aliàs empturus iuxta pretium iuſtum, vel vt in ſuo molendino molat triticum ad ſuæ familiæ ſuſtentationem, & ſupponit quæſtio cætera omnia eſſe paria, videlicet, quòd nec mutuans cariùs vendat, quàm alij, nec eius officina, nec molendinum longiùs diſtent; ſi enim aliquis exceſſus ſit in his, vndè mutuatarius magìs grauetur, quàm grauaretur ad aliam officinam accedens, certum apparet non poſſe fieri abſque vſura.

I. Concl. Non licet obligare mutuatarium ad faciendum ea, quæ aliàs eſſet facturus: Hæc videtur communior, & probabilior contra Adrianum de reſt. Angelum verb. vſura 1. §. 5. & Ioannem Maiorem in 4. diſt. 15. quæſt. 29. aſſerentes in tali obligatione non eſſe vſuram niſi mutuator aliquid lucri vltra ſortem datam accipiat, in his autem, & ſimilibus caſibus mutuans vltra datam ſortem nihil accipit, aut lucratur; ergo &c. Prob. noſtra conc. Obligatio, cum ſit quædam ſpecies ſeruitutis, eſt pretio æſtimabilis, omnes enim ſpecies ſeruitutis ſunt pretio æſtimabiles; ergo qui deducit in pactum huiuſmodi obligationem, committit vſuram, quia ratione mutui acceptat aliquid vltra ſortem pretio æſtimabile. Cæterùm ſi mutuans detrahat de pretio, quo erat empturus eandem rem à quocunque alio quantitatem, quæ æquiualeat grauamini, ſeu obligationi

mu-

mutuatario impoſitæ, non erit vſura, quia detractione pretij compenſatur ſufficienter mutuatarius.

II. Concl. Mutuans poteſt licitè obligare mutuatarium ad faciendum ea, ad quæ facienda tenetur in conſcientia. Ita communis ſententia. Ratio eſt euidens: quia tale lucrum non accipitur ratione mutui, ſed aliunde; nempe titulo iuſtitiæ, ergo cum nullum grauamen imponatur mutuatario, non videtur in tali obligatione eſſe vitium vſuræ. Hinc reſoluuntur plures difficultates. Prima, quòd Medicus obligatus ad viſitandum infirmum, ſi obligetur ratione mutui, non eſt vſura. 2. poteſt mutuans obligare mutuatarium abſque vſura, vt deſiſtat ab odio, quo aduersùs mutuatarium exardeſcit, & ab inferendo illi damnum iniuſtè, quia ad hæc præſtanda tenetur in conſcientia. Non poteſt tamen mutuans obligare mutuatarium, vt remittat quod ſibi debetur ratione iniuſtitiæ, & iniuriæ factæ; nam etſi in conſcientia teneatur remittere rancorem, non tamen tenetur remittere pœnam, quæ per ſententiam Iudicis ſibi debetur, cum læſus ius habeat ad damnum, quod paſſus eſt, nempe, quod ſibi compenſetur: 3. poteſt mutuans v. g. viginti Florenos obligare mutuatarium, vt quamprimum reddat ſibi præter 20 Florenos etiam 30. alios Florenos iamdiu mutuatos, quia ſic non imponit grauamen, ſed ſibimet prouidet, cum ex iuſtitia mutuatarius iam teneatur reddere, & eadem ratione diſcurrendum eſt de ſimilibus.

Quæres. An mutuans poſſit obligare mutuatarium hac conditione, quòd det aliquid pauperibus, vel parentibus eiuſdem mutuantis indigentibus.

Reſp. Alenſis in tract. de vſura negatiuè. Ratio, quia, ſicut non licet mihi ex vi mutui transferre dominium rei alienæ in me; ita nec in alium. Addit Hoſtienſ. in ſum. tit. de vſuris, quòd etiam pro redimenda anima Captiui non poteſt exerceri vſura *Extra de vſuris cap. quia, & cap. quoniam; non enim prætextu pietatis eſt impietas committenda, vt habetur* 1.q.1.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrum in mutuatione attendenda ſit quantitas phyſica materiæ, ſeu quantitas materialis rei, vel potiùs quantitas formalis, ſeu moralis.

NOt. Quòd *Quantitas materialis rei, ſeu phyſica conſiſtit in numero, pondere, & menſura: formalis, ſeu moralis conſiſtit in valore, qui poteſt in monetis eſſe idem, variata quantitate materiali*, v.g. minor quantitas auri, argenti &c. poteſt habere eundem valorem ex voluntate Principis, ad quem ſpectat interdum pro bono regimine Reipublicæ decreſcere, vel accreſcere monetarum valorem: igitur difficultas eſt, an ſi quis mutuet alicui centum Scuta aurea, poſſit illum obligare in omni euentu, vt ei reddat, non ſolùm valorem, quem valebant illa ſcuta tempore mutuationis, ſed etiam eandem quantitatem numero, & pondere, & eiuſdem rationis: Similiter an poſſit obligare ad reddendum e.g. decem modios tritici alicui mutuatos, etſi tempore reſtitutionis triticum pluris valeat, quàm tempore mutuationis. Circà hanc quæſtionem diuerſa ſunt Doctorum placita: quidam, vt Nauar. Sotus, Azorius, & alij aſſerunt, attendendam eſſe quantitatem phyſicam materiæ; Alij vt Couar. Molina, Leſs. & alij putant, attendendam eſſe quantitatem formalem, ſeu valorem moralem. Nonnulli cum Buſſembao diſtinguunt, dicendo in mutuo pecuniario attendendum eſſe ad pretium, & valorem, qui fuerat tempore mutuationis; at in mutuo aliarum rerum potiùs ſpectanda eſt quantitas materialis; quia, vt aiunt in pecunia non ſpectatur ordinariè, niſi valor, ſiuè pretium; in alijs autem ſpectatur ipſa materia, niſi aliter fuerit conuentum; verum miſſa opinionum varietate ſit.

I. Concl. Mutuanti licitum eſt inire pactum de ſeruanda quantitate, vel valore rei mutuatæ, ſiue hæc fuerit pecunia, ſiue frumentum, oleum &c. ſi dubium ſit, an valor, ſeu pretium rei mutuatæ tempore reſtitutionis ſit minuendum, vel augendum: ratio, quia ſic ſeruatur perfecta æqualitas inter partes; nam vnaquæque pars exponitur dubio, ac proinde conuentio eſt conformiter ad regulas iuſtitiæ. Verùm ſi triticum ſit plus valiturum tempore ſolutionis,

quàm

quàm tempore mutui valebat, idque ſit moraliter certum, & mutuans non erat ſeruaturus triticum vſque ad illud tempus, non poteſt obligare mutuatarium ad reſtituendum illud plus, quia, vt tradit communis ſententia, vſura eſt ratione mutui paciſci, vt reddatur eadem res mutuanti.

II. Concl. Si nulla facta ſit conuentio in mutuatione, ſtandum eſt communi modo loquendi, & ſentiendi, iuxta quem in moneta primariò intenditur valor moralis, in alijs rebus phyſica entitas, ſeu materia: hæc eſt ſententia probabilior, quam nouiſsimè propugnat Caramuel, *Et ita reſoluitur in l. Vinum ff. de rebus creditis*; vnde qui mutuò accepit centum modios tritici tenetur ad illos reddendos, ſiuè pretium fuerit auctum, ſiuè imminutum iuxta l. cit. qui verò accepit mutuò centum Florenos, tenetur ad centum Florenos, ſiuè pretium, & valor pecuniæ creuerit, ſiuè non, ſi nulla facta ſit ſpecialis conuentio.

Arg. cont. 1. concl. Si mutuans mutuaret triticum nullo præfixo termino ſolutioni, ſed indeterminatè, quandò mutuans petierit, poteſt mutuans abſque peccato vſuræ expectare tempus, in quo triticum plus valet, & tunc exigere ſolutionem in eadem quantitate, & menſura; ergo poterit mutuare triticum v.g. Menſe Septembris, vt reddat Menſe Maij, licet ſit moraliter certum in illo eſſe plus valiturum: ant. admittitur paſſim à Doctoribus: conſ. prob. quia ſi nullus eſſet terminus præfixus poteſt expectare tempus, in quo magis valeat triticum: ergo poterit etiam à principio contractus mutuare præfigendo tempus Maij pro termino ſolutionis.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. ratio diſparitatis eſt, quia in primo caſu mutuans vtitur iure ſuo petendo quando vult, & ſicut petit menſe Maij, ita poterat mutuatarius ſoluere ante, ſi vellet, quando minùs valebat; quòd ſi mutuatarius non ſoluat, cum ſit in ſua poteſtate, alioquin contractus eſſet iniuſtus, & vſurarius, ſibi imputet, quia mutuans exponit ſe in prædicto caſu, tam commodo, quàm incommodo.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum liceat pecuniam mutuò petere ſub vſura, ſeu ab vſurario.

NOt. Quòd conueniunt Doctores non peccare peccato iniuſtitiæ eum, qui petit mutuò pecuniam ab vſurario, cum iuſtitia, & iniuſtitia ad alium tendat, & non ad ſeipſum: reſtat igitur examinare, an peccet contra charitatem peccato nimirùm ſcandali ob occaſionem peccandi, quam vſurario præbet, & offert. Doctor ſubtilis, etſi de hac re ex profeſſo non agat, tamen in 4. d. 15. q. 2. art. 3. ſupponit indigenti licere pro mutuo obtinendo lucrum offerre, ſi credat non poſſe aliter mutuum obtinere, dummodò intendat ſolùm ſuæ neceſſitati prouidere, non autem ad vſuram inducere, nec vſuris fauere. Qualis autem, & quanta debeat eſſe neceſſitas petentis pecuniam mutuò ab vſurario non ſatis inter ſe conueniunt Doctores; nam quidam aſſerunt ſufficere quamcunque neceſſitatem, ac proindè etiam ob bonum vtile proprium, vel alterius, vt ad conuiuia, vel ſpectacula honeſta iuxta proprij ſtatus exigentiam: ità Caiet. Reginald. Bannes, Axor. Sanchez, Bonacc. & alij plures. Nonnulli addunt eſſe licitum, vel ſaltem non eſſe peccatum mortale tale mutuum petere, etiam abſque vlla neceſſitate, ac proinde poſſe petere ab vſurario pecuniam ad vana, & inutilia, & ad profana, vt ad ſuperfluas epulas, ad ludos otioſos, & ſimilia; verùm hæc ſecunda opinio videtur nimis lata, & laxa, & nimis repugnans charitati, quæ obligat ad non inducendum proximum ad peccandum; alij deniquè videntur ſentire ad ſimile mutuum petendum requiri in petente indigentiam, ſeu neceſſitatem grauem, vel extremam, & hanc videtur docere Scot. iuxtà quam ſit.

Concl. Licitum eſt petere pecuniam mutuò ab vſurario ob aliquam rationabilem neceſſitatem; hæc eſt probabilior, & ſanior. Prob. nam in tali petitione non cooperatur alterius peccato, ſed ſolummodò illud permittit ad prouidendum ſuæ neceſſitati, nec intendit vſuris fauere: tum quia id, quod petitur, poteſt bene fieri; poteſt namquè vſurarius mutuare pecuniam abſque vſura; vndè à propria

voluntate deprauata, & non à petente prouenit peccatum vſuræ, ergò licitum eſt &c. neque obſtat, quòd vſura ſit intrinſecè mala, quia petens non inducit ipſum vſurarium, ſed tantum ſe habet permiſſiuè, & paſſiuè, non verò actiuè; vndè quando dicit; da mihi mutuum, & quia certus eſt, quòd non eſt daturus illud, niſi ſub vſuris, ſubdit tacitè, vel expreſsè promitto tibi tantum ſuprà ſortem, vt meæ neceſſitati prouideam. Hoc autem obiectum ſub talis forma, & conditione non eſt intrinſecè malum.

Hinc rectè infertur non licere mutuatario petere ab vſurario mutuum ſub vſuris; etiamſi vſurarius paratus ſit dare ſub vſuris, niſi adſit extrema, vel grauis, vel alia rationabilis neceſſitas; ità communior ſententia contra Valentiam, Sanchez, & alios: ratio eſt, quia petere non licet, quod alius ſine peccato facere non poteſt, aliàs induceret ad peccatum, ſed vſurarius non poteſt mutuum tradere ſub vſuris abſque peccato; ergo non licet mutuum petere ſub vſuris ab vſurario. Nec refert, quòd ſit paratus illas exercere, quia cum dare mutuum ſub vſuris ex ſuo genere ſit intrinſecè malum, non poteſt quis ad hoc illum inducere ſine culpa; ſicut non licet meretricem ad meretricium paratam inducere abſque peccato mortali; quia inducitur ad faciendum, quod eſt peccatum, & intrinſecè malum.

Quæres. An mutuatarius teneatur vſurario vſuras promiſſas ſoluere, & quid ſi talem promiſſionem iuramento firmauerit. Reſp. ad 1. part. quæſiti negatiuè; ratio, quia vſurarius non poteſt iuſtè petere ſolutionem vſuræ, & per conſequens nec mutuatarius, etſi promiſerit ſimpliciter tenetur eas ſoluere *iuxtà regulam iuris 49. dolo facit, qui petit, quod reſtituere oportet eundem*: certum eſt autem, vſuras debere ab vſurarijs reſtitui: quod attinet ad ſecundam partem, dicendum cum communi ſententia, quòd tenetur ſoluere vſuras iuramento promiſſas, & firmatas; idque habetur expreſsè *in cap. de iure iurando, vbi dicitur, debitores ad ſoluendas vſuras, in quibus ſe obligarunt, cogi non debent; ſi verò de ipſarum ſolutione iurauerint, ſunt omninò cogendi reddere iuramentum*; ratio eſt, quia ex tali iuramento naſcitur obligatio ergà Deum in teſtem adductum, ac proindè tenetur talem promiſſionem Dei teſtimonio firmatam implere, quoties promiſſio poteſt adimpleri abſque peccato, ſed talis promiſſio adimpleri poteſt

abſque

abſque peccato; licèt enim vſurarius peccet exigendo, & recipiendo vſuras, attamen iurans non peccat illas ſoluendo: immò exercet actum virtutis Religionis erga Deum, & fidelitatis erga homines. Siquidem mutuatarius ſoluens vſuras, non intendit eas ſoluere vt vſuras formaliter, quia ſic cooperaretur peccato vſurarij; ſed ſolùm intendit ſoluere id, quod iuramento promiſit, quod indubiè abſque peccato fieri poteſt. Cæterùm monent Doctores; quòd momentanea ſolutione tali promiſſioni ſatisfieri poteſt, & ſtatim poſt ſolutionem abſque iuramenti relaxatione ſolutum poteſt in iudicio repeti: tum quia vſurarius nequit iuſtè retinere vſuras: tum quia iuramentum fuit tantùm de ſoluendis illis vſuris ad iuramentum ſeruandum; non verò ad non eas repetendas.

Quæres 2. An in contractu Moatras interueniat mutuum virtuale; & conſequenter ſit vſurarius.

Pro clariori reſponſione obſeruandum, quòd quædam venditiones reciprocæ ab Hiſpanis vocantur Baratras, & Moatras, à Latinis Stocolias, & Barocolias, & ab Italis ſtochi, & biſtochi; huiuſmodi autem contractus duplici modo poteſt fieri, ſeu exerceri. Primò cum præuio pacto retrouenditionis eidem venditori pretio infimo, vel medio, ſeu minori numerata pecunia, & etiam alteri à venditore: 2. modo ſine præuio pacto reſpectu venditoris, vel etiam reſpectu alterius perſonæ à venditore: hoc prænotato.

℟. Reſp. vendere merces ſuas credito pretio rigoroſo cum præuio pacto eaſdem ſtatim redimendi pecunia numerata pretio medio, ſeu minori non eſt licitum, ita determinatum eſt ab Innoc. XI. in propoſitione damnata, quæ in ordine eſt 40. & eſt talis. *Contractus Moatra licitus eſt etiam reſpectu eiuſdem perſonæ, & cum contractu retrouenditionis præuiè inito cum intentione lucri.* Ratio eſt euidens, nam emere à mercatore quatuor vlnas panni e. g. decem Florenis cum pacto præuio de retrouenditione eidem mercatori minori pretio nil aliud eſt, quàm mutuum virtuale, ſeu vſura palliata, quæ eſt lucrum ex vi mutui proueniens, cuius turpitudo honeſto prętextu velatur. Cæterùm ſi quis ab vno emeret pannum, & alteri à venditore abſque vllo pacto præuio venderet minori pretio non videtur illicitum; imò etiam ſi venderet eidem mercatori, dummodo non præceſſerit pactum de retrouen-

 di-

ditione &c. nihilominus Doctores monent mercatores, vt abſtineant à tali contractu, etiam licito ex ſui natura, quia quandam auaritiæ ſpeciem præſeferre videtur.

Quæres 3. An abſque peccato vſuræ poſsit dari triticum vetus, vt reddatur nouum.

Reſp. cum Franc. de Platea in tract. de Vſura, qui citat Goffredum ſic dicentem. Si id faciat mutuans, vt melius recipiat, vſura committitur; ſi autem id facit, vt ſuum non pereat, vel fortè in gratiam recipientis, non committitur vſura, & ita ſentiunt etiam Hoſtienſ. & Raym. in ſum. de vſuris: oppoſitum tamen tenet Ioann. de Lignano in cap. in ciuitate extra de vſuris. dummodò non eſſent circumſtantiæ veriſimiles, quo caſu ſic contrahens obligaretur reſtitutioni. Addit Monaldus in ſum. hoc verum eſſe, dummodò non auferat proximo libertatem ſoluendi veterem annonam, ſicut mutuò accepit, ſi interim vult ſe liberare: inſuper reſp. cum Caſpenſi, & Nauar. ſic mutuare eſſe vſuram, quod intelligendum eſt, ſubdit idem Caſpenſ. quando triticum vetus ſubiacet periculo corruptionis; ratione enim talis periculi minus æſtimatur, quàm nouum. Si verò triticum vetus non ſubiacet huiuſmodi periculo, & tantum valet de præſenti, quantum creditur valiturum triticum nouum tempore ſolutionis in tali mutuatione non committitur vſura.

QVÆSTIO IX.

Vtrum dominium vſurarum transferatur in vſurarium.

NOt. Quòd circa præſentem quæſtionem duæ ſententiæ referuntur. Prima affirmat, & rationem aſſignat, quia id, quod vltra ſortem vſurarius accipit, traditur ei à domino rei voluntariè, ac proindè eiuſdem rei dominium tranſit in vſurarium, cui res traditur, & pro hac ſententia citantur *Gloſ. in can. Si quis vſuram* 14. *q.* 4. *Nauar. in ſum. cap.* 25. *Palud. in* 4. *d.* 15. & inter alios plures etiam Scot. in 4. d. 15. q. 2. art. 3. quem nonnulli Scotiſtæ putant fuiſſe talis mentis, & ideo eum ſequuntur Hiquæus, & Fauentinus: ſed an reuerà ſit in hac ſententia Scotus, aperietur infra: 2. ſententia

tentia eſt negatiua, & hæc cenſetur communior, & probabilior; docetur enim ab Alenſ. à D. Bonau. Ricardo, & ab alijs, inter quos ſunt quamplures Scotiſtæ.

Concl. Dominium vſurarum nunquam transfertur in vſurarium ex vi ſolationis, ſeu traditionis factæ ratione contractus mutui: ita Doctores allegati pro 2. ſententia, quibus addo D. Thomam, Medinam, Beccan. & ex Scotiſtis Almainum, Arretinum, Vulpem, & Maſtrium in Theol. morali diſp. 5. q. 2. art. 5. qui tanquam de mente Scot. & ex eius principijs neceſſariò hanc ſententiam deducit: habet enim Scot. in 4. d. 15. q. 2. art. 2. dominium rei ab vno in alium ex duplici principio iuſtè tantùm transferri, nempe ex voluntate propria domini, & ex publica Principis auctoritate, & hæc duo principia ſecundùm exigentiam communis boni inuicem ſubordinari, inſtar cauſæ ſuperioris, & inferioris. Voluntas ſiquidem proprij domini in transferendo ſubordinatur Principis auctoritati, veluti cauſæ ſuperiori in humana politica, ſeu in politica Republica, cuius vnuſquiſque eſt pars; ergo, cum ex lege diuina prohibeatur per vſuram translatio dominij, vt conſtat ex vtroque teſtamento ſuperiùs allegato, licèt recipiens mutuum ad vſuram voluntariè det aliquid vltra ſortem; attamen dominium non transfertur ob voluntatem Superioris Domini prohibentem huiuſmodi dominij translationem. Hac eadem fere ratione vtitur Alenſ. part. 3. q. 36. memb. 4. art. 2. vbi ait; non ſufficere quòd Dominus puro, & libero conſenſu conſentiat, ſed præter hoc requiritur, quòd non ſit prohibitus à Superiore: vſurarius autem eſt prohibitus à Deo, à quo dominium quodlibet dependet, ergo per talem translationem vſurarius non efficitur verus Dominus. Ex qua doctrina rectè infert Maſtrius, per nullum contractum lege diuina, canonica, & ciuili irritum, transferri dominium, *vt expreſsè habetur l. nunquàm de acquir. rerum domin.* Nihilominus res lucri factę pecunia vſuraria ſtatim ac ipſi traditæ fuerint, tranſeunt in eius dominium, vt paſſim docent Doctores cum Scoto in 4. d. 15. q. 2. art. 4. §. De tertio: *& apertè colligitur ex l. 1. & 8. cap. Si quis alteri, vel ſibi, & l. ſi ex ea C. de rei vendit:* ratio eſt, quia talis res eſt fructus induſtriæ non pecuniæ. Immò ſi vſurarius res alienas per vſuram acceptas vendat, acquirit dominium pretij ſoluti, licèt dominium

nium iſtarum rerum non transferat in emptorem: *primum patet ex l. Qui vas ff. de furtis*: ſecundum pariter eſt euidens, quia qui non eſt dominus rei nequit illius dominium in alium transferre *l. ex empto ff. de actionibus empti*.

Arg. 1. contra concl. Si vſurarius non habet dominium pecuniæ vſurariæ, ſequeretur omnes contractus cum alio ex ea pecunia factas, vt ſi emeret vinum, panem &c. eſſe nullos, ſed hoc apparet eſſe falſum, ergo &c.

Reſp. neg. ſequélam, quia non omnes contractus ex vſuraria pecunia celebrati ſunt inualidi, ſed ſolum qui celebrantur inter ſcientes rem eſſe vſurariam; ſi autem ab emptore ignoretur, rem illam vſurariam eſſe, valet contractus, ſaltem ex parte emptoris, qui dominium pretij pro re vſuraria ſibi vendita transfert in venditorem vſurarium, licèt venditor, vt mox indicauimus, non transferat in emptorem dominium rei vſurariæ.

Dices. Talis contractus eſt inuoluntarius ex parte emptoris, ſi enim ſciret eſſe rem alienam; nollet emere, ergo eſt irritus. Confirm. Etenim non intendit emptor transferre dominium pretij in venditorem, niſi venditor transferat viciſſim dominium rei in illum; at venditor nequit vllo modo hoc facere, vt dictum eſt, ergo &c. Reſp. conc. quòd talis contractus ſit aliquo modo inuoluntarius, cum ex errore procedat, quia tamen hic error non eſt circà rei ſubſtantiam, ſed circa conditionem quamdam extrinſecam, non eſt ipſo iure irritus, licet emptor poſſit illum reſcindere, vbi ſciuerit, & pretium repetere; ità Beccan. qui ad confirmationem pariter dicit, emptorem non intendere transferre pretium ſub illa conditione, ſed transferre illud abſolutè cum onere, vt venditor rem quoque transferat in ipſum: vndè venditor ſtatim fit dominus pretij traditi, ſed manet obligatus, vt rem faciat emptoris, & tenetur de euictione.

Arg. 2. Si dominium pecuniæ vſurariæ non transferretur, ſequeretur, quòd ſi pecunia vſuraria periret abſque culpa vſurarij, ipſe non teneretur ad reſtitutionem, quod eſt falſum: conſ. prob. quia res perit domino, ergo ſi pecuniæ dominium remanet apud mutuatarium perit illi, & non vſurario, ac proindè non teneretur ad reſtitutionem.

Reſp. neg. conſ. quia ex hoc ſequeretur, quòd ſi res furto

ablata

ablata periret abſque culpa furis, ipſe non amplius ad reſtitutionem teneretur, quia per arguẽtem res perit domino, quod nemo dixerit; igitur qua ratione adhuc in tali caſu fur teneretur ad reſtitutionem rei furatæ, vel pretij æquiualentis, eadem ratione dicendum de vſurario, & lucro vltra ſortem accepto.

Quæres. An vſurarius teneatur reſtituere non ſolùm rem per vſuram acceptam, ſed etiam quod mediante illa acquiſiuit. Reſp. certum eſt, vſurarium teneri reſtituere rem acquiſitam per vſuram, vel aliam eiuſdem valoris, vt ſuprà dicebamus: ſolùm igitur eſt difficultas de rebus, quas acquiſiit mediante re vſuraria. Reſpondet D. Thomas q. 78. cum diſt. vel quod acquiritur per rem vſurariam eſt proprius fructus ipſius, vel non; ſi eſt proprius ipſius fructus, tenetur reſtituere, & rem vſurariam, & fructus ipſius; ſi verò non ſit proprius fructus ipſius rei, ſed induſtriæ vſurarij, non tenetur tales fructus reſtituere; ratio eſt, quia pecunia, vt aliàs diximus, per ſe eſt ſterilis: ex qua doctrina inferunt Doctores, neque furem teneri lucrum ex re furtiua propria induſtria acquiſitum domino reſtituere; verum eſt tamen, quòd tàm vſurarius, quàm latro tenentur ad damnum emergens, & lucrum ceſſans domino rei. Inſuper infert Caſpenſ. theſaurarium alicuius Principis, vel procuratorem, ſeu famulum alicuius domini poſſe etiam inſcio ipſo domino cum eius pecunijs, quas ad expendendas, vel conſeruandas habet, negotiari, & lucrum in ſuam vtilitatem vertere; huiuſmodi enim lucrum eſt fructus induſtriæ concurrente pecunia, tanquam inſtrumento, quod ex ſe infœcundum, eſt, & idem Doctor addit pari ratione eſſe diſcurrendum de vendente triticum alienum eo tempore, quo cariùs valet; hìc enim ſatisfacit emendo, & reſtituendo tantumdem æqualis bonitatis eo tempore, quo minùs valet, ſi dominus illius vſque ad illud tempus erat triticum ſeruaturus, quia ſeruat dominum indemnem, etiamſi retineat ſibi lucrum, quod fuit partum ſua induſtria; an verò id ſit in praxim deducendum, iudicent alij, quia non apparet eadem omninò ratio de pecunia, & de tritico.

Vtrum vſurarius mentalis teneatur reſtituere id, quod vltra ſortem accepit à mutuatario.

NOt. Quòd, vt ſupra dictum fuit, vſura mentalis eſt, quæ ſola mentis intentione committitur, nullo externo pacto explicito, vel implicito interueniente. Quæritur ergo, an ſi vſurarius intendat lucrum ex mutuo non ex gratitudine, & liberalitate exhibendum, ſed tantùm ex iuſtitia debitum teneatur reſtituere quod vltra ſortem recipit: circà quam quæſtionem ſic explicatam ſunt duæ opiniones. Prima affirmat, vſurarium mentalem tale lucrum intendentem: & recipientem vltra ſortem, ſemper teneri ad reſtitutionem, etiamſi poſtea ſciat, mutuatarium dediſſe liberaliter, & non ex mutuo; ità Sot. lib. 6. de iuſt. q. 1. art. 4. Molina diſp. 306. & alij plures apud eundem Molin. 2. opinio tenet, quod, licèt in propoſito caſu mutuans peccet dando, & recipiendo &c. reipsà tamen non teneri ad reſtitutionem lucri, quia non recipit rem alienam inuito domino, ſed liberaliter donatam ab eo, qui potuit in illum transferre dominium; ita Scot. in 4. d. 15. & præter Scotiſtas quamplures alij Doctores, tam theologales, quàm legales; vnde ſit.

Concl. Mutuans, & intendens lucrum ex mutuo debitum, mutuatarius verò ſi illud tribuat liberaliter, & donet, non obſtante praua intentione vſurarij, licèt mortaliter peccet, non tamen tenetur ad reſtitutionem eius quod recepit vltra ſortem. Prob. à Scoto ſic. Solus animus habendi rem alienam, non facit aliquem habere rem alienam actualiter, ſed requiritur, vt illam actu habeat, ac retineat inuito domino; ſed vſurarius mentalis recipiens ſupra ſortem alienam rem, ſolo animo vſurario illam habet, non autem reuerà illam habet inuito domino; ergo ad reſtitutionem non tenetur: mai. patet, min. prob. Quia mutuatarius liberaliter dat illud ſupra ſortem, ignorans, quòd vſurarius mutuans, vt ſupponitur, intendat habere illud ratione mutui, ergo mutuans licèt habeat animum vſurarium, recipit tamen illud à domino liberaliter donante. Præterea vbi nulla interuenit iuris læſio, nulla adeſt reſtitutionis obligatio; ſed

ſed in propoſito nulla interuenit iuris læſio, cum reuerà mutuatarius non coactè, nec inuoluntariè mixtè, ſed ſpontè, ac liberè lucrum dat ex mutuo; ergo nulla oritur in mutuante obligatio ad huiuſmodi lucrum reſtituendum; itaque mutuans non tenetur reſtituere ſic acceptum per ſe, ideſt ex ſui natura; poteſt tamen obligari per accidens; nempe conſcientiæ erroneæ, quamdiù neſciuerit mutuans alterum dediſſe gratis, & liberaliter. E contra ſi mutuans aliquid bona fide accepit vltra ſortem tanquàm liberè donatum, & poſtea deprehendat mutuatarium illud dediſſe tanquam ex iuſtitia debitum ratione mutui, tenebitur illud reſtituere, ſi adhuc extet, vel indè factus eſt ditior.

Arg. cont. conc. *In cap. Conſuluit de vſuris habetur, vſurarium mentalem eſſe inducendum in animæ iudicio, ideſt in foro conſcientiæ ad reſtituendum, quod accepit per vſuram mentalem*, ergo &c. Accedit etiam ratio, quia ſola iniuſta acceptio eſt cauſa ſufficiens ad inducendam reſtitutionis obligationem; ſed qui lucrum accipit intentione vſuraria, iniuſta acceptione accipit, ergo &c. Reſp. allegatum cap. conſuluit intelligendum eſſe ex Couar Silueſt. Fauent. & alijs quando ſumus in dubio, an debitor dederit aliquid vltra ſortem creditori liberè, an potiùs coactus, occaſione videlicet mutui accepti; in tali enim caſu præſumendum eſt eam dationem non eſſe omninò liberam: ad rationem allatam reſponſio patet ex dictis.

Arg. 2. Si mutuans in tali caſu non teneretur reſtituere &c. maximè quia talis datio eſſet donatio, ſed hoc dici nequit, quia ad donationem requiritur acceptatio ex parte accipientis titulo gratitudinis & in propoſito mutuans non accipit lucrum à mutuatario, vt rem donatam, ſed vt datam pro mutuo, ergo cum non interueniat donatio, tenetur ad reſtitutionem &c. Reſp. neg. min. quia, vt ex dictis conſtat, in caſu propoſito præſumendum eſt vſurarium rem à mutuatario, vt donatam accipere, & non ex vi mutui, quia pactum nullum cum mutuatario fecit, nec vllo ſigno ei ſuam intentionem manifeſtauit, vt ſupponitur.

Quæres 1. An præter vſurarium etiam aliqui alij teneantur ad reſtitutionem. Reſp. cum communi ſententia, præter vſurarium teneri etiam eius hæredes ad reſtitutionem rerum per vſuram acquiſitarum: immò etiam omnes illos,

qui ex parte vſurarij poſitiuè, & efficaciter cooperantur ad vſuras; quales poſſunt eſſe Iudices, Domini temporales, Notarij, Aduocati, & Famuli, qui quouis modo iuuant, vel cogunt mutuatarios ad vſuras ſoluendas.

Quæres 2. Quibus pœnis puniantur vſurarij.

Reſp. Vſurarius manifeſtus, & notorius multis pœnis ſubiacet à Iure can. latis: dicuntur autem vſurarij manifeſti, & notorij dupliciter; nempè facto, vel iure: facto quidem dicitur qui nulla tergiuerſatione negare poteſt, ſe eſſe vſurarium; iure autem dicitur, qui crimen coram Iudice eſt confeſſus, vel per ſententiam iudicis de tali crimine eſt condemnatus, vel per idoneos teſtes in iudicio conuictus. *Pœnæ autem principaliores ſunt. Prima quòd ſint infames: 2. quòd non admittantur ad Sacram Communionem Altaris: 3. nec ad oblationes offerendas, & oblationes recipiens ipſo facto eſt ſuſpenſus ab officio ad arbitrium Epiſcopi, & compellitur reddere: 4. nec ad ſepulturam eccleſiaſticam, & qui eos ſcienter ſepellire præſumpſerit, ipſo facto eſt excommunicatus ad arbitrium Epiſcopi: 5. nec ad confeſſionem peccatorum, donec re ipſa ſatisfecerint, vel idoneam cautionem dederint; & denique teſtamenta ipſorum ſunt irrita, niſi ante mortem, vel ſoluerint vſuras, vel legitimam cautionem præſtiterint:* aliæ pœnæ minùs principales videri poſſunt apud Summiſtas.

QVÆSTIO XI.

Vtrum Montes pietatis immunes ſint ab vſura.

NOt. Quòd nomine Montis pietatis intelligitur quidam aceruus pecuniæ relictæ à pijs hominibus, vt detur mutuò indigentibus cum obligatione reddendi ſortem tempore præfixo, ſub quibuſdam conditionibus infra adducendis; vel *Mons pietatis eſt cumulus pecuniarum præſertim, aut etiam alterius rei mutabilis, puta frumenti, collectus ad indigentium neceſſitates ſubleuandas mediante mutuo, publica auctoritate inſtitutus*. Ita colligitur ex Bulla Leonis X. Cæterùm ſumitur etiam pro loco, in quo eſt iſte cumulus, quo ſenſu *Trid. ſeſſ. 22. cap. 8. 9 & 11. inter loca pia ab Epiſcopo viſitanda numerat etiam Montes Pietatis*. Originem cœpit tempore Pauli II. & Sixti IV. Peruſi in Italia à Venerabili Fratre Barnaba Interamnenſi Ordinis Minorum, cuius prædicatione fuerunt permoti fideles,

deles,

deles, vt ad montis conſtitutionem copioſas eleemoſynas ſubminiſtrarent ad pauperes ſubleuandos antea per ſanguiſugas vſurarios incredibiliter oppreſſi. Quod ſanctum inſtitutum per alias pleraſque Ciuitates Italiæ propagarunt alij potiſſimùm eiuſdem Ordinis viri doctrina, & ſanctitate percelebres B. Iacobus à Marchia, Angelus à Clauaſio, & præ ceteris Thaumaturgus ille Bernardinus Feltrenſis, & alij: ita ſcribit Herincx part. 3 in tract. de iuſt. & iure. Et Petrus Marchant. in appendice de Montibus Pietatis ſic loquitur. *Vnum adde, quòd obliuionis ſepulto ab Auctoribus opinionum diuerſitate rem vente commiſt. neſciens conditum eſt; Orbem debere primum inſtitutionem Montium Pietatis B. Bernardino de Feltro Ordinis Minorum vita, doctrina, & miraculis, ac Spiritu prophetico claro, qui pertaſus vſurarũ, quibus Iudæi ſpecialiter opprimebant Christianos, Paduæ primum totius Orbis Montem pietatis ſua prudentia inſtruxit, erexit, direxit: ita inter alios Hiſtoricos referunt Rodulphus, Teſinianenſ. Epiſcopus l.1. hiſtoria Seraphica & Marius Vliſſiponenſis in Chronicis ordinis Minorum:* hinc patet ſine fundamento loqui Leſſium, & Beccanum, dicentes Montes pietatis ante annos ſeptuaginta orbi innoteſcere cœpiſſe, cum pro confirmatione talis antiquæ hiſtoriæ nullum hiſtoricum producant, qui hoc aſſerat.

Concl. Montes pietatis ab omni vſuræ labe ſunt immunes, ſi ſeruentur conditiones præſcriptæ in Bulla Leonis X. Hæc eſt ſententia definita *In Concil. Lateran. vltimo ſeſſ.* 10. *Bulla incip. Inter multiplices, vbi commendans in Doctoribus præcipuè Dominicanis contradicentibus ſtudium, ſeu Zelum iuſtitiæ in defendentibus amorem pietatis, & veritatis omnibus Concilij Patribus adſtipulantibus rem definiuit his verbis: Sacro approbante Concilio declaramus, & definimus &c.* Vndè mirum eſt, inquit Hiquæus, & Herincx Sotum lib. 6. de Iuſt q. 1. adhuc auſum fuiſſe huic apertiſſimæ veritati contradicere; indignum eſt quoq; viro tanto, ſubdit Herincx, quòd ait definitionem huius rei, magis ex Philoſophia morali, quàm ſacris literis pendentem, non ſpectare ad Concilium, quaſi verò ad illud non ſpectet determinare quæſtiones rerum, à quibus animæ ſalus pendet.

Dictum eſt in concluſione; Si ſeruentur conditiones &c. Hę autem ſunt quatuor: prima, vt mutuatarij dent pignus idoneum pro aſſecuratione pecuniæ mutuò acceptæ: 2. vt

ad certum tempus ijs permittatur mutuum: 3. quòd ipſi pauperes, ſeu indigentes menſtruè, vel alio tempore ſoluant pro neceſſarijs ad conſeruationem montis: 4. deniquè, vt mutuatarij, anno finito, vel tempore determinato non ſoluerint, eorum pignora publicè vendantur, idquè non aliter, quàm præſente aliquo deputato à Magiſtratu; & quòd ex pretio, detracta ſorte, & menſtruis detrimentis, ſuperfuerit pignorum dominis reſtituatur, & illis deficientibus impendatur in vſus pauperum.

Nec refert, quòd maiori tempore mutuum retinentes plus contribuere debeant; id enim fit non ratione dilati mutui, ſed quia par eſt, vt quæ diutius commodis montium fruuntur, & quorum pignora diutiùs cuſtodiuntur plus pro indemnitate montis contribuant, quia vt etiam Pontifex præmittit in definitione, *regula iuris habet qui commodum ſentit onus etiam ſentire debent;* itaque quicquid ſoluitur montibus redundat in vtilitatem indigentium, & in conſeruationem montium, qui cum plures miniſtros teneant, & vnuſquiſque ſit dignus ſua mercede, oportet illis certum ſalarium tribuere; quòd ſi montes habeant, vndè poſſint ſubſtentare miniſtros, & alias expenſas facere abſque eo quòd pauperes aliquid contribuant, non poſſunt aliquid pro mutuo recipere, ſed gratìs illud præſtare debent.

Quæres. An Perſona priuata poſſit ad inſtar montis pietatis dare mutuum ſub onere recipiendi aliquid vltra ſortem. Reſp. negatiuè; quia in priuata perſona non concurrunt illi iuſti tituli, qui in montibus; tum quià non ageret rem pauperum ex publica auctoritate, vt ſupra indicatum eſt.

DISPVTATIO VI.

De Negotiatione, ſeu mercatura, Venditione, Emptione Societate, Cambijs, & Monopolijs.

QVÆSTIO I.

Vtrum Negotiatio, ſeu mercatura ſit licita.

NOt. Quòd Mercatura, ſeu negotiatio ſic à Petro Marchant. tom. 2. tribunalis Sacramentalis deſcribitur;

Eſt contractus iuſtitiæ, quo dominium, vel vſus alicuius rei, vel quaſi rei ex pacto transfertur in alterum ad aliquam commoditatem ſeu vtilitatem contrahentium, vel Reipublicæ, & Communitatis; cuius definitionis particulæ conſtant ex dictis; ſolum vltimæ particulæ, nempe ad aliquam commoditatem contrahentium, vel Reipublicæ, & Communitatis adduntur, quia in hoc fundatur legitima lucri receptio, & tota iuſtitia, & honeſtas mercaturæ, & negotiationis.

I. Concl. Mercatura, ſeu negotiatio per ſe abſque culpa, & iniuſtitia exerceri poteſt; immò neceſſariò exercetur pro conſeruatione vitæ, & ſocietatis humanæ. Hæc eſt communis, eamque docuit D. Ioan. Chryſoſt. homil. 1. ad Corint. vbi oſtendit, *Deum hoc vinculo voluiſſe homines ad inuicem colligare, vt vnus alterius indigeret adminiculo, vna regio aliquibus gauderet, quibus altera indiget, & è contrà, vt ſic per mutuam negotiationem ſibi inuicem ſuccurrentes ſocietate, & affectu iungerentur*. Vnde in principio cum pecunia nec dum adinuenta eſſet res pro re, ſiue ſpecies vna pro altera commutabatur; ſuperuenientibus verò difficultatibus, vt notat Plinius lib. 33. natural. hiſtor. Metalla, Aurum, & Argentum fuerunt adinuenta tanquam negotiationis inſtrumenta.

Cæterum dicitur in concluſione, per ſe abſque culpa &c. quia negotiatio ex ſui natura eſt licita, ſed redditur illicita per auaritiam, & malitiam hominum, qui fraudibus, dolis, vſuris, iniuſtitijs illam deturpant, & in hoc ſenſu intelligendæ ſunt Scripturæ, & auctoritates SS. Patrum, quæ negotiationem, & mercaturam damnare videntur; Inſuper vitiatur negotiatio ratione finis, vt ſi fiat propter ſolum lucrum præcisè, licèt in hoc non videatur eſſe culpa, niſi venialis, quando non interueniat aliqua iniuſtitia, iuxta cuius grauitatem poteſt eſſe mortale peccatum: 2. ratione materiæ, vt ſi res non vendibilis vendatur, vt ſunt res Sacræ, vel ſi vendibilis, prohibetur tamen aliqua iuſta lege, vt v. g. ne frumentum extra Regnum vendatur: 3. ratione loci, vt ſi fiat in loco ſacro, quod prohibetur *cap. decet de immunit. Eccleſ. in 6. & in Trident. ſeſſ.* 22. non eſt tamen mortale peccatum negotiari in Eccleſia ſolo verbo, vel ſcripto, vel perficere emptionem, & venditionem, dummodo res vendendæ in Templum non adducantur: 4. ratione temporis, vt ſi fiat in die feſto iuxta cap. 1. de ferijs, quod non vide-

tur

tur mortale, vt paſſim tradunt Doctores, ſecluſo ſcandalo immo vbi viget conſuetudo negotiandi in feſtis, vt fieri ſolet in nundinis nullum apparet peccatum. Denique negotiatio redditur illicita ratione perſonæ, quales ſunt Clerici & Religioſi; vndè fit.

II. Concl. Clericis, & Religioſis interdicitur, & inhibetur negotiatio ſeu mercatura per ſe, & immediatè. Hæc patet ex diuerſis text. Iuris canon. præſertim *ex cap. 2. ne clerici, vel monachi, vel clerici cauſa lucri negotientur, & in cap. ſequenti & in cap. Sed nec ne clerici, vel monachi ponitur pœna ſuſpenſionis, & cap. Canonum 14. q. 4. ponitur pœna expulſionis à Clero, & Clementina 1. de Vita, & honeſtate clericorum, ſpoliantur clerici negotiatores priuilegio clericali, quæ quidem pœna, vt obſeruant communiter Doctores non ſunt lata. ſed ferenda, & renouantur à Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. de reformatione*; notant tamen Doctores, quòd nomine clerici veniunt, qui ſunt ſacris initiati. & iuxta plures Doctores etiam, qui prouiſi ſunt de ſufficienti beneficio; notant pariter, quòd canones loquuntur de exercente negotiationem, quod frequentiam denotat (exercere, vel facere duos, vel tres actus negotiationis non eſſe graue) ratio concluſionis eſt, quia *Nemo militans Deo implicat ſe negotijs ſecularibus, inquit Apoſt. 2. ad Timotheum*; ac proinde negotiatio Clericis, & Religioſis indecens eſt, cum eos auertat à functionibus eccleſiaſticis, & exponantur frequenter periculo diuerſorum peccatorum, quæ omnia ſtatui, quem profitētur repugnant.

Notanter in concluſione dictum eſt per ſe, quia non eſt eis interdictum per alios negotiari; hoc enim modo ceſſat finis, & ratio prohibitionis, cum nulla interueniat indecentia reſpectu ſtatus, nec clerici ſæcularibus negotijs immediatè ſe implicant; non enim per alios negotiari reperitur prohibitum; immò Clement. 1. de vita, & honeſtate clericorum id in ſimili caſu videtur permiſſum. Verùm monent Leſſ. Caſpenſ. & alij, hoc non eſſe faciendum, niſi iuſta aliqua cauſa excuſet, vt paupertas, vel neceſſitas &c. alioquin non videntur eſſe immunes, ſaltem à culpa veniali: neque interdicitur Religioſis, & clericis comparare materiam aliquam, ex qua artefacta conficiant, & vendant, quia hoc non eſt negotiari, ſed potius artificium, & hoc modo legimus olim Religioſos ſportulas, & ſimilia laboraſſe; vt venderent, & ex pretio ſe ſuſtentarent, *Et Paulus Actorum*

cap.

cap. 18. Artem Scenofactoriam exercebat. Vndè poſſunt greges alere, prata ad illorum paſtum conducere, oues, & boues emere, & nutrire, ex quibus vendant caſeum, lanam &c. Similiter poſſunt agros proprios colere, & alienos conducere ad propriam ſuam, & ſuorum ſuſtentationem, non autem lucri gratia, *Vt cauetur 21. q. 3. cap. 1. & cap. 1. extra nè clerici, vel monachi*; Si autem in neceſſitate reperirentur, nec haberent vndè viuere poſſent, non eis ad peccatum imputaretur etiam per ſe negotiari, iuxta illud: neceſſitas non habet legem; cum id non ſit ex ſui natura malum: ſupereſt modò explicare, quomodo clerici negotiatores amittant priuilegium clericale, *vt decernitur in cap. finali de vita, & honeſtate clericorum*: Omiſſis diuerſis Doctorum placitis probabilius cenſetur à Molina, & Suarez ſolùm amittere priuilegium immunitatis à tributis, & gabellis, ſeu exactionibus, quod priuilegium amiſſum, vt notat Caſpenſ. tunc recuperant, quando ceſſant à negotiatione. Cæterum diſputant nonnulli Doctores, an clericus negotiator peccet mortaliter negotiando: communis ſententia, etſi quidam pauci contradicant, eſt peccare mortaliter; quod euidenter deducitur ex grauitate pœnæ per Canones allegatos inflictæ.

Quæres. In quo conſiſtat negotiationis Iuſtitia.

Reſp. In tribus potiſſimum fundari lucrum mercaturæ, & titulum negotiationis: primo in valore rei, quæ eſt negotiationis materia: 2. in opere, labore & induſtria eius, qui res conquirit, diſponit, & neceſſitatibus humanis adaptat: 3. in commoditate, quam Reipublicæ, vel hominibus indè parat, quibus pericula, quæ in iſtis omnibus ſubit, iungenda ſunt, quorum laborum, & operum ratione dignus eſt operarius mercede ſua. Vndè mercator ſibi, ſuæquè familiæ alendæ, conſeruandæ, & multiplicandæ neceſſaria iuſtè conquirit iuxtà rationem valoris rerum, operis, & vtilitatis alienæ, & totius Reipublicæ, nec eſt tam parua negotiatio, ex qua commodum non percipiat Reſpublica, vel aliquod eius membrum. Quarè Scot. in 4. d. 15. q. 2. duas regulas ſpectantes peculiariter ad negotiationem tradit. *Prima eſt, quòd talis commutatio ſit vtilis Reipublicæ. Secunda, quod negotiator iuxtà diligentiam ſuam, & prudentiam, & ſollicitudinem, & pericula accipiat in commutatione pretium correſpondens.*

Quæres 2. Quæ iniuſtitiæ à Mercatoribus committantur

reſ-

reſpectu operariorum. Reſp. Plures, & diuerſæ iniuſtitiæ committuntur: primò in defraudatione mercedis illam vel omninò negando, vel diminuendo, vel iniuſtè immutando, de quo conqueritur Iacob cum Laban Geneſi cap. 31. *Immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus*; vel graui damno operarij mercedem differendo, vtpote quia pauper eſt, & mercede ſua indiget ad quotidianum victum, & ſuſtentationem ſui, & ſuę familiæ. Vnde ſæpè præ inopia tabeſcunt. Secundò iniuſtè operarios opprimendo, dum cogunt illos laborare fere pro nihilo, aut pro inæquali, & multò diminuto pretio, quod tamen pauperes operarij coguntur acceptare, ne vacent ab opere, quia non habent alios, qui illos ad ſimilia opera conducant. Et in his ſummæ iniuſtitiæ fiunt, dum potentes Mercatores cariſsimè, quæ ex operibus operariorum proueniunt, diuendunt, & pro fruſto panis (vt vulgò dicitur) pauperum operas conducunt: vndè ſanguine, & ſudore pauperum diteſcunt, ſeque mille iniuſtitijs intricant; & interim de his omnibus conſcientiam non faciunt, nec ſe accuſant: ita diſcurrit, & exagerat Petrus Marchant. tom.2. tribunal. Qua de re clamant contra Mercatores eorum peccata, quia merces defraudatur, vt habetur Iacob. cap. 5. *Ecce merces operationum, qui meſſuerunt regiones veſtras, quæ fraudata* eſt à vobis, clamat, & clamor eorum in aures Domini Sabbaoth introiuit.

QVÆSTIO II.

Quodnam in Emptione, & Venditione, ſeu Negotiatione rerum venalium ſit pretium iuſtum.

NOt. 1. Quòd Emptio ſic communiter deſcribi ſolet: eſt pactio pretij pro merce, ſeu eſt contractus, in quo ſoluitur pretium pro merce. Venditio autem è contra eſt pactio mercis pro pretio. Emptionis, & Venditionis iuſtitia in eo conſiſtit, vt etiam notauimus in diſp. de contractibus in communi, quòd pretium adæquet valorem mercis, & quòd, qui vendit, poſſit rem venditam alienare, & qui emit poſſit ſimiliter alienare pretium, quod dat, & inſuper, vt non vendatur res vitioſa illi, qui vult abſolutè ſanam, & integram. Cæterum aduertendum mercem hic vo-

cari quamcumque rem vendibilem, ſiuè mobilem, ſiuè immobilem, item actiones, & iura, quæ pecunijs æſtimari ſolent. pretium verò eſt pecunia, quæ adinuenta eſt, vt ſit rerum omnium menſura.

Not. 2. Quòd pretium iuſtum aliud eſt à iure taxatum; aliud à prudenti æſtimatione hominum determinatum. *Pretium à iure taxatum, ſeu, vt alij dicunt legitimum eſt, quod lege, aut præcepto ſuperioris conſtitutum eſt attenta materia, & circumſtantijs quæ poſſunt mouere Principem ad aſſignandum maius, vel minus pretium. Pretium autem naturale, ſeu quod pendet ex hominum æſtimatione non conſiſtit in indiuiſibili, ſed habet quamdam latitudinem intra rationem iuſti pretij:* & hoc quidem triplex eſt, aliud vulgare, quod nimirum vulgari, & communi æſtimatione circumfertur; aliud extraordinarium, quod accrementum & decrementum ſumit iuxta circumſtantias, nempe raritatem, abundantiam mercium, expenſas grauiores, vel minores, pericula in rebus comparandis, annonæ caritatis &c. aliud ſingulare, quod eſt rei ſingularis cuius æſtimatio ab hominum opinione pendet, vt eſt gemmarum, picturarum, auium, canum &c. quæ ſingulari æſtimatione hominum venduntur & emuntur. *Pretium autem vulgare habet tres gradus, nempè ſummum, medium & infimum. Summum, ſeu rigoroſum eſt illud, vltra quod omnibus conſideratis circumſtantijs res vendi non poteſt abſque iniuſto lucro. Medium, ſeu moderatum eſt quod attenta rei & circumſtantiarum ratione mediocritatem ſeruat, ac proindè emens non læditur. Infimum eſt, ſub quo abſque vendentis damno deſcendi non poteſt. Ex quo fit, vt illam rem quam aliqui æſtimant centum, alij æſtimant nonagintaquinque, alij centum, & quinque, & ſic proportionaliter de cæteris, vt exceſſus non ſit niſi quinque, aut ad ſummum ſex in centum pretij medij. ſeu moderati, & ſic ex. grat. pretium moderatum alicuius rei poteſt eſſe decem, rigoroſum vndecim, infimum nouem, & ſic proportionaliter diſcurrendum eſt.*

I. Concl. Non poteſt quis abſque iniuſtitia vendere rem vltra pretium ſummum, ſeu ſupremum, ſicut nec poteſt quis emere infra pretium infimum, ſeu pium, ac proindè quicquid accipitur vltra dicta pretia eſt reſtituendum: hæc eſt communis ſententia Theologorum, exceptis Gerſone, & Durando, qui videntur inclinare ad oppoſitum communis ſententiæ. Ratio eſt, quia debet ſeruari æqualitas inter contrahentes; non ſeruatur autem talis æqualitas, ſi res ven-

 datur,

datur, vel ematur vltra, vel infra pretium communi hominum æſtimatione iuſtum; ergo committitur iniuſtitia, & ad reſtitutionem tenetur: *Immò ſi læſio ſit infra dimidium iuſti pretij datur actio læſis tam ex Iure Cæſareo, quàm ex Iure Canonico, vt conſtat ex cap. cum dilecti, & cap. cum cauſa de empt. & vendit. & ex leg. Ciuili 2. C. de reſcind. vendit.*

Cæterum in concurrentia pretij legitimi, & pretij vulgaris, ſi legitimum excedat vulgare, non licitè exigitur legitimum, quia taxatio pretij communiter fit in gratiam emptorum, ſi tamen in caſu ſpeciali ſimilis taxatio facta eſſet in gratiam venditoris, vti fieri ſolet in venditione cenſuum perpetuorum, aut vitalitiorum, & aliorum Iurium, quæ non ſolent vendi niſi ab inopia, & neceſſitate oppreſſis, tunc licitum erit exigere pretium legitimum maius vulgari, ac proindè peccaret, qui ſimilia emeret infra taxatum pretium; quando verò vulgare eſt maius legitimo, huic ſtandum eſt, cum hoc à ſuperiore taxetur, ne à vendentibus committatur exceſſus: excipitur tamen niſi taxatio cedat in notabile grauamen venditorum, vt ſi v. g. taxatio facta à Principe abundantiæ tempore continuaretur tempore ſterilitatis. Ratio quia lex taxans eodem modo pretia rerum v. g. frumenti tempore ſterilitatis, & abundantiæ eſt iniuſta, & irrationabilis; tunc enim pretium non commenſuratur valori rei in latitudine pretij ſecundùm communem æſtimationem: Tum quia commune eſt legibus humanis, vt in illis aliquando Epicheia locum habeat, ſpectatis rerum circumſtantijs, quæ nil aliud eſt, quàm legis emendatio, & interpretatio; cum ergo lex de taxa frumenti ciuilis ſit, & humana debet, & ipſa in aliquo caſu particulari, qualis eſt de ſterilitate, & abundantia admittere Epicheiam; nam in tali caſu præſumendum non eſt voluntatem Principis eſſe, vt lex eadem ſeruetur tempore ſterilitatis, & abundantiæ, *Quia leges mutari debent, vt pro regula habent DD. cum notabiliter rerum circumſtantia varientur, adeout ſi Princeps eſſet notabiliter negligens iam inciperet lex eſſe iniuſta, vt inter alios notat Caſpenſ. tom. 2. tract. 19. de contract. diſp. 4. ſect. 3.*

II. Concl. Non poteſt quis abſque iniuſtitia vendere, aut emere, non ſeruato pretio legitimo, ideſt à Principe taxato, ſi merces non ſint notabiliter alijs meliores. Hæc pariter eſt communis, & probatur; quia Reſpublica poteſt ta-

xa-

xatione pretij legitimi præiudicare libertati priuatorum ad vendendum, vel emendum vltra pretium præſcriptum, præſertim in victualibus, ne monopolijs, & oppreſſioni iniqua porta pateat. Notanter dicitur quando merces non ſunt notabiliter alijs meliores, tunc enim, vt aduertit Herincx cum Leſſio, Lugo, & alijs, vendens merces poteſt plus exigere ſpectata æquitate, ſicut enim poſſet ijs de induſtria miſcere viliores, quouſquè redigantur ad ſtatum, & qualitatem ordinariarum mercium v. g. temperando vinum generoſiſſimum alio vino tenui, maximè ſi tale vinum non ſit ab emptore ſeruandum.

Arg. cont. 1. concl. quòd non poſſit vendi, vel emi pretio ſupremo, vel infimo. Pretium, vt ſupra indicauimus eſt menſura, ſeu valor rei vendibilis; ergo non poteſt dari niſi vna menſura ei adæquata; ſed pretium infimum, medium, & ſupremum ſunt tres menſuræ inadæquatè, & inæquales; ergo non poteſt vendi, nec emi niſi vnico pretio, ſicut pretium legitimum eſt vnicum tantùm.

Reſp. conc. ant. & diſt. conſ. nõ poteſt dari niſi vnica menſura, ſi talis menſura ſit tantùm mathematica conc. conſ. ſi autem ſit mathematica, & ſimul moralis, vt eſt in propoſito neg. conſ. Iàm enim diximus in diſp. de virtutibus in communi, & in diſput. de principijs generalibus Iuſtitiæ, & Iuris virtutem conſiſtere in medio: hoc autem medium licèt videatur eſſe peculiare reſpectu iuſtitiæ commutatiuæ, quę exigit medium arithmeticum, ſeù mathematicum; tamen regulatur à ratione, ad quam ſpectat hic, & nunc determinare medium etiam reſpectu venditionum, & emptionum. Ratio autem dictat pretium vulgare regulari debere ex communi hominum æſtimatione. Quarè pretium tàm ſupremum, quàm infimum, & medium, penſatis omnibus circumſtantijs, habent rationem medij iuxta regulas iuſtitiæ commutatiuæ.

QVÆSTIO III.

Quibus de cauſis pretium naturale, ſeù vulgare poſſit augeri, vel diminui abſquè iniuſtitia.

NOt. Quòd hic non loquimur de damno emergente, nequè de periculo, quæ vt diximus in præcedenti diſputa-

ta-

tatione ſunt tituli legitimi exigendi in emptione, & venditione aliquid pluris, neque pariter loquimur de ſolutione dilata, vel anticipata, quià in citata diſputatione ſatis monſtrauimus ob dilatam ſolutionem præcisè nihil ſupra, & ob anticipatam præcisè ſolutionem nihil infra iuſti pretij latitudinem ex iuſtitia dari, vel recipi poſſe. Sed quærimus, an præter ſupradictos legitimos titulos dari poſſint aliquæ cauſæ, quæ iuſtè, & legitimè poſſint augere, vel minuere pretium rei in emptione, & venditione.

Concl. Plures cauſæ à Doctoribus paſſim aſſignantur, quibus mediantibus in emptione, & venditione augeri, vel minui poteſt iuſtè, & legitime pretium rerum.

Prima ergo cauſa pretium immutandi eſt abundantia, vel inopia mercium: ratio eſt, quia, quæ abundant minùs æſtimantur, quæ verò rara ſunt, & minùs in promptu magìs æſtimantur, ex quo fit vt pretia rerum augeantur ex abundantia emptorum, quia quando emptores abundant merces minùs cenſentur abundare, & magìs æſtimari: ſicut etiam quando ſunt pauci mercatores, pretium minuitur, quia cenſetur tunc copia mercium, & inopia emptorum. Inſuper creſcit pretium mercium etiam ex parte ipſius pecuniæ, dum videlicet illa abundat, ac proindè euadit vilior, adeout plus pecuniæ pro merce detur, quàm non daretur ſi non ita abundaret: patet enim, quòd pro eodem nummo plus mercium accipitur vbi eſt pecuniæ raritas, quàm vbi abundantia, & ad hanc cauſam reducitur variatio pretij mercis vltroneæ, iuxta illud merces vltroneæ vileſcunt, quando enim venditor rogat, perinde eſt ac ſi eſſet illius rei abundantia, ſicut etiam quando emptores rogant cenſetur rei penuria, qua ratione in fine nundinarum merces minoris venduntur, quàm ab initio: ſimiliter Scholares in patriam reuerſuri, completis ſtudijs, libros ſuos minoris vendunt, & Milites pariter ſpolia capta, cum non poſſint ea commodè retinere, viliſſimè vendere ſolent. Quòd ſi quæras in hoc euentu quanti merces vileſcant? Reſpondent communiter Doctores vileſcere pro tertia parte, ita Leſs. dub. 4. nec deſunt Doctores, qui dicunt vileſcere pro medietate: ita Rebell. q. 1. n. 36. & Caiet. verb. Emptio cap. 1. vbi affirmat pallium, quod in officina mercatoris valet quatuor aureos, ab emptore rogato poſſe emi duobus: Non tamen

men videtur admittendum, quod ait Diana, nempè, quòd poſſit res minoris emi ab illo, qui neceſſitate compellitur ad vendendum, nam neceſſitas facit, vt venditor offerat ſuam rem; immò ait poſſe emi pro medietate: Videtur enim peccare contra charitatem ſaltem proximi, qui ob neceſſitatem vendentis tam vili pretio rem emeret à perſona particulari; aliud enim dicendum eſt de mercatore, aliud de aliquo particulari, qui ſuam rem domeſticam ob neceſſitatem vendit, & venditorem rogat, quia ſic videtur neceſſitatem pauperis venditoris in tantam ſui vtilitatem vertere.

Secunda cauſa eſt modus vendendi, quia vt docet Scot. & alij, qui vendit ex officio, vt mercator, pluris vendere poteſt, quàm alij, qui non ex officio, ſed ex occaſione aliqua vendunt: ratio patet ex dictis, quia negotiatio, & mercatura præſefert pericula, curas, labores &c. quæ ſunt pretio æſtimabilia: qua ratione Princeps, aut Reſpublica poteſt concedere, immò aſſignare negotiatoribus maius pretium, & illud alijs non vendentibus ex officio negare.

Similiter modus vendendi rem ſub haſta iuxta Cordub. Salon. Dian. & alios poteſt res emi pretio dimidio; immò Vuigg. Caiet. Malderus, & alij addunt pretium iuſtum in Subhaſtatione eſſe quod vltimum offertur: ratio quia poteſtas publica cenſet illud pro iuſto pretio illius fori extraordinarij, & quaſi fortuiti æſtimare, quod in publico concurſu emptorum tanquàm quodam examine probatum fuerit; ità tamen, vt abſint fraus, & dolus, vndè non videtur venditor poſſe inducere emptores fictos, vt ſic augeatur pretium, nequè emptor per vim, aut dolum auertere, vel impedire alios ab emendo; quòd ſi per hęc media iniuſta res multò plus vendatur, quàm valeat, vel multò minus ematur, reliquum pretium vel à venditore reddi, vel ab emptore augeri debebit. Huc etiam reuocatur modus vendendi minutim, hoc enim modo cariùs vendi poteſt, quàm ſi vendatur in magna quantitate ob labores maiores, periculum in longiori conſeruatione &c.

Tertia cauſa eſt ſpecialis quædam affectio, qua venditor proſequitur ſuam rem; vndè ait Scot. in 4. *Quod ſi quis multum indiget re ſua, & per magnam inſtantiam inducatur ab alio vt vendat, vel permutet pro re alia, poteſt ad ſeruandum ſe indemnem carius vendere* v. g. ſi quis cum delectatione vteretur equo pro-

 pter

pter peculiarem modum ambulandi, & ad inſtantiam emptoris priuetur tali rationabili delectatione, iuſte poterit aliquid vltra commune pretium exigere. *Secùs autem ſubdit Scotus ſi emens magnum commodum conſequatur ex illa re ſibi vendita, vel permutata abſque vllo damno venditoris, aut incommodo; tunc enim non poteſt carius vendi, vel permutari, quià propter malus commodum emptoris nec res mea eſt in ſe pretioſior, nec mihi melior, quia eſſet vendere commodum alterius, quod ex re empta ſequitur.*

Cæterùm addi poteſt etiam quarta, nimirùm nouitas, vel antiquitas rei, quià omnia noua placent, & antiquiora pluris æſtimantur, ſic ſtatuæ, picturæ, & monetæ antiquiſſimæ ſunt in maxima æſtimatione apud viros ob raritatem, vel curioſitatem.

QVÆSTIO IV.

Vtrum emptio, vel venditio rei cum pacto de retrouendendo ſit licita.

NOt. Quòd pactum de retrouendendo aliquando poni poteſt in fauorem venditoris, & grauamen emptoris, vt ſi venditor obliget emptorem, quòd rem venditam ſibi reuendat, quotieſcumque pretium reſtituerit. Aliquando poni poteſt in fauorem emptoris, & grauamen venditoris, vt ſi emptor obliget venditorem ad rem à ſe emptam poſt aliquod tempus redimendum. Et aliquando poni poteſt in fauorem vtriuſque, nempè emptoris, & venditoris, ità vt liberum ſit vtriquè contractum reſcindere, & diſſoluere ſi voluerit. Inſuper aduertunt paſſim Doctores diſcrimen eſſe inter pactum appoſitum primo, vel ſecundo modo aſſignato, nam appoſitum primo modo, ideſt in fauorem venditoris reddit rem minoris valoris, quià ad emptorem non tranſit pleno iure: res autem libera magis valet, quam valeat oneri ſubiecta, quale eſt retrouenditio: Tum quià imponitur tali pacto grauamen emptori pretio æſtimabile, quod proindè diminutione pretij compenſari debet; quarè aliqui aſſerunt rem, quæ venditur cum pacto retrouendendi in fauorem ſolius venditoris minus valere tertia parte: Alij dicunt valere minus quarta tantùm parte: & alij hoc remittunt arbitrio prudentum, & ſtatutis lo-

locorum, in quibus contractus celebratur. Pactum autem appoſitum ſecundo modo, ideſt in fauorem ſolius ementis res plus valet, quàm non valeret, quià venditor ſubit grauamen, quod eſt pretio æſtimabile. Quod ſi pactum apponatur in fauorem vtriuſque, tunc pretium variari non debet, quià ſic ſeruatur æqualis conditio vtriuſquè contrahentis. Ita diſcurrunt communiter Doctores, & ſignanter Bonac. diſp. 3. q. 2. punct. 3.

Concl. Emptio, vel venditio rei cum pacto de retrouendendo in fauorem venditoris, & grauamen emptoris, aut è contra, fructibus ab emptore perceptis in ſortem non computatis, non eſt illicita ratione vſuræ, neque eſt iniuſta, ſi tale grauamen emptori, vel venditori impoſitum iuſtè compenſatur. Prob. 1. *ex l. quòd ſi nolit ff de ædilitio. edicto, & l. 2. C. de pactis inter emptorem, & venditorem, vbi traditur huiuſmodi contractum eſſe iuſtum*. Prob. etiam ratione, & quidem à priori, nam Dominus ſicut poteſt rem ſuam non vendere, ità poteſt limitare, & emptori onera, quæ voluerit imponere, dummodo pretium minuat iuxta oneris appoſiti æſtimationem; vndè ſicut eo pacto domum v. g. vendere poſſet, vt emptor nunquàm alienare poſſet, ità etiam ea lege vendere poteſt, vt teneatur eam ſpatio tanti temporis alienare, nec ſibi in perpetuum retinere; ergo pari ratione poterit ea lege vendere, vt emptor teneatur iterum venditori eam vendere; cum vnuſquiſque rei ſuæ, quam vendit, vel commutet leges, & conditiones ſibi placitas apponere poſſit, dummòdò tamen, huiuſmodi oneribus conſideratis, pretium pro eorum æſtimatione decreſcat.

Prob. 2. in tali contractu non reperitur ratio mutui formalis, neque virtualis, ac proindè ratione vſuræ non poteſt eſſe illicitus: prob. ant. etenim in vtroquè mutuo tam formali, quàm virtuali mutuatarius tenetur ad aliquid faciendum, vel reſtituendum mutuanti, e. g. qui vendit rem carius iuſto pretio dilata ſolutione, in qua venditione eſt vſura palliata ratione mutui virtualis, tenetur, tranſacto termino præfixo ſolutioni, reſtituere tale pretium iniuſtum ex pacto, ſed in hoc caſu venditor ad nihil tenetur; ſiquidem ſi nolit iterum emere non obligatur ab emptore, ergò emptor nihil virtualiter mutuat venditori, cum mutuum etiam virtuale conſiſtere non poſſit ex parte mu-

tuatarij ſine obligatione ex pacto tacito, vel expreſſo ad reddendum.

Arg. *cap. ad noſtram de Empt. vbi Innocentius III. vſurarium contractum declarat quo quis emerat domum cum pacto de illa retrouendenda quandocumque venditor pretium reſtitueret, & cap. illo vos de pigneribus præſumitur contractus vſurarius, quo res venditur cum pacto de retrouendendo*; ergo &c. Reſp. in cap. cit. noſtram ſolùm declarari contractum de retrouendendo eſſe vſurarium non ex natura ſua, ſed ex præſumptione fraudis, & doli, idquè ex eo colligit Pontifex quià vix erat dimidia pars pretij, quæ pro re vendita offerebatur, vt ibidem dicit; & pari ratione in cap. illo vos; ſimilis contractus damnatur ex præſumptione vſuræ, vt ex verbis textus colligitur, ità ex communi reſpondet Maſtrius.

Arg. 2. auctorit. S. Scrip. in Leuit. cap. 25. ſic habetur: *Si attenuatus frater tuus vendiderit poſſeſſiunculam ſuam &c. & ipſe pretium potuerit ad redimendum inuenire computabuntur fructus ex eo tempore, quo vendidit, & quod reliquum eſt reddet emptori*; ergo clarè habemus huiuſmodi contractum non eſſe licitum.

Reſp. 1. cum Caſpenſ. & Molin. ſcripturam Leuitici fuiſſe ſpecialem Dei diſpoſitionem in gratiam illius Populi, quarè ex eo loco non poteſt ſumi argumentum contra noſtram concluſionem. Reſp. 2. cum Stephano à Sancto Gregorio lib. 2. cap. 39. relato à Maſtrio, cuius reſponſioni ipſe ſubſcribitur: illam venditionem non fuiſſe veram fundi venditionem, ſed erat tantùm venditio quædam fructuum fundi vſquè ad annum quinquageſimum, ideſt Iubilæi, in quo omnia primis Dominis reddebantur; vndè iuxta quantitatem annorum, in quibus fundus manebat apud emptorem, fundus minus, vel plus æſtimabatur iuxta quantitatem fructuum vſquè ad annum Iubilæi percipiendorum, ideoquè vera venditio vocari non poterat, quia in ea non transferebatur dominium, niſi ad fructus percipiendos vſq; ad dictum tempus, in quo tempore ſi aliquid ſupererat ex computato fructuum pretio venditor reſtituebat, & ſuum fundum recipiebat, at in venditione, de qua hic agimus, datur translatio dominij, quamuis maneat obligatio iterum reuendendi.

Quæres 1. An poſſint emi debita, ſeu Chirographa minus quàm valeant. Reſp. quod Chirographum, ſiuè debitum quod-

quodcumque poteſt minoris emi, ſi ſolutio ſit futura ambigua, vel difficilis ſolutionis: Item ſi per hoc ceſſet lucrum, vel damnum aliquod emergat, quia huiuſmodi tituli, qui plerumque ſolent adeſſe, addunt huiuſmodi Chirographa, & debita alteri minùs æſtimabilia. Nec refert, quòd emens propria induſtria, aut per ſuos amicos ſit faciliter ea obtenturus modò debitum in ſe ſit ambiguum, & ſolutio difficilis, quia adhuc tunc datur iuſtum pretium iuxta communem hominum æſtimationem. ſecùs autem ſi nullus ex prædictis titulis verè ſubſit, tunc enim erit vſura palliata minuere pretium. Ita communis Doctorum ſententia; quicquid dicat Diana cum nonnullis alijs eo fundamento nixus, quòd pecunia præſens pluris æſtimetur, quàm abſens, quæ quidem ratio fuit ſuperiùs improbata, & reiecta tamquàm falſa.

Quæres 2. An Famulus, ſeu qui rem nomine alterius, deſignato pretio, vendendam, & emendam ſuſcipit, poſſit incrementum, aut decrementum eiuſdem ſibi retinere?

Reſp. probabiliter affirmatiuè, ſi non ſit Famulus, nec obtineant mercedem pro ſuo labore, quia ex propria induſtria, quæ eſt pecunia æſtimabilis illud plus accipit: ita Angelus, quem plures Recentiores ſequuntur, maximè ſi Dominus ſatis apertè ſignificet ſe reſiduum dandi, vel accipiendi pretij aliàs iuſti ei cedere, quod cenſetur tacitè facere iuxta Corrad. Nauar. & alios, quos refert, & ſequitur Caſtropal. diſp. 5. punct. 16. Secùs autem ſi ſit famulus, & accipiat aliundè ſuæ induſtriæ pretium, quia licèt dominus rei pretium taxarit, id tamen fecit, ne infra illud deſcendatur non verò, ne aſcendatur ſupra. Hinc tradunt communiter Doctores, Sartores, quibus aliquis emendum pannum committit, aliquid de pretio retinere non poſſe ſub prætextu, quòd ab alijs mercatoribus carius emere poſſent, quia ad moralem diligentiam tenentur, vt quoad fieri poteſt vtiliùs emant, nequè decrementum pretij ſibi retinere poſſunt: quod ſi ſincerè procedunt quaſi in proprio negotio, & mercator in gratiam eorum, quòd ipſius officinam frequentent partem pretij remittat, eamquè ſe donare affirmet eiſdem, poſſunt quidem ſpectato rigore iuſtitiæ illud ſibi retinere. In tali enim emptione etiam tempus perditum conſiderandum venit, quod eſt pretio æſtimabile. Verùm

tùm in praxi res eſt plena periculis, & videntur Sartorum furta palliata cum aliundè videatur ſartori in his ſatisfieri per hoc quod detur ei veſtis conficienda, & pro manufactura debitum ſtipendium; ideoque conſulendi ſunt, vt ſe abſtineant.

Quæres 3. An qui ſcit, rem breui minùs valituram poſsit vendere licitè pretio currenti, maximè ſi id ſecretò nouit.

Reſp. diuerſa ſunt Doctorum placita circa præſens quæſitum; Nos breuitati intenti, aliorum opinionum miſsis, dicimus cum probabiliori, & communiori ſententia D. Thomæ, & plurimorum Recentiorum licitum eſſe: ratio eſt, quia adhuc in hoc caſu pretium currens eſt iuſtum, cum iuſtum pretium cenſeatur quod Principis lege, vel communi æſtimatione conſtat; ergo agnoſcens abundantiam proximè futuram poteſt res iuſtè pretio currenti vendere. Nec ſcientia priuata, & ſecreta venditoris communem æſtimationem variat, ſicut nec priuata ſcientia emptoris, alioquin emptor non poſſet v. g. frumentum, oleum &c. emere pretio currenti, ſi ſciret pretium poſtea augendum, quod conſtat eſſe falſum exemplo Ioſeph Geneſ. 41. ementis frumenta Ægypti ob imminentem ſterilitatem. Monet tamen Herincx charitatem exigere, vt dum venditor abſque graui, ſeu pari damno proprio poteſt, caueat damno graui emptoris, puta vendendo eas merces conſumpturis ante diminutionem pretij, vel diſtrahendo inter plures diuerſos, qui nihilominus ab alijs illa eſſent empturi. Prædictam doctrinam extendunt communiter. Doctores ad locationem, & conductionem v. g. domus, ſi æſtimatio ſit breui minuenda ob diſceſſum aulæ ſecretæ inſtantem. Similiter eam extendunt ad caſum, quo ſecretò ſcitur conditum, vel imminens decretum, etſi non publicatum (quouſque vi caret) de minuendo valore pecuniæ, quæ nihilominus iuxta præſentem valorem diſtrahitur, quod & ad ipſos Senatores extendit Card. de Lugo, niſi caſu, quo ex induſtria promulgationem differrent, donec ipſi, & eorum amici pecunias minori valore diſtraxiſſent, idquè ob poteſtatis ad bonum commune conceſſæ abuſum, qui tunc ſubeſt in præiudicium populi.

Cæterùm aduertit Leſs. & cum eo Herincx, venditorem non ſolùm ſpontè, ſed nec rogatum de futura mutatione teneri eam indicare cum ſuo præiudicio, adeoquè diſsimulare

lare poſſe: etſi abſtinere debeat à poſitiua deceptione nempe oppoſitum emptori ingerendo, & ſic ad contractum ineundum mouendo, tunc enim dolus dare cauſam contractui videretur, ac proindè eſſet obligatio compenſandi intereſſe alterius, & idem eſt, ſi aliæ fraudes adhibeantur.

Quæres 4. Cui res empta pereat.

Reſp. ſi pereat poſt traditionem, perit emptori, quia eſt eius Dominus, & res Domino perit: Si autem pereat ante traditionem, & ſit res determinata perit eidem emptori, prout etiam eius fructus accreſcit, *Vt habetur Inſtit. de emptione, & vendit. §. cum autem*, niſi fortè pereat culpa lata, vel leui venditoris, quia tenetur cuſtodire rem venditam, & non traditam emptori, *Ac proindè tenetur de dolo, lata culpa & leui, non verò de leuiſſima leg. quod ſæpè §. ſi res ff. de contrahen. emptien.* Si verò fuerit res indeterminata, vt decem capita ex grege, decem ſacci tritici ex granario, vel ſi etiam emat rem determinatam, ſed ad menſuram, v.g. totum aceruum tritici vno ſcuto in ſingulas menſuras perit ante traditionem rei, vel menſurationem venditori: *Ita expreſsè leg. quod ſæpè 35. §. in his de contrahend. empt.* ratio eſt, quia tunc intelligitur tacita conditio, ſi res tradatur, vt decernitur in leg. cit. vndè donec impleatur conditio, non cenſetur perfecta venditio. Dictum eſt ſupra, prout fructus rei venditæ emptori accreſcunt ante traditionem: quod intellige ſi emptor pretium ſoluerit, quia, vt quamplures Doctores ex varijs legibus tradunt, æquum non eſt, vt emptor fructus rei venditæ fructus percipiat, & venditor non poſſit frui pretio ſibi debito.

QVÆSTIO V.

Vtrum vendens teneatur manifeſtare vitium rei ei, qui illam emere intendit.

NOt. Quòd triplex poteſt eſſe vitium rei venditæ, vel vendendæ. Primum in ſubſtantia, vt ſi aurum apparens vendatur pro vero. Secundum eſt in quantitate, vt ſi deficiat in debita menſura, vt non libra pro libra &c. Tertium in qualitate, vt cum venditur equus cœcus, claudus &c. ac ſi non haberet huiuſmodi vitia, vel vinum aqua

mix-

mixtum pro vino puro, etſi hoc vitium reduci poſsit ad primum, ſcilicet ad ſubſtantiam, quia partim venditur aqua, partim vinum, vel etiam ad ſecundum, quia, cum aqua vino miſcetur, datur minor menſura vini; & ſic de tritico, quando miſcentur alia ſemina. Quodlibet autem vitium ex iſtis poteſt eſſe vel occultum, vel manifeſtum &c.

I. Concl. Vitium afficiens ipſam rei ſubſtantiam moraliter ſpectatam eſt manifeſtandum. Ita Herincx ex communi ſententia, quod ſi non manifeſtaretur, contractus eſſet nullus. Limitant tamen quamplures Doctores hanc concluſionem, dicentes, contractum fore validum & iuſtum, quando vna ſubſtantia venditur pro alia æquè bona & vtilis emptori ad finem ſuum: ſimiliter ſi vitium ſit in quantitate, puta numero, pondere, vel menſura: aut in qualitate, puta ſi Pecus ſit morbidum, vinum aceſcens &c. Committitur pariter iniuſtitia, ſi hæc omnia vendantur, ac ſi iuſta quantitas, aut qualitas adeſſet. ideoquè venditor tenetur ad reſtitutionem iuxta augmentum pretij. Quod verum eſt, licet ipſe venditor vitium ignorauerit, cum nihilominus ſubſit materialis iniuſtitia. ac proindè ad reſtitutionem tenetur, detecto vitio, in quantum pretium extat, aut indè factus eſt ditior.

II. Concl. Venditor non tenetur aperire vitia ex ſe manifeſta, cum emptor ipſe ea agnoſcere poſſit: ita Nauar. cap. 33. Caſpenſ. Herincx, & alij communiter. Idquè verum eſt etiamſi ab emptore non aduertatur, modò inaduertentia ſit ex negligentia, & ignorantia culpabili emptoris; tunc enim ſuæ temeritati imputari debet, ſi ea indagere neglexerit; niſi fortè ſit adeò ſimplex, aut cœcus, vt reſpectu illius cenſeatur vitium occultum; ſemper tamen debet pretium ad æqualitatem defectus cuiuſcumquę diminui.

III. Concl. Venditor non tenetur manifeſtare etiam vitium occultum emptori, ſed ſatis eſt iuxta vitij exigentiam de pretio diminuere, ne fortè ait Caſpenſ emptor inſolentior factus, plus velit de pretio detrahi, quàm ſit iuſtum. Ratio eſt, quia cum ſeruetur æqualitas pretij, & detur emptori res iuxta pretij quantitatem vtilis, nulla videtur committi iniuſtitia. Ita D. Thomas, quem communiter Doctores ſequuntur. Verùm nonnulli hanc ſententiam limitant, vt non procedat quando emptor, ſi vitium nouiſſet, nullo

mo-

modo eſſet rem empturus. Tunc enim cenſetur inuitus, & inuoluntarius emere, ac proindè contractus eſt nullus. Quod confirmatur *Ex lege in rebus § Item qui ſciens ff commodati, vbi ſtatuitur vt venditor manifeſtet emptori occulta vitia, alioquin actionem contra illum concedit* Nihilominus, hac limitatione non obſtante, putat Caſpenſ cum communi ſententia nullam iniuſtitiam committi, quandò venditor nullo mendacio, vel dolo vtitur, ſed merè negatiuè ſe habet, ſi aliundè non poſſit rei ſuæ iuſtum pretium habere. Vndè ad leg. cit. reſpondet cum Molina loqui in caſu, quo vitium eſſet graue, & res noxia & minùs vtilis emptori; & etiam quandò emptor explicat ſe nolle rem emere, niſi careat vitio, tunc enim contractus eſſet omninò inuoluntarius, ac proindè inualidus, & inſuper excipiunt tres caſus; primus eſt ſi vitium ſit periculoſum emptori, vt ſi equus ſit furioſus, iumentum malitioſum, vinum ſtatim, vel de facili vitioſum euaſurum, cum aliàs ematur ad ſeruandum in poſterum; ſecundus, quando ad finem ementis res eſt inutilis, vel parùm vtilis, vt ſi quis vendat aromata nimis vetera pro recentibus, pannum aduſtum pro firmo, ſemina corrupta pro ſanis. Tertius cum venditor probabiliter intelligit emptorem emere ad reuendendum: tunc enim & in alijs ſupradictis caſibus tenetur venditor aperire vitium, ne emptor reuendat maiori pretio rem, quàm cum illo vitio valeat.

Cæterùm monent Doctores Confeſſarios cautè, ac prudenter ſe gerere debere erga mercatores præſertim vini, tritici, olei, & huiuſmodi, ne ijs aperiatur porta, qui facilè iudicarent per ſimilem mixtionem res ſuas non reddi viliores, quàm ſint illæ, quæ paſſim ab alijs venduntur. Adde ex Franc. Bonaſpei, & alijs in quibuſcumque mercibus minuere menſuram ad iuſtum pretium obtinendum, niſi manifeſtè conſtet de iniuſtitia pretij taxati (quod non facilè præſumendum) eſſe multis fraudibus obnoxium, ac proindè non facilè à Confeſſarijs diſſimulandum.

QVÆ-

Vtrum Monopolia ſint licita.

NOt. Quòd Monopolium ſecundùm nominis etymologiam nil aliud importat, quàm vnius, ſeu ſolius venditionem, quaſi vnus tantum in Ciuitate, vel Oppido vendat: Itaque *Monopolium committitur dùm vnus ſolus, aut pauci ſimul procurant vt emptio, vel venditio ad ſe ſolos deuoluatur, vel pactum ineunt de non emendis, vel vendendis mercibus, niſi pretio à ſe ſtatuto*. Hoc autem quatuor modis fieri poteſt: Primo auctoritate Principis concedentis, vt vnus ſolus vendat tales merces & hoc monopolium abſque dubio eſt licitum, ſi non contingat fraudem ex parte concedentis, aut accipientis priuilegium; quod quidem priuilegium cum à Principe debeat concedi in bonum commune, conſequenter prudens Princeps in ſimili caſu taxare debet pretium, ne nimis grauetur Communitas. Secundo modo fit Monopolium, dùm aliqui conueniunt de non vendendis mercibus, niſi pretio rigoroſo, vel de non ementibus niſi pretio infimo. Tertio modo fit Monopolium, quando tempore meſſis, vel aliàs vnus, aut pauci emunt omnia frumenta, vel alias merces vili pretio, vt eas poſtea reuendant cariori, quàm venderentur ceſſante monopolio. Quartò denique fit Monopolium, dùm aliquis, vel aliqui impediunt, ne merces inducantur ab alijs, vt ipſi vendant ſuas cariùs, quàm non venderent independenter à monopolio. Quæritur ergo in quæſtione an Monopolium ſemper, quomodolibet ſit licitum.

I. Concl. Illicitum eſt Monopolium, quando monopulæ conſpirant in pretium, quod independenter à monopolio excederet pretium rigoroſum iuſtum, ac proindè peccant contra iuſtitiam cum obligatione reſtituendi exceſſum, & contra charitatem. Hæc eſt Scoti in 4. diſt. 15. q. 2. art. 2. & videtur communis, vbi Doctor ait ſic: *Negotiantes faciunt huiuſmodi venalia, vel vſualia cariùs ementi, quàm debent eſſe, & vtiliùs vendenti, & ſic vtramque partem damnificant, ac proindè huiuſmodi negotiatores, inquit Scotus, ſunt vituperabiles, & à Republica exterminandi, & exulandi: & expreſſè tale monopolium prohibetur leg. vnica C. de monopolijs, vbi etiam pœna ſtatuitur monopolium exercenti, quam Scotus indicat his verbis: Si quis Monopolium*

 an-

auſus fuerit exercere bonis proprijs expoliatus perpetuitate damnetur exilij, & huiuſmodi lucra damnantur tanquam turpia, & iniuſta etiam à Iure Canonico Canone quicumquè 14. q. 4 Idem proportionaliter dicendum de emptoribus inuicem conſpirantibus de non emendo merces niſi pretio inferiori infimo, quià ſunt pariter cauſa, vt venditores iniuſtum damnum patiantur in ſuis mercibus vendendis.

II. Concl. Si Monopolium fiat inter mercatores conſpirantes de non vendendo niſi tali pretio ſupremo, intra tamen latitudinem iuſti pretij, eſt illicitum, & iuxta plures Doctores monopolæ peccant contra Iuſtitiam, & iuxtà alios ſaltem contra charitatem. Hæc eſt ſententia probabilior, quam docent Rebell. Turianus, Caſpenſ. Fauent. Herincx, Maſtrius, & alij contra Molinam, & plures alios, nempè Bonac. Leſſ. Solonium, Poncium Minoritam, & alios, eo fundamento ductos, quòd ſecluſa vi, aut fraude, ſpectato iure naturali talis conuentio non ſit contra iuſtitiam. Prob. quià per talem conuentionem fit contra Ius, quod habent homines liberè agendi cum venditoribus de aſsignando pretio in latitudine iuſti, ac proindè per eam infertur damnum Reipublicæ, & emptoribus quia, ſecluſa tali conſpiratione, plures emerent pretio infimo, aut medio, qui coguntur emere pretio ſupremo, & conſequenter fit contra ius ementium, quia licèt fiat de pretio ſupremo in latitudine iuſti, excluditur tamen aliud pretium, ſub quo frequenter fieret venditio, & ſic læditur ius aliorum. Tum quia iſti mutant pretium, cum iam non maneat niſi pretium rigoroſum, ergo etiam iniuriam faciunt Reipublicæ, ad quam pertinet pretia conſtituere. Quòd autem ſaltem peccent contra charitatem patet, quia magnas anguſtias inferunt proximo, qui indiget emere, vel vendere tales merces.

III. Concl. Monopolium, quod fit tempore meſſis, vel aliàs, quando vnus, aut pauci emunt omnia frumenta &c. vt indicatum eſt ſupra in tertio modo, etiamſi non intendant vendere niſi ſupremo pretio in latitudine iuſti, eſt illicitum, & contra iuſtitiam. Hæc videtur ferè communis ſententia, vt notat Caſpenſ. & ita tradunt ſignanter Nauar. cap. 23. Rebell. Lugo, Fauent. & alij contra Molin. Leſs. Turian. quibus conſentit idem Caſpenſ. immò hanc ſententiam cenſet probabiliorem.

Prob.

Prob. eadem ratione, qua probata fuit 2. concl. & inſuper, quia dum tales mercatores tantam copiam mercium emunt adſupprimendum, & recludendum, cogunt Ciues pretium augere, cum raritate mercium, vel venditorum pretium creſcat, ſed hoc videtur eſſe contra Ius, quod habet Reſpublica, vt quando tanta copia eſt in ciuitate, pretium non augeatur; ergo peccant contra iuſtitiam.

Cæterùm quid ſentiat Scotus circa hanc difficultatem aperit Maſtrius in Theol. moral. diſp. 5. de contract. q. 1. art. 4. vbi ait: Scotum primam opinionem ſequi de ijs, qui vulgò Regatores, qui priuatos impediunt, ne merces emant ab ijs, qui eas aſportant, ſed ipſi eas anticipatè emunt, ita vt alij poſtea cogantur cariùs emere de manibus eorum, & cum faciant merces cariores, nulla in ipſis melioratione facta, emunt enim vt immediatè reuendant etiam in eodem loco; vnde neque reſeruant, neque meliorant, peccant contra iuſtitiam. De alijs verò mercatoribus, qui merces emunt vili pretio tunc currente, non vt immediatè reuendant, & in eodem loco, ſed vt reſeruent, & meliorent, aut de loco ad locum transferant, ſecundam opinionem docere videtur, nempè quòd ſummo pretio poſtea vendere poſſint, in latitudine tamen iuſti pretij, & hoc ratione meliorationis, & ratione periculi, cui ſe exponunt in mercium reſeruatione ad longum tempus, nec non tranſportatione.

IV. Concl. Si Monopolium fiat quarto modo ſuperiùs explicato mercatores peccant contra charitatem. Ratio quia Communitas notabiliter grauatur, vt paulò ſuperiùs diximus; quod ſi fecerint per vim, aut fraudem peccabunt etiam contra iuſtitiam; nam Communitas habet ius, ne alij per vim, aut fraudem impediant diminutionem pretij in mercibus, quia licèt non habeat Reſpublica ius ad merces, quæ abſunt, habet tamen ius ne aut fraude impediantur ad ſe aſportari: ita Doctores communiter, etſi Caſp. & Turrian. ſecluſa vi, & fraude non agnoſcant vllam culpam.

Addo pro coronide cum Herincx Monopolium illicitum eſt cum artifices conſpirant, ne opus ab vno inchoatum alter perficiat. Item vt alios ſuam artem non doceant, niſi pro tanto pretio, & generatim quælibet conuentio mutua ſpectans proprium commodum cum detrimento, ſeu pernicie Reipublicæ illicita eſt, & nomine Monopolij venit intelli-

li-

ligenda. Et inſuper aduerto cum Caſpenſ. & Maſtrio, quòd aliquando poterit eſſe vtile bono publico, vt quis emat merces omnes alicuius, vt in nundinis non ſæpè fit, maximè ſi mercator nolit vendere niſi omnes ſimul, vel quia nolit in aliquo loco diù morari. In hoc ſiquidem caſu vtile erit etiam Reipublicæ omnes illas merces emi ab aliquo, vel ab aliquibus, vt poſtea iuſto pretio illas vendant perſonis talis Communitatis etiamſi carius vendant, quàm emerint. Quòd ſi ex tali modo congerendi merces aliquod damnum Communitatis ſequeretur, poſſet, immò teneretur Princeps cogere, vt vendant, & pretium taxare, vt in ſimilibus negotiationibus lucri cupiditas inordinata compeſcatur.

QVÆSTIO VII.

Vtrum contractus Societatis, ſit licitus, & iuſtus.

NOt. 1. Quòd *Societas eſt conuentio plurium ſuam pecuniam, aut animalia, induſtriam, vel laborem conferentium ad commune lucrum proportionaliter inter ſocios diſtribuendum.* Et hic contractus tripliciter diuiditur iuxta Aleſ. & communiter Doctores. Aliquando enim vnus ponit tantum pecuniam, & alter operam corporalem, ſeu induſtriam, aliquando vnus ponit pecuniam, & operam, & alius pecuniam, vel operam tantum, aliquando autem ambo ponunt pecuniam, & operam, vel pecuniam tantum, & quoquo modo fiat, ſemper ſeruanda eſt æquitas, ne aliquid fiat in fraudem vſurarum; Vndè ad ſeruandam huiuſmodi æquitatem, & iuſtitiam, præter ea, quæ dicta ſunt de contractibus in communi, tria requiruntur: primum, vt negotiatio ſit licita *ex cap. per veſtras*: ſecundum, vt pecunia ſubiaceat periculo deponentis, hoc eſt ſi pereat ipſi *ex Gloſ. recepta 14. q. 3. cap. plerique*: tertium, vt ſeruetur æqualitas proportionaliter inter ſocios habito reſpectu ad omnia, quæ concurrunt in Societate, nempè ad pecuniæ quantitatem, induſtriam, periculum, & laborem; quarè vt ſeruetur iuſtitia commenſurari debent pecuniæ pecunijs, opera operæ, lucrum lucro, damnum damno, & alia ad iudicium viri periti.

Not. 2. quòd circa rationem damnorum, & expenſarum inter ſocios habendam hæc regula vniuerſalis circa damna

aſſignatur à Doctoribus, videlicet, quòd *damna, quæ patitur ſocius ob ſocietatem debent eſſe communia, modò non eueniant ex culpa ſocij, etiam leui, ità habetur ex leg. cum duobus, §. damna ff. pro ſocio*. non autem ſi patiatur damnum ex cauſa remota, vt e.g. ſi dum eſſet in itinere pro negotiatione ob priuatam inimicitiam vulneratus fuiſſet, quia ſicut lucra, quæ non proueniunt ex ſocietate, tamquam ex cauſa proxima, ſed tantùm remota, & merè occaſionaliter, non ſunt communia, ità neque damna, quia vtrobiquè eſt par ratio. Dicitur in regula aſſignata, modò non eueniat ex culpa ſocij, quia æquitas, & Iuſtitia exigit, vt ſocietas ob culpam alterius ſocij damnum non patiatur, ac proindè omnia damna, quæ defectu debitæ diligentiæ, ſunt propria ſocij debitam diligentiam non adhibentis, *nam ſocij ad inuicem tenentur non ſolùm de dolo, ſed etiam de lata, & leui culpa, vt tradit Inſtit. de Societate §. ſocius ff. pro ſocio:* & ratio eſt, quia contractus ſocietatis eſt in bonum, & commodum omnium contrahentium, ità communiter Doctores.

Similiter circa expenſas Doctores aſſignant hanc regulam, nimirùm omnes expenſæ, quas vnus ſocius cauſa negotiationis facit ſunt communes, ſi rationabiles ſint, & conſuetum mercatorum morem non excedant: *ita in leg. ſecundum Iulianum ff. pro ſocio*. Limitatur hæc regula, niſi aliter conuentum ſit inter ſocios, aut aliter lege cautum ſit, vel conſuetudine receptum; habetur enim pro maxima generali. *In contractibus ſeruanda eſſe omnia, quæ vel ex priuata contrahentium conuentione contractui apponuntur, vel ex communi loci conſuetudine ſeruari ſolita ſunt;* quia contrahentes poſſunt licitè contractui apponere eas omnes conditiones, quæ communi iuri, ac bonis moribus non repugnant.

Concl. Societas pecuniæ eſt iuſta, & licita ſi ſeruentur conditiones, & alia, quæ ſuperiùs notata ſunt: eſt communis ſententia. Prob. ſi talis ſocietas, quoad pecuniam (de hac enim ſolùm agimus hic, de ſocietate autem animalium infra) non eſſet iuſta, & licita, hoc maximè eſſet, quia interuenerit mutuum, ſed hoc non interuenit; ergo &c. prob. min. nam tradens pecuniam dupliciter eam in alium trasferre poteſt, vel cum eius abdicatione abdicans à ſe etiam dominium eius, vt fit in mutuo, vel ſine eius abdicatione, ità vt adhuc remaneat illius Dominus, & illum, cui pe-

pecuniam dedit eius condominum faciat pro tempore ſocietatis, & de illa ſic alteri tradita licet lucrum ſperare cum ſocio, tanquam de re ſua. Et ſi dicas, quòd tempore ſocietatis ſi perierit pecunia, ſocius, qui ſolas operas poſuit tenebitur ad partem illius damni, cum fiat eius condominus, & tamen tota perit ponenti, ergo non fuit translatum illius dominium.

Reſp. Socium non teneri, & nihilominus fuiſſe eius condominum; nam factus eſt condominus non ſimpliciter, & abſolutè, vt ſignanter docent Conradus de contract. q. 93. & Philiarcus tom. 2. lib. 5. cap. 9 ſed in ordine ad ſocietatem, & pro tempore ſocietatis, & hoc non de per ſe, & immediatè, ſed concomitanter, quia non poteſt aliter eius vſus, & interuſorium concedi. (*Eſt autem Interuſorium ius percipiendi fructum, vel vtilitatem natam prouenire de pecunia negotiationi expoſita*) Amiſſo autem capitali tempore ſocietatis ante illius terminum terminata, & finita eſt ſocietas ob illius amiſſionem, nam ſine illo non poteſt durare, & qui pecuniam poſuit, non tenetur aliam ponere, & conſequenter, qui operas poſuit, deſinit eſſe illius condominus, & tunc idem prorſus ſeruatur, ac ſi ſocietas finita eſſet in termino conuento ſocietatis, & tota perijſſet ponenti, & ſocius ſuas ammiſiſſet operas, & non tenetur de amiſſione capitalis pecuniæ, & vt in praxi res clarior reddatur ponamus exempla Societatis.

Primum ſit trium perſonarum ſocietas v. g. Titius poſuit mille ſcuta, Caius poſuit laborem ſuæ perſonæ mille ſcuta pariter æſtimatum, Socrates poſuit ſuam induſtriam quingentis æſtimatam, lucrum fuit quingentorum ſcutorum; vndè, vt iſta ſocietas ſit iuſta, hoc lucrum debet ità diuidi proportione geometrica, & ſic Titius, acceptis mille ſcutis ſui capitalis, habebit ducenta ſcuta fructuum, aut lucri, Caius habebit alia ducenta, quia eius labor correſpondet illis mille ſcutis, Socrates habebit centum. Inſuper hoc non ſufficit, vt ſocietas hæc ſit ſimpliciter iuſta, nam examinandum eſt etiam, quomodo ſinguli concurrerint ad expenſas ſocietatis; ſi æqualiter, fuerit iuſta, ſi pro rata fuit iuſta, quia ſicut lucrum accipitur à ſingulis proportionaliter, ſic etiam expenſæ eadem proportione partiri debent. Sed ponamus in dicto caſu, quòd in fine ſocietatis ſo-

ſolum capitale remanſerit, & nullum fuerit lucrum dubitari poteſt, an in tali caſu diuidendum ſit capitale, quia non videtur iuſtum, quòd primus habeat ſoluum ſuum capitale, & alij duo omninò amittant ſua capitalia, quæ fuerunt eorum operæ, quas perdiderunt. Ad quod reſpondetur iuxta communem ſententiam, quòd primus accipiet mille ſcuta, vt ſuum capitale, & alij duo nihil habebunt, ſed ſuas operas amittunt, nam operæ correſpondent capitali pecuniæ, vel eius parti, & tanti valent, quatenus ſubſunt huic periculo, aliàs minùs valerent, prout patet ſi locarentur; eo quòd merces earum conuenta operarum eſſet minor, quàm lucrum ſperatum ex ſocietate. Verùm ſi operæ eſſent tanti valoris, quòd, etiam conſiderato hoc periculo, quòd nullum ex eis poſſet ſequi lucrum, adhuc pluris valerent, quàm alterius pecunia, & in hoc caſu iuxta proportionem diuidendum eſſet illius capitale, non ſolùm quando ſequitur lucrum, ſed etiam quando non ſequitur. Ratio eſt, quia diuiſio capitalis non ſumitur ex eo, quòd nullum fuit lucrum, ſed ex hoc, quòd operæ poſitæ pluris valent, quàm capitale pecuniæ; quarè vt ſeruetur iuſtitia, vel diuidendum eſt in fine capitale, vel conueniendum eſt, quòd ille, qui operas poſuit pluris æſtimatis pro compenſatione plus habeat de lucro veroſimiliter ſperato; at noſter Bontempio notat ex Sixto V. ſortem, finita ſocietate, tradendam eſſe illi, qui eam contulit, ſi extet: tract. 4. de contract. tit. 17. Rurſus ponamus adhuc in dicta ſocietate, quòd capitale pecuniæ fuerit perditum in principio, vel medio ſocietatis, nam videri tunc poſſet alicui, quòd illi, qui operas poſuerunt teneantur pro rata ad damnum, hac ſaltem ratione, quia reliquo tempore ſocietatis nõ exhibebunt ſuas operas, & ſupponitur modò perditum eſſe caſu fortuito ſine eorum culpa; nam loquimur hìc de obligatione, quæ oritur ex vi ſocietatis, & non ex culpa. Circa quam difficultatem duæ ſunt ſententiæ: prima eſt, quòd ſi capitale perit ante operas exhibitas, damnum debet eſſe commune, ſi poſt aliquas debet eſſe aliqualiter commune, ſi poſt omnes operas, damnum eſt proprium ponentis: Secunda eſt Baldi, quòd ſiue perdatur ante operas, ſiuè poſt, totum eſt proprium ponentis: Immò dicit Sanctus Bernardinus Senenſis in tract. de contractibus, quod ſi capitale eſt pro parte ſecurum, pro tali parte

te eſt mutuum, & conſequenter totus contractus eſt vitiatus. Nihilominus Philiarcus tom. 2. lib. 5. cap. 9. æxiſtimat vtramque ſententiam poſſe ſubſtineri, & iuxta vtramque poſſe fieri pacta, quæ ſi nulla fuerint, ſtandum eſt conſuetudini loci. Prima quidem ſententia eſt iuſta, non vt ſic capitale pro parte ſit ſecurum, quia ſi periret poſt operas omnes totum periret ponenti, ſed quia ille, qui operas poſuit, remanet liber ab operibus, quas aliàs adhibere debuiſſet. Secunda de Iure eſt verior, & in conſcientia etiam eſt ſecura; nam qui ponit operas, pro toto tempore ſocietatis illas ponere tenetur, amiſſo autem capitali ſoluitur Societas, & operæ ſine pecunia exerceri non poſſunt, & conſequenter vi ſocietatis remanet liber, vt ſic operæ, & induſtriæ correſpondeant interuſorio pecuniæ, & tamdiù ſint ponendæ, & duret ſocietas, quamdiù interuſorium manet, & hæc videtur recepta etiam à Recentioribus.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum licita ſit, & iuſta Societas Animalium, ſeu circa Animalia.

NOt. 1. Quòd circa ſocietatem Animalium, quæ dici ſolet ſoccidum, difficile eſt, vt ipſimet Doctores fatentur, cognoſcere iuſtitiam, & iniuſtitiam in tali ſocietate. Vndè ait Monald. in ſumm. quòd non poteſt dari generaliter doctrina ſuper huiuſmodi traditionibus animalium propter varietatem traditionum, & dolos, qui ſub talibus conditionibus cogitantur à quibuſdam enormiter. Philiarcus pariter æxiſtimat hanc materiam valdè difficilem, tum quia Doctores, & Confeſſarij non ità facile poſſunt cognoſcere iuſtam mercedem operarum, Ruſticorum expenſas, quæ fiunt, & quantum valeat expectatio fructuum tot ſpecierum animalium; tum quia contractus, qui de illis fiunt, vt plurimùm non ſunt puri, ſed ratione conuentionum, & pactorum ſunt mixti; quandoque enim ſunt locationis animalium, aliquando conductionis operarum, aliquando ſocietatis, & aliquando partim ſocietatis, & partim conductionis, & locationis, & à contrahentibus debent ſciri grauamina, quæ conſiſtunt in facto, & poſtea de illis,

 vt

bris narrantur, & exponuntur quoad factum, iudicari quid iuris. Et tot fraudes in his contractibus committuntur, vt in eis non habeant locum illa duo ſigna iuſtæ ſocietatis; non primum, nempè conſiderare, an ille modus contrahendi ſocietatem ſit conſuetus, & communis in illa patria, nam ruſtici tanquàm pauperes neceſſitate coacti ſubeunt quodcumque onus. Non ſecundum, ideſt videre an talem contractum cum talibus pactis ineant non ſolùm neceſſitate preſſi, ſed etiam alij non ita indigentes, nam ruſtici indigentes coguntur ſæpè ſubire contractus oneroſos, vel ad damnum aliquod euitandum, vel quia iudicant eis magis expedire illud onus ſubire, quàm omninò ab omni lucro ceſſare.

Not. 2. ex ſumm. Angelica verbo Societas, quòd animalia aliquando dantur æſtimata, aliquando inæſtimata; quando dantur æſtimata, tunc periculum caſus fortuiti eſt commune inter ſocios. *Vt dicitur in leg. cum duobus §. Damna, & tenet Bald. in leg. ſi paſcenda C. de pactis:* Nec mirùm, quia *æſtimatio hoc caſu facit emptionem leg. æſtimato:* & ſic pro parte dominium remanet apud tradentem, & tacitè pro alia parte ratione communionis in illo, cui communicantur, & ſine traditione transfertur, & perindè eſt ac ſi ille, qui dat, mutuaſſet pretium medietatis ſocio, & ipſe poſuiſſet aliam medietatem, & communiter ab ipſis duobus eſſent empta, & ſic in ſocietatem poſita. Quando verò dantur inæſtimata, tunc ſi nullum pactum ſit de capitali, aut fructibus, iuxta quædam iura extraordinaria, dicit Angelus, ſic diſponitur. Illé, qui accipit Iumentum, vel Vaccam debet tenere per quinque annos, & omnes pulledri, vel vituli debent eſſe communes: Iumentum verò, vel Vacca data debet eſſe illius, qui eum, vel eam poſuit, in fine ſocietatis.

I. Concl. Quando dantur animalia æſtimata cum pacto recipiendi primos fructus vſquè dum ſoluatur, ſeù compenſetur de medietate pretij animalium; tunc talis ſocietas eſt illicita & iniuſta: hæc eſt communis ſententia Doctorum, & ſignanter noſtri Monaldi relati à Franc. de Platea in tractatu de vſuris, qui in ſumma ſic loquitur. *Illud valde iniquum eſt cum certa capita ouium tradit æſtimata certo pretio, & ſub eo pacto contrahit ſocietatem, quòd totam ſortem recipiat de prouentibus, antequàm alius aliquid de prouentibus percipiat, vel ſi*

pa-

paciſcatur, quòd de fructibus reparentur capita caſu mortua antequàm alius de prouentibus aliquid percipiat: hoc enim eſt quaſi tradere oues immortales; & generaliter verum eſt, quòd vbi probabiliter dubitatur, vtrùm iſtius, vel illius deterior ſit conditio ex forma venditionis, ſiuè pacti adhibiti in contrahenda ſocietate, non eſt peccatum. Vbi autem ad arbitrium boni viri grauatur conditio alterius, peccatum eſt ex parte grauantis, ſi ſcienter hoc faciat, & tenetur ad reſtitutionem: ſed pro clariori explicatione ſit exemplum. Petrus dat Iohanni in ſocietatem triginta oues æſtimatas viginti ſcutis cum pacto, quòd de primis earum fructibus ipſę habeat decem ſcuta, quod eſt pretium medietatis ouium poſitarum, & poſtea capitale, lucrum, & damnum ſit commune. Petrus licitè poteſt ex primis fructibus accipere medietatem pretij, quia perindè eſt ac ſi ei illud mutuaſſet, vt ipſe quoque poneret in ſocietate quindecim oues, ſed iſta ſocietas adhuc eſt iniuſta, eò quòd non datur Iohanni niſi medietas lucri, quia cum Petrus ex primis fructibus acceperit medietatem pretij, perinde eſt ac ſi Petrus in ſocietatem poſuerit quindecim oues, & Iohannes alias quindecim; ſed Iohannes vltra oues ponit etiam ſuas operas, & Petrus ſolas oues: ob quam cauſam Iohannes debet habere maiorem partem lucri; quo exemplo detegitur conditio deterior, & grauamen alterius, nempè Iohannis. Quòd ſi Iohannes haberet paſcua à Petro ad oues paſcendas; tunc proportionaliter commenſurandum eſt pretium illorum cum laboribus, & operibus Iohannis, & ſic de ſimilibus philoſophandum etiam eſt.

II. Concl. Quando Animalia dantur in ſocietatem inæſtimata, ad hoc vt ſocietas ſit iuſta inter alias conditiones hæc debet intercedere, quòd periculum animalium ſit dantis, & non recipientis: ita Angelus verb. Societas, Monald. & communiter Doctores: ratio, quia, cum talia animalia poſita in ſocietatem in fine debeant eſſe ponentis, ſi pactum fieret, quòd periculum ad ipſum ponentem non ſpectaret, eſſet iniquum; etſi ipſe perdit animal, & ſocius perdit operam, vndè *ſicut melioramentum pertinet ad dantem, ſic & periculum pertinere debet leg. ſi paſcenda.*

Sed quid ſi quis traderet boues ad medietatem pro certo pretio, vel pro certis ſaccis tritici, eo pacto, quòd ſi morian-

riantur, vel deteriorentur conductor ſubeat medietatem periculi, ſi autem meliorentur habeat medietatem commodi. Reſpondet Monald. in ſumm. quòd reuerà locare boues, vel equos, vel ad dies aliquos, vel ad aliud tempus determinatum, dum tamen conductor non grauetur immoderatè de mercede, licitum eſt pactum: At de communicando damno, & commodo rei locatæ iniquum eſt ex parte locatoris, vbi probabiliter dubitetur, vtrùm locatoris, vel conductoris melioretur conditio, vel vbi credatur, quòd conductoris ſit deterior. In propoſito tamen videtur conductoris deterior conditio, quia vix, aut nunquam poteſt habere tantum commodum de melioratione bouum, quantum habere poteſt damnum de morte ſi contigerit. Si tamen locator timens, ne conductor grauaret boues, & ſic timens de periculo mortis, ex tali immoderato grauamine ſubſequenter apponit huiuſmodi pactum, firmiter tamen proponens, quòd ſi boues ſine culpa conductoris perirent, nihil exigeret ab eodem, ſed faceret, vt Ruſticus timens, ne immoderatè grauaret boues; non eſt dicendum quod peccaret, niſi propter ſcandalum eorum, qui ignorarent eius intentionem. Et Angelus ad ſimilem caſum loc. cit. num. 80. dicit, quòd ſi quis daret mercatori in ſocietatem centum cum pacto quòd ipſum capitale ſit ſaluum; quod facit ſolum, ne decipiatur à Mercatore, ne capitale pereat ipſi Mercatori intendens, quòd ſi ſine ſua culpa periret, ſibi pereat, & non Mercatori; reſpondent, quòd licèt in tali contractu non ſit vſura, peccat tamen mortaliter propter mendacium pernicioſum, quod dicit in ſuam infamiam 22. q. 1. cap. 1. & ideò tenetur notam facere intentionem ſuam, ne fortè etiam morte præuentus hæredes vellent in ſuo robore contractum permanere. Non tamen tenetur reſtituere lucrum, quòd habuit, vt docet S. Bernardinus in contractibus, & idem Angelus approbat.

Ex quo patet, quòd animalia, non ſolùm dari poſſunt in ſocietatem, ſed etiam poteſt contrahi ſocietas ſi dentur animalia, ſed non communicentur, neque eorum dominium transferatur, vt docet Angelus num. 6. ſed ſolùm cuſtodię alterius committuntur aliquod dato vel recepto pretio, *& tunc propriè contractus locationis eſt, & conductionis leg. 2. ff. locat.* ſi autem non interuenit pretium, ſed tradens dicta

ani-

animalia recipit aliquid, puta pro bobus, vt arent, vel pro pecoribus, vt ſtercorizent, & huiuſmodi, aut recipit ille, cui traduntur pro mercede cuſtodiæ aliquid, vel opera animalium, vt ſtercorizatio pro mercede compenſetur, qui omnes tres modi conſiderari poſſunt, vt in ſimili *in ſeruo dicit textus in leg. 1. §. quis ſeruum* ſic erit contractus innominatus, & regulabitur ſecundùm contractum locationis, cui magis aſſimilatur. Inſuper dantur etiam Animalia, & in totum trasferuntur in accipientem cum pacto, quòd teneat ad meliorandum, etſi meliorata communicentur, dicitur contractus innominatus, vndè pretium dictorum animalium, ſi vendantur, debet eſſe commune, *& ſimiliter periculum debet eſſe commune, ſicut & vtilitas leg. Mœnius ff. pro ſocijs.* Ex hactenus dictis patet, quomodo ſocietas ſit licita, vel illicita, & quid dicendum de multis caſibus, cum infinitis modis poſſint concipi, quia *iuxta legem naturæ ff. de præſcript. verb. plura ſunt negotia, quàm vocabula.* Remanet tantùm igitur difficultas de pacto ſaluandi capitale, quæ in ſequenti quæſtione reſoluitur.

QVÆSTIO IX.

Vtrum quis in ſocietatem negotiatorum conuenire poſſit, data pecunia, cum Socio, vt capitale, & lucrum illius ſit ſaluum.

NOt. Quòd ſenſus quæſtionis eſt, an Titio liceat in ſocietatem conuenire pacto facto, quòd dabit in communes vſus negotiationis decem millia ſcuta cum aſſecuratione, quòd peracta negotiatione, capitale illud ſibi ſaluum manebit, & quòd lucrum certum percipiet, vtpote quatuor, quinque, ſex pro centum. Negant plurimi Doctores, & præſertim antiquiores vt Alenſ. in tract. de vſuris. Ricard. in 4. diſt. 15. Monald. & alij, quibus conſentiunt multi Doctores recentiores vt Cont. Scot. Caiet. Siluius, hoc fundamento, quia hic contractus eſt purè mutuum, ac proindè mutuum certum, quod vltra ſortem accipitur, eſt vſurarium. Siquidem Titius mutuat ſocio iſtam pecuniam cum aſſecuratione illius, & ex vi huius mutui exigit ab eo quatuor quinque, vel ſex, quæ eſt vſura perfecta. Affir-

mant omnes Recentiores, & ſicut communior eſt opinio, ita etiam cenſetur probabilior. Notant tamen, quòd triplex contractus inuoluitur in prædicto caſu, nempè ſocietatis, aſſecurationis, & venditionis: Societatis quidem ad lucra, & damna ponitur ab vno pecunia, & ab alio induſtria: Aſſecurationis, quia ex vi contractus ſocietatis ſi pecunia depoſita pereat, tota pereat deponenti: Petrus v. g. deponens rogat Caium, vt ipſe ſortem aſſecuret, & ne hoc ſit moleſtum, offert tria, vel quatuor pro centum. Caius autem inito iam contractu aſſecurationis, & accepto pro ea obligatione pretio, viciſſim rogat Petrum, vt eum quoque liberet à moleſtijs reddendi rationes in ſocietate, & accipiat certum lucrum pro incerto, puta quatuor, vel quinque pro centum, ſiuè negotiatio benè ſuccedat, ſiuè malè, & hic tertius contractus dicitur venditionis, quia eſt aſſecuratio lucri, ſeu venditio lucri ſperati maioris, pro minori certo lucro, & omnes iſti tres contractus poſſunt iniri ſi partim ſucceſſiuè, idque, vel cum eodem ſocio (contradicit tamen Sotus) vel diuerſis non ſocijs, partim ſimul, ſeu ſub eodem tempore, vel explicitè, vel implicitè v. g. ſecundùm hanc formulam, quæ ſeruatur in Italia, & refertur à Leſs. cap. 25. dub. 3. *Ego Infraſcriptus confiteor hoc meo Chirographo me accepiſſe à Titio mille aureos, vt eos impendam legitimæ negotiationi, & loco incerti lucri maioris, quod illis in hac negotiatione poſſet competere, promitto me illi daturum ſex in centum quotannis, & eiuſdem ſummæ periculum præſtiturum.*

Concl. Huiuſmodi contractus, vt ſupra explicatus eſt licitus, & iuſtus: ita communior, & probabilior opinio.

Prob. Huiuſmodi contractus virtualiter, ſeu implicitè inuoluit tres contractus mox explicatos, quorum ſinguli ſeorſim ſumpti ſunt liciti, & iuſti: ergo & omnes ſimul in vnum coniuncti ſunt liciti, quia talis connexio alterum non reddit illicitum: ant. admittitur etiam ab opinione contraria, & præſertim à Soto, cenſente huiuſmodi contractus eſſe iuſtos ſeorſim factos, & cum diuerſis, non verò coniunctim. Conſ. prob. non enim apparet ratio, quarè potiùs huiuſmodi contractus ſint liciti, ſi ſeorſim fiant, quàm ſi ſimul, cum impertinens ſit ad rem noſtram iſta diſtinctio perſonarum, ergo &c. Tùm quia verum non eſt tunc ceſſare ſocietatem, & ſuccedere rationem mutui, quia

do-

dominium pecuniæ non tranſit in ſocium poſtea aſſecurantem, & periculum ſubeuntem, ſed manet penes eum, qui ipſam contulit, perindè ac ſi fuiſſet aſſecuratio facta à tertio, ſicuti quoque poteſt cum commodatario, & depoſitario conueniri, vt penes eos ſit periculum rei depoſitæ, vel commodatæ, cuius tamen neuter eſt dominus.

Addo cum Marchantio nec deeſſe grauia pericula pecuniam ſuam ſic in ſocietate ad negotiationem danti, etiam ſaluo illo lucro, & capitali, cum ſępè contingat ſocietatem diſſipari, ſocios depauperari, cedere foro, impotes fieri ad reſtituendum &c. ex altera parte priuat ſe e. g. Titius ſua pecunia, quam in certioribus contractibus, & negotiationibus, vt in emptionibus agrorum, & cenſuum poſſet impendere. His enim omnibus periculis ſuam pecuniam exponere cenſetur, quæ omnia æſtimabilia ſunt.

Quæres. Quid de contractu Societatis Romanæ; vulgò dicto *à compagnia d' Offitio*.

Reſp. ex Azorio, & Filiuccio; quòd Romæ introducta eſt hæc Societas officiorum Romanæ Curiæ; nam in ea ſunt multa officia fructificantia ad miniſterium Curiæ, & iuſtè vendibilia pro pretio; quod determinatum eſt à Pontificibus; vt officia Notariatus, Secretariatus; Abbreuiatorum, Equitum S. Petri, & aliorum, quæ Papæ auctoritate venduntur, & durant ad vitam eorum, qui emunt. Verùm quia Pontifices voluerunt, vt Officiales eſſent honorabiles Perſonæ, & ſæpè accidit; vt non poſſint per ſe ipſos emere totum officium, conceſſerunt, vt poſſent admittere ſocios ad id, & ſimul cum alijs emant; & quamuis in vno ſit officium, tamen pro rata pecuniæ collatæ in ſocietatem ſociorum diſtribuuntur fructus. Ipſum autem officium temporale eſt, nam mortuo officiali remanet officium in manibus Papæ, niſi officialis ante mortem per 40. dies renunciauerit alteri officium. Inſuper Socij, qui admittuntur, dupliciter admitti ſolent, primò in ipſa emptione officij, quia officialis non poteſt totum emere ſuis pecunijs: 2. poſtquàm emit; quia ſæpè indiget pecunia, cuius bonam ſummam impendit in emptione officij; ideo admittit alios ſocios, qui, licèt plures ſint, vnus tamen eſt verè officialis, quo viuente tantum durat officium.

Cæterùm fundamentum Societatis eſt, vt qualis eſt pro-

por-

portio officialis erga proprium officium, talis ſit ſuo modo Socij erga officialem. Atquè ita, ſicut mortuo officiali, officium, ac pro ea Papa lucratur id, quod officialis dedit; ita mortuo ſocio, officialis lucratur, quod illi ſocius dedit, è contra ſicut ſi officium extingueretur, viuente officiali, reddenda eſſet illi pecuniam. quam impendit in emptione officij, ita ſi officialis moriatur vel alia ratione deſinet eſſe talis, reddatur ſocio ſua pecunia. Sunt tamen duæ conditiones, ſeu cautelæ adhibitæ: prima: ne moriatur ſocius morte violenta: ſecunda vt officialis det fideiuſſionem pro pecunia ſocio: fit autem ſocietas hæc communiter per ſemeſtre, ſi plus duratura ſit debet ratificari, ratificatur autem ſi accipit fructus; quòd ſi deceat reſcindi ſocietas, opus eſt, vt admoneatur alter quindecim diebus ante.

Inſuper admittitur etiam aliquandò ad ſocietatem aliquis non in vtilitatem officialis, ſed tertij cuiuſdam; idquè duobus modis fieri poteſt. Primo inita ſocietate inter aliquem, & officialem, officiali ſoluente illi ſolitum fructum 12. pro centum; & tertio deinde refundente officiali tantundem, quantum ille ſocio perſoluit. quia nimirum pecunia recepta in vtilitatem tertij tranſijt. Secundo, inita ſocietate inter tertium, & ſocium, & officiali accomodante officium ſuum, ſuper quod conſtitui poſſit ſocietas officij, quod dici ſolet. *Fondare la compagnia ſopra vn' offizio vetturino*, officiali nimirum commodante illi tertio officium ſuum, ſicut in cenſu poteſt quis ſuum fundum alteri accomodare pro conſtitutione cenſus. Verùm hæc ſocietas præter formulam inſtrumenti contrahendæ ſocietatis; quæ per extenſum ponitur ab Azorio cap.8.q.1. exiguntur quędam conditiones à Pontificibus præſcriptæ; Siquidem ſuper huiuſmodi ſocietates officiorum tres Bullę editæ ſunt. Prima à Leone X. Secunda à Paulo IV. Tertia à Pio IV. ideoquè habenda ſunt pro legibus, quæ ſtatuunt Pontifices circa hæc officia: & quidem ex Bulla Pij IV. quæ præcipua eſt, quinque conditiones colliguntur. Prima, quòd talis ſocietas ſit ſupra officium, quod ſit in Romana curia; idq; requiritur ex parte vtriuſque contrahentis: 2. ne officialis admittat ad ſocietatem vltra valorem officij; vndè ſocietates illæ licitæ ſunt, quæ non tranſcendunt valorem ſum-

mæ

mæ officij ſimul ſumptæ; ſecùs vſurariæ ſunt: 3. eſt æqualitas pretij ex vtraq; parte; & hæc ex tribus agnoſci poteſt: primò ex taxatione, vt tempore Pauli IV. erat 12. pro centum: 2. ex eo quod communiter fit: 3. ex natura rei, ad quod videtur requiri, ne ſocius plus accipiat, quam officialis: 4. conditio eſt, vt ſi officium, ſuper quod eſt fundata ſocietas, requirat aliquem laborem in officiali, tunc ſocius non poſſit tantum accipere, quantum ille: 5. vt officialis requiſitus à ſocio ſincerè reſpondeat quantum habeat grauatum officium, quod ſi non faciat, priuatur officio, & debet ſocio ſatisfacere: hæc ex Filiuccio, & Azorio adnotare volui, vt ſaltem de hac ſocietate non ignoretur quid nominis, etſi paucis in locis, etiam Pontificis ditioni ſubiectis, practicetur.

QVÆSTIO X.

Vtrum in Permutationibus, & Cambijs poſſit recipi aliquid ſupra ſortem abſque vſura, & iniuſtitia.

NOt. 1. Quòd permutatio ſic deſcribitur, *Eſt mutua, & actualis traditio rei pro re; itaut vtriuſque rei vtrumque dominium in mutuantes tranſeat*. Hinc patet diſcrimen Permutationis à Mutuo; eò quòd in mutuo non includatur traditio reciproca alterius rei, ſed tantùm obligatio reddendi rem eiuſdem ſpeciei per ſe; per accidens autem æquiualentis, aut pretij, ſi res mutuata vſu conſumitur: At Permutatio requirit vtrimque traditionem rei pro re. Quoniam verò non tantùm res, ſed etiam iura cum rebus permutari poſſunt; immò res aliqua tradi poteſt in permutationem ad ius aliquod acquirendum, & è contra; ſic enim quis tradit domum pro aliqua iuriſdictione temporali, ideoque Permutatio vt ſic eſt veluti genus, cuius ſpecies ſunt duæ; altera rerum, quæ formaliter pecunia non ſunt; altera pecuniarum, quæ propriè Cambium vocatur, & relinquitur alteri nomen generis; quia *Iuxta leg. plura ſunt negotia, quàm vocabula; & iuxta Philoſophum plures ſunt res, quàm voces*.

Not. 2. Quòd Cambium *Eſt contractus negotiatoria permutationis pecuniæ cum pecunia*. Duplex autem eſt cambium; aliud reale, aliud ſiccum: Primum eſt, quando reuerà vna pecunia

nia cum alia pecunia commutatur, vt argentea cum aurea; vel pecunia abſens cum præſenti &c. Secundum dicitur, quo pecunia pro pecunia datur abſque vlla alteratione rei, vel circumſtantiarum; quod eſt propriè Mutuum; idque fit, cum Campſor dat alteri pecuniam, vt eam ratione tantùm prolongatæ ſolutionis, ſeu refuſionis cum lucro vltra ſortem ſibi reddat. Et hæc eſt vera vſura etſi palliata, *Vt declarat Vrban. III. cap. Conſuluit nos tit. de vſuris, & cap. in Ciuitate, quam damnauit Pius IV. conſtit.* 1. quia nullus hic interuenit iuſtitiæ titulus cum prolongatio ſolutionis, ſeu refuſionis nil addat ſupra mutuum, vt etiam dictum eſt in diſp. de vſuris. Rurſus cambium reale partitur in cambium minutum, & locale, ac mixtum. Minutum eſt permutatio numiſmatum diuerſæ rationis, & ſpeciei ad inuicem v.g. aureorum cum argenteis, pecuniæ Hiſpanicæ cum Italica. Locale eſt, quando permutatur pecunia præſens cum alia, quæ eſt in loco diſtanti, vt ſi quis det Campſori Piſauri pecuniam, vt aliam recipiat Romæ. Mixtum eſt, quando, & pecunia vnius ſpeciei cum alia permutatur, & præſens recipitur, vel datur, vt in loco diſtanti alia recipiat, vel detur.

I. Concl. Campſores abſque iniuſtitia aliquod lucrum recipiunt vltra ſortem pro pecunia, quam, Campſarijs id poſtulantibus in loco diſtanti numerari, aut eò tranſportari, curant per cambium locale, vel etiam mixtum, ſiuè id fiat per literas, ſiue quouis alio modo. Ità communis ſententia; & tituli, ſeù fundamenta iuſtitiæ huiuſmodi contractus ſunt ſequentia. Primum realis, ſeù virtualis translatio pecuniæ, per quam ſua induſtria, labore, vel opere Campſor reddit pecuniam in loco diſtanti paratum, & præſentem pro commoditate petentis cum aſſecuratione illam ibidem recipiendi; eſt ſiquidem pretio æſtimabile, quòd quis abſquè periculo itineris, abſquè alijs expenſis, ac labore inueniat ibi pecuniam ſibi paratam, vbi non niſi cum multo labore, & cum periculis poſſet illam habere. Secundum fundamentum eſt in ratione officij, nempe ſi ſit Campſor publicus, quia vt talis tenetur in locis congregare pecunias ſufficientis maſſæ, & iuxtà rationem locorum diuerſam, etiam monetæ vſualis; debet in illis, vel actorem habere, vel famulum; & ob vtilitatem aliorum omnis ge-

generis pecunias permutare paratus debet eſſe; maximè ſi publica auctoritate Magiſtratus ad hoc ſit conſtitutus. Tertium fundamentum eſt lucrum aliundè ceſſans, cum priuet ſe pecunia, qua poſſet alibi vti & de facto vteretur. Addo, & damnum ex natura rei emergens cum interdum aliqua pericula incurrat, & contingat ex Principum, & Reipublicæ varijs Decretis ſæpè ſæpius pecuniæ valorem variari. Quod militat non ſolùm in Campſore ex officio, ſed etiam in priuata perſona, quæ pecuniam, quam alibi habet, ſiuè ad mercaturam, ſiue ad aliud ſuum intereſſe ſe priuat in gratiam alterius.

II. Concl. In Cambio etiam ſolius pecuniæ pro pecunia alterius rationis, & ſpeciei, quod vocamus minutum, licitum eſt recipere aliquod rationabile lucrum vltrà ſortem; hæc concluſio fulcitur ijſdem fundamentis, vel ſimilibus, quibus nititur prima Concluſio. Etenim Campſor ſe priuat, materiæ pretioſitate, aut vtilitate, & inſeruit magnæ commoditati vtentium, ſiuè eorum, qui vſitata pecunia indigent pro ratione regionis, & patriæ, quæ omnia ſunt pretio æſtimabilia. Inſuper Campſor ex officio pro vtilitate publica debet coaceruare, cuſtodire, aut paratam habere multam pecuniam diuerſi generis, vt Campſarijs ſatisfacere valeat. Ex quo patet Cambium ſiccum non eſſe licitum, niſi Campſor aliquid recipiat vltrà ſortem ob lucrum ceſſans, vel damnum emergens, aut periculum ſortis, ſi hæc reuerà ſubſint, vt latè explicatum eſt in diſp. de Mutuo, & Vſura, quia licèt ratione mutui non poſſit quis aliquid vltrà ſortem recipere, poteſt tamen ob titulos ſupra aſſignatos.

Quæres. Quæ iniuſtitiæ in Cambijs interueniant.

Reſp. Variæ iniuſtitiæ interuenire ſolent. Prima ſi Campſor lucrum exceſſiuum requirat, & recipiat, dicitur autem lucrum exceſſiuum, quod vel publicam conſtitutionem, vel communem æſtimationem, vel prudens probati iudicium viri excedit:ità Marchant. qui ſubdit. Dixi publicam conſtitutionem; interdùm enim lege publica, & communi ſolent lucra Campſorum taxari, in quo caſu ſiuè ſit publicus Campſor, ſiuè ſit priuatus tenetur ad legis præſcriptum. Dixi vel communem æſtimationem, vbi enim taxatio legis publicæ deficit, communi mercatorum

æſtimationi ſtandum eſt, dummodò tamen non mentiatur iniquitas ſibi. Dixi vel prudens probati viri iudicium, caſus enim occurrere poſſunt, in quibus nec Statutum publicum, nec communis mercatorum æſtimatio iuſtitiam lucri in cambio determinare poſſint, in quibus, attentis circumſtantijs determinari poterit à Viro perito. Secunda Iniuſtitia ſi in lucro minuto fraus in monetarum ratione ſpecie, pondere, & vſuali valore ex parte Campſoris, vel etiam Campſarij interueniat. Solent enim ſe inuicem non rarò decipere, dum adulterinas monetas ſibi inuicem ingerunt, ſiue in permutatione pecuniarum diuerſæ rationis, & ſpeciei, ſiue vbi locale cambium ſoluitur. Tertia denique eſt quando Monopolio communi Campſores conueniunt, vt pretium pecuniarum augeatur: vndè Campſarijs magnum prouenit detrimentum.

DISPVTATIO VII.

De Cenſibus, Commodato, Locato, Emphyteuſi, & reliquis contractibus.

QVÆSTIO I.

Vtrum Cenſus in pecunia ſit licitus.

NOt. 1. Quòd nomen Cenſus habet diuerſas ſignificationes, vt videre eſt ſignanter apud Couar. Nos breuitati interim duas tantùm afferemus. Prior eſt, quando Cenſus ſumitur pro Tributo, quod capitatim, vel iuxta æſtimationem bonorum fortunæ Principi ſoluitur, vt dicitur Matth. c.22. vbi Chriſtus docuit, quòd liceat dare Cenſum Cæſari. Poſterior eſt, quando ſumitur pro Iure percipiendi annuam penſionem ex alterius re, aut perſona, & de hoc in præſenti eſt ſermo. Vndè qui contrahit obligationem quotannis ſoluendi, dicitur Cenſuarius, qui verò numerata, ſeu præſenti pecunia ius illud emit dicitur Cenſualiſta. Contractus autem, qui circa illos verſatur Cenſualis vocatur, & eſt ſpecies quædam emptionis, ac venditionis. Dicimur enim cenſus, ſeu redditus annuos emere, etſi ius exigendi cenſus etiam oriri poſſit ex donatione gratuita, vel teſtamento. Vn-

Vndè ſic definiri ſolet. *Cenſus eſt ius percipiendi annuam penſionem ex re aliena, vtili, & fructifera, vel ex perſona alterius*. Dicitur Ius percipiendi &c. quia penſio non eſt cenſus, ſed potiùs eius effectus, & Cenſus non eſt res, quæ cenſui ſubijcitur, ſed eſt ius exigendi annuam penſionem: per penſionem autem intelliguntur fructus annui, vel menſtrui, vel aliquo alio tempore ſoluendi, ſiue in pecunia, ſiue in aliqua alia re viſibili. Dicitur ex re aliena &c. quia cenſus ſuper re propria non conſtituitur, neque ſuper re aliena ſterili, & non fructifera. Dicitur vel ex perſona alterius, quia poteſt quis ſe obligare ad cenſum annuum ſuper labore, opere, & induſtria propriæ perſonæ.

Not. 2. Quòd cenſus in ſui prima diuiſione diuiditur in reſeruatiuum, & conſignatiuum. Primus dicitur, quando quis transfert rem ſuam in alterum quoad dominium directum, & vtile, donando, legando, vendendo, aut permutando, ſeruata ſibi annua penſione ſuper eadem re. *Huiuſmodi Cenſum conſtituit Ioſeph in omnibus terris Ægyptiorum præterquàm Sacerdotum cum eas emptas, & ſubditas dominio Pharaonis Ægyptijs reſtituit, vt patet Geneſi cap.* 47. De quo hìc non loquimur, certum eſt enim, quòd ſit iuſtus. Conſignatiuus dicitur, quando quis ſuper bonis ſuis, quorum dominium directum, & vtile retinet, vel etiam ſuper perſona ſua ius penſionis annuæ alteri conſignat. Cenſus autem conſignatiuus quatuor modis diuiditur. Primò ratione materiæ, ſuper quam fundatur; & ſic alius dicitur realis, qui fundatur ſuper aliqua re, itaut ex ea penſio ſolui debeat. Alius dicitur perſonalis, qui fundatur immediatè ſuper perſonam. Alius dicitur mixtus, qui fundatur ſuper re, & perſona, adeout, pereunte re, adhuc perſona remaneat obligata ad penſionem ſoluendam. Secundò diuiditur ratione penſionis in fructuarium, & pecuniarium. Primus dicitur, ex quo debetur fructus, vt frumentum, vinum &c. Secundus ex quo debetur pecunia; & vterque, alius eſt certus, quando nimirum determinata, & certa eſt ſumma pecuniæ, vel menſura, ſeu quantitas fructuum. Alius incertus, quando videlicet non eſt determinata, ſed variatur; vt ſi ſoluenda ſit tertia, vel quarta pars fructuum agri, quæ iuxta diuerſas annorum fertilitates, vel ſterilitates minuitur, vel augetur. Tertiò denique diuiditur ratione temporis futuri, in perpetuum, &

 tem-

temporale. Temporalis dicitur, quando penſio ad determinatum tantùm tempus debetur: perpetuus verò, quando ad ſemper. Perpetuum partitur in redimibilem, & in irredimibilem. Prior dicitur, qui, licèt ex ſui natura ſit perpetuus, poteſt tamen redimi. Poſterior verò dicitur, qui cum perpetuitate adiunctam conditionem habet, vt nunquam redimi poſſit; hæc tamen conditio per Bullam Pij V. ſublata eſt, táquàm iniuſta. Temporalis pariter diuiditur in eum, qui extenditur in tempus certũ v.g decem, vel viginti annorum, & in eum, qui extenditur in tempus incertum, vt ad vitam vnius, duorum, vel trium hominum, qui dicitur vitalitius.

Concl. Contractus cenſualis conſignatiuus, ſiue realis, ſiue perſonalis, ſiue antiquus, ſiue nouus eſt licitus. Prob. & quidem primò praxi omnium timoratorum, & auctoritate *Martini V. in Extrauag.* 1. *& Caliſti III. in Extrauag.* 2. *vbi Pontifices loquuntur generaliter non ſolùm de antiquis, ſed etiam de nouis cenſibus. Inſuper Pius V. conſtit. Cum onus, approbauit huiuſmodi cenſus, appoſitis quibuſdam conditionibus:* ſed ſi ex natura rei eſſent illiciti non poſſent per conditiones appoſitas reddi liciti; ergo &c. Prob. ratione. In contractu cenſus eſt venditio iuris percipiendi reditus ex parte vnius, & emptio eiuſdem iuris ex parte alterius; ſed poteſt quis licitè vendere ius percipiendi fructus, vel reditus ex re propria, & alius emere, ergo talis contractus cenſus eſt iuſtus, & licitus.

Nec obſtat, quòd penſiones annuæ poſt paucos annos æquent, & etiam ſuperent ſortem pro cenſu datam, dum Ius adhuc integrum manet emptori; nam etiam fructus agri empti ſic æquant pretium pro agro datum, qui tamen adhuc ſaluus manet emptori.

Dices. Saltem cenſus perſonalis eſt illicitus, quia ſupradicti Pontifices declararunt ſolùm reales cenſus eſſe licitos. Reſp. cum Caſpenſi in diſp. de contract. Pontifices declaraſſe illos eſſe licitos, quia de ijs fuerunt interrogati Martin. & Caliſtus: non tamen damnarunt perſonales. Hinc ſequitur licitè nouos cenſus emi, cuius oppoſitum tenuit Henricus de Gandauo quol. 8. q. 21. Quia antiqui aliquando fuerunt noui, nec tractu temporis euaſerunt iuſti *iuxta regulam iuris, Quod ab initio non ſubſiſtit, tractu temporis non validatur*. Sic pariter dicendum de perſonalibus cum pluribus Doctoribus, inter quos ſignanter ſunt noſter Maior

ior

ior in 4. Gabriel, & Soto; ea ratione, quòd olim Eccleſiæ debebantur etiam perſonales decimæ, nempe ex labore manuum, & negotiatione *vt patet cap. Decima 16. q 1.* Similiter licet emere cenſus ſiue perpetuos ſiue temporales, ſiuè redimibiles, ſiuè irredimibiles, etiam minori pretio, quàm ſint omnes penſiones ſperatæ. Ratio eſt quia penſiones ſperatæ quòd ſuperent ſortem fortuitum eſt in cenſu, maximè perſonali. In cenſu autem perpetuo ipſe fundus non tantum valet, quantum ſperatæ penſiones. Deinde in venſione noui cenſus ſiuè temporalis ſiuè perpetui nunquam datur tantum, quantum omnes ſperatæ penſiones continent, eò quòd ſemper adſint pericula.

Cæterum pro iuſtitia cenſuum traduntur à Doctoribus, quædam conditiones, quarum aliquæ iure naturæ exiguntur; & ſunt eædem quæ in emptione, & venditione requiruntur, nempe mutuus conſenſus contrahentium Ius quod venditur, ſit in re vendibili, & ſit iuſtum pretium; iuſtum autem pretium cuiuſcunque Cenſus eſt illud, quod vel lege taxatum eſt, vel iudicio prudentum, vel loci probata conſuetudine: aliquæ vero exiguntur iure poſitiuo; quæ videlicet à Principe vel a Pontificibus ſunt inſtitutæ. Et quidem Pius V. conſtit. cit. varias conditiones præſcribit, decernens contractus aliter initos habendos pro vſurarijs, vtique iudicio, & præſumptione fori externi; vt notat cum alijs Herincx: non autem, quòd omnes ſint reuerà iniuſti, & vſurarij quales non fiunt per legem poſitiuam ſi à parte rei ſeruetur debita æqualitas. Quare aduertunt quamplures Doctores ſignanter Leſſ. Becan. Bonacin. Caſpenſis, & Herincx talem conſtitutionem, quatenus ſuperaddit iuri naturæ, non eſſe receptam, nec apud Belgas, nec apud Gallos, nec Hiſpanos, nec Germanos; ideoquè vbi non eſt recepta, non obligat ad ineundum contractus iuxta conditiones præſcriptas; ac proindè contractus aliter initi cenſentur validi. Quæ autem ſint conditiones præſcriptæ à Pio V. videri poſſunt apud Leſſ. cap. 22. dub. 12. qui eas reducit ad quatuordecim, apud Caſpenſ. tom. 2. tract. 19. diſp. 5 ſect. 7. & etiam apud Maſtrium in Theol. morali. Et quidem principaliores ſunt ſequentes. *Prima vt Cenſus conſtituantur ſuper re immobili frugifera certis finibus deſignata: 2. Numerato iuſto pretio tempore contractus coram Notario, & Teſtibus: 3.*

 Nul-

Nulla fiat anticipata ſolutio, nec alia vnquam, niſi pro rata lapſi temporis : 4. Non obligetur venditor ad caſus fortuitos, ſed re perempta cenſus extinguatur : 5. Nullo pacto venditori alienandæ rei libertas reſtringatur, aut emptor ad laudemia obligetur : 6. Nullo pacto venditor ob moram ſolutionis cenſuario obligetur ad pœnam commiſſi intereſſe, aut expenſas : 7. Re percunte in totum, vel in parte, pro rata pereat Cenſus. Hæ ſunt principaliores. Cæteræ videantur apud ſupracit. Doctores.

QVÆSTIO II.

De Commodato, Locato, & Conducto, ac Depoſito.

PRima Concl. Commodatum eſt gratuita conceſſio alicuius rei ad vſum pro certo tempore, ante quod non poteſt commodatum repeti, ſi indè prouenirет damnum commodatario, niſi fortè idem, vel maius damnum immineret commodanti ex carentia rei ſuæ. In tali enim caſu probabilius cenſetur commodantem poſſe repetere ob implicitam voluntatem, qua non cenſetur ſe gratis velle ad tantum ſe obligare. Ità inter alios Nauar. Leſſ. & Laiman. Vndè conſtat diſcrimen, quod intercedit inter mutuum, & commodatum, nam in mutuo transfertur dominium rei in alterum, & debet reſtitui non idem numero, ſed æquiualens; at in commodato nequè transfertur dominium, nequè poteſt reddi æquiualens, ſed idem numero commodatum, & diſtinguitur pariter à locatione, quia commodatum eſt contractus gratuitus, ac proindè ſine lucri perceptione; in locatione autem percipitur lucrum ex vſu rei locatæ. Cæterùm commodatarius tenetur primò non vti commodato, niſi ad vſum, ad quem datum eſt. *Cenſetur autem datum ad vſum rei proprium l. plenum §. equitij ff. de vſu, & habit.* Sic e. g. Equus ſolitus equitare, ad equitandum; ſolitus arare, ad arandum, niſi aliter exprimatur &c. ſecundò, finito tempore conceſſo, debet commodatum domino etiam non exigenti reſtituere, alioquin tenetur omne lucrum ceſſans, & damnum emergens indè domino proueniens reſarcire: tertiò dequè obligatur ad expenſas ordinarias in re commodata conſeruanda. Huic contractui eſt affinis contractus, qui vocatur Precarium, in quo gratis conceditur vſus ali-

cuius rei ob preces eius, cui conceditur, hac lege, vt dominus poſſit ad libitum rem repetere: quòd tamen, vt paſſim notant DD. nequit fieri incontinenti, quia hoc foret irrationabile. Commodatum igitur à Precario diſtinguitur, quòd in hoc nullum tempus determinetur.

II. Concl. Locatio eſt Contractus, quo perſona, vel res aliqua ad aliquem vſum, vel fructum pretio conceditur, cui contractui correſpondet Conductio, in quo vſus, aut fructus rei, vel perſonæ accipitur pro pretio. Dicitur perſona: poteſt enim aliquis ſe ipſum, filios, ſeruos, & ancillas, eorumquè opera in vſum, ac vtilitatem alterius locare, paciſcendo de pretio. Dicitur res aliqua, vt comprehendantur res tam mobiles, quàm immobiles. Deniquè dicitur pretio, vt diſtinguatur à commodato. Iniuſtitia huius contractus eſt, primò ſi locans rei locatæ iuſtum pretium excedat notabiliter, tunc enim mortaliter peccat, & tenetur ad reſtitutionem; iniuſtum autem pretium cenſetur, quod communi æſtimatione in regionibus illis iuxtà rerum conditiones, ac temporis, & loci circumſtantias tale reputatur in ſtipendijs, & pretijs operariorum, famulorum, famularum, artificum &c. 2. ſi res, quam Conductor ad ſuum vſum, vel fructum locato accipit ſua culpa perit, aut deterior fiat vltra ſuum ordinarium, qui locatarijs ex vi paſſiuæ locationis debetur. Sed dubitatur: An Conductor alicuius poſſeſſionis tempore ſterilitatis teneatur ſoluere totam penſionem. Reſp. quòd *videtur definitum à Greg. IX. locatorem in caſu ſterilitatis debere remittere penſionem pro rata:* ad quam remiſſionem quidam requirunt, vt quantitas fructuum non perceptorum excedat medietatem, alij excedat tertiam partem, alij quartam tantùm. Verùm in hac re attendendum eſt potiùs ad locorum conſuetudines, & conſuetas conuentiones conferendo annos præcedentes, ac ſequentes iuxtà ſterilitatem, vel fertilitatem.

Dubitatur inſuper, an conducens Domum teneatur ad reſtitutionem ſi comburatur. Reſp. Negatiuè, niſi locans oſtendat Domum culpa conductoris perijſſe, licèt enim incendium plerùmq; contingat culpa inhabitantium, id tamen etiam fit ſæpè culpa famulorum, & famularum, pro qua Paterfamilias non manet obligatus, niſi in caſu extraordinario. Quarè ſi aliquis ſartor v. g. in Domo à ſe condu-

ćta operetur cum multis famulis, & ex prunis inter illos malè cuſtoditis, domus comburatur, reſp. Burgaber cum pluribus Iuriſtis quòd talis ſartor ad nullam reſtitutionem obligatur, niſi proprietarius probet, incendium accidiſſe ex culpa certi, ac determinati famuli, qui communiter pro negligéti eſt habitus, & tamen ab iſto ſartore in Domum inductus, & toleratus fuit; aliàs nulla probatur in eo fuiſſe culpa.

Dubitatur deniquè, an Locator ante determinatum tempus poſſit conductorem expellere, aut è contra conductor ſpontè rem deſerere. Reſp. ad primum negatiuè, niſi in ſequentibus caſibus. Primò ſi per biennium non ſoluat penſionem: 2. ſi debeat res locata refici, idquè fieri non poſſit conductore inhabitante: 3. Si adueniat caſus improuiſus, ob quem ipſe locans re locata neceſſariò indigeat: 4. Si conductor re conducta notabiliter abutatur, vt ſi daretur ad meretricium &c. Reſp. ad ſecundum etiam negatiuè, niſi talia superueniant incommoda, quæ ſi preuiſa fuiſſent, non ſe obligaret Conductor.

III. Concl. Depoſitum eſt contractus gratuitus, in quo res aliqua alterius, cuſtodiæ traditur, vt integra reſtituatur. Ex qua definitione conſtat, quomodo depoſitum diſtinguatur ab alijs contractibus; ordinariè res mobiles in depoſitum traduntur, quamuis, & immobiles per Iudicem ſoleant, litibus durantibus, etiam in ſequeſtrum poni per modum depoſiti. Cæterum re depoſita vti non poteſt Depoſitarius domino rationabiliter inuito; aliàs tenetur ad reſtitutionem fructuum ex vſu tali perceptorum, & ad compenſationem damni, ſi quid indè euenit deponenti. Tenetur etiam depoſitarius reddere depoſitum petente depoſitore, niſi peteret, vt ſibi, vel alteri noceat; tunc enim ad tempus redditio differri poteſt, ſi ad reſtituendum non cogatur. Verùm nota, quòd Depoſitum poteſt deponi, vel in ſolum commodum deponentis, vel etiam dato pretio iuſto ob cuſtodiam ipſius depoſitarij, vel etiam in fauorem eiuſdem. Si primo modo, & res pereat, non tenetur depoſitarius, niſi de culpa graui; ſi autem ſecundo modo, tenetur etiam de culpa leui, ſi res pereat: & licèt ratione leuitatis culpæ ipſe peccatum mortale non commiſerit, tenetur tamen in materia ſufficienti ſub peccato mortali ad reſtitutionem rei, quæ perijt, vel damni illati, niſi deponens con-

do-

donet, *Vt indicatur cap. bona fides de depoſ.* rationem dat Marchant quia ipſe paciſcendo de pretio, aut cuſtodia ſibi commodaſe obligauit ex iuſtitia, & fidelitate ad rem integram cuſtodiendam, & reſtituendam. Vndè Molitor, cui traditum fuit triticum ad molendum, quia ſtipendium accipit, tenetur etiam ex leui culpa damnum reſarcire, ſi triticum pereat ſecùs autem ſi nulla culpa, vt ſi igne, aquarum inundantia, hoſtium inuaſione &c. res pereat.

Quæres. An ſi Depoſitum factum apud Abbatem, Priorem, vel etiam Religioſum ſubditum de conſenſu Superioris pereat, teneatur Monaſterium ad damnum reſarciendum. Reſp. negatiuè *Iuxta regulam Iuris: delictum perſonæ redundare non debet in detrimentum Eccleſiæ*, ac proinde delictum Abbatis Monaſterium non afficit; non enim fides de depoſito ſeruando eſt data Monaſterio, vel obligatio ab eo ſuſcepta. Quòd ſi Monaſterium acceptaſſet, fide explicitè data de re depoſita cuſtodienda, videtur teneri ad damnum compenſandum.

QVÆSTIO III.

De Emphyteuſi, & Feudo, de Aſſecuratione, & fideiuſſione, de Pignore, & Hypotheca.

PRima Concl. Emphyteuſis eſt contractus, quo res aliqua immobilis alicui fruenda traditur ſub certa penſione in recognitionem dominij directi. *Ita Iuriſperiti ex l. 1. C. de iure Emphyteutico*. Traditur autem aliquando in perpetuum, aliquando ad vitam alicuius, aliquando ad certum tempus, non minus tamen, quàm decennium; quia ſi decennium non attingat non cenſetur Emphyteuſis, ſed contractus locationis. Quomodocunque verò res tradatur, totaliter redit ad priorem Dominum, ſi penſio intra certum tempus non ſoluatur *Ita colligitur ex l. 2. & 3. c. de iure Emphyt. hoc autem certum tempus debet eſſe duorum annorum, ſi Emphyteuſis ſit eccleſiaſtica, vt habetur Autent. qui rem C. de Sacroſ. Eccleſ.* Quòd ſi intra dictum tempus non ſoluerit in commiſſum, hoc eſt, caducitatem incidat, amittendo cum dominio vtili melioramenta in re emphyteutica facta. Immò non ſolùm in cõmiſſum incidit Emphyteuta ob non ſolutam per triennium penſionem,

nem, ſeu canonem dominio proprietario, ſed etiam ob non ſoluta tributa, vel ob rem in Emphyteuſim acceptam ipſius culpa deteriorem factam, prout leges de Emphyteuſi diſponunt, quæ videri poſſunt apud Summiſtas verb. Emphyteuſis, vbi etiam notant, quòd Emphyteuſis latinè idem ſonat, ac inſitio, ſeu implantatio, ac melioratio.

II. Concl. Feudum eſt conceſſio alicuius rei immobilis, aut quæ pro immobili habetur, quoad dominium vtile pro fidelitate, & ſeruitio perſonali exhibendo, retenta proprietate; vt ſi Imperator concedat Perſonæ nobili Caſtrum. Is, qui concedit vocatur Infeudator Dominus; is verò, cui conceditur Vaſallus, ſeu feudatarius. Et licèt Feudum affinitatem habeat cum Emphyteuſi, nam vtrumque conſiſtit in re immobili, cuius ſolum dominium vtile transfertur, retento directo, differunt tamen primò, quia emphyteuſis fit ob agrorum ſterilitatem, ad quorum meliorationem, & fœcunditatem per culturam tanquam ad finem proximum dirigitur. Feudum verò ordinatur in recognitionem dominij directi per obſequium perſonale, vndè in emphyteuſi imponitur onus reale, nempe annua penſio, ſiuè in pecunia, ſiuè in alia re. 2. Feudum ad ſolos deſcendentes maſculos, non verò ad fœminas cenſetur deuenire, niſi in conceſſione fuerit aliud expreſſum; at emphyteuſis deſcendit ad maſculos, & fœminas. Cæterùm datur etiam contractus, qui dicitur Libellatius, & eſt quo emphyteuta, ſeu vaſſallus pro penſione ſibi ſoluenda concedit alteri rem quam ipſe ab alio habet in Emphyteuſim, ſiuè in feudum; vndè Libellus nil aliud eſt, quàm emphyteuſis, aut feudum alteri emphyteuſi, aut feudo ſubalternatum. Inſuper datur contractus Superficiarius, & dicitur, qui in alieno ſolo non quidem habet ſolum ipſum, ſed tantùm ſuperficiem ad domum conſtruendam, oliuetum plantandum, aut quid ſimile. Poteſt autem ſuperficies concedi multis modis. Primò liberali donatione in perpetuum. 2. gratuita donatione ad certum tempus. 3. venditione in perpetuum. 4. locatione ad certum tempus. 5. annua penſione, ſiuè in perpetuum, ſiuè ad certum tempus.

III. Concl. Contractus Aſſecurationis eſt, quo quis alienę rei periculum in ſe ſuſcipit obligando ſe, vel gratis, & ſic dicitur gratuita promiſſio, vel pro certo pretio ad eam

com-

compenſandam, ſi perierit. Explicatur concluſio v. g. Titius mercator habet Nauem in portu Anconitano multis mercibus plenam, quam vult traijcere in Siciliam, & Caius promittit Titio dictam Nauem cum mercibus ſaluam, & integram in Siciliam peruenturam, quòd ſi non perueniat valorem mercium promittit de ſuo ſoluere, & pro hac aſſecuratione deducit in pactum certum pretium ſibi a Titio ſoluendum, & talis contractus reducitur ad contractum emptionis, & venditionis, quia in ipſo Titius dominus mercium emit aſſecurationem, ſeu obligationem Caij, qua ſe obſtringit ſoluere de ſuo valorem mercium, ſi perierint tanto pretio. Quarè ſeruandæ ſunt in hoc contractu conditiones emptionis, & venditionis, ſeruando æqualitatem inter pretium, & periculum ſuſceptum, nam res aſſecuranda debet aliqualiter eſſe periculo expoſita, & alia ſeruari debent, quæ videri poſſunt apud Bonac. diſp. 3. q. 9 apud Stephanum à S. Greg. & Maſtrium in Theol. morali.

IV. Concl. Fideiuſſio, quæ ſignificat fidem ſuam alteri iubere, ſeu dare, eſt contractus, quo quis in ſe ſuſcipit obligationem alterius promittens fide ſua illius adimpletionem, & in defectum illius ſe obligans. Ita communiter Doctores, qui *iuxta Inſtitutum tit. 21. lib. 3. diſtinguunt duplicem fideiuſſionem, alteram quæ dicitur iudicialis pertinens ad cauſam criminalem, vt quando quis fideiubet ad conſtituendum Reum ſuper pœna pecuniaria; altera dicitur extraiudicialis pertinens ad cauſam ciuilem;* vt ſi quis fidem ſuam obligat creditori, & ſe ſoluturum promittit in caſu, quo principalis non ſolueret; quod ſi ex æquo ipſe, & principalis ſint obligati, tunc poteſt creditor ab vtroque creditum exigere pro ſuo libito.

Cæterùm diſputant Doctores, an fideiuſſor poſſit pretium aliquod accipere à debitore, pro quo fideiuſſionem facit: communis opinio affirmat, vt alibi indicauimus, eſſe licitum, quoties fideiubendo ſubire probabiliter exiſtimat periculum ſoluendi, aut alias moleſtias, habita tamen ratione periculi &c. Immò ſunt, qui dicunt poſſe aliquid recipere à debitore etiamſi fideiuſſor nullum patiatur detrimentum, ſed pro ſola obligatione fideiubendi; quod onus gratis ſubire non tenetur; ita Bonacina cum pluribus alijs: qui autem poſſint fideiubere patere poteſt ex dictis: ſed nota, quòd vxor pro viro non poteſt fideiubere *Autent. ſi qua mulier C. ad S. C. Velleianum.*

V. Concl.

V. Concl. Pignus acceptum non pro re, ſed pro contractu, eſt contractus, quo creditori traditur res mobilis, vt ſit obligata pro debito: Hypotheca verò eſt dum ſimili modo obligatur res immobilis. Solent tamen ſæpè pignus, & hypotheca confundi, & vnum ſumi pro alio. Nihilominus diſcrimen eſt inter ipſa, eò quod Pignus non ſolùm eſt res obligata creditori, ſed etiam tradita; Hypotheca autem eſt res obligata creditori, non autem tradita. Obligationes, quæ oriuntur ex pignore, & hypotheca, aliæ pertinent ad debitorem; aliæ ad creditorem. Priores ſunt, ne res vni creditori hypothecata detur alteri, niſi in caſu, quo ſufficiēs eſſet pluribus creditoribus ſatisfacere. Item quòd ſoluat omnes expenſas, quas creditor fecerit in conſeruando, & tuendo pignore, ne periret, vel deterius redderetur *leg. ſi ſeruus ff. de pignoribus*; & denique quòd pignus repetere non poſſit, donec integrum debitum perſoluerit *leg. quamdiù C. de diſtract. pignor.* Poſteriores ſunt, quòd creditor curet, ne pignus pereat, aut deterius fiat, aliter tenetur damna debitori compenſare. Inſuper, quòd creditor nequeat vti pignore contra voluntatem domini expreſſam, vel ſaltem tacitam, quia illud non datur ad vſum, ſed ad nudam ſecuritatem. Item quòd creditor computet in ſortem omnes fructus ex pignore perceptos, necnon quos ex negligentia ſua amiſit, puta ſi agrum acceptum in pignus incultum reliquit; & ſi eum colat, tenetur computare fructus in ſortem, detractis tamen expenſis &c. Addit Aſteſanus, quòd ſtatim poſt ſolutionem debiti, pignus reſtituatur debitori ex cap. creditor: quæ autem res poſſint pignorari, & qui poſſint res in pignus dare conſtat ex dictis in diſp. de dominio &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Ludus ſit licitus.

NOt. Quòd *Ludus eſt contractus quo plures paciſcuntur, vt aliquid Victori cedatur ex eo, quod vterque depoſuit.* Ordinatur autem ludus ex ſui natura ad relaxationem, & animi recreationem: vndè ſi exerceatur cum debitis circumſtantijs eſt actus virtutis Eutrapeliæ, ideſt iucunditatis, & affibilitatis; homo ſiquidem quaſi neceſſariò indiget aliquo leuami-

mine ratione ſuæ naturæ debilis,& infirmæ: at tres conditiones ad huiuſmodi contractus honeſtatem, & iuſtitiam exiguntur iuxta communem Doctorum ſententiam. Prima vt ludentes habeant liberam diſpoſitionem rei, ſeu pecuniæ; quam ad ludendum exponunt. Secunda vt alter alterum non trahat ad ludum per iniuriam, vt fraude, metu, minis &c. Tertia vt non vtatur fraude contra leges ludi, quę ſeruandę ſunt, vel ex natura ludi, vel ex conſuetudine, vel etiam ex conuentione. Leges autem ludi ſunt huiuſmodi, vt qui fraudes adhibet, teneatur reſtituere lucrum per illas comparatum, immò & reparare damnum alterius, alioquin lucraturi: & ſi euentus fuerit ex vtraque parte paris dubietatis, ſufficit reddere, quod acceptum eſt. Solent autem fraudes eſſe huiuſmodi, vt ſi quis aſtantium ſignificet alteri occultè chartam, ſeù qualitatem,& ſortem chartarum, quæ ei obtingit. Item ſi ſocius non ſerio adiuuet ſocium, ſed potiùs conſpiret cum parte aduerſa. Inſuper ſi quis plura puncta pro ſe numeret, vel pauciora pro aduerſario, quàm reuerà habeat. Similiter ſi non ſolùm caſu, aut ex negligentia aduerſarij, ſed ſtudioſa fraudulentia ſortem alterius inſpiciat, & denique ſi aleis, aut taxillis, alijſq; inſtrumentis fraudulentis, quibus perdere non poſſit, vtatur.

Not. 2. quòd variæ fraudes cenſentur communi vſu, ac proindè ſecundùm leges Ludi permiſſæ, attenta conſuetudine locorum paſſim probata, ſeù recepta, & in dubio ſtandum eſt iudicio peritorum in iſta arte. Tales cenſentur v. g. ſi ludens aduertat partem aduerſam in diſtributione chartarum errare, & diſſimulet, vt errore deprehenſo pars mulctetur. Item ſi aduertat ex errore, aut obliuione numerare pauciora puncta, quàm habeat. Similiter, qui inter ludendum aduertit ſortem ſibi contigiſſe inferiorem poteſt ſtratagemate quodam alterum inuitare ad augendam ſponſionem, vt alter territus victoriam cedat; vel diſſimulare maiorem ſortem chartarum, vt alter perditurus augeat ſponſionem; deniquè poteſt in ipſo chartarum luſu diſcere differentiam earum obſeruatis certis notis.

I. Concl. Ludus ex ſui natura licitus eſt, ſi ſeruentur conditiones ſuperiùs recenſitæ, etiam ſi quis ludat principaliter propter lucrum; poteſt tamen eſſe illicitus per accidens. Prob. Conc. quoad 1. part. quilibet dominus ſuæ

rei

rei poteſt alteri eam donare abſolutè; ergo poteſt etiam ſub aliqua conditione illam tradere, ſiuè talis conditio ſit fortuita, ſiuè ex induſtria pendeat, ſiuè partim ex induſtria, & partim ex fortuna, ſed talis contractus ex nullo capite apparet eſſe iniuſtus; ergo ludus ex ſui natura eſt licitus.

Prob. quoad ſecundam partem; Nam intendere lucrum etiam principaliter per medium licitum ſine iniuria eius, à quo ſperatur, non eſt finis rationi repugnans, nequè iuſtitiæ, ergo licitum eſt abſquè etiam peccato veniali ludere ad lucrum faciendum, ſeruata tamen moderatione, quia nimia auiditas lucrandi præſefert ſaltem peccatum veniale, excedit namquè honeſtatem, ſeù finem ludi, qui eſt animum fatigatum recreare, ſeù præbere quandam animi delectationem.

Prob. quoad tertiam partem, nempè quòd per accidens reddatur illicitus, & quidem ex multis circumſtantijs, vt ratione perſonæ, cum qua luditur, non habentis dominium rei; ratione temporis, vel loci, necnon ratione fraudis, mendacij, periurij, blasphemię & aliorum malorum, quæ in ludis paſſim eueniunt, ideoquè à Sanctis ludus acriter reprehenditur: Vndè Iob. cap. 3. *Nunquam cum ludentibus miſcui me. & Ieremiæ 15. non ſedi cùm ludentibus in conſilio*; frequenter enim exercentur in ludis præfata mala, & interdum etiam fit ludus cum detrimento notabili vxoris, & filiorum, & ludens ſæpè fit impotens ad debita ſoluenda, in quibus caſibus nemo dubitat, quin ſit peccatum mortale, vt communiter tradunt Doctores. Ex quo rectè infertur, quòd qui adminiſtrant domum, menſam, aleas, lumina, & alia ad ludum neceſſaria omnibus indifferenter ad ludendum, maximè ludo prohibito peccant mortaliter. Nec Princeps ad huiuſmodi ludos exercendos concedere poteſt licentiam, immò nec permittere, quia licèt ludus ex ſe ſit indifferens, moraliter tamen ſemper ibi deſtinatur ad prauum vſum, nam, vel blaſphematur, vel dilapidantur bona, vel rixæ excitantur, vel ibi ludunt Minores, vel furta committũtur, & fraudes, ac proindè rariſſimè exerceri poteſt abſq; peccato mortali, vt ex communi tradit Caſp. quicquid dicant nonnulli oppoſitum tenentes, quorum ratio non videtur valere, nempè quia licitum eſt miniſtrare, & vendere res indifferentes, etiam cum cognitione praui vſus; ergò pariter lici-

citum erit præbere inſtrumenta ex ſe indifferentia; non valet, inquam, quia licitum eſt indifferentia miniſtrare, etiam cum cognitione praui finis, quandò non miniſtrantur in ipſo exercitio v. g. locare domum, & vendere ornamenta Meretrici, & inſtrumenta ad ludendum componere, quia hæc non ità directè, & proximè ſunt illis adiumento ad peccandum, at ſecùs ſe habet in propoſito caſu, vbi domus, & inſtrumenta ad ludendum in ipſo exercitio miniſtrantur.

II. Concl. Clericis, & Religioſis Iure Canonico prohibetur alearum ludus, *Vt conſtat ex cap. Epiſcopus diſt. 35. & cap. Clerici diſt. 2. de Vita, & honeſtate Clericorum, & cap. inter dilectos 11. de exceſſibus Prælatorum, vbi collatio beneficij facta publico Aleatori, & Vſurario irritatur*; nomine autem Clerici veniunt beneficiati, & ij qui ſacris ordinibus ſunt initiati. Qui quidem canones renouati ſunt per Trident. ſeſſ. 22. cap. 1. de Reformatione. Verùm huiuſmodi leges, vt paſſim notant Doctores, non ſunt in eo rigore receptę, vt, abſente ſcandalo, non liceat interdum recreationis cauſa ludere. Igitur interdicitur conſuetudo ludendi, quia valdè deceret virum eccleſiaſticum frequenter ludere, adeò, vt quidam Doctores exiſtiment peccare mortaliter, qui ludos frequentant, ſecùs verò ſi, ceſſante ſcandalo, & reliquis incommodis, cauſa honeſtæ recreationis ludant, & multò magìs tales ludi repugnant ſtatui Religioſorum, vt aduertunt Sot. Caſpenſ. Sanchez; & alij.

Quæres 1. An qui ludit ludis prohibitis, & aliquid eſt lucratus, teneatur ad illius reſtitutionem.

Reſp. quòd res eſt controuerſa, nam affirmatiuam ſententiam tenet D. Thomas, Maior, Caſtro lib. 2. de lege pœnali cap. 2. & Alij. Negatiua tamen ſententia videtur probabilior, ideſt non teneri ad reſtitutionem ante iudicis condemnationem; ratio ęſt quia contractus ludi Iure naturæ habet vim transferendi dominium, vndè licèt iure humano ſit prohibitus, non tamen impeditur dominij translatio, nam vt alibi dictum eſt, aliud eſt contractum eſſe illicitum, aliud verò eſſe irritum, nam multa illicita fiunt, quæ facta tenent. Cæterùm, vt ab hac quæſtione, & etiam ab alijs citò liberemur, præſtat magìs tenere opinionem ferè communem Recẽtiorum, nimirum Leges Ciuiles ludos prohibentes laicis eſſe iam per contrariam conſuetudinem abro-

abrogatas. Quarè Herincx part. 3. diſp. 5. de ludo, qui viginti ab hinc annis ſcripſit, ſic concludit. Vndè apparet quantò meliores fuerint in hac cauſa mores illius qui, quàm huius, quo leges hæ, nempè Ciuiles in deſuetudinem abierunt, tum quò ad prohibitionem, tum quò ad ſoluti repetitionem: quamuis ratione circumſtantiarum huiuſmodi, ludi fiant cum graui offenſa Dei. Vndè ceſſant variæ quæſtiones, quas, ſuppoſito vigore legum mouent Auctores, vt Molina, Leſs. Lugo, Maſtrius, & Alij.

Quæres 2. An perdens in ludo poſſit lucrantem cogere, vt in ludo perſiſtat, ac proindè ſi quid poſtea lucretur cogens ad reſtitutionem teneatur.

Reſp. 1. perdentem non poſſe cogere, & ſi poſt coactionem aliquid lucratur, tenetur ei reſtituere: Ratio eſt; quia per coactionem infertur alteri iniuria, ac proindè talis contractus per violentiam extortus eſt inualidus, cum lædatur Ius eius, qui cogitur. Ita Fernandez cum communiori ſententia monens non eſſe audiendum Tolet. lib. 5. cap. 27. qui ſolùm obligat cogentes, & lucrantes reſtituere eam tantùm partem, quam ſupra quod perdiderant lucrati ſunt, & ratio eſt, quia tota ſumma iam erat ſub lucrantis dominio, & tota per vim fuit extorta; ſuppoſito quòd aliud pactum inter ipſos ludentes non interceſſerit, nempe ludendi tempore determinato, vel niſi extet aliqua loci conſuetudo ludum continuandi. Reſp. 2. cum Leſs. Adriano, Molina, quos citat Diana part. 2. tract. 3. reſolut. 27. quòd talis contractus ludi fuit validus, & iuſtus; ſi enim ille, qui coactè luſit, viciſſet non teneretur ad reſtitutionem, licèt qui alterum ſic cogit ſit dignus per ſententiam Iudicis priuari lucro, non tamen eſt ipſo facto priuatus, nec talis coactio eſt propriè cauſa damni, quia coactus adhuc poterat lucrari poſtea, ſicut antea.

Cæterùm in foro conſcientiæ cenſerem probabilem opinionem illam, quæ à nonnullis Doctoribus docetur cogentem, vt ſupra teneri tantùm ad reſtitutionem eius, quod lucratus eſt vltra id, quod antea amiſerat, non verò illius pecuniæ, quam amiſſam recuperat; & hæc ſententia videtur magis in praxi expedire ob auiditatem, & cupiditatem ludentium in lucrum, & pecuniam.

DIS-

DISPVTATIO VIII.

De Reſtitutione in communi.

QVÆSTIO I.

Vtrum Reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem.

NOt. 1. Quòd fuit olim error Græcorum aſſerentium, Reſtitutionem rei alienæ non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere ad ſalutem pœnitentiam, ſeu dolorem de commiſſo crimine; Sacerdotes autem talem doctrinam docentes fures oleo inungebant, & ad aliquam rapinæ partem ſibi dandam obligare ſolebant, iuxta adagium. *Quicunque multa rapuerit, pauca autem ſuffragantibus dederit ſaluus erit &c.* ita refert Alphon. à Caſtro lib. 8. aduerſus hæreſes. Huc etiam pertinet eorum error, qui affirmarunt, furtum non eſſe malum, vt de Germanis, & Lacedemonijs refertur, in quo errore verſari videntur interdum aliqui ruſtici vel ignorantia, vel malitia; imò nonnulli credunt per Sacramentalem abſolutionem, maxime tempore Iubilæi, liberari à reſtitutione facienda.

Not. 2. Quòd reſtitutio ſic communiter definitur. *Eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quo cuique redditur quod ab eo iniuſtè ablatum eſt, vel iniuſtè eo inuito retinetur*: quæ definitio patet ex dictis in diſp. 1. de Iuſt. & Iure. Difficultas tamen eſt; an præceptum reſtitutionis ſit affirmatiuum, vel negatiuum: Caiet. Nauar. & alij exiſtimant eſſe affirmatiuum; at Scot. oſtendit in 4. d. 15. q. 2. eſſe negatiuum, quam ſententiam ſequuntur non ſolùm Scotiſtæ, ſed etiam quamplures alij, adeò vt videatur ferè communis. Vndè obſeruat Pitigianus, quòd verbum *reſtituere*, licet nomine videatur affirmatiuum, re tamen negatiuum eſt, ideſt non retinendi alienum, & ſubdit hanc regulam generalem diſcernendi præcepta affirmatiua à negatiuis. *Quando id, quod concipimus, aut ſignificamus per nomen, eſt aliqua actio realis à parte rei; tunc præceptum quo illa prohibetur eſt negatiuum & quo intimatur, ſeu præcipitur aliqua actio, eſt affirmatiuum, etiamſi conuerſis nominibus, ac vocibus ſignificetur*, v.g. præceptum audiendi Sacrum, affirmatiuum eſt, etiamſi hac verborum forma tradatur, nullus

omit-

omittat Sacrum, licèt enim voce videatur negatiuum, quia tamen in re nulla realis actio negatur, ſed potiùs negatur omiſſio, & per conſequens negatur negatio; ideò præceptum reuerà eſt affirmatiuum; nam negatio negationis affirmatio eſt, vt Philoſophi docent.

Not. 3. quòd quidam putarunt, Reſtitutionem eſſe neceſſariam ſimpliciter, vt medium ad ſalutem, ſicut Fides, Gratia, Baptiſmus, Pœnitentia &c. & ſignanter id docuit Gabriel in 4. d. 15. q. 2. qui nititur eam probare ex illo Ezechielis cap. 33. *Si impius egerit pœnitentiam, feceritquè iuſtitiam, pignus reſtituerit &c.* vbi eiſdem prorſus verbis reſtitutionis declaratur; at pœnitentia eſt medium ad ſalutem neceſſarium lapſis poſt baptiſmum; ergo & reſtitutio. Verùm hæc ſententia ſuſtineri non poteſt, inquit Pitigianus in 4. d. 15. q. 2. art. 1. fieret enim ex ea, vt ſi quis per ignorantiam inculpabilem, aut obliuionem decederet ſine reſtitutione, vt pluribus quandoque contingit, non ſaluarentur, cum nemo etiam inuincibiliter ignorans, ſine medio ſimpliciter neceſſario ad ſalutem ſaluari poſſit, vt patet de Baptiſmo &c.

Concl. Reſtitutio eſt neceſſaria ad ſalutem, non quidem neceſſitate medij, ſed neceſſitate præcepti, ita Scot. D. Thom. & ferè omnes. Prima pars eſt de fide contrà recenſitos hæreticos, & infideles; & conuincitur manifeſtè eorum error ex lege naturali, quæ cuilibet dictat, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quam Chriſtus confirmauit Matth. 7. dicens. *Quodcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, at nemo ſpoliari ſuis bonis vult, aut non reſtitui ablata, ergo &c. Prob. 2. pars. Reſtitutio, ſicut etiam impletio cuiuſuis alterius præcepti, etiam in voto, non eſt medium, ſine quo gratia Chriſti eſſe non poſſit, niſi remotè, & quodammodo indirectè ratione pœnitentiæ, & contritionis, quæ eſt, & in omni tempore fuit medium ad ſalutem neceſſarium, ad quam pœnitentiam diſponit reſtitutio, ſaltem in voto, & cuiuslibet præcepti impletio; ſed hac generali ratione, etiam voluntas ieiunandi, audiendi ſacrum, ſumendi Euchariſtiam in Paſchate &c. eſſet medium neceſſarium; vndè ait Scot. ſicut neceſſarium eſt ſeruare præcepta negatiua, ita neceſſarium eſt non retinere alienum inuito domino; ergo reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, & non neceſſitate medij.

Arg.

Arg. cont. 2. part. conc. Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt medium neceſſarium ad ſalutem, ex eo quòd in Sac. Scrip. dicitur. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus S. non poterit introire in Regnum Dei:* Sed præcipitur eadem verborum forma pœnitentia; dicitur enim Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis;* Si igitur Theologi ex his verbis colligunt hæc ſacramenta eſſe neceſſaria vt media; cur non eſt idem colligendum de reſtitutione, iuxta illam ſententiam; *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Reſp. cum Pitigiano, quòd illa particula (niſi) non eſt efficax argumentatio, quòd vbi illa apponitur colligatur medij neceſſitas: nam de quolibet præcepto dici poteſt, niſi obſeruetur hominem fore damnandum; etſi non ſingulorum præceptorum obſeruatio ſit neceſſaria neceſſitate finis ſimpliciter. Vndè de Euchariſtia ait Chriſtus. *Niſi manducaueritis &c.* cum tamen iuxta aliquos ſolùm ſit neceſſaria ex vi præcepti; non ratione finis; & ſic de ſimilibus.

Arg. 2. quòd ſit pręceptum affirmatiuum ex Bonac. tract. de reſt. d. 1. q. 1. Præceptum negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper, & per hoc diſtinguitur ab affirmatiuo; ſed præceptum reſtitutionis non obligat pro ſemper, ſæpè enim excuſatur aliquis à reſtituendo, vt patet in omnium ſententia; quia hic, & nunc concurrere poſſunt circumſtantiæ ſuſpendentes obligationem reſtitutionis, ergo &c.

Reſp. diſting. min. non obligat pro ſemper per ſe, & ex ſui natura, neg. min. per accidens, hoc eſt ratione circumſtantiarum, ob quas dominus non debet eſſe irrationabiliter inuitus; conc. min.

Quæres. Vndè oriatur obligatio reſtitutionis.

Reſp. ex communi, quòd obligatio reſtitutionis oritur ex triplici capite, nempe ex re accepta, rei acceptione, & contractu. Quoad primam partem conſtat; nam eo ipſo què quis habet apud ſe rem alienam; licèt eam iniuſtè non acceperit, tenetur eandem reſtituere, vt ſic æqualitas conſtituatur inter ſe habentem aliquid plus, quàm ſuum, & alterum habentem aliquid minus, quàm ſuum. Quoad 2. verò etiam patet, quia ſępe quis obligatur ad reſtitutionem, licèt apud ipſum res aliena non extet, nec quicquam eius loco ſucceſſerit, ex quo ſit factus ditior, vt v. g. dum quis inuito rei domino rem in Mare proiecit, vel combuſ-

ſit. De tertia poſteà agemus. Nota nomine rei acceptæ non tantùm intelligi rem in propria ſpecie exiſtentem, ſed etiam exiſtentem in pretio, vel valorem, dum quis ex conſumptione rei alienæ eſt factus ditior; nullus enim poteſt diteſcere ex bonis alienis. Dico dum quis ex &c. eſt factus ditior, nam ſi in rè non ſit ditior factus, non tenetur ratione conſumptionis bona fide factæ ad vllam reſtitutionem: quia qui ex ſola re aliena obligatur, ſolùm manet obligatus, quamdiù habet talem, vel pretium eius, per quod auxit ſua bona ordinaria: ita omnes communiter. Hinc qui rem alienam bona fide inuentam, vel ab alio gratis acceptam recreatione extraordinaria eadem bona fide conſumpſit, itaut ex proprijs bonis, ea recreatione non obſtante, tantum expenderit, ac ſi re aliena caruiſſet, ad nullam tenetur reſtitutionem; idem dic de eo, qui rem ſimilem per luſum amiſit, aliàs non luſurus; item de eo, qui rem furtiuam bona fide emptam fide vendit eo pretio, quo emerat; quia hi omnes ex re aliena non ſunt facti ditiores, nec ea res amplius apud ipſos extat. Secùs dicendum eſt de eo, qui ob prędictam recreationem peperciſſet ſumptibus, quos aliter feciſſet ex bonis proprijs, vel ſi æque multum ex pecunia propria fuiſſet expenſurus, aut ſi rem furtiuam vendidiſſet pluſquam ſibi conſtitiſſet, aut etiamſi vendidiſſet rem alienam bona fide gratis ab alio acceptam; in his enim omnibus caſibus ditior ex re aliena eſt factus; totum verò, in quo quis eſt factus ditior ex re aliena, reſtituendum eſt: quicquid aliqui cum Franciſco B. Spei de Iure. & Iuſt. diſp. 17. num. 63. in caſu reuenditionis, etiam rei furtiuæ bona fide factæ, negent exceſſum eſſe reſtituendum, quia illud maius pretium reputatur moraliter fructus induſtriæ, ſed de his omnibus latiùs infra. Adde, rem alienam in ſpecie adhuc exiſtentem ſemper eſſe reſtituendam, quamuis aliquis eam ſuis expenſis, aut labore meliorem reddidiſſet, quia per hoc non deſinit eſſe aliena, niſi indè occultus peccator manifeſtari oporteret, aut aliud graue damnum ſequeretur, prout rectè limitat Valentia. Immò ſi aliquis poſtquam ſciuerit, rem à ſe poſſeſſam alienam eſſe, eam vlteriùs retineat, cum tamen eandem hìc, & nunc commodè poſſit reſtituere, incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, & obligari non tantùm ratione rei acceptæ, ſed ratione iniquæ detentio-

tio-

tionis, quæ iuxta ſupradicta iniquæ acceptioni æquiualet; vndè ſi res poſtea pereat, ſiuè culpa ſua, ſiuè fortuitò tenetur eius valorem domino reſtituere, quia fuit in mora culpabili. Ita omnes. Dum tamen quis in caſu ſupra poſito rem alienam bona fide poſſeſſam ſuis expenſis, aut labore meliorauit, poteſt à domino rei exigere compenſationem ſumptuum, quos fecit, ſicut & laboris, præſertim ſi dominus tantundem erat expenſurus. Inſuper nota iuxta aliquos, quòd nomine rei alienæ hic intelligitur, non ea ſola, quæ eſt in alterius dominio, ſed omnem illam, ad quam alter habet ius ad rem, vel in re, licèt eius dominus non ſit, ſeu poſſeſſor: hæc quoad primam partem: de cæteris plura quærenda erunt in ſequentibus.

QVÆSTIO II.

Ex qua culpa oriatur obligatio Reſtitutionis damni illati.

NOt. Quòd culpa alia eſt iuridica, alia theologica; Iuridica culpa à Iuriſtis quintuplex ſolet aſſignari, nempe latiſſima, quæ idem eſt, quod apertus dolus: latior, quæ æquiparatur dolo præſumpto: lata, quæ eſt omiſſio diligentiæ ſolitæ adhiberi ab hominibus eiuſdem conditionis, vt v. g. dum quis relinquit librum foris ante oſtium: leuis, quæ eſt omiſſio diligentiæ adhiberi ſolitę à prudentioribus, vt dum quis librum foris relinquit in officina, vel cubiculo aperto; & deniquè leuiſſima, quæ eſt omiſſio diligentiæ à prudentiſſimis adhiberi ſolitæ, vt dum quis domum, aut cubiculum claudendo manu non tentat, an oſtium ſit obſeratum. Culpa theologica eſt illa, quæ conuertitur cum peccato, idem eſt enim culpa theologica, ac peccatum, & hæc ſpectat ad forum conſcientiæ, iuridica verò ad forum iudiciale.

Not. 2. Quòd Theologi non conueniunt inter ſe; an quis teneatur ad reſtitutionem damni illati notabilis ob culpam venialem: nonnulli enim aſſerunt, quòd tenetur ad reſtitutionem ſub mortali, etiamſi ſola culpa venialis interceſſerit in damno inferendo, Communior tamen opinio docet, ob culpam venialem neminem teneri ad reſtitutionem dam-

ni illati, etiam maximi momenti. Ita ex noſtris Rodriquez, Poncius, Herincx, & Maſtrius.

Concl. Nemo, ſecluſo officio, & contractu, tenetur ad reſtitutionem damni illati, niſi in tali illatione peccatú mortale commiſerit. Prob. 1. *ex cap. vlt. de Iniurijs, & l. 3. ff. ad leg. Aquil.* Prob. ratione. Obligatio reſtitutionis oritur ex iuſtitia, ſed non poteſt quis obligari ex iuſtitia ad reſtituendum, niſi quando iniuſtè infert damnum ex peccato mortali, quia vbi ſolùm committitur culpa venialis non eſt actus perfectus in ratione iniuſtitiæ; ergo non inducit obligationem, ſaltem perfectam reſtitutionis: ſiquidem non poteſt eſſe obligatio maior in ſuo ordine, quàm ſit iniuria in ſuo; culpa enim leuis non poteſt mereri pœnam grauem; ex qua doctrina infertur reſolutio multorum caſuum, in quibus pro regula generali obſeruandum: *Neminem teneri ad reſtitutionem damni, etiam maximi prouenientis ex actione, quæ verè non fuit peccatum*, vt v. g. quando damnum eſt ſecutum ex obliuione naturali, inconſideratione, aut ignorantia inculpabili: item neminem obligari ad reſtitutionem ob culpam leuem, aut leuiſſimam iuridicam, quia nemo in conſcientia obligatur adhibere maiorem diligentiam, quàm quæ eſt ſolita adhiberi ab hominibus eiuſdem conditionis, qui boni, & prouidi habentur. Inſuper nemo ex culpa leui theologica obligatur ad reſtitutionem maximi damni illati ſub peccato veniali; mirum enim, inquit Leſs. videretur, aliquem obligari ſub veniali tantùm ad reſtitutionem millium Florenorum, quorum amiſſioni cauſam, vel occaſionem dediſſet per venialem aliquam inconſiderationem, aut negligentiam; quòdque ab illo peccato veniali abſolui non poſſit ſine illorum reſtitutione.

Arg. cont. concl. Si canis alicuius, vel aliud animal intulit alteri damnum, dominus canis punitur in ſe, vel in ſuis animalibus, & tamen ſupponitur, quòd in talis damni illatione, nec venialiter peccauerit, ergo &c.

Reſp. quòd, ſi id accidit abſque culpa domini canis in conſcientia ad nihil tenetur, licèt in foro externo ſoleat puniri, & compenſari damnum, quia præſumitur in eo culpa, niſi probetur non eſſe, vel etiam ne foueatur negligentia, aut aperiatur fraudibus porta. An verò poſt ſententiam Iudicis teneatur in conſcientia damnum illatum reſtituere, va-

riant

rium Doctores, alij affirmantes, alij negantes, & vtraque videtur probabilis.

Arg. 2. Si concluſio eſſet vera, ſequeretur maximum abſurdum, quia dum damnum graue infertur, cenſendum eſt, interceſſiſſe peccatum mortale; culpa enim menſuranda eſt iuxta quantitatem damni. Reſp. neg. Sequi abſurdum; quia concluſio non aſſerit, non teneri ad reſtitutionem damni, qui negligit in actionibus periculoſis adhibere diligentiam ab alijs ſuæ conditionis adhiberi ſolitam; imò cenſetur moraliter velle damnum, quod indè ſequitur, ſaltem interpretatiuè, quia ad illud vitandum non fecit, quod potuit, & debuit facere, ſed aſſerit adhibentem diligentiam debitam, ſicut non incurrit peccatum ſaltem mortale; ita non teneri ad reſtitutionem damni ſecuti abſque eius culpa.

QVÆSTIO III.

Ex qua culpa obligatur Officialis, vel contrahens ad Reſtitutionem damni.

PRima Concl. Ratione officij præcisè nullus ob culpam leuem, vel leuiſſimam obligatur ad reſtitutionem damni. Eſt communis; & prob. quia nullus in ſuo officio exercendo tenetur maiorem diligentiam, aut prudentiam adhibere, quàm paſſim homines huiuſmodi officij in talibus negotijs ſolent; ex quo fit, quòd ſi quis litem amittat, quia Aduocatus non adhibuerit eam operam, & diligentiam, quam prudentiores, aut prudentiſſimi adhibere ſolent, ad nihil tenetur, dummodò præſtiterit, quod ſolent boni, & prudentes: pari ratione diſcurrendum eſt de Medico, Tutore, Architecto, & ſimilibus.

II. Concl. Si res alteri locata, vel commodata perit caſu, vel fortuitò ad nihil tenetur, niſi de eo expreſſum pactum interceſſerit. Eſt communis ſententia, quam Doctores colligunt ex cap. vnico de commodato: ratio eſt, quia res domino perit, dum nulla interceſſit culpa, vel pactum in contrarium; cenſetur autem culpa interceſſiſſe, ſi commodatarius fuit in mora reddendi rem commodatam ex ſua culpa; vel aliter fuerit ea vſus, quàm erat conuentum, & tenebitur ad reſtitutionem, etſi res fortuitò pereat.

abrogatas. Quarè Herincx part. 3. diſp. 5. de ludo, qui viginti ab hinc annis ſcripſit, ſic concludit. Vndè apparet quantò meliores fuerint in hac cauſa mores illius ęui, quàm huius, quo leges hæ, nempè Ciuiles in deſuetudinem abierunt, tum quò ad prohibitionem, tum quò ad ſoluti repetitionem: quamuis ratione circumſtantiarum huiuſmodi, ludi fiant cum graui offenſa Dei. Vndè ceſſant variæ quæſtiones, quas, ſuppoſito vigore legum mouent Auctores, vt Molina, Leſs. Lugo, Maſtrius, & Alij.

Quæres 2. An perdens in ludo poſſit lucrantem cogere, vt in ludo perſiſtat, ac proindè ſi quid poſtea lucretur cogens ad reſtitutionem teneatur.

Reſp. 1. perdentem non poſſe cogere, & ſi poſt coactionem aliquid lucratur, tenetur ei reſtituere: Ratio eſt; quia per coactionem infertur alteri iniuria, ac proindè talis contractus per violentiam extortus eſt inualidus, cum læditur ius eius, qui cogitur. Ita Fernandez cum communiori ſententia monens non eſſe audiendum Tolet. lib. 5. cap. 27. qui solùm obligat cogentes, & lucrantes reſtituere eam tantùm partem, quam ſupra quod perdiderant lucrati ſunt, & ratio eſt quia tota ſumma iam erat ſub lucrantis dominio, & tota per vim fuit extorta; ſuppoſito quòd aliud pactum inter ipſos ludentes non interceſſerit, nempe ludendi tempore determinato, vel niſi extet aliqua loci conſuetudo ludum continuandi. Reſp. 2. cum Leſs. Adriano, Molina, quos citat Diana part. 2. tract. 3. reſolut. 27. quòd talis contractus ludi fuit validus, & iuſtus; ſi enim ille, qui coactè luſit, viciſſet non teneretur ad reſtitutionem, licèt qui alterum ſic cogit ſit dignus per ſententiam Iudicis priuari lucro, non tamen eſt ipſo facto priuatus, nec talis coactio eſt propriè cauſa damni, quia coactus adhuc poterat lucrari poſtea, ſicut antea.

Cæterùm in foro conſcientiæ cenſerem probabilem opinionem illam, quæ à nonnullis Doctoribus docetur cogentem, vt ſupra teneri tantùm ad reſtitutionem eius, quod lucratus eſt vltra id, quod antea amiſerat, non verò illius pecuniæ, quam amiſſam recuperat; & hæc ſententia videtur magis in praxi expedire ob auiditatem, & cupiditatem ludentium in lucrum, & pecuniam.

DIS-

DISPVTATIO VIII.

De Reſtitutione in communi.

QVÆSTIO I.

Vtrum Reſtitutio ſit neceſſaria ad ſalutem.

NOt. 1. Quòd fuit olim error Græcorum aſſerentium, Reſtitutionem rei alienæ non eſſe neceſſariam, ſed ſufficere ad ſalutem pœnitentiam, ſeu dolorem de commiſſo crimine; Sacerdotes autem talem doctrinam docentes fures oleo inungebant, & ad aliquam rapinæ partem ſibi dandam obligare ſolebant, iuxta adagium. *Quicunque multa rapuerit, pauca autem ſuffragantibus dederit ſaluus erit &c* ita refert Alphon. à Caſtro lib. 18. aduerſus hæreſes. Huc etiam pertinet eorum error, qui affirmarunt, furtum non eſſe malum, vt de Germanis, & Lacedemonijs refertur, in quo errore verſari videntur interdum aliqui ruſtici vel ignorantia, vel malitia; imò nonnulli credunt per Sacramentalem abſolutionem, maximè tempore Iubilæi, liberari à reſtitutione facienda.

Not. 2. Quòd reſtitutio ſic communiter definitur. *Eſt actus iuſtitiæ commutatiuæ, quo cuique redditur quod ab eo iniuſtè ablatum eſt, vel iniuſtè eo inuito retinetur*: quæ definitio patet ex dictis in diſp. 1. de Iuſt. & Iure. Difficultas tamen eſt; an præceptum reſtitutionis ſit affirmatiuum, vel negatiuum: Caiet. Nauar. & alij exiſtimant eſſe affirmatiuum; at Scot. oſtendit in 4. d. 15. q. 2. eſſe negatiuum, quam ſententiam ſequuntur non ſolùm Scotiſtæ, ſed etiam quamplures alij, adeò vt videatur ferè communis. Vndè obſeruat Pitigianus, quòd verbum *reſtituere*, licèt nomine videatur affirmatiuum, re tamen negatiuum eſt, ideſt non retinendi alienum, & ſubdit hanc regulam generalem diſcernendi præcepta affirmatiua à negatiuis. *Quando id, quod concipimus, aut ſignificamus per nomen, eſt aliqua actio realis à parte rei; tunc præceptum quo illa prohibetur eſt negatiuum & quo intimatur, ſeu præcipitur aliqua actio, eſt affirmatiuum, etiamſi conuerſis nominibus, ac vocibus ſignificetur*, v. g. præceptum audiendi Sacrum, affirmatiuum eſt, etiamſi hac verborum forma tradatur, nullus

omit-

omittat Sacrum, licèt enim voce videatur negatiuum, quia tamen in re nulla realis actio negatur, ſed potiùs negatur omiſſio, & per conſequens negatur negatio; ideò præceptum reuerà eſt affirmatiuum; nam negatio negationis affirmatio eſt, vt Philoſophi docent.

Not. 3. quòd quidam putarunt, Reſtitutionem eſſe neceſſariam ſimpliciter, vt medium ad ſalutem, ſicut Fides, Gratia, Baptiſmus, Pœnitentia &c. & ſignanter id docuit Gabriel in 4. d. 15. q. 2. qui nititur eam probare ex illo Ezechielis cap. 33. *Si impius egerit pœnitentiam, feceriſquè iuſtitiam, pignus reſtituerit &c.* vbi eiſdem prorſus verbis reſtitutionis declaratur; at pœnitentia eſt medium ad ſalutem neceſſarium lapſis poſt baptiſmum; ergo & reſtitutio. Verùm hæc ſententia ſuſtineri non poteſt, inquit Pitigianus in 4. d. 15. q. 2. art. 1. fieret enim ex ea, vt ſi quis per ignorantiam inculpabilem, aut obliuionem decederet ſine reſtitutione, vt pluribus quandoque contingit, non ſaluarentur, cum nemo etiam inuincibiliter ignorans, ſine medio ſimpliciter neceſſario ad ſalutem ſaluari poſſit, vt patet de Baptiſmo &c.

Concl. Reſtitutio eſt neceſſaria ad ſalutem, non quidem neceſſitate medij, ſed neceſſitate præcepti, ita Scot. D. Thom. & ferè omnes. Prima pars eſt de fide contrà recenſitos hæreticos, & infideles; & conuincitur manifeſtè eorum error ex lege naturali, quæ cuilibet dictat, quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, quam Chriſtus confirmauit Matth. 7. dicens. *Quodcunque vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis*, at nemo ſpoliari ſuis bonis vult, aut non reſtitui ablata, ergo &c. Prob. 2. pars. Reſtitutio, ſicut etiam impletio cuiuſuis alterius præcepti, etiam in voto, non eſt medium, ſine quo gratia Chriſti eſſe non poſſit, niſi remotè, & quodammodo indirectè ratione pœnitentiæ, & contritionis; quæ eſt, & in omni tempore fuit medium ad ſalutem neceſſarium, ad quam pœnitentiam diſponit reſtitutio, ſaltem in voto, & cujuslibet præcepti impletio; ſed hac generali ratione, etiam voluntas ieiunandi, audiendi ſacrum, ſumendi Euchariſtiam in Paſchate &c. eſſet medium neceſſarium; vndè ait Scot. ſicut neceſſarium eſt ſeruare præcepta negatiua, ita neceſſarium eſt non retinere alienum inuito domino; ergo reſtitutio eſt neceſſaria neceſſitate præcepti, & non neceſſitate medij.

Arg.

Arg. cont. 2. part. conc. Baptiſmus, & Pœnitentia ſunt medium neceſſarium ad ſalutem, ex eo quòd in Sac. Scrip. dicitur. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritus S. non poterit introire in Regnum Dei:* Sed præcipitur eadem verborum forma pœnitentia; dicitur enim Lucæ 13. *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis;* Si igitur Theologi ex his verbis colligunt hæc ſacramenta eſſe neceſſaria vt media; cur non eſt idem colligendum de reſtitutione, iuxta illam ſententiam; *Non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum.*

Reſp. cum Pitigiano, quòd illa particula (niſi) non eſt efficax argumentatio, quòd vbi illa apponitur colligatur medij neceſſitas: nam de quolibet præcepto dici poteſt, niſi obſeruetur hominem fore damnandum; etſi non ſingulorum præceptorum obſeruatio ſit neceſſaria neceſſitate finis ſimpliciter. Vndè de Euchariſtia ait Chriſtus. *Niſi manducaueritis &c.* cum tamen iuxta aliquos ſolùm ſit neceſſaria ex vi præcepti; non ratione finis; & ſic de ſimilibus.

Arg. 2. quòd ſit pręceptum affirmatiuum ex Bonac. tract. de reſt. d. 1. q. 1. Præceptum negatiuum obligat ſemper, & pro ſemper, & per hoc diſtinguitur ab affirmatiuo; ſed præceptum reſtitutionis non obligat pro ſemper, ſæpè enim excuſatur aliquis à reſtituendo, vt patet in omnium ſententia; quia hic, & nunc concurrere poſſunt circumſtantiæ ſuſpendentes obligationem reſtitutionis, ergo &c.

Reſp. diſting. min. non obligat pro ſemper per ſe, & ex ſui natura, neg. min. per accidens, hoc eſt ratione circumſtantiarum, ob quas dominus non debet eſſe irrationabiliter inuitus; conc. min.

Quæres. Vndè oriatur obligatio reſtitutionis.

Reſp. ex communi, quòd obligatio reſtitutionis oritur ex triplici capite, nempe ex re accepta, rei acceptione, & contractu. Quoad primam partem conſtat; nam eo ipſo què quis habet apud ſe rem alienam; licèt eam iniuſtè non acceperit, tenetur eandem reſtituere, vt ſic æqualitas conſtituatur inter ſe habentem aliquid plus, quàm ſuum, & alterum habentem aliquid minus, quàm ſuum. Quoad 2. verò etiam patet, quia ſępe quis obligatur ad reſtitutionem, licèt apud ipſum res aliena non extet, nec quicquam ęius loco ſucceſſerit, ex quo ſit factus ditior, vt v. g. dum quis inuito rei domino rem in Mare proięcit, vel combuſ-

ſit. De tertia poſteà agemus. Nota nomine rei acceptæ non tantùm intelligi rem in propria ſpecie exiſtentem, ſed etiam exiſtentem in pretio, vel valorem, dum quis ex conſumptione rei alienæ eſt factus ditior; nullus enim poteſt diteſcere ex bonis alienis. Dico dum quis ex &c. eſt factus ditior, nam ſi in id non ſit ditior factus, non tenetur ratione conſumptionis bona fide factæ ad vllam reſtitutionem: quia qui ex ſola re aliena obligatur, ſolùm manet obligatus, quamdiù habet talem, vel pretium eius, per quod auxit ſua bona ordinaria: ita omnes communiter. Hinc qui rem alienam bona fide inuentam, vel ab alio gratis acceptam recreatione extraordinaria eadem bona fide conſumpſit, itaut ex proprijs bonis, ea recreatione non obſtante, tantum expenderit, ac ſi re aliena caruiſſet, ad nullam tenetur reſtitutionem; idem dic de eo, qui rem ſimilem per luſum amiſit, aliàs non luſurus; item de eo, qui rem furtiuam bona fide emptam fide vendit eo pretio, quo emerat; quia hi omnes ex re aliena non ſunt facti ditiores, nec ea res amplius apud ipſos extat. Secùs dicendum eſt de eo, qui ob prędictam recreationem pepercisſet ſumptibus, quos aliter feciſſet ex bonis proprijs, vel ſi æquè multum ex pecunia propria fuiſſet expenſurus, aut ſi rem furtiuam vendidiſſet pluſquam ſibi conſtitiſſet, aut etiamſi vendidiſſet rem alienam bona fide gratis ab alio acceptam; in his enim omnibus caſibus ditior ex re aliena eſt factus; totum verò, in quo quis eſt factus ditior ex re aliena, reſtituendum eſt: quicquid aliqui cum Franciſco B. Spei de Iure. & Iuſt. diſp. 17. num. 63. in caſu reuenditionis, etiam rei furtiuæ bona fide factæ, negent exceſſum eſſe reſtituendum, quia illud maius pretium reputatur moraliter fructus induſtriæ, ſed de his omnibus latiùs infra. Adde, rem alienam in ſpecie adhuc exiſtentem ſemper eſſe reſtituendam, quamuis aliquis eam ſuis expenſis, aut labore meliorem reddidiſſet, quia per hoc non deſinit eſſe aliena, niſi indè occultus peccator manifeſtari oporteret, aut aliud graue damnum ſequeretur, prout rectè limitat Valentia. Immò ſi aliquis poſtquam ſciuerit, rem à ſe poſſeſſam alienam eſſe, eam vlteriùs retineat, cum tamen eandem hìc, & nunc commodè poſſit reſtituere, incipit eſſe poſſeſſor malæ fidei, & obligari non tantùm ratione rei acceptæ, ſed ratione iniquæ detentio-

tio-

tionis, quæ iuxta ſupradicta iniquæ acceptioni æquiualet; vndè ſi res poſtea pereat, ſiuè culpa ſua, ſiuè fortuitò tenetur eius valorem domino reſtituere; quia fuit in mora culpabili. Ita omnes. Dum tamen quis in caſu ſupra poſito rem alienam bona fide poſſeſſam ſuis expenſis, aut labore meliorauit, poteſt à domino rei exigere compenſationem ſumptuum, quos fecit, ſicut & laboris, præſertim ſi dominus tantundem erat expenſurus. Inſuper nota iuxta aliquos, quòd nomine rei alienæ hic intelligitur, non ea ſola, quæ eſt in alterius dominio, ſed omnem illam, ad quam alter habet ius ad rem, vel in re, licèt eius dominus non ſit, ſeu poſſeſſor: hæc quoad primam partem: de cæteris plura quærenda erunt in ſequentibus.

QVÆSTIO II.

Ex qua culpa oriatur obligatio Reſtitutionis damni illati.

NOt. Quòd culpa alia eſt iuridica, alia theologica; Iuridica culpa à Iuriſtis quintuplex ſolet aſſignari, nempe latiſſima, quæ idem eſt, quod apertus dolus: latior, quæ æquiparatur dolo præſumpto: lata, quæ eſt omiſſio diligentiæ ſolitæ adhiberi ab hominibus eiuſdem conditionis, vt v. g. dum quis relinquit librum foris ante oſtium: leuis, quæ eſt omiſſio diligentiæ adhiberi ſolitę à prudentioribus, vt dum quis librum foris relinquit in officina, vel cubiculo aperto; & deniquè leuiſſima, quæ eſt omiſſio diligentiæ à prudentiſſimis adhiberi ſolitæ, vt dum quis domum, aut cubiculum claudendo manu non tentat, an oſtium ſit obſeratum. Culpa theologica eſt illa, quæ conuertitur cum peccato, idem eſt enim culpa theologica, ac peccatum, & hæc ſpectat ad forum conſcientiæ, iuridica verò ad forum iudiciale.

Not. 2. Quòd Theologi non conueniunt inter ſe; an quis teneatur ad reſtitutionem damni illati notabilis ob culpam venialem: nonnulli enim aſſerunt, quòd tenetur ad reſtitutionem ſub mortali, etiamſi ſola culpa venialis interceſſerit in damno inferendo. Communior tamen opinio docet, ob culpam venialem neminem teneri ad reſtitutionem dam-

ni illati, etiam maximi momenti. Ita ex noſtris Rodriquez, Poncius, Herincx, & Maſtrius.

Concl. Nemo, ſecluſo officio, & contractu, tenetur ad reſtitutionem damni illati, niſi in tali illatione peccatú mortale commiſerit. Prob. 1 *ex cap. vlt. de Iniurijs, & l. 3. ff. ad leg. Aquil.* Prob. ratione. Obligatio reſtitutionis oritur ex iuſtitia, ſed non poteſt quis obligari ex iuſtitia ad reſtituendum, niſi quando iniuſtè infert damnum ex peccato mortali, quia vbi ſolùm committitur culpa venialis non eſt actus perfectus in ratione iniuſtitiæ; ergo non inducit obligationem, ſaltem perfectam reſtitutionis: ſiquidem non poteſt eſſe obligatio maior in ſuo ordine, quàm ſit iniuria in ſuo; culpa enim leuis non poteſt mereri pœnam grauem; ex qua doctrina infertur reſolutio multorum caſuum, in quibus pro regula generali obſeruandum: *Neminem teneri ad reſtitutionem damni, etiam maximi prouenientis ex actione, quæ verè non fuit peccatum*, vt v. g. quando damnum eſt ſecutum ex obliuione naturali, inconſideratione, aut ignorantia inculpabili: item neminem obligari ad reſtitutionem ob culpam leuem, aut leuiſſimam iuridicam, quia nemo in conſcientia obligatur adhibere maiorem diligentiam, quàm quæ eſt ſolita adhiberi ab hominibus eiuſdem conditionis, qui boni, & prouidi habentur. Inſuper nemo ex culpa leui theologica obligatur ad reſtitutionem maximi damni illati ſub peccato veniali; mirum enim, inquit Leſs. videretur, aliquem obligari ſub veniali tantùm ad reſtitutionem millium Florenorum, quorum amiſſioni cauſam, vel occaſionem dediſſet per venialem aliquam inconſiderationem, aut negligentiam; quòdque ab illo peccato veniali abſolui non poſſit ſine illorum reſtitutione.

Arg. cont. concl. Si canis alicuius, vel aliud animal intulit alteri damnum, dominus canis punitur in ſe, vel in ſuis animalibus, & tamen ſupponitur, quòd in talis damni illatione, nec venialiter peccauerit, ergo &c.

Reſp. quòd, ſi id accidit abſque culpa domini canis in conſcientia ad nihil tenetur, licèt in foro externo ſoleat puniri, & compenſari damnum, quia præſumitur in eo culpa, niſi probetur non eſſe, vel etiam ne foueatur negligentia, aut aperiatur fraudibus porta. An verò poſt ſententiam Iudicis teneatur in conſcientia damnum illatum reſtituere, va-

riant

rint Doctores, alij affirmantes, alij negantes, & vtraque videtur probabilis.

Arg. 2. Si concluſio eſſet vera, ſequeretur maximum abſurdum, quia dum damnum graue infertur, cenſendum eſt, interceſſiſſe peccatum mortale; culpa enim menſuranda eſt iuxta quantitatem damni. Reſp. neg. Sequi abſurdum; quia concluſio non aſſerit, non teneri ad reſtitutionem damni, qui negligit in actionibus periculoſis adhibere diligentiam ab alijs ſuæ conditionis adhiberi ſolitam; imò cenſetur moraliter velle damnum, quod indè ſequitur, ſaltem interpretatiuè, quia ad illud vitandum non fecit, quod potuit, & debuit facere, ſed aſſerit adhibentem diligentiam debitam, ſicut non incurrit peccatum ſaltem mortale; ita non teneri ad reſtitutionem damni ſecuti abſque eius culpa.

QVÆSTIO III.

Ex qua culpa obligatur Officialis, vel contrahens ad Reſtitutionem damni.

PRima Concl. Ratione officij præcisè nullus ob culpam leuem, vel leuiſſimam obligatur ad reſtitutionem damni. Eſt communis; & prob. quia nullus in ſuo officio exercendo tenetur maiorem diligentiam, aut prudentiam adhibere, quàm paſſim homines huiuſmodi officij in talibus negotijs ſolent; ex quo fit, quòd ſi quis litem amittat, quia Aduocatus non adhibuerit eam operam, & diligentiam, quam prudentiores, aut prudentiſſimi adhibere ſolent, ad nihil tenetur, dummodò prẹſtiterit, quod ſolent boni, & prudentes: pari ratione diſcurrendum eſt de Medico, Tutore, Architecto, & ſimilibus.

II. Concl. Si res alteri locata, vel commodata perit caſu, vel fortuitò ad nihil tenetur, niſi de eo expreſſum pactum interceſſerit. Eſt communis ſententia, quam Doctores colligunt ex cap. vnico de commodato: ratio eſt, quià res domino perit, dum nulla interceſſit culpa, vel pactum in contrarium; cenſetur autem culpa interceſſiſſe, ſi commodatarius fuit in mora reddendi rem commodatam ex ſua culpa; vel aliter fuerit ea vſus, quàm erat conuentum, & tenebitur ad reſtitutionem, etſi res fortuitò pereat.

III. Concl.

III. Concl. Si res perit apud illum, qui eam acceperat ex contractu, in proprium ſuum commodum tantùm cedente, tenetur ad reſtitutionem, ob quamlibet culpam, etiam leuiſſimam: ita determinatur ex dicto cap. vnico: ratio eſt, quia æquitas naturalis poſtulat, vt qui gratis re aliena vtitur in propriam vtilitatem tantum, adhibeat maximam diligentiam, ne domino pereat; nihilominus exiſtimatur probabilis oppoſita ſententia Soti, Sà, Leſſij, & Lugo, quia ſiſtendo intra limites iuris naturalis, nemo tenetur ad reſtitutionem damni dati, niſi ob culpam latam, cum nullus obligetur maiorem curam adhibere in cuſtodienda re aliena, etiam gratis conceſſa, quàm in cuſtodia rei propriæ, & quam ipſe dominus adhibuiſſet.

IV. Concl. Si contractus, quo res aliena accipitur cedit in commodum ſolius dantis, accipiens non tenetur ad reſtitutionem, niſi de culpa lata; ſi verò in commodum tam dantis, quàm recipientis tenetur probabiliùs de culpa leui, non leuiſsima. Ita colligitur *ex Inſtit. quib. modis contrahitur obligatio §. interea; & l. etiam de commodato, & l. contractus ff. de reg. Iuris*. Ratio primi eſt, quia quiſque tenetur adhibere diligentiam in re aliena cuſtodienda, quam ſolent homines ordinariè adhibere, quæ diligentia excludit culpam latam, & non leuem, neque leuiſſimam. Ratio ſecundi eſt, quia ex vna parte æquum apparet, vt ad maiorem diligentiam obligetur, qui rem alienam accepit in ſuam vtilitatem, quàm teneatur ad propriam; ex altera verò, quia contractus cedit in vtilitatem etiam dantis, non eſt æquum, vt ipſe dans nulli periculo ſubiaceat. Oppoſitum tamen nempe quòd non teneatur, niſi ex culpa lata, eſt probabile.

Quæres. An res aliena, quæ apud aliquem ſeruatur, ſi ſimul cum ſua non poſſit ſaluari, præferre poſſit rem propriam rei alienæ.

Reſp. ex communi ſententia; ſi quis rem alienam acceperit in propriam tantùm vtilitatem, tenetur illam rei propriæ præferre, ſiue ſit æqualis, ſiue etiam parum minoris æſtimationis. Si verò eam acceperit in ſolam vtilitatem dantis, poteſt rem propriam præferre alienæ; quòd ſi in vtilitatem vtriuſque, poterit præferre propriam, ſi ſit æqualis, vel maioris æſtimationis, non tamen ſi minoris: ita ſignanter Leſſius, & Siluius; licèt dici poſſit cum oppoſita ſenten-

tia,

tia, quòd propria res in omni caſu, ſecluſo pacto, rei alienæ præferri poteſt, quia contractus quicunque etiam commodati non obligat in conſcientia ad cuſtodiam rei alienę cum graui detrimento proprio, neque commodatarius cenſendus eſt ſe obligaſſe cum tanto onere, niſi res aliena ſit notabiliter maioris valoris.

QVÆSTIO IV.

Quinam ad Reſtitutionem teneantur.

NOt. Quòd Doctores agendo de circumſtantijs Reſtitutionis ſex circumſtantias particulares aſſignant, nempe quis, quid, cui, vbi, quando, & quomodo. In præſenti quæſtione agemus tantùm de prima, id eſt de ijs, qui ad reſtitutionem tenentur. Certum eſt enim, quòd ad reſtitutionem obligantur ratione iniuſtæ acceptionis, aut detentionis iniuſtæ non ſolùm ij, qui proximum lædunt, & cauſæ principales ſunt damni, vt fures, homicidæ &c. ſed etiam qui lædentibus cooperantur auxilium, conſilium, vel fauorem eis præbendo, & dicuntur etiam complices, Socij participantes, & cauſæ minùs principales. Vnde Doctores communiter nouem genera perſonarum enumerant, quæ, ſicut ſunt cauſa iniquæ acceptionis, ita etiam ad reſtitutionem faciendam obligantur, atque his explicantur verſibus.

Quilibet in ſolidum reddat priùs iniuriato.
Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

De quibus perſonarum generibus rationem, & ſufficientiam dat Scot. in 4. d. 15. q. 2. art. 4. Breuiter omnis obligatio ad reſtitutionem reducitur ad auferre, vel detinere; & hoc, vel vt cauſa principalis, vel proxima, vel coadiuuans, vel inducens, vel non impediens, quando eius eſſet ad bonum Reip. & ſine periculo perſonæ impedire; *Et hæc omnia ex quo reducuntur ad conſenſum efficacem, verum, vel interpretatiuum probantur per illud 2. q. 1. cap. notum ſit, vbi dicitur; quòd facientem, & conſentientem par pœna conſtringit.* Vndè ſi ſupradictæ perſonæ fuerunt cauſa efficax damni, aliàs non ſecuturi tenentur ad reſtitutionem; ſecùs autem ſi non fuerunt cauſa efficax damni. E. g. ſi fur, vel homicida non fuerit efficaci-

ter motus mandato, vel conſilio alterius; quia etiam abſque tali mandato, ſeu conſilio erat abſolutè paratus ad furandum, ad occidendum.

I. Concl. Nomine iubentis, ſeu mandantis intelligitur omnis, qui explicitè, vel implicitè mandat: implicitè quidem, qui ſubdito, aut famulo, facto, vel ſigno oſtendit ſibi gratum fore, hoc, vel illud fieri, v. g. dicendo. Vtinam quis vindicet me de hoſte meo. Quare omnis mandans; ſi cauſa eius mandati alteri iniuſtè accidit graue damnum; peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. At ſi mandans mandati ſui intimet mandatario reuocationem ante factum, non tenebitur ad reſtitutionem, quia tunc non cenſetur ampliùs cauſa efficax, ac proindè ſublata eſt motio efficax ab eo proueniens. Si autem dubitetur, an damnum ſit ſecutum etiam ex ſuo mandato, plures Doctores apud Dian. p. 3. tract. 5. reſ. 84. ad reſtitutionem non teneri putant: communior tamen opinio docet, præſumptionem ſtare contra mandantem, aut conſulentem, ſi res culpa, aut conſulta fuerit ſecuta. Vndè noſter Scilder. tract. 4. num. 349. dicit, talem conſulentem, ſeu mandantem teneri in defectum homicidæ ad reſarciendum totum damnum, & Corneio cum communi docet, in tali dubio mandantem, aut conſulentem homicidium eſſe irregularem.

II. Concl. Conſilium, ideſt conſulens perſuadens efficaciter damnum hortatu, rogatu, rationum allegatione, inſtructione; item dolo, vel culpa lata diſſuadens reſtitutionem damni abſque ſuo conſilio illati, tenetur ad reſtitutionem, niſi ſine tali conſilio &c. fuiſſet facturus damnum, vt docent Alenſ. Alexander de Alexandria, Richard. & Scot. & hoc habet locum, vt aduertit Franciſcus de Platea in tract. de Reſtit. tam in contractibus, quàm in delictis, quando conſilium eſt fraudulenter datum; aliàs non tenetur, *Vt in cap. Nullus iuxta regulam. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*. Verùm ſi re integra, conſilium, & alia æquiualentia efficaciter reuocentur, liberabitur à reſtitutione, licet plus requiratur ad efficaciter reuocandum conſilium, quàm mandatum. Inſuper tradunt Doctores, quòd *Qui tenetur ex officio, iuſtitia, ſtipendio, profeſſione ad dandum conſilium, ſi dolo, vel lata culpa dederit malum conſilium, ſeu damnoſum, tenetur ad reſtitutionem, non obſtante regula*

cita-

citandus, quæ non loquitur de iſtis conſulentibus, ſed de-
ijs, qui ſic non tenentur.

III. Concl. Conſenſus, ideſt quando quis conſentit furi, aliàs non furaturo, expreſſo conſenſu, ſine quo damnificatio non fuiſſet ſecuta, tenetur ad reſtitutionem, quia cenſetur cauſa efficax; quòd ſi non eſſet cauſa efficax, peccaret quidem præbendo conſenſum, ſed ad reſtitutionem non obligaretur. Idem dicendum de eo, qui dat ſuffragium ad inferendum damnum, quod ſcit certò inferendum per præuia ſuffragia aliorum, non tenetur ad reſtitutionem; ſecùs ſi ſuum ſuffragium videat eſſe neceſſarium, vt damnum inferatur. *Imò ſi ſuffragia dentur ſecretò, quilibet ſub onere reſtitutionis ſemper tenetur iuſtum dare ſuffragium, quia tunc omnes ferentes iniuſtum ſuffragium, ſimul ſunt cauſa totalis damni*; ac proinde ſicut ſinguli in indiuiduo cooperantur ad totum damnum, ita obligantur ſinguli integrum damnum reſtituere: ita Doctores apud Dian. p. 4. tract. 4. reſ. 79.

IV. Concl. Palpo, ideſt qui adulatione, & blanditijs alium inducit ad malum inferendum, laudando, & ſtrenuum reputando rapientem, vel iniuſte alijs damnificantem, & ſibi ſe familiarem exhibendo, ex quo probabiliter præſumitur, quòd ex hoc motus fuerit damnificans ad damnificandum, vel ad non reſtituendum damnificato, quod intendebat reſtituere, tenetur ad reſtitutionem; quia *talis adulatio eſt quidam conſenſus 93. diſt. Si inimicus, iuxta illud Iſaiæ 9. Et erunt, qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati*. Item recurſus, ideſt recipiens damnificantem, occultans furtum, furtiua inſtrumenta, ſecuritatem præbens, protegens, apud iudicem defendens, efficaciter animans ad inferenda damna, vel non reſtituendo ablata, tenetur ad reſtitutionem. Vndè qui ante completam iniuriam offert domum ſuam ad alterum protegendum, vel ſi ea completa illum vt furem recipiat; ſimiliter qui res furtiuas cuſtodit, eaſque poſtea furi tradit, dum poteſt eas domino reſtituere ſine ſuo magno incommodo: item aduocatus, aut procurator, qui ſcienter alterum defendit, ne cogatur ad iuſtam reſtitutionem, omnes ad reſtitutionem tenentur.

V. Concl. Participans, ideſt qui participat de re accepta, vel de iniuſta acceptione coadiuuando damnificantem, tenetur ad reſtitutionem, diuerſimodè tamen, nam qui de re

acce-

accepta tantùm participat, tenetur ſolùm ad reſtitutionem partis, quam acquiſiuit: qui verò participat de iniuſta acceptione, obligatur inſolidum, ideſt tenetur ad reſtituendum totum, quia eſt vera cauſa totius damni ſecuti ex iniuſta acceptione, cui eſt cooperatus. Vndè qui applicat ſcalas, parat inſtrumenta, conficit falſas literas &c. tenentur ad totum damnum illatum: excuſantur tamen à Doctoribus, qui ſimilia, non ſponte, ſed graui metu coacti faciunt, quia licèt peccent mortaliter, ſi immediatè cooperentur, attamen non tenentur ad reſtitutionem. Cæterùm ſi plures raptores ſint, quaſi pares, quia nullus inducit alium ad damnificandum, nec eſt dominus aliquis alterius, ſed quilibet per ſe vadit, docet Scot. & cum eo noſter Monaldus in Summa, quòd ſi vadunt ſimul quaſi vnus exercitus, quilibet tenetur inſolidum, quando vnus ſine alijs non auderet ire, vel non poſſet damnum inferre, quia in tali caſu quilibet iuuat alios, & facit eos fortiores, ac proinde omnes ſunt cooperatores *extra de homicidio cap. Sicut dignum;* ſi verò non iuerunt ſimul ſeu quilibet per ſe faciebat damnum, non prouocans alios ad damnum dandum, tunc tenetur quilibet pro eo, quod facit. Hactenus de ſex cooperantibus poſitiuè in damnificando, quia tres alij ſequentes, nempe mutus, non obſtans, non manifeſtans, ſolùm negatiuè cooperantur, ad quorum maiorem explicationem ſit.

VI. Concl. Mutus, ideſt ille, qui videns alium damnificari, & poteſt, immò ex officio tenetur impedire damnum reſiſtendo, v.g. ſuo clamore furem impedire à furto, tenetur ad reſtitutionem; ſecùs autem ſi non teneatur ex officio, ſeù ex iuſtitia impedire, ſed ſolùm ex charitate; tunc enim ſi quis poſſet ſine ſuo detrimento impedire furtum, & nollet facere, peccaret contra charitatem, quæ præſcribit nobis, vt proximum, & eius bona conſeruemus; maximè vbi exinde non euenit nobis malum. Inſuper non obſtans, ideſt ille, qui non obſtat damnificantibus, cum poſſit, & ſibi ex officio incumbit, tenetur ad reſtitutionem quia *vt habetur* 83. *diſt. Errores negligere, cum poſſis perturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quàm fauere:* adde cum Scot. non obſtans, ideſt non faciendo reſtitui ablatum, cum ſibi ex officio competeret. Denique non manifeſtans, ideſt, vt explicat Scot. requiſitus in iudicio, vbi poſſet ſententialiter reſtitui res do-

domino ſuo, & tamen dicendo veritatem, non immineret ſibi periculum ſui ſtatus, vel perſonæ: & quilibet prædictorum tenetur inſolidum, *vt habetur 9. q. 3. Quiſquis, vbi dicitur. Vterque reus eſt; & qui veritatem occultat. & qui mendacium profert, quia ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat*; & idem docent Alenſ. Richard. &c. Ex dictis deducitur, quòd cuſtodes viarum, ſyluarum, vectigalium &c. ſi non obſtent, aut delinquentes non manifeſtent, tenentur ad reſtitutionem damnorum; immò addunt nonnulli etiam mulctæ pecuniariæ deprehenſis impoſitæ, quod tamen non approbatur. Item teſtis legitimè compulſus ad teſtificandum, & quicunque alius, qui de præcepto tenetur denunciare, aut accuſare, ſi tacet, & diſſimulat veritatem, tenetur reſtituere totum id, quod debebat fur in conſcientia reſtituere: ita Rodriquez cum D. Thom. & alijs. qui ſubdit, quòd famulus videns alium famulum furari, & tacens non tenetur ad reſtitutionem, cum non teneatur de iuſtitia manifeſtare furtum, niſi ratione officij ſui teneatur cuſtodire domum, ſic enim tenet Nauar. Verum eſt tamen, quòd tenetur iſte famulus monere furem, vt doleat de facto, & reſtituat quod ſic accepit, & licèt fur det illi aliquid, vt taceat, non tenetur aliquid reſtituere, niſi in caſu quod dicat furi, eſto bono animo, nequaquam te manifeſtabo, ſi tradas mihi aliquid, hoc enim dicto confirmat animum furis forſitan non tam reſoluti ad furandum ſicut fit hoc dicto, quia tunc clarè patet, quòd non ſolùm non manifeſtat, ſed coadiuuat.

Quæres. Qualiter prædicti omnes obligantur ad reſtitutionem damni illati.

Reſp. Primo loco obligatur principalis, qui ſi reſtituat executor, aut alia cauſa ſecundaria non obligatur: quia qui ſuo nomine vult inferri damnum, implicitè ſuſcipit in ſe onus faciendæ reſtitutionis, nam iubens, cogens, vel fraude inducens ad damnum inferendum iniuſtè conijcit inductum in obligationem reſtitutionis. Secundo loco in defectum principalis obligatur executor, vt talis, quatenus ſcilicet eſt executus damnum nomine principalis. Executori reſtituenti aliæ cauſæ ſecundariæ poſitiuæ, vel negatiuæ non obligantur, ſed principalis. Quòd ſi cauſæ ſecundariæ reſtituant, executor obligatur illis ſecundùm totum id, quod reſtituerunt. Tertio loco obligantur cau-

ſæ

ſæ poſitiuæ; Quarto loco negatiuæ, inter quas eſt hic ordo. Non obſtans, murus, non manifeſtans, quæ iuxta communiorem ſententiam non obligantur ad reſtitutionem, ſi cauſæ poſitiuæ reſtituant. Cæterùm ſi executor ſuo, & complicum nomine intulit damnum, omnes tenentur primo loco, & ipſemet tanquàm vnus illorum. Quando autem plures fuerunt æquè principales, vel æquè ſecundariæ cauſæ eiuſdem damni; primò tenentur ſinguli conferre æquales portiones ad reſtitutionem; ſecundò in defectum complicum quiſque tenetur inſolidum; tertiò ei, qui prior totum reſtituit, reliqui tenentur in conſcientia pro ſua rata, ſeu parte: interim in foro externo non datur actio in ſocios criminis, vt notant Doctores.

Inſuper ſi damnificatus condonet reſtitutionem ei, qui primariò ad eam obligatur, tunc qui ſecundariò in defectum illius obligantur, manent immunes: ſecùs eſt, ſi condonatio fiat ſecundariò, tunc enim primarius non eſt immunis, & idem dicendum, ſi fiat condonatio vni eorum, qui æquè primariò, vel ſecundariò obligantur ad reſtitutionem; vndè reliqui manent obligati pro ſua quota, ſeu rata. Verùm tradunt Doctores, quòd ante omnes primo loco ſemper obligatur ille, apud quem res aliena in ſpecie exiſtit, vel qui eam mala fide conſumpſit, aut ex conſumptione bonæ fidei factus eſt ditior, quia tales poſſident alienum in ſe, vel in pretio, alienum autem eſt ſemper domino reſtituendum.

QVÆSTIO V.

Quid ſit reſtituendum.

NOt. ex Scot. in 4. d. 15. art. 4. §. de tertio, quod non ſolùm tenetur quis ad reſtitutionem rei ablatæ, vel vſum ipſius rei, ſed etiam obligatur ad intereſſe, & fructum perceptum de re, ſi erat fructifera, non autem fructum, qui prouenit ex induſtria eius, qui vtitur illa re. Quare pro intelligentia dicendorum ſcire oportet, quòd fructus rei poſſunt eſſe triplicis generis. Alij namque ſunt, merè naturales, qui nimirum abſque vllo labore, & induſtria, vel ſaltem modica, ex re naturaliter proueniunt, vt herbæ in pratis, poma in arboribus, & ſimilia. Alij ſunt merè induſtria-

ſtriales, qui videlicet non proueniunt ex natura rei, ſed ex mera induſtria hominis; vt lucrum ex pecunia negotiationi expoſita, ex vino, oleo, & huiuſmodi. Alij denique dici ſolent mixti, ideſt partim naturales, & partim induſtriales, & ſunt qui proueniunt ex re quidem fructifera, ſed non ſine induſtria, & labore, quales ſunt ſegetes, vinum, lac, lana, & ſimilia.

Concl. Fructus naturales ſunt reſtituendi domino rei; ſecùs autem fructus mere induſtriales. Eſt communis cum Scoto: ratio primæ partis eſt, quia ſicut res pertinet ad dominum, ita etiam omnia, quæ ex ea naturaliter proueniunt, ſeu ex natura rei, ad eundem dominum pertinent; alioquin iniuſtè auferens, & detinens rem (de hoc enim hic loquimur) de ſuo delicto reportaret vtile, & fieret ditior; quod eſt contra ius naturæ: *Vnde ff. de condictione indebiti ſic habetur. Hoc naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri*: ergo &c. Ratio 2. partis eſt; quia ea, quæ proueniunt ex mera induſtria, & labore detinentis rem iniuſtè abſque præiudicio domini, non proueniſſent à re iniuſte detenta, ergo tales fructus non ſunt obnoxij reſtitutioni.

Cæterùm fructus, partim naturales, & partim artificiales ſunt pariter reſtituendi ex ea parte, qua ſunt à natura, ex ea verò parte, qua ſunt ab induſtria, ad arbitrium prudentis viri compenſari debent; deductis interim laboribus, & expenſis neceſſarijs factis in eis acquirendis, colligendis, & conſeruandis; quæ omnia vera ſunt, niſi dominus pa[illegible]s ſit aliquod intereſſe, vel damnum emergens, vel lucrum ceſſans. Vndè qui furatus eſt pecuniam, ex qua cenſentur prouenire fructus merè induſtriales, paratam ad domum reficiendam minantem ruinam, & interim domus corruit, vel dominus pro eius refectione compulſus eſt pecuniam ad intereſſe accipere tenetur talia damna reſarcire. Similiter ſi dominus erat cum pecunia ablata negotiaturus, tenetur reſarcire damnum, ſeu lucrum ceſſans. Ex qua doctrina deducitur, quòd qui animal in tenera ætate occidit, vel recentes arborum plantationes eradicauit, tenetur reſtituere, non quidem quantum res illę in perfecta ætate erant valituræ ſed quantum illarum damnum hic, & nunc à viris prudentibus æſtimabitur. Item qui Menſe Auguſti triticum alterius furatur, & iniuſtè poſſidet illud retinendo vſque ad

Men-

de lege naturæ præſumitur, quòd damnificatus magis velit fieri reſtitutionem ſuis propinquis, & hæredibus, quàm alijs; addens, quòd, ſi rei illius dominus, aut eius hæredes & propinqui ſint ignoti, nec decurſu temporis, debita diligentia adhibita, deprehendi poſſint, tunc Chriſto Domino, quem Deus conſtituit hæredem vniuerſorum teſte Apoſt. ad Hebr. 1. in membris ſuis, ideſt pauperibus fieri debet reſtitutio; quia, inquit Doctor, cui non poteſt fieri reſtitutio temporaliter, debet fieri ſpiritualiter; quod maximè fit erogando reſtituenda pauperibus.

II. Concl. Non licet aliquo tempore detinere alienum inuito Domino, ideſt, vt ſe explicat Doctor, nolente, vel ſecundum rectam rationem nolle debente, & per conſequens ſtatim debet reſtitutio fieri, ſicut ſtatim eſt ceſſandum ab actu cuiuſcunque peccati mortalis, non tantùm exteriori, ſed etiam interiori; præceptum enim reſtitutionis eſt negatiuum, vt ſupra oſtenſum eſt ex Scoto; ac proinde obligat ſemper, & pro ſemper. In aliquibus tamen caſibus, pergit Doctor, licet quandoque differre reſtitutionem exteriorem, poſita tamen iam interiori, hoc eſt, voluntate reſtituendi, cum occurrent circumſtantiæ opportunæ. Illi autem caſus vniuerſaliter continentur in hac maxima: *Licet detinere rem alienam, quando ille, cuius eſt, debet eam velle rationabiliter detineri; puta quando eſt in præiudicium communitatis, vel ipſius recipientis reſtitutionem, quia debet velle bonum commune, & bonum ſibi proprium; & ita aliqualem dilationem reſtitutionem illius boni vtilis, vt ſeruetur maius bonum.* Debet etiam velle reſtitutionem non fieri tunc quando eſſet in infamationé reſtituentis, quia debet magis velle famam proximi, quàm illud modicum commodum ſui. Conſimiliter debet magis velle, quòd vitetur magnum incommodum proximi, quod haberet ſtatim reſtituendo, quàm modicum commodum ſui, vel nullum in modica dilatione reſtitutionis. In iſtis igitur caſibus reſtitutio debet differri, quia debet dominus rationabiliter velle, quòd qui habet ſuum, teneat quouſquè poſſit reddere opportunè. Sic poteſt depoſitum teneri inuito domino, ſeu nolente voluntate inordinata, vt ſi ipſe in furia exiſtens vellet gladium ſibi reddi. Ex prædictis patet, quòd quando ablatio fuit occulta non tenetur ablator prodere ſe, nec per conſequens per ſe ipſum reſtituere,

ſed

ſed per aliam perſonam ſecretam, & fidelem, quod expedit per confeſſorem quia ſibi crimen eſt detectum in confeſſione, & de eius fidelitate, quòd reſtituat fidei ſuæ commiſſum, ſatis debet credi. Poteſtquè differri redditio quouſquo talis perſonæ voluntas & opportunitas habeatur. Is etiam, qui eſt impotens non tenetur pro tunc reſtituere; tenetur tamen poſtea. quando venerit ad pinguiorem fortunam. *Extra de ſolutionibus Odoardus in textu & in gloſſa*: hæc Scotus. Mandat autem Papa; addit noſter Nicolaus de Orbellis in illa Decretali, vt ſententia excomunicationis lata contra dictum Odoardum relaxetur, ſi non valeat in totum, vel pro parte debita ſoluere, recepta ab eo priùs idonea cautione, vt ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita prædicta perſoluat. Eſt autem *cautio iuxta Aſtenſem generale nomen omnium ſecuritatum; nomine verò cautionis idoneæ intelligitur promiſſio fideiuſſoria, vel pignoratiua, vel ſaltem iuratiua*. Talis autem ſi ad pinguiorem fortunam deueniat, ſoluere debet non in totum, ſed ſecundùm ſuum poſſe (habita ratione) ne egeat, quia non eſt fraudandus alimentis quotidianis, vt dicit ibi gloſſa. Non licet tamen, ait Scot. alicui ſtatum ſolemnem tenere de bonis alienis.

Difficultas tamen eſt, An ſi vterque ſit in extrema neceſſitate, in tali caſu ſit res Domino extremè illa indigenti, reſtituenda, & ratio dubitandi eſt, quia quilibet magìs debet diligere vitam ſuam corporalem, quàm proximi.

Reſp. Scot. Si vterque ſit in extrema neceſſitate, & primus deuenerit ad iſtam neceſſitatem, vel ambo ſimul, debet reddi domino, quod ſuum eſt, & ratio allata habet locum; dum non iniuſtè conſeruetur, cuſtoditio autem vitæ in tali caſu de re aliena, eſt iniuſta; quia ipſum iniuſtè occidit ſubtrahendo quod ſibi neceſſarium eſt; ſic latro magìs debet ſuſtinere ſuſpendium, quàm occidere ſuſpendentem vt euadat; quia dilectio vitæ corporalis iniuſtè cuſtoditæ non eſt dilectio ordinata. Sed nunquid ſi detentor in primo caſu, poſt primam neceſſitatem extremam, veniat ad pinguiorem fortunam tenetur reſtituere æquiualens, ſicut dictum eſt ſupra de impotente.

Reſp. Scot. quòd ſi priùs ipſam rem occupauerit, quàm eſſet in tali neceſſitate, quia talis occupatio rei alienæ fuit iniuſta, quapropter obligatio ad reſtituendum, licèt ſit ſo-

III. Concl. Si res perit apud illum, qui eam acceperat ex contractu, in proprium ſuum commodum tantum cedente, tenetur ad reſtitutionem, ob quamlibet culpam, etiam leuiſſimam: ita determinatur ex dicto cap. vnico: ratio eſt, quia æquitas naturalis poſtulat, vt qui gratis re aliena vtitur in propriam vtilitatem tantum, adhibeat maximam diligentiam, ne domino pereat; nihilominus exiſtimatur probabilis oppoſita ſententia Soti, Sà, Leſſij, & Lugo. quia ſiſtendo intra limites iuris naturalis, nemo tenetur ad reſtitutionem damni dati, niſi ob culpam latam cum nullus obligetur maiorem curam adhibere in cuſtodienda re aliena, etiam gratis conceſſa, quàm in cuſtodia rei propriæ, & quam ipſe dominus adhibuiſſet.

IV. Concl. Si contractus, quo res aliena accipitur cedit in commodum ſolius dantis, accipiens non tenetur ad reſtitutionem, niſi de culpa lata; ſi verò in commodum tam dantis, quàm recipientis tenetur probabiliùs de culpa leui, non leuiſsima. Ita colligitur *ex Inſtit. quibus modis contrahitur obligatio §. interea: & l. etiam de commodato, & l. contractus ff de reg. Iuris*. Ratio primi eſt, quia quiſque tenetur adhibere diligentiam in re aliena cuſtodienda, quam ſolent homines ordinarie adhibere, quæ diligentia excludit culpam latam, & non leuem, neque leuiſſimam. Ratio ſecundi eſt, quia ex vna parte æquum apparet, vt ad maiorem diligentiam obligetur, qui rem alienam accepit in ſuam vtilitatem, quàm teneatur ad propriam; ex altera vero, quia contractus cedit in vtilitatem etiam dantis, non eſt æquum, vt ipſe dans nulli periculo ſubiaceat. Oppoſitum tamen nempe quòd non teneatur, niſi ex culpa lata, eſt probabile.

Quæres. An res aliena, quæ apud aliquem ſeruatur, ſi ſimul cum ſua non poſſit ſaluari, præferre poſſit rem propriam rei alienæ.

Reſp. ex communi ſententia; ſi quis rem alienam acceperit in propriam tantùm vtilitatem, tenetur illam rei propriæ præferre, ſiue ſit æqualis, ſiue etiam parùm minoris æſtimationis. Si verò eam acceperit in ſolam vtilitatem dantis, poteſt rem propriam præferre alienæ; quod ſi in vtilitatem vtriuſque, poterit præferre propriam, ſi ſit æqualis, vel maioris æſtimationis, non tamen ſi minoris: ita ſignanter Leſſius, & Siluius; licèt dici poſſit cum oppoſita ſententia,

tia,

tia, quòd propria res in omni caſu, ſecluſo pacto, rei alienæ præferri poteſt, quia contractus quicunque etiam commodati non obligat in conſcientia ad cuſtodiam rei alienę cum graui detrimento proprio, neque commodatarius cenſendus eſt ſe obligaſſe cum tanto onere, niſi res aliena ſit notabiliter maioris valoris.

QVÆSTIO IV.

Quinam ad Reſtitutionem teneantur.

NOt. Quòd Doctores agendo de circumſtantijs Reſtitutionis ſex circumſtantias particulares aſſignant, nempe quis, quid, cui, vbi, quando, & quomodo. In præſenti quæſtione agemus tantùm de prima, id eſt de ijs, qui ad reſtitutionem tenentur. Certum eſt enim, quòd ad reſtitutionem obligantur ratione iniuſtæ acceptionis, aut detentionis iniuſtæ non ſolùm ij, qui proximum lædunt, & cauſæ principales ſunt damni, vt fures, homicidæ &c. ſed etiam qui lædentibus cooperantur auxilium, conſilium, vel fauorem eis præbendo, & dicuntur etiam complices, Socij participantes, & cauſæ minùs principales. Vnde Doctores communiter nouem genera perſonarum enumerant, quæ, ſicut ſunt cauſa iniquæ acceptionis, ita etiam ad reſtitutionem faciendam obligantur, atque his explicantur verſibus.

Quilibet in ſolidum reddat priùs iniuriato.
Iuſſio, conſilium. conſenſus, palpo, recurſus.
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

De quibus perſonarum generibus rationem, & ſufficientiam dat Scot. in 4. d. 15. q. 2. art. 4. Breuiter omnis obligatio ad reſtitutionem reducitur ad auferre, vel detinere; & hoc, vel vt cauſa principalis, vel proxima, vel coadiuuans, vel inducens, vel non impediens, quando eius eſſet ad bonum Reip. & ſine periculo perſonæ impedire; *Et hæc omnia ex quo reducuntur ad conſenſum efficacem, verum, vel interpretatiuum probantur per illud 2. q. 1. cap. notum ſit, vbi dicitur; quòd facientem, & conſentientem par pœna conſtringit.* Vndè ſi ſupradictæ perſonæ fuerunt cauſa efficax damni, aliàs non ſecuturi tenentur ad reſtitutionem; ſecùs autem ſi non fuerunt cauſa efficax damni. E. g. ſi fur, vel homicida non fuerit efficaci-

ter motus mandato, vel conſilio alterius; quia etiam abſque tali mandato, ſeu conſilio erat abſolutè paratus ad furandum, ad occidendum.

I. Concl. Nomine iubentis, ſeu mandantis intelligitur omnis, qui explicitè, vel implicitè mandat: implicitè quidem, qui ſubdito, aut famulo, facto, vel ſigno oſtendit ſibi gratum fore, hoc, vel illud fieri, v. g. dicendo. Vtinam quis vindicet me de hoſte meo. Quare omnis mandans; ſi cauſa eius mandati alteri iniuſtè accidit graue damnum; peccat mortaliter, & ad reſtitutionem tenetur. At ſi mandans mandati ſui intimet mandatario reuocationem ante factum, non tenebitur ad reſtitutionem, quia tunc non cenſetur ampliùs cauſa efficax, ac proindè ſublata eſt motio efficax ab eo proueniens. Si autem dubitetur, an damnum ſit ſecutum etiam ex ſuo mandato, plures Doctores apud Dian. p. 3. tract. 5. reſ. 84. ad reſtitutionem non teneri putant: communior tamen opinio docet, præſumptionem ſtare contra mandantem, aut conſulentem, ſi res culpa, aut conſulta fuerit ſecuta. Vndè noſter Scilder. tract. 4. num. 349. dicit, talem conſulentem, ſeu mandantem teneri in defectum homicidæ ad reſarciendum totum damnum, & Corneio cum communi docet, in tali dubio mandantem, aut conſulentem homicidium eſſe irregularem.

II. Concl. Conſilium, ideſt conſulens perſuadens efficaciter damnum hortatu, rogatu, rationum allegatione, inſtructione; item dolo, vel culpa lata diſſuadens reſtitutionem damni abſque ſuo conſilio illati, tenetur ad reſtitutionem, niſi ſine tali conſilio &c. fuiſſet facturus damnum, vt docent Alenſ. Alexander de Alexandria, Richard. & Scot. & hoc habet locum, vt aduertit Franciſcus de Platea in tract. de Reſtit. tam in contractibus, quàm in delictis, quando conſilium eſt fraudulenter datum; aliàs non tenetur, *Vt in cap. Nullus iuxta regulam. Nullus ex conſilio, dummodo fraudulentum non fuerit, obligatur*. Verùm ſi re integra, conſilium, & alia æquiualentia efficaciter reuocentur, liberabitur à reſtitutione, licet plus requiratur ad efficaciter reuocandum conſilium, quàm mandatum. Inſuper tradunt Doctores, quòd *Qui tenetur ex officio, iuſtitia, ſtipendio, profeſſione ad dandum conſilium, ſi dolo, vel lata culpa dederit malum conſilium, ſeu damnoſum, tenetur ad reſtitutionem, non obſtante regula*

cita-

circa &c. quæ non loquitur de iſtis conſulentibus, ſed de ijs, qui ſic non tenentur.

III. Concl. Conſenſus, ideſt quando quis conſentit furi, aliàs non furaturo, expreſſo conſenſu, ſine quo damnificatio non fuiſſet ſecuta, tenetur ad reſtitutionem, quia cenſetur cauſa efficax; quòd ſi non eſſet cauſa efficax, peccaret quidem præbendo conſenſum, ſed ad reſtitutionem non obligaretur. Idem dicendum de eo, qui dat ſuffragium ad inferendum damnum, quod ſcit certò inferendum per præuia ſuffragia aliorum, non tenetur ad reſtitutionem; ſecùs ſi ſuum ſuffragium videat eſſe neceſſarium, vt damnum inferatur. *Imò ſi ſuffragia dentur ſecretò, quilibet ſub onere reſtitutionis ſemper tenetur iuſtum dare ſuffragium, quia tunc omnes ferentes iniuſtum ſuffragium, ſimul ſunt cauſa totalis damni*; ac proinde ſicut ſinguli in indiuiduo cooperantur ad totum damnum, ita obligantur ſinguli integrum damnum reſtituere: ita Doctores apud Dian. p. 4. tract. 4. reſ. 79.

IV. Concl. Palpo, ideſt qui adulatione, & blanditijs alium inducit ad malum inferendum, laudando, & ſtrenuum reputando rapientem, vel iniuſte alijs damnificantem, & ſibi ſe familiarem exhibendo, ex quo probabiliter præſumitur, quòd ex hoc motus fuerit damnificans ad damnificandum, vel ad non reſtituendum damnificato, quod intendebat reſtituere, tenetur ad reſtitutionem; quia *talis adulatio eſt quidam conſenſus 93. diſt. Si inimicus, iuxta illud Iſaiæ 9. Et erunt, qui beatificant populum iſtum ſeducentes, & qui beatificantur præcipitati.* Item recurſus, ideſt recipiens damnificantem, occultans furtum, furtiua inſtrumenta, ſecuritatem præbens, protegens, apud iudicem defendens, efficaciter animans ad inferenda damna, vel non reſtituendo ablata, tenetur ad reſtitutionem. Vndè qui ante completam iniuriam offert domum ſuam ad alterum protegendum, vel ſi ea completa illum vt furem recipiat; ſimiliter qui res furtiuas cuſtodit, eaſquè poſtea furi tradit, dum poteſt eas domino reſtituere ſine ſuo magno incommodo; item aduocatus, aut procurator, qui ſcienter alterum defendit, ne cogatur ad iuſtam reſtitutionem, omnes ad reſtitutionem tenentur.

V. Concl. Participans, ideſt qui participat de re accepta, vel de iniuſta acceptione coadiuuando damnificantem, tenetur ad reſtitutionem, diuerſimodè tamen, nam qui de re

acce-

accepta tantùm participat, tenetur ſolùm ad reſtitutionem partis, quam acquiſiuit: qui verò participat de iniuſta acceptione, obligatur inſolidum, ideſt tenetur ad reſtituendum totum, quia eſt vera cauſa totius damni ſecuti ex iniuſta acceptione, cui eſt cooperatus. Vndè qui applicat ſcalas, parat inſtrumenta, conficit falſas literas &c. tenentur ad totum damnum illatum: excuſantur tamen à Doctoribus, qui ſimilia, non ſponte, ſed graui metu coacti faciunt, quia licèt peccent mortaliter, ſi immediatè cooperentur, attamen non tenentur ad reſtitutionem. Cæterùm ſi plures raptores ſint, quaſi pares, quia nullus inducit alium ad damnificandum, nec eſt dominus aliquis alterius, ſed quilibet per ſe vadit, docet Scot. & cum eo noſter Monaldus in Summa, quòd ſi vadunt ſimul quaſi vnus exercitus, quilibet tenetur inſolidum, quando vnus ſine alijs non auderet ire, vel non poſſet damnum inferre, quia in tali caſu quilibet iuuat alios, & facit eos fortiores, ac proinde omnes ſunt cooperatores *extra de homicidio cap. Sicut dignum*; ſi verò non iuerunt ſimul ſeu quilibet per ſe faciebat damnum, non prouocans alios ad damnum dandum, tunc tenetur quilibet pro eo, quod facit. Hactenus de ſex cooperantibus poſitiuè in damnificando, quia tres alij ſequentes, nempe mutus, non obſtans, non manifeſtans, ſolùm negatiuè cooperantur, ad quorum maiorem explicationem ſit.

VI. Concl. Mutus, ideſt ille, qui videns alium damnificari, & poteſt, immò ex officio tenetur impedire damnum reſiſtendo, v.g. ſuo clamore furem impedire à furto, tenetur ad reſtitutionem; ſecùs autem ſi non teneatur ex officio, ſeù ex iuſtitia impedire, ſed ſolùm ex charitate; tunc enim ſi quis poſſet ſine ſuo detrimento impedire furtum, & nollet facere, peccaret contra charitatem, quæ præſcribit nobis, vt proximum, & eius bona conſeruemus; maximè vbi exinde non euenit nobis malum. Inſuper non obſtans, ideſt ille, qui non obſtat damnificantibus, cum poſſit, & ſibi ex officio incumbit, tenetur ad reſtitutionem quia, *vt habetur 83. diſt. Errores negligere, cum poſſis perturbare peruerſos, nihil aliud eſt, quàm fauere*: adde cum Scot. non obſtans, ideſt non faciendo reſtitui ablatum, cum ſibi ex officio competeret. Denique non manifeſtans, ideſt, vt explicat Scot. requiſitus in iudicio, vbi poſſet ſententialiter reſtitui res

do-

domino ſuo, & tamen dicendo veritatem, non immineret ſibi periculum ſui ſtatus, vel perſonæ: & quilibet prædictorum tenetur inſolidum, *vt habetur 9. q. 3. Quiſquis, vbi dicitur. Vterque reus eſt: & qui veritatem occultat: & qui mendacium profert, quia ille prodeſſe non vult, & iſte nocere deſiderat*; & idem docent Alenſ. Richard. &c. Ex dictis deducitur, quòd cuſtodes viarum, ſyluarum, vectigalium &c. ſi non obſtent, aut delinquentes non manifeſtent, tenentur ad reſtitutionem damnorum; immò addunt nonnulli etiam mulctæ pecuniariæ deprehenſis impoſitæ, quod tamen non approbatur. Item teſtis legitimè compulſus ad teſtificandum, & quicunque alius, qui de præcepto tenetur denunciare, aut accuſare, ſi tacet, & diſſimulat veritatem, tenetur reſtituere totum id, quod debebat fur in conſcientia reſtituere: ita Rodriquez cum D. Thom. & alijs, qui ſubdit, quòd famulus videns alium famulum furari, & tacens non tenetur ad reſtitutionem, cum non teneatur de iuſtitia manifeſtare furtum, niſi ratione officij ſui teneatur cuſtodire domum, ſic enim tenet Nauar. Verùm eſt tamen, quòd tenetur iſte famulus monere furem, vt doleat de facto, & reſtituat quod ſic accepit, & licèt fur det illi aliquid, vt taceat, non tenetur aliquid reſtituere, niſi in caſu quod dicat furi, eſto bono animo, nequaquam te manifeſtabo, ſi tradas mihi aliquid, hoc enim dicto confirmat animum furis forſitan non tam reſoluti ad furandum ſicut fit hoc dicto, quia tunc clarè patet, quòd non ſolùm non manifeſtat, ſed coadiuuat.

Quæres. Qualiter prædicti omnes obligantur ad reſtitutionem damni illati.

Reſp. Primo loco obligatur principalis, qui ſi reſtituat executor, aut alia cauſa ſecundaria non obligatur: quia qui ſuo nomine vult inferri damnum, implicitè ſuſcipit in ſe onus faciendæ reſtitutionis, nam iubens, cogens, vel fraude inducens ad damnum inferendum iniuſtè conijcit inductum in obligationem reſtitutionis. Secundo loco in defectum principalis obligatur executor, vt talis, quatenus ſcilicet eſt executus damnum nomine principalis. Executori reſtituenti aliæ cauſæ ſecundariæ poſitiuæ, vel negatiuæ non obligantur, ſed principalis. Quòd ſi cauſæ ſecundariæ reſtituant, executor obligatur illis ſecundùm totum id, quod reſtituerunt. Tertio loco obligantur cau-

ſæ poſitiuæ; Quarto loco negatiuæ, inter quas eſt hic ordo. Non obſtans, mutus, non manifeſtans, quæ iuxta communiorem ſententiam non obligantur ad reſtitutionem, ſi cauſæ poſitiuæ reſtituant. Cæterùm ſi executor ſuo, & complicum nomine intulit damnum, omnes tenentur primo loco, & ipſemet tanquàm vnus illorum. Quando autem plures fuerunt æquè principales, vel æquè ſecundariæ cauſæ eiuſdem damni; primò tenentur ſinguli conferre æquales portiones ad reſtitutionem; ſecundò in defectum complicum quiſque tenetur inſolidum; tertiò ei, qui prior totum reſtituit, reliqui tenentur in conſcientia pro ſua rata, ſeu parte: interim in foro externo non datur actio in ſocios criminis, vt notant Doctores.

Inſuper ſi damnificatus condonet reſtitutionem ei, qui primariò ad eam obligatur, tunc qui ſecundariò in defectum illius obligantur, manent immunes: ſecùs eſt, ſi condonatio fiat ſecundariò, tunc enim primarius non eſt immunis, & idem dicendum, ſi fiat condonatio vni eorum, qui æquè primariò, vel ſecundariò obligantur ad reſtitutionem; vndè reliqui manent obligati pro ſua quota, ſeu rata. Verùm tradunt Doctores, quòd ante omnes primo loco ſemper obligatur ille, apud quem res aliena in ſpecie exiſtit, vel qui eam mala fide conſumpſit, aut ex conſumptione bonæ fidei factus eſt ditior, quia tales poſſident alienum in ſe, vel in pretio, alienum autem eſt ſemper domino reſtituendum.

QVÆSTIO V.

Quid ſit reſtituendum.

NOt. ex Scot. in 4. d. 15. art. 4. §. de tertio, quod non ſolùm tenetur quis ad reſtitutionem rei ablatæ, vel vſum ipſius rei, ſed etiam obligatur ad intereſſe, & fructum perceptum de re, ſi erat fructifera, non autem fructum, qui prouenit ex induſtria eius, qui vtitur illa re. Quare pro intelligentia dicendorum ſcire oportet, quòd fructus rei poſſunt eſſe triplicis generis. Alij namque ſunt, mere naturales, qui nimirum abſque vllo labore, & induſtria, vel ſaltem modica, ex re naturaliter proueniunt, vt herbæ in pratis, poma in arboribus, & ſimilia. Alij ſunt mere induſtria-

ſtria-

ſtriales, qui videlicet non proueniunt ex natura rei, ſed ex mera induſtria hominis; vt lucrum ex pecunia negotiationi expoſita, ex vino, oleo, & huiuſmodi. Alij denique dici ſolent mixti, ideſt partim naturales, & partim induſtriales, & ſunt qui proueniunt ex re quidem fructifera, ſed non ſine induſtria, & labore, quales ſunt ſegetes, vinum, lac, lana, & ſimilia.

Concl. Fructus naturales ſunt reſtituendi domino rei; secùs autem fructus mere induſtriales. Eſt communis cum Scoto: ratio primæ partis eſt, quia ſicut res pertinet ad dominum, ita etiam omnia, quæ ex ea naturaliter proueniunt, ſeu ex natura rei, ad eundem dominum pertinent; alioquin iniuſtè auferens, & detinens rem (de hoc enim hic loquimur) de ſuo delicto reportaret vtile, & fieret ditior; quod eſt contra ius naturæ: *Vnde ff. de condictione indebiti ſic habetur. Hoc naturæ æquum eſt, neminem cum alterius detrimento locupletiorem fieri*: ergo &c. Ratio 2. partis eſt; quia ea, quæ proueniunt ex mera induſtria, & labore detinentis rem iniuſtè abſque præiudicio domini, non proueniſſent à re iniuſte detenta, ergo tales fructus non ſunt obnoxij reſtitutioni.

Cæterùm fructus, partim naturales, & partim artificiales ſunt pariter reſtituendi ex ea parte, qua ſunt à natura, ex ea verò parte, qua ſunt ab induſtria, ad arbitrium prudentis viri compenſari debent; deductis interim laboribus, & expenſis neceſſarijs factis in eis acquirendis, colligendis, & conſeruandis; quæ omnia vera ſunt, niſi dominus pa[illegible]s ſit aliquod intereſſe, vel damnum emergens, vel lucrum ceſſans. Vndè qui furatus eſt pecuniam, ex qua cenſentur prouenire fructus merè induſtriales, paratam ad domum reficiendam minantem ruinam, & interim domus corruit, vel dominus pro eius refectione compulſus eſt pecuniam ad intereſſe accipere tenetur talia damna reſarcire. Similiter ſi dominus erat cum pecunia ablata negotiaturus, tenetur reſarcire damnum, ſeu lucrum ceſſans. Ex qua doctrina deducitur, quòd qui animal in tenera ætate occidit, vel recentes arborum plantationes eradicauit, tenetur reſtituere, non quidem quantum res illę in perfecta ætate erant valituræ ſed quantum illarum damnum hic, & nunc à viris prudentibus æſtimabitur. Item qui Menſe Auguſti triticum alterius furatur, & iniuſtè poſſidet illud retinendo vſque ad

Men-

Menſem Maij cum melioratione, & incremento pretij, triticum reſtituere tenetur ſecundùm talem meliorem ſtatum, neque ſatisfaciet, ſi dumino pretium reddat, quod tempore Auguſti valebat: ratio eſt, quia res illa iniuſtè ablata ſemper ſub dominio prioris domini perſeuerat, & conſequenter maior rei perfectio, & melioratio, quam acquirit, ad eundem ſpectat; nam qui ius habet in rem, habet etiam ius in id, quod illam conſequitur, & ſic diſcurrendum eſt in ſimilibus caſibus. Quòd ſi res aliquod patiatur detrimentum in poteſtate iniuſtè detinentis, quod apud dominum paſſura non erat, hoc etiam reſarciendum eſt; ſecus autem ſi idem detrimentum etiam in poteſtate domini paſſura fuiſſet. Ita diſcurrit Maſtrius cum communi, & ſubdit, quòd ex hac doctrina ſoluitur illa difficultas, quando reſtituendum eſt pretium rei, an ſit reſtituendum ſecundùm valorem, & quantitatem maiorem, quam habuit dum fuit in poteſtate iniuſtè detinentis, an verò ſecundùm valorem, quem res habuit à tempore iniuſtæ acceptionis; res enim aliquando habet eundem valorem tempore acceptionis, & retentionis, venditionis, conſumptionis; ac reſtitutionis, aliquando diuerſum, & valor variari poteſt, tum intrinſecè, ideſt cum melior, vel deterior res efficitur, tum extrinſecè, nempè per mutationem loci, temporis, vel aliarum circumſtantiarum, de quibus plura diximus in diſp. de emptione, & vendit. & ex dictis ſupra patet ad quid reſtituendum teneantur poſſeſſores tam bonæ, quàm malæ fidei.

Quæres. An accepta per ſimulationem paupertatis ſint reſtituenda. Reſp. Referuntur de hoc dubio tres ſententiæ. Prima eſt plurium Recentiorum, aſſerentium, quòd qui per ſimulationem paupertatis, accepit eleemoſynam, non tenetur eam reſtituere ſi parua ſit; ſecùs autem ſi ſit notabilis quantitatis; quia in tali caſu ſubintelligitur conditio, ſi reuerà ſit pauper: 2. ſententia, vt paulò ſuperiùs indicauimus, vtitur tali diſtinctione; videlicet; Vel huiuſmodi paupertatis ſimulatio eſt cauſa finalis, ob quam alij bona ſua tribuunt, & ſine qua non tribuerent; vel eſt ſolum cauſa impulſiua; quæ habet tantùm mouere alios, vt promptius, & liberius tribuant: ſi primo modo, certum eſt, omnia ſic acquiſita eſſe reſtiuenda; ſecùs ſecundo modo: ita Medina Azorius; & alij, inter quos eſt etiam noſter.

Arc-

Aretinus; quæ quidem ſententia videtur rationabilior prima; nam vel eleemoſyna ſit paruæ quantitatis, vel magnæ, parum refert, vt bene diſcurrit Faber diſp. 50. cap. 4. quod enim eſt alienum, & fraude obtentum, ſiuè magnum ſit, ſiuè paruum. ſemper eſt reſtituendum. Nihilominus dicendum cum tertia ſententia, quæ eſt Scoti in 4. d 15. q. 2. art. 3. vbi abſolutè affirmat, eleemoſynam ſic obtentam eſſe reſtituendam. Ratio Doctoris eſt, quia, qui decipitur in conditione, propter quam donat, non liberaliter donat abſolutè, ſicut qui donat alicui, quem propinquum putat, ſi talis non eſt, donatio eſt inualida; ergo qui eleemoſynam elargitur, eò quia putat, illum eſſe pauperem, abſolute non donat, ſi reuerà pauper non eſt; in qua ſententia ſunt plures alij antiquiores Theologi, & Canoniſtæ, vt teſtatur Nauarrus in manuali cap. 17. eamquè ſequitur cum multis alijs.

QVÆSTIO VI.

Cui, & quo tempore ſit reſtituendum.

NOt. ex Scoto in 4. loc. cit. §. de Quarto, quòd inter Perſonas, quibus facienda eſt reſtitutio, non ſolùm veniunt ipſi Domini, & hæredes, ſed etiam omnis iuſtus poſſeſſor rei reſtituendæ, eſtò illius rei non habeat dominium, & proprietatem, ſed quaſi dominium, vel vſumfructum, vel ſimplicem rei vſum, aut poſſeſſionem, ſiue ſit administrator, procurator, diſpenſator, aut cuſtos rei; vt habens pignus ſibi datum in aſſecuratione, aut depoſitarius pecuniæ, conductor rei, Curator, Tutor, & denique omnis, qui iuſto titulo rei illius eſt poſſeſſor, vocatur etiam dominus in ordine ad reſtitutionem illius rei faciendam; qua ratione, ſi res pignore obligata per furtum ſurripiatur; non eſt reſtituenda Domino, ſed illi, qui ob ſecuritatem debiti rem alienam habebat; & ſic de ſimilibus.

I. Concl. Quando reſtitutio fieri nequit Domino principali damnificato; facienda eſt propinquis; vel hæredibus, quos conſtituit, ſi non eſt mortuus ab inteſtato; eo ipſo namque quòd conſtituit hæredem, declarauit, cuius vellet eſſe ſua bona relicta, idque probat Scotus hac ratione, quia

de

de lege naturæ præſumitur, quòd damnificatus magis velit fieri reſtitutionem ſuis propinquis, & hæredibus, quàm alijs; addens, quòd, ſi rei illius dominus, aut eius hæredes & propinqui ſint ignoti, nec decurſu temporis, debita diligentia adhibita, deprehendi poſſint, tunc Chriſto Domino, quem Deus conſtituit hæredem vniuerſorum teſte Apoſt. ad Hebr. 1. in membris ſuis, idelt pauperibus fieri debet reſtitutio; quia, inquit Doctor, cui non poteſt fieri reſtitutio temporaliter, debet fieri ſpiritualiter; quod maximè fit erogando reſtituenda pauperibus.

II. Concl. Non licet aliquo tempore detinere alienum inuito Domino, ideſt, vt ſe explicat Doctor, nolente, vel ſecundum rectam rationem nolle debente, & per conſequens ſtatim debet reſtitutio fieri, ſicut ſtatim eſt ceſſandum ab actu cuiuſcunque peccati mortalis, non tantùm exteriori, ſed etiam interiori; præceptum enim reſtitutionis eſt negatiuum, vt ſupra oſtenſum eſt ex Scoto; ac proinde obligat ſemper, & pro ſemper. In aliquibus tamen caſibus, pergit Doctor, licet quandoque differre reſtitutionem exteriorem, poſita tamen iam interiori, hoc eſt, voluntate reſtituendi, cum occurrent circumſtantiæ opportunæ. Illi autem caſus vniuerſaliter continentur in hac maxima: *Licet detinere rem alienam, quando ille, cuius eſt, debet eam velle rationabiliter detineri; puta quando eſt in præiudicium communitatis, vel ipſius recipientis reſtitutionem, quia debet velle bonum commune, & bonum ſibi proprium; & ita aliqualem dilationem reſtitutionem illius boni vtilis, vt ſeruetur maius bonum.* Debet etiam velle reſtitutionem non fieri tunc quando eſſet in infamationē reſtituentis, quia debet magis velle famam proximi, quàm illud modicum commodum ſui. Conſimiliter debet magis velle, quòd vitetur magnum incommodum proximi, quod haberet ſtatim reſtituendo, quàm modicum commodum ſui, vel nullum in modica dilatione reſtitutionis. In iſtis igitur caſibus reſtitutio debet differri, quia debet dominus rationabiliter velle, quòd qui habet ſuum, teneat quouſquè poſſit reddere opportunè. Sic poteſt depoſitum teneri inuito domino, ſeu nolente voluntate inordinata, vt ſi ipſe in furia exiſtens vellet gladium ſibi reddi. Ex prædictis patet, quòd quando ablatio fuit occulta non tenetur ablator prodere ſe, nec per conſequens per ſe ipſum reſtituere,

ſed per aliam perſonam ſecretam, & fidelem, quod expedit per confeſſorem, quia ſibi crimen eſt detectum in confeſſione, & de eius fidelitate, quòd reſtituat fidei ſuæ commiſſum, ſatis debet credi. Poteſtquè differri redditio quouſquo talis perſonæ voluntas & opportunitas habeatur. Is etiam, qui eſt impotens non tenetur pro tunc reſtituere; tenetur tamen poſtea, quando venerit ad pinguiorem fortunam. *Extra de ſolutionibus Odoardus in textu & in gloſſa*: hæc Scotus. Mandat autem Papa; addit noſter Nicolaus de Orbellis in illa Decretali, vt ſententia excomunicationis lata contra dictum Odoardum relaxetur, ſi non valeat in totum, vel pro parte debita ſoluere, recepta ab eo prius idonea cautione, vt ſi ad pinguiorem fortunam deuenerit, debita prædicta perſoluat. Eſt autem *cautio iuxta Aſtenſem generale nomen omnium ſecuritatum; nomine verò cautionis idoneæ intelligitur promiſſio fideiuſſoria, vel pignoratiua, vel ſaltem iuratiua*. Talis autem ſi ad pinguiorem fortunam deueniat, ſoluere debet non in totum, ſed ſecundùm ſuum poſſe (habita ratione) ne egeat, quia non eſt fraudandus alimentis quotidianis, vt dicit ibi gloſſa. Non licet tamen, ait Scot. alicui ſtatum ſolemnem tenere de bonis alienis.

Difficultas tamen eſt, An ſi vterque ſit in extrema neceſſitate, in tali caſu ſit res Domino extremè illa indigenti, reſtituenda, & ratio dubitandi eſt, quia quilibet magìs debet diligere vitam ſuam corporalem, quàm proximi.

Reſp. Scot. Si vterque ſit in extrema neceſſitate, & primus deuenerit ad iſtam neceſſitatem, vel ambo ſimul, debet reddi domino, quod ſuum eſt, & ratio allata habet locum; dum non iniuſtè conſeruetur, cuſtoditio autem vitæ in tali caſu de re aliena, eſt iniuſta; quia ipſum iniuſtè occidit ſubtrahendo quod ſibi neceſſarium eſt; ſic latro magìs debet ſuſtinere ſuſpendium, quàm occidere ſuſpendentem vt euadat; quia dilectio vitæ corporalis iniuſtè cuſtoditæ non eſt dilectio ordinata. Sed nunquid ſi detentor in primo caſu, poſt primam neceſſitatem extremam, veniat ad pinguiorem fortunam tenetur reſtituere æquiualens, ſicut dictum eſt ſupra de impotente.

Reſp. Scot. quòd ſi priùs ipſam rem occupauerit, quàm eſſet in tali neceſſitate, quia talis occupatio rei alienæ fuit iniuſta, quapropter obligatio ad reſtituendum, licèt ſit ſo-

pita per extremam neceſſitatem, non eſt tamen extincta: ſed ſi nunquam ante extremam neceſſitatem occupaſſet, tunc ſimpliciter iuſtè occupaſſet vt rem ſuam, nec ad aliquam reſtitutionem tenetur.

QVÆSTIO VII.

Quo ordine, & quibus expenſis facienda eſt Reſtitutio.

NOt. Quòd de prima parte præſentis quæſtionis aliqua dicta fuerunt in diſp. de teſtam. agendo ad quid teneatur hæres; at hic pleniùs huiuſmodi difficultas reſoluenda eſt. Et quidem certum eſt apud omnes, quòd ſi debitor habeat in bonis, quantum ſatis eſt, adeò, vt omnibus, & ſingulis creditoribus ſatisfacere valeat, nullus determinatus ordo in facienda reſtitutione eſt neceſſarius. Quòd ſi bona eius non ſufficiant, conueniunt Doctores, omnia debita certa priùs ſoluenda eſſe; hoc eſt quorum domini cognoſcuntur, quam incerta, quia illa iure naturæ dominis debentur, hæc autem iure tantum poſitiuo pauperibus eroganda. Ex debitis autem certis priùs reddenda ſunt illa, quæ extant, vt depoſita commodata, locata, & ablata &c. & ex debitis certis; ſed ſi res non extant, priùs ſunt ſoluenda ea, quæ priuilegiata dicuntur vt dos vxori &c. deinde alia, quæ ſunt antiquiora *iuxta reg. iuris qui prior eſt tempore, potior eſt iure*. Quæ regula exceptionem admittit ſecundùm aliquos, vt ſi quis creditorum grauem neceſſitatem patiatur, alijs præferri poſſit, etiam antiquioribus; ſic enim charitatis ordo in tali caſu poſtulat. Item inter debita, quæ ex titulo oneroſo oriuntur, illa pro quibus res aliquæ per hypothecam, vel pignoris contractum obligantur, præferenda, & ſoluenda ſunt ante alia debita perſonalia; & ratio eſt, quia creditor, cui res aliqua obligatur per prædictos contractus præter ius perſonale, quod in perſonam debitoris habet, habet inſuper ius quoddam in re obligata, vt ex illa in particulari ſibi ſatisfacere poſſit, quod ius alijs creditoribus non competit. Quando autem plures creditores in eadem re huiuſmodi ſecuritatem habent, qui habet expreſſam hypothecam præferendus eſt illis, qui tantùm tacitam habent, & denique quando cætera ſunt paria præfertur

tur

tur antiquior iuxta regulam iuris, iam allatam. Cæterùm in reliquis debitis ſoluendis ſeruandum eſt ius municipale, ſeu particulare Locorum, ſi tale ſit, vt iure naturæ non repugnet; ſi autem non extet aliquod ius particulare, ſequendum eſt ius commune: ità Doctores ferè omnes. Difficultas tamen eſt inter Doctores: an inter debita ex delicto, & contractu oneroſo ſit ordo ſeruandus in ſolutione, nam quidam affirmant, alij autem negant.

Concl. Nullus ordo in foro conſcientiæ ſeruandus eſt in reſtitutione facienda, ſiue debita ſint ex contractu licito oneroſo, ſiue ex delicto contracta. Ita ex noſtris Caſpenſ. Faber, & Maſtrius, qui affirmat, eſſe opinionem communiorem, & probabiliorem. Prob. Etenim neutrum ex iſtis debitis iure naturæ, aut poſitiuo præferri debet alteri, ſed priùs ſatisfaciendum eſt ei, qui eſt potior in iure; ille autem eſt potior in iure, qui eſt prior, & antiquior creditor: vndè ſi priùs tempore quis furatus eſt rem Titio, quàm contraxerit debitum cum Caio ex contractu oneroſo, ratio poſtulat, vt priùs ſatisfaciat Titio; quàm Caio, & è contra ſi priùs ex contractu debitum cum Caio contraxerit, quàm furatus ſit rem Titio, priùs reſtituere debet Caio, quàm Titio. Neque fundamentum opinionis oppoſitæ obſtat, nempe quòd ſi quis furatus eſt Titio centum, & Caio quinquaginta, Titius præferendus ſit ratione maioris iniuriæ, quia maior iniuria abſolutè loquendo videtur fieri creditori ex contractu, quam ex delicto, eò quòd debitor vltra iniuſtitiam retinendi rem alienam, etiam contra virtutem fidelitatis operatur, quia promiſit in contractu ſoluere, & non ſoluit. Nihilominus opinio oppoſita, quam docent D. Bonau. D. Thomas, & quamplures alij mihi videtur æque probabilis.

II. Concl. Quod debetur alteri ex ſola re accepta, & non ex iniuſta acceptione reſtitutio debet fieri expenſis domini; quia cum debitor nullam comiſerit culpam, non tenetur ad vllam expenſam: ita Scot. loc. cit. at ſi res ſit debita ex iniuſta acceptione, eſt reſtituenda expenſis debitoris in loco, vbi dominus pro tunc erat rem debitam poſſeſſurus; ratio eſt, quia dominus rei ex delicto furis, ſeu malæ fidei poſſeſſoris non debet reportare damnum, & incommodum expenſarum, tunc quia qui alterum damnificat iniuſtè, te-

 ne-

netur eundem indemnem reddere; ita communiter Doctores ex Scot. qui cum eodem aduertunt, quòd ſi expenſæ ad reſtitutionem neceſſariæ eſſent magnæ, nempe duplo, vel triplo maiores, quàm res ipſa reſtituenda, tunc ex rationabili interpretatione voluntatis domini, ſi nulla fuerit ſpes ad reſtituendum ob longam domini abſentiam, poterit illa dari conſanguineis in hæreditate ſucceſſuris, vel pauperibus, vt dictum eſt in quæſt. antecedenti: Verum ſi expenſæ non excederent valorem rei, deberet reſtitui expenſis debitoris, qui ſibi imputare debet ob culpam commiſſam huiuſmodi damnum; ſic enim ratio expoſcit, & contrarium oſtendit de expenſis excedentibus rei valorem, etſi quamplures Thomiſtę abſolutè aſſerant reſtitutionem eſſe faciendam expenſis furis, licet eſſent maiores ipſius rei valore,

QVÆSTIO VIII.

Quibus de cauſis poſsit quis iuſtè excuſari à Reſtitutione facienda, vel omninò, vel ad tempus.

NOt. Quòd plures, & diuerſæ cauſæ, quibus quis excuſari poteſt a reſtitutione facienda aſſignantur à Doctoribus, & ſignanter Diana p. 11. tract. 6. reſ. 20. duodecim cauſas à reſtitutione excuſantes enumerat; nos breuitati intenti omnes fere tangemus.

I. Concl. Prima cauſa ex parte debitoris à reſtitutioni excuſans eſt, quando actualis reſtitutio eſſet in præiudicium Reipublicæ, vel ipſius damnificati, quod Doctores explicant exemplo illius, qui apud aliquem depoſuit arma propria, & poſtea factus inſanus ea repetit, vt aliquem occidat, aut lædat: ratio autem, cur differri poſſit reſtitutio ob graue damnum alteri, vel etiam ipſi creditori euenturum, adducta eſt in ſuperiori quæſtione. Dubium tamen mouent Doctores; an debitor peccet contra iuſtitiam, quando creditori exigenti reſtituit illi rem debitam præuidens dictum creditorem ea abuſurum in damnum proximi; cui dubio negatiuè reſpondent Molina, Faber, & alij dicentes, peccare tantùm contra charitatem, & conſequenter ad reſtitutionem non teneri: affirmatiuè tamen reſpondet Bonacina cum alijs pluribus, vt refert Maſtrius,

ſtrius, qui hunc dicendi modum, velut probabiliorem approbat.

II. Concl. Excuſatur quis à reſtitutione, non ſolùm quando eſt in extrema, vel graui neceſſitate, ſed etiam quando reſtitutio redundaret in graue detrimentum debitoris, ſiuè corporale, ſiue ſpirituale: vndè ſi quis hìc, & nunc non poſſit reſtituere centum, niſi v.g. vendendo equum pro centum, qui valet ducentis, poteſt differre reſtitutionem, etſi id in foro externo non admittatur, ne omnes ſic ſe excuſarent. Similiter excuſatur ob notabile detrimentum famæ, aut honoris, quod tamen, vt plurimùm caueri poteſt reſtituendo per Tertium, & inſuper ob damnum notabile debiti ſtatus, quod ſuprà indicatum fuit in maxima Scoti, & idem docent D. Thomas, Valentia, & alij, quæ omnia locum habent, niſi creditor æquale, vel ferè æquale damnum pateretur ob dilationem reſtitutionis; quia ſicut nemo ex alieno poteſt iuſtè diteſcere, ità nec poteſt ex alieno proprijs incommodis cum damno creditoris conſulere.

III. Concl. Excuſatur quis à reſtitutione ob ignorantiam iuris dubij, aut facti: hæc videtur communis; vndè ait Rodriquez. Quamuis hæredi per vnum teſtem etiam omni exceptione maiorem conſtet, aliquid eſſe legatum à teſtatore; nihilominus illum non teneri id alteri præſtare, ſi res ſit alicuius momenti; quia vnius hominis teſtimonium non facit, quòd res non ſit dubia; in dubio autem melior eſt conditio poſſidentis. Sed quid ſi certum ſit de debito, incertum verò tam debitori, quàm creditori de ſolutione, de qua vterque dubitat? aſſerunt nonnulli, ſolutionem certam eſſe faciendam, alij negant. Verùm Diana part. 11. tract. 5. reſ. 27. exiſtimat, tunc videri conueniens, vt inter ſe rem componant.

IV. Concl. Excuſatur quis à reſtitutione ex iudicis ſententia; ratio, quia in aliquibus caſibus iuris, iudicis auctoritas à reſtitutione in cõſcientia excuſat, vt quando iudex ex ſententia in pœnam creditoris abſoluit debitorem à reſtitutione, caſu, quo creditor affeciſſet iniuria debitorem: item quando quis ex iudicis ſententia ſecundùm allegata, & probata beneficio, vel officio priuatur, & alteri datur; tunc enim iſte ab obligatione reſtituendi excuſatur, etiamſi ſciat, ſententiam illam reuerà fuiſſe iniuſtam, dummodò

tamen ipſe non fuerit cauſa talis ſententiæ: ratio eſt, quia bona publica diſpoſitioni Reipublicæ ſunt ſubiecta, ergo cum iudex ſecundum allegata, & probata poſſidentem priuat huiuſmodi bonis, & alteri adiudicat, iſte manet in conſcientia tutus. Secùs verò dicendum de bonis perſonæ particularis, quæ ſi eſſent per ſententiam iudicis alteri adiudicata; & reuerà ſententia lata ſecundùm allegata, & probata eſſet iniuſta, priuatus poterit tuta conſcientia ſecretò de talibus bonis; & poſſidens non ignorans ſententiæ iniuſtitiam, in foro conſcientiæ ad reſtitutionem tenetur: ita diſcurrit Maſtrius cum Caſpenſi, & pluribus alijs in Theol. moral. diſp. 7. q. 3. art. 3.

V. Concl. Excuſatur quis à reſtitutione ob ingreſſum, & profeſſionem in Religione: ita D. Thom. & omnes communiter, etſi mortaliter peccet, ſi aliquo modo ſoluere poterat debita. Ratio eſt, quia per profeſſionem fit incapax ad ſoluendum. Nihilominùs Doctores paſſim tradunt, quòd ſi poſt ingreſſum adhuc poſſit ſatisfacere per laborem honeſtum, teneatur ſatisfacere, habito Superioris conſenſu; quem tamen conſenſum iuxta plures probabiliter Superior præſtare non obligatur; & multò minùs Monaſterium reſtituere pro tali Religioſo. Hinc eſt, quod *Pius V. irritat profeſſionem eius, qui eſt grauatus ære alieno; cuius tamen ordinationem temperauit Clemens VIII. ita vt eius profeſſio ſit quidem valida, ſed non licita*. Inſuper ad cauſas excuſantes à reſtitutione reduci poſſunt præſcriptio, de qua ſuo loco dictum eſt, quomodo tollat obligationem reſtituendi; item compenſatio Creditoris ex bonis debitoris; qualiter autem fieri debeat compenſatio infra dicetur. Item quando, ignorato Domino, facta eſt pauperibus, etiamſi applicata fuerit ſibi ipſi indigenti; vt quidam volunt. Item ceſſio bonorum auctoritate publica, ac iure ciuili introducta in fauorem pauperum debitorum; de qua pariter ſuo loco agetur.

Verùm adhùc ſupereſt grauis difficultas. An quis reſtituere teneatur cum graui iactura ſui honorifici ſtatus, qui ſine diuitijs conſeruari nequit.

Reſp. iuxta prædictam Scoti doctrinam cum Maſtrio, Caſpenſi, Caietano, & alijs communiter; quòd ſi talis ſtatus ſit via indirecta acquiſitus, v. g. per vſuras, & contractus illicitos, bona aliena ſunt reſtituenda, etiam cum amiſ-

ſione

ſione ſtatus acquiſiti; ſiquidem vt aiunt Caiet. Azorius, Bonac. Caſpenſ. & alij; debitor reſtituendo non cadit à proprio ſtatu, ſed reuertitur ad priſtinum ſtatum, quem antea habebat, immò tantùm abeſt, vt reſtituendo à proprio ſtatu cadat, vt potius non reſtituendo tranſeat ad alienum ſtatum: Si verò ſtatus honorificus alia via acquiſitus fuit iuſta, & licita, & ex caſuali amiſſione aliorum bonorum contingat aliena bona iam non poſſe reſtitui ſine iactura ſtatus honorifici, in quo erat conſtitutus; tunc licitè differri poteſt reſtitutio partis illius, quæ ad conſeruationem talis ſtatus neceſſaria erit, quia vt ſupra dictum eſt cum Scoto, nullus tenetur ad reſtitutionem cum maiori damno ſuo, quàm creditor patiatur ex dilatione reſtitutionis; & ille, cui reſtitutio fieri debet, ſecundùm rectam rationem magis velle debet, quòd vitetur magnum incommodum proximi reſtituentis, quàm modicum, vel nullum ſui incommodum ex modica dilatione: quæ doctrina, vt ait Caſpenſ. de reſtit. diſp. 1. ſect. 13. notanda eſt pro multis Nobilibus, qui in vanos ſumptus bona ſua conſumunt, & à debitorum ſolutione excuſari volunt, dicentes ſe id habere neceſſarium ad congruam ſui ſtatus conſeruationem, & ſuæ dignitati debitam, qui abſoluendi non ſunt, niſi ab his vanitatibus abſtineant, & propoſitum mutent diminuendo victum, & veſtitum ſui, & familiæ, ac familiarum, dotem minuendo, vt paulatim reſtituere poſſint, ſic enim recta ratio dictare videtur, ne creditores tantum patiantur detrimentum.

Quæres amplius: An remiſſio creditoris à reſtitutione excuſet. Reſp. cum Pitigiano in 4. d 15. q. 3. & Fernandez in examine theol. moral. p. 1. c. 12. §. 10. quòd tres conditiones exiguntur ex communi Doctorum ſententia, vt remiſſio creditoris excuſet. Prima, vt ſit libera; ſecunda non coacta; tertia, neque per dolum, nec per fraudem, aut metum extorta; tunc enim non eſt voluntaria. Cenſetur autem coacta ea, qua quis remitteret debitum, quia debitor nolit alteram partem ſoluere, niſi creditor partem remittat. Cenſetur extorta per fraudem, aut dolum ea, qua quis remitteret, quia debitor fingit ſe non habere, vndè ſoluat, vt creditorem decipiat, & ad condonandum moueat. Cenſetur deniquè remiſſio extorta per metum ea, qua pauperes

tenues, & ignobiles viri nobilioribus dominis, potentibus debita remittunt, quia illos timent, ac reuerentur propter diuitias, potentiam, officia, dominationem, vt ſic redimant ſe à vexatione. Inſuper poteſt quis ſe liberare à reſtitutione ob virtualem remiſſionem ſeu implicitam & interpretatiuam voluntatem remittendi, qualis cenſenda eſt voluntas mariti aduerſus adulterum occultum; parentum aduerſùs ſtupratorem occultum filiæ; nobilium aduerſùs diffamatorem occultum; dominorum aduerſùs ſeruos furantes poma, racemos, & alia edulia domi, vel in agro. Satis etiam videtur ad hanc virtualem remiſſionem, & talis damni dati liberationem affectus, ſiue amor hominis damnificati aduerſùs damnificantem probabilibus indicijs confirmatus, quòd ſi ſciret talem fuiſſe, nequaquam ſibi vellet fieri reſtitutionem; quam doctrinam docent etiam Medina de reſtit. q. 3. Nauar. cap. 17. & ſequitur Toler. lib. 4. de reſtit. cap. 4. indicatque Scotus in doctrina ſuperiùs poſita.

DISPVTATIO IX.

De Reſtitutione in particulari; & primò de iniuria per homicidium, vel mutilationem; ac proindè quid ob talem iniuriam ſit reſtituendum.

QVÆSTIO I.

Vtrum liceat ſe, vel alium occidere.

NOt. ex Ariſt. lib. 7. Polit. cap. 1. & ex Scoto q. 3. quòd bona hominis in triplici ſunt differentia; quædam enim ſunt bona ſpiritualia, quæ nimirum ad animam pertinent, ipſamque perficiunt; quædam ſunt corporalia; quæ propriè ad corpus pertinent; quædam denique ſunt bona externa, & fortunæ: vndè Doctor loc. cit. diſt. 15. q. 3. §. Reſpondeo, agendo de bonis perſonæ humanæ docet, quòd bona Animæ, alia ſunt ei connaturalia, & ſubſtantialia, vt intellectus, & voluntas; alia ſunt bona animæ acquiſita, qualia ſunt actus, & habitus, & omne id, quo dicimur bene operari; ſiue habitus ſint infuſi, ſiue acquiſiti; In pri-

primis non poteſt homo damnificari, cum ſint identificata Animæ, ac proinde immortalia: in ſecundis poteſt damnificari; & quidem non ſolùm in acquiſitis, ſed etiam in acquirendis; quatenus impeditur eorum acquiſitio, vt patet de vitijs, & peccatis, quibus virtutes acquiſitæ corrumpuntur, & vitia generantur, & virtutes, quæ ex actibus bonis generari poſſent, impediuntur. Bona autem corporis ſunt plura; in primis vita corporalis, membra ipſius corpòris, integritas, & ſanitas eiuſdem, quorum læſiones ad duo capita reduci poſſunt; ad primum ſpectant læſiones, quæ inferunt damnum vltimum, & irreparabile, vt mortem, vel mutilationem membrorum, aut vulnerationem talem, vndè redditur quis inutilis ad exercitium operationum naturalium ſibi debitarum: ad ſecundum pertinent læſiones citra mortem, & mutilationem mox dictam; & ſunt vulneratio, aut debilitatio organi, vel membri curabilis, nec in toto tollens operationem naturalem, ſed aliqualiter eam impediens; ad idem reducuntur verbera, iniqua detentio in carcere, in ſeruitute, aut alio ſimili modo; hic autem de damno in bonis corporis eſt primò agendum, de cæteris agetur in ſequentibus diſputationibus.

Not. 2. Quod Homicidium eſt iniuſta hominis occiſio; vndè quod à priuata auctoritate fit, non ſeruato moderamine inculpatæ tutelæ, vel à publica, non ſeruata debita juſtitia, & iuris ordine, eſt iniuſtè factum. Homicidium diuiditur primò in ſpirituale, & corporale; hoc autem diuiditur (nam de illo non eſt hìc ſermo) in homicidium à propoſito, inſidioſum, & proditorium. Primum eſt idem, quod vulgò dicitur à caſo penſato, nempè quod longo tempore præmeditatum probatur, *& cenſetur caſo penſato, ſi poſt* 24. *horas ab accepta iniuria fiat, vt paſſim Legales aduertunt, & ſignanter Clarus l.* 5. *ſent. §. homicidium*. Homicidium inſidioſum eſt, quod fere ſemper coniunctum habet dolum, & fraudem, puta cum aliquis in loco occulto alium expectat, illumquè occidit: vel inſidioſè, fictè, & ſimulatè in domo, in quam eſt vocatum, interficit. Proditorium deniquè eſt, quod committitur, nulla alia intercedente iniuria, nullo odio, nulla rixa præcedente; v. g. qui ſocium itineris interficit, vel fingens ſe amicum, occidit: ita D. Bonau. in ſpecul. Ani. cap. 1. *Bartholus l. reſpiciendum §. delinquunt n.* 1. *ff. de pœnis; & Clarus l.* 5.

I. Concl.

I. Concl. Nunquam eſt licitum ſeipſum directè, ſeu ex indirecta actione ſe occidere, niſi Dei auctoritate fiat: prima pars patet ex præcepto: *Non occides*, quo prohibetur cuiuslibet hominis iniuſta occiſio; ac proinde ſui ipſius, quia vt in diſp. de dominio dictum eſt, homo non eſt dominus ſuæ vitæ, & membrorum, ſed Deus, & ſolùm habet ius cuſtodiendi vitam ſuam, eaquè vtendi; & ſuis membris: 2. pars pariter conſtat: quia cum Deus ſit Dominus ſupremus, poteſt, prout ſibi placet, aliter præcipere, vel diſpenſare; vt legitur de Sampſone, & de nonnullis martyribus, qui ſe ipſos occiderunt ex diuina inſpiratione; ac proinde Dei auctoritate; vt tradit D. Aug. Vel vt quidam Doctores putant ex ignorantia inuincibili; & ſic ab omni culpa excuſantur, cum mortem ſubierint pro fide catholica, & tyrannide Paganorum compulſi, & conſequenter iuxta moralem æſtimationem cenſentur à tyrannis occiſi; dum Eccleſia ipſa approbat eorum martyrium publico cultu. Hinc deducitur à multis Doctoribus, eſſe prorsùs illicitum ſe, vel alium caſtrare; etſi plures alij excuſent parentes; & alios à peccato mortali, ea ratione, quod praxis eſt in contrarium, & Eccleſia huiuſmodi caſtrationē non prohibet. Cæterum indubie nemini licitum eſt ſeipſum mutilare; niſi id faceret ad conſeruandam vitam; non ſolùm ſi membrum toti corpori eſſet ratione morbi damnoſum; ſed etiam in caſu, quo quis detentus in carcere manum ſibi amputaret, vt ſolueret catenas, & ſic euaderet mortem; quia in talibus caſibus rationabiliter pars poſtponitur ſuo toti.

II. Concl. Licet quandoque ſe indirectè occidere, ideſt cauſam dando ſuæ morti, faciendo vel omittendo aliquid vnde mors ſequatur; dummodo cauſa ſit iuſta: ita Herincx; Aretinus; Maſtrius, & alij paſſim. Hinc Reus, qui poteſt ex carcere fugere non tenetur ad fugam; immò poteſt ſe offerre iuſtitiæ, vt ſui delicti pœnas perſoluat. Item iuxta plures poteſt quis in naufragio tabulam alteri cedere, per quam poſſet mortem euadere: Similiter poteſt quis ignem inijcere in puluerem tormentarium, ne nauis, in qua eſt, capiatur ab hoſtibus; licèt certum ſit, & ſe, ac ſocios fore occidendos: item poteſt aliquis ſe obijcere telo directo in Principem; in peſte alijs ſeruire. Ratio omnium eſt, quia in illis circumſtantijs non mors, ſed alius honeſtus finis inten-

tenditur; ac proindè mors eſt omninò præterintentionalis. An verò Reus poſſit, immò teneatur ſumere venenum, ſi ad hoc iuſtè ſit condemnatus, variant Doctores; nec apparet ratio conuincens, quin vtraque pars ſuſtineri poſſit; quia venenum ſumere; videtur reduci ad actionem indirectam. Cæterum improbabile cenſetur à Tatareto, & Aretino, Iudicem poſſe condemnare Reum, vt ſeipſum occidat; quicquid dicant nonnulli.

III. Concl. Nunquam licitum eſt directè occidere alium, idelt innocentem; *Eſt de fide, vt conſtat ex præcepto: Non occides:* & ratio eſt euidens; quia neque Reſpublica, neque quiuis alius habet dominium in vitam alterius; ergo &c. Quandoque tamen indirectè id licitum eſt, & quidem primò dum iniuſtus inuaſor vtitur puero pro clypeo, quatenus ſuo ictu impedito, ipſe te occidat; tunc enim poteſt puer, & inuaſor occidi, ſi aliter non poteſt ſe defendere, quia talis ictus indirectè ab inuaſo dirigitur in puerum; & directè in inuaſorem iniuſtum. Secundò poteſt incendi Domus, Nauis, Turris in qua ſunt inimici, etſi tali incendio occidantur innocentes ibi commorantes, ſuppoſita tamen belli iuſtitia, vt ſupradictum eſt.

QVÆSTIO II.

Vtrum liceat interficere inuaſorem iniuſtum.

NOt. Quòd Alex. III. *In cap. Si verò de ſent. excom. & Paulus I.C. in l. ſcientiam §. qui cum aliter ff. ad l Aquil. teſtantur; vim vi repellere, omnes leges, omniaque iura permittere;* & vtrumque ius ſapienter hanc vis, & iniuriæ propulſionem temperarunt, declarando id fieri debere cum moderamine inculpatæ tutelæ. Hoc autem moderamen, vt notat Staccius *in Inſtit. ciuil. lib. 1. de iure natural. & Gent. Tit. 2. §. quod verò, & de iure canon.* circa quatuor conſiſtit. Primò circa ordinem actus requiritur, vt præcedat offenſa, vel ſaltem iuſtus timor offenſæ. Aggreſſor enim cenſetur non ſolùm, qui ſtricto enſe euaginato gladio actu aggreditur, ſed etiam ſatis eſt ſi armis ſe præparet, vt v. g. arcum tendat, ſclopetum paret, vel ex ſimilibus circumſtantijs euidenter, & rationabiliter agnoſcatur ſaltem moraliter, velle me inuadere, ſi alia

via

via euadendi non ſuppetat. 2. circa modum requiritur æqualitas armorum,& quòd defenſio ad offenſionem ſit proportionata; nam qui inermes armis, aut telo petentem arcu perforato repellit, defenſionis modum excedit *Gloſſa, & DD.in l.1.C. vnde vi*; dummodo tamen poſſim euitare periculum offenſionis cum æquali actu &c. 3. circa tempus requiritur, vt confeſtim,& incontinenti durante rixa,& æſtuante ira vis iniurioſa repellatur; quia *ex interuallo ad vltionem potiùs facta cenſetur, quod iura non permittunt cap. Si verò de Sent. excom. & l.3. §. cum igitur ff. de vi armat.* 4. circa cauſam requiritur vt defenſionis, non vindictæ cauſa repulſio fiat, hoc eſt, vt tanta ſit repulſio, quanta eſt neceſſitas defendendi; quare percuſſus, licet incontinenti pari telorum genere, & æquo marte repercutiat, tamen hoc facere non debet ad vindictam, ſed ſolùm ad vitandas alias percuſſiones; ideò ſi aduerſarium retrocedentem, vel fugientem percutere pergit, non propulſare, ſed vindictam facere cenſetur, quod iura non permittunt: *Bartol. & Doctores in l.1. n. 10. C. vnde vi*. Idem dicendum eſt, ſi proſtrato inimico ad terram, poteſt euitare percuſſionem ſui cum plena vitę ſecuritate *iuxtà Bald. in d. l. 1. quæ doctrina eſt communiter recepta etiam à Theologis.*

I. Concl. Licitum eſt occidere inuaſorem iniuſtum vitæ ſuæ, adhibito moderamine inculpatæ tutelæ. Hæc ęſt certa ex vtroque iure; eſt tamen contra Auguſt. de Ancona, qui, vt refert Pitigianus in tract. de poteſtate Eccleſiæ, aſſerit occidere inuaſorem non eſſe licitum. Solùm difficultas eſt inter Doctores: an inuaſus poſſit intendere mortem inuaſoris: & prout mihi videtur, apparet quæſtio de ſolo nomine; ſeu potiùs de terminorum intelligentia; nam ij, qui tenent poſſe inuaſorem intendere mortem inuaſoris; dicunt, id poſſe intendi tanquam medium ad vitæ defenſionem, quod idem eſt dicere indirectè. Sic enim loquitur Rodriquez cum noſtro Corduba, & alijs: Poteſt prætendere ex propoſito mortem contrarij ſui, non tanquam finem principalem, ſed tanquam medium neceſſarium ordinatum ad ſui defenſionem; & idem proportionaliter dicendum de conſeruanda integritate membrorum; hoc eſt, ne ab alio mutiletur.

II. Concl. Licitum eſt occidere inuaſorem vitæ proximi innocentis. Prob. Etenim ſicut poteſt quis ſe defendere con-

contra Inuaſorem iniuſtum ; ità & alterum Innocentem, quod *confirmatur exemplo Moyſis, qui in defenſionem Iſraelitæ Ægyptium interfecit*. Verum adhoc nemo obligatur cum graui ſuo periculo, ſeu damno, niſi forte alicui ex officio cura incumbat ad vitam tuendam innocentis, prout v. g. incumbit Principi, & Magiſtratui, ad quod tamen nec iſti tenentur cum periculo vitæ propriæ : ita communis ſententia.

III. Concl. Licet occidere inuaſorem, etiamſi fuerit prouocatus ex iniuria graui illata e. g. vxori, imò etiamſi inuaſus ſit adulter : ita ex noſtris Rodriquez, & Villalobos cum alijs contra Nauar Caiet. & nonnullos alios.

Prob. Qui prouocauit alterum graui iniuria, verbis, vel factis, etiam violando eius vxorem, licet iniuriam fecerit, non tamen amiſit ius defendendi propriam vitam tum quia maritus adulteræ, vel alius priuata auctoritate inuadit, ideoque illicitè. Quòd ſi adulter eſſet Clericus irregularitatem non incurret iuxta Sayr. & Leſſium, ſed de hoc alibi. Sicut delinquentes a miniſtris iuſtitiæ prouocati, ſeu aggreſſi modo iniuſto, iuſtè poſſunt ſe defendere : maximè ſi adulter, ſeu quiuis alius ſit in peccato mortali, quia, vt ait etiam Bannes ; tunc ius naturale dictat, etiam maius bonum præferendum licere.

IV. Concl. Non licet viro nobili aliquem occidere ad conſeruandum honorem, eò quia calumniam nititur inferre. Hæc videtur certa ex damnatione huius propoſitionis ab Innoc. XI. damnatæ. quæ eſt 30. in ordine. *Fas eſt viro honorato occidere inuaſorem, qui nititur calumniam inferre, ſi aliter hæc ignominia vitari nequit*. Ratio eſt euidens, quia, etſi iniuria ſit grauis, tam in ſe ſpectata quàm reſpectu viri nobilis, poteſt tamen ſemper alia via repelli, quàm occiſione, quæ cum excedat notabiliter moderamen inculpatæ tutelæ, apertè repugnat charitati. Hinc patet falſitas etiam alterius partis eiuſdem propoſitionis damnatæ ; vbi dicitur. *Idem quoque dicendum, ſi quis impingat alapam, vel fortè percutiat, & poſt impictam alapam, vel ictum fuſtis fugiat*. Nam, prætterquam quòd ſic agere, ſeu defendere ſe ſit manifeſtus exceſſus in moderamine inculpatæ tutelæ, eſt potiùs vindicta, quàm defenſio, maximè ſi iniuria ſit iam obiecta, & illata ; tunc enim nequit deleri, & tolli per ſubſequentem occiſionem a calumniato factam, immò vt ſupra indicauimus,

ma-

manifeſtè apparet id feciſſe non ad iniuriam propulſandam, ſed ad vindictam. Neque vlla ratione oſtendi poteſt id eſſe licitum ob honoris conſeruationem. Sanè nemo Chriſti fidelis cenſetur honorem amittere, vel aliquam honoris maculam contrahere, eò quòd non occidat, vel grauiter percutiat calumniantem, vel percutientem poſt alapam impictam ad percutiendum non inſequatur; ſed potius ab omnibus Chriſtianè ſentientibus dignis laudibus commendabitur, quòd patientia talem calumniam ferat, vel ſolis verbis æquiualentibus illam repellat; vndè *Andreas Gail. obſeruat. 100. n 8. meritò inquit, oppoſitum dicentes, politicè magis, quàm Chriſtianè docere.*

V. Concl. Licitum eſt occidere iniuſtum inuaſorem bonorum noſtrorum temporalium, cum hac tamen triplici limitatione, vt notat Mattrius cum Amico, & alijs. Prima, vt defenſio ſit pro re magni momenti, vel ad ſuæ, ac ſuorum vitæ neceſſariam ſuſtentationē: 2. vt non ſit aliud medium furata recuperandi; vndè ſi fur viuus capi poteſt, non eſt occidendus, etſi poſt furtum poſſunt ablata alio modo recuperari, non ſunt recuperanda cum morte furis: 3. vt id fiat incontinenti, non interuallo temporis; vt quando cæpta inuaſio continuatur, vel fur cum furatis bonis fugiat: tunc enim fugiens ſclopo, vel ſagitta feriri poteſt ad propria bona recuperanda, ſi periculum ſit, ne ea occultet, vel conſumet; quòd ſi iam in domum ſe recepit, vel ad alia negotia diuertit, non licet eum amplius occidere, ſed adhibenda ſunt media per iuridicam actionem. Hæc concluſio ſic limitata eſt fere communis; & probatur ex Sac. Scrip. Exod. 22. quem locum adducit etiam Scotus. *Si effringens fur domum, ſiue ſuffodiens, inuentus fuerit, & accepto vulnere, mortuus fuerit, percuſſor non erit reus ſanguinis, & etiam conſtat ex cap. Olim de reſtit. Spoliatorum, & ex cap. Directo de cenſura excom. in 6.* Ratio quoquè ſuffragatur, quia, vt omnes tradunt, licita ſunt bella pro defenſione bonorum externorum, non ſolùm defendendo, ſed etiam offendendo, vt dictum eſt ſuo loco; & patet ex communi praxi, & Sac. Scrip. Tum quia bona externa ſunt, vel ad vitæ ſuſtentationem, vel ad ptoprium ſtatum neceſſaria: ergo licitum eſt ea ſeruare etiam cum damno, & læſione raptoris. Quæ rationes militant etiam de Eccleſiaſticis; etſi nonnulli contradicant,

cant, ex eo, quod *habetur cap. Suſcepimus de homicidio: Satià eſt poſt tunicam, relinquere pallium, quam pro rebus tranſitorijs tam acerbè in alium exardeſcere:* communior tamen, & probabilior opinio eandem rationem affirmat, habere locum tam in laicis, quàm in Clericis; cum omnibus licitum ſit iure naturæ vim vi repellere, non ſolùm à propria vita, ſed etiam ab ijs, ſine quibus ſimpliciter, vel commodè vita ſuſtineri nequit. Quarè reſpondetur dictum cap. ſeù alia iura in contrarium intelligenda eſſe, quando non ſeruatur moderamen inculpatæ defenſionis, vt notant paſſim Doctores ſuper idem cap. Hinc iure quidem meritò Innoc. XI damnauit ſequentes propoſitiones. Prima eſt 31. inter damnatas. *Regulariter occidere poſſumus furem pro conſeruatione vnius aurei.* Secunda. *Licitum eſt tam hæredi, quàm legatario contra iniuſtè impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata ſoluantur, ſe taliter defendere, ſicut & ius habenti in cathedram vel præbendam contra eorum poſſeſſionem iniuſtè impedientem:* eſt 33. in ordine. Tertia. *Non ſolùm licitum eſt defendere defenſione occiſiua, quæ actu poſſidemus, ſed etiam ad quæ ius inchoatum habemus, & quæ nos poſſeſſuros ſperamus:* eſt 32. in ordine.

Arg. cont. 1. Concl. Quilibet plus tenetur, vt dictum eſt in diſp. de Charit. diligere vitam ſpiritualem proximi, ideſt ipſius animæ ſalutem, quam vitam corporalem propriam: ergo ad propriam vitam ſeruandam non licet occidere iniuſtum inuaſorem, qui indubiè eſt in ſtatu peccati mortalis. Reſp. in primis, quòd nequè ipſe inuaſus fortè poteſt eſſe certus, an ſit in gratia. Inſuper nullus ex vi præcepti charitatis tenetur ſuam vitam corporalem exponere pro ſalute ſpirituali alterius, qui ſpontè, & ex mera ſua malitia ſe in periculum ſalutis conijcit. Itaquè ſolùm in extrema neceſſitate, à qua non poſſit proximus ſe liberare niſi noſtro auxilio, tenetur quis plus diligere vitam ſpiritualem proximi, quàm propriam vitam corporalem; vt loc. cit. oſtenſum eſt.

Arg. cont. 5. conc. Ordo charitatis præcipit, quòd diligamus magis corpus proximi, ſeu vitam, quàm bona noſtra temporalia; ergo non poteſt quis licitè occidere iniuſtum inuaſorem bonorum temporalium, etſi magni momenti.

Reſp. quòd ordo charitatis intelligendus eſt in caſu neceſſitatis, quando nimirum proximus non poteſt ſuam vitam

tam

tam ſeruare ſine bonis noſtris,non autem quando non eget, ſed ex propria malitia vult illa à domino eripere.

Quæres 1. An teneatur quis ad ſui defenſionem cum occiſione inuaſoris iniuſti.

Reſ. Noſtri Poncius, & Bontempo affirmant cum quibuſdam alijs ordinarie inuaſum teneri ſuam vitam defendere, etiam cum occiſione aggreſſoris, quam ſententiam amplectitur etiam Facundez, Salon. Farinac. vt refert Bontempo aſſerens eſſe ſententiam D. Bonau. in 3. d. 29. q. 4. Nihilominùs communis opinio contrarium docet; niſi ipſemet inuaſus ſit in peccato mortali, vel ſit perſona neceſſaria Reipublicæ. Immò S. Auguſt. & Ambroſ. docent ſæpe conſultum eſſe permittere ſui occiſionem.

Quæres 2. An licitum ſit mulieri occidere inuaſorem ſuæ caſtitatis. Reſp. cum Corduba, Rodriq. & alijs; quòd ſi mulier non poteſt alio modo ſe defendere, poteſt occidere aggreſſorem, maximè ſi non ſit certa, ſe non conſenſuram in actum peccaminoſum, quod in tali actu practico videtur moraliter impoſſibile fœminis ordinariæ deuotionis: ſecùs autem fœminis valdè perfectis, vt patet de martyribus, quæ intrepidè tyrannis reſpondebant duci ad lupanar duplicari ad coronam.

Quæres 3. An liceat priuata auctoritate Tyrannum occidere: & ratio dubitandi eſt, quia in Concilio Conſtantienſi diffinitur eſſe hæreticum aſſerere id priuatæ perſonæ eſſe licitum. Reſp. ex communi, quòd duobus modis aliquis dici poteſt Tyrannus; primò quia non eſt verus, & legitimus populi, ſeu Reipublicæ dominus, & Princeps, ſed eius principatum, & dominium iniuſtè occupat, & ſibi vſurpat: 2. etſi ſit verus princeps, tamen iniuſtè Rempublicam regit. Occidere Tyrannum in primo ſenſu eſt iuſtum, & licitum, quia nullum ius habet, neque eſt Princeps, ſed hoſtis contra Rempublicam iniuſtè vſurpatam; ac proindè quilibet de Republica poteſt illum licitè occidere, niſi talis occiſio cederet in maiora mala Reipublicæ. Occidere autem Tyrannum acceptum in 2. ſenſu non licet, quia hic habet verum ius, & dominium in regnum, ſeu ſtatum, etſi tyrannicè principetur. Cæterùm etſi priuato huiuſmodi Tyrannum occidere non liceat, attamen ſi Reſpublica, ſeu capita, & maiores eius iudicent vnanimi ſen-

ten-

tentia,vt ob eius exceſſus, mereatur deponi à dominio, & à miniſtratione, tunc auctoritate publica ſerit licitũ priuato talem Tyrannum occidere. Quòd ſi deponi non poſſit hac, vel ſimili via iuſta, tenentur ciues illi obedire in rebus honeſtis iuxtà illud 1. Petri cap. 2. *Serui ſubditi eſtote in timore dominis, non tantùm bonis ſed etiam diſcolis:* vndè de Tyranno in hoc poſteriori ſenſu accepto loquitur Concilium, vt paſſim notant Doctores.

Quæres 4. An liceat Reipublicæ innocentem occidere in caſu, quo Tyrannus aliquam ciuitatem vult deſtruere, niſi vel ciuitas ipſa innocentem aliquem occidat, vel tradat ipſũ Tyranno occidendum.

Reſp. Variant circa hoc Doctores; nam Sotus lib. 5. de iuſt. q. 1. cum quibuſdam alijs negat, hac ratione ductus, quòd ſit intrinſecè malum, & Reſpublica non eſt domina vitæ innocentis, alioquin ad communem ruinam vitandam poſſet Reſpublica tradere virginem à Tyranno ſtuprandam. At Caſpenſ. Poncius, Vulpes, Maſtrius cum alijs affirmant, eſſe licitum ea ratione ſuperiùs allata, quia tradere Tyranno innocentem occidendum non eſt directè, & per ſe occidere, ſed indirectè, quod redditur licitum, & honeſtum ob Reipublicæ conſeruationem. Vndè ratio in oppoſitum non releuat, cum maximum diſcrimen intercedat inter violationem virginis, & occiſionem innocentis; hic enim ſi occidatur à Tyranno non exponitur proximo periculo peccandi, ſicut exponeretur virgo: nemo autem, vel ob Reipublicæ conſeruationem, vel ob aliud bonum quodcumq; creatum tenetur ſe periculo proximo peccandi exponere.

Quæres 5. Ad quid tenetur homicida, qui alium occidit, & alteri imputatur. Reſp. Si non fuit cauſa iniuſtæ, & falſæ imputationis, non tenetur ad damna innocentis perſonalia, tenetur tamen ad damna reſtituenda hæredibus occiſi; tunc autem cenſetur cauſa,ex malitia falſæ imputationis, cum ex adiunctis circumſtantijs aduertit homicidium alteri imputandum, & ad hoc aliquid egit. Sed quid ſi is, qui ſciens innocentem minitatum fuiſſe mortem alicui, & ob eas minas nocte occidit, & minator inculpatur.

Reſp. ſi eo animo occidit, vt damnum inferret res eſt certa, quòd vt cauſa damni tenetur illud reſarcire. Si tamen

non eo animo, ſed temporis occaſione, & maiori opportunitate occidendi motus, negant quidam apud Rodriq. at affirmat Fernandez cum Toleto, quia illa præuiſio fuit voluntaria, ſaltem interpretatiuè, damni intentio, quæ ſatis eſt ad reſtitutionis obligationem; & hæc videtur in praxi ſequenda.

QVÆSTIO III.

Vtrum liceat Matri grauidæ ad ſaluandam vitam ſuam procurare fœtus Abortum.

NOt. Quòd Abortus ſic à Medicis definitur. *Eſt immaturi fœtus excluſio, ante debitum, ac legitimum tempus partus, id eſt ante ſeptimum menſem*: & dicitur Abortus, quia intempeſtiuè natus. Cauſæ autem, ex quibus naſci ſolet abortus ſunt plures, & variæ, inter quas ex communi ſententia Medicorum eſt emiſſio ſanguinis, maximè ſi ſit notabilis *iuxta Hypocr. lib. 5. aphor. 31. Mulier emiſſo ſanguine ex vena abortitur præcipuè ſi fœtus ſit maior eò quia per talem emiſſionem ſubtrahitur fœtui neceſſarium alimentum, cum ex ſanguine matris nutriatur fœtus per vmbilicum deductio*. Fallit tamen non rarò huiuſmodi ſanguinis emiſſio, vel ratione partis, ex qua emittitur, vel ratione robuſtæ complexionis mulieris, vel etiam ratione diuinæ punitionis ob peccatum grauiſſimum abortum procurantes: vndè inueniuntur non paucæ mulieres, quæ nequè venæ ſectionibus, nec purgationibus, nec alijs potionibus finem deſideratum aſſequantur, nolente Deo fœminas impudicas culpas culpis addere, teſte Cardoſo Medico in ſua Philoſophia libera lib. 6. q. 101. de abortu. Inſuper fœtus; alius dicitur animatus; alius inanimatus; animatur autem fętus iuxtà receptam ſententiam anima rationali, quando corpus eſt perfectè organizatum, idquè contingit in maſculis quadraginta diebus poſt conceptum fœtum, in fœminis verò paulò amplius; non enim mihi ſatìs probatur requiri 60. dies; immò aliqui Anatomici, teſte noſtro Bontempo, maſculo dant 30. dies; fœminæ dies 40.

Not. 2. Quòd Sum. Pontifex *Xiſtus V. edidit quamdam rigoroſam Bullam incip. Effrenatam, contra procurantes, conſulentes, aut auxiliantes abortum fœtus animati, vel inanimati, quam Greg. XIII.* re-

reduxit ferè ad terminos iuris communis, moderando eius pœnas, & præcipuè in duobus, vt inter alios notat Rodri. in q. p. regul. Primò quantùm ad reſeruationem excommunicationis Sedi Apoſt. decernens, quòd quilibet confeſſor ab Ordinario approbatus, & ad hoc ſpecialiter deputatus poteſt ab eo abſoluere in foro conſcientiæ tantum: 2. quantum ad procurantes abortum fœtus inanimati, ſed quoad alia reliquit Bullam Xiſti in ſuo robore.

I. Concl. Non licet vnquam abortum fœtus animati, vel inanimati procurare per ſe, & directè. Hæc eſt certiſſima, & conſtat ex Bulla Xiſti V. & comprobatur auctoritate D. Auguſt. relata à Gratiano *In cap. Aliquando 32. q. 2. Aliquando eò vſque peruenit hæc libidinoſa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam ſterilitatis venena procuret, etſi nihil valuerit conceptus fœtus intra viſcera aliquo modo extinguat, ſeu fundat; volendo ſuam prolem priùs interire, quàm viuere, aut ſi in vtero viuebat, occidi, antequam naſci*: ergo fit iniuria Deo, qui eſt naturæ auctor, eamquè ineffabili prouidentia ad finem, propter quem creauit, dirigit; ac proinde nunquàm eſt licitum abortum fœtus etiam inanimati directè, & per ſe procurare.

II. Concl. Mater, etiam ad ſui conſeruationem, non poteſt abortum fœtus animati, imò nec inanimati directè, & per ſe procurare, ſed tantùm indirectè, & per accidens. Ratio primæ partis eſt, quia Deus naturæ auctor ſibi ſoli in fœtum ius reſeruauit, ergo &c. Ratio 2. partis eſt, quia, moriente matre, fœtus neceſſariò morietur: vndè in tali caſu mater poteſt ſumere medicinam ad conſeruandam ſuam vitam, licèt indirectè, & præterintentionaliter ſequatur abortus fœtus, etiam animati. Imò talis medicina eſt potiùs fœtui fauorabilis, quàm iniurioſa, quia, matre ſanata, poteſt fœtus ſuperuiuere, ſicut è contra regulariter, & vt plurimùm cum morte matris proles extinguitur, quia matre lethaliter ægrotante, corrumpuntur humores, inficitur alimentum, & per conſequens fœtus periclitatur. Videantur de hac re Doctores latè agentes, ne prætereamus limites noſtri inſtituti.

Ex dictis deducitur, quòd *mulier non poteſt ſine peccato mortali ſumere pharmaca, & medicamenta ad procurandam ſterilitatem*, nec poteſt poſt coitum ad tuendum ſuum honorem, immò, & vitam expellere ſemen iam receptum, niſi fuerit vi op-

preſſa; in tali enim caſu fortè id probabiliter ei licebit immediatè poſt coitum, vt vult Sanchez, quia tunc cenſetur ſe defendere contra iniuſtum inuaſorem moraliter adhuc per ſuum ſemen inuadentem. Et tantò minùs poteſt puella etiam nobilis prægnans procurare abortum fœtus inanimati; etſi aliter non valeat periculum certum vitæ, & infamiæ euadere: ita ex Innoc. XI. qui ſanctiſſimè damnauit hanc propoſitionem, quę in ordine eſt 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehenſa grauida occidatur, aut infametur.*

Quæres. An licitum ſit filio gaudere de Parricidio Parentis à ſe in ebrietate perpetrato propter ingentes diuitias indè ex hæreditate conſecutas. Reſp. *Id aſſerere eſt propoſitio damnata ab eodem Innoc. XI. eſtquè 15. in ordine*. Ratio etiam euidens eſt; quia quando obiecta ſunt ex genere, ſeu ex ſui natura mala non poſſunt terminare actus voluntatis, ideſt gaudij, & delectationis circa ipſa, ſine peccato, & quidem mortali, ſi materia ſit grauis; ſiquidem voluntas, dum habet actum delectationis ſeu gaudij circa tale parricidium, approbat, & amplectitur illud; & ſic parricidium de peccato materiali tranſit in peccatum formale; neq. iuſtificari poteſt ob finem in propoſitione ſignificatum; quia ſi media ſint ex genere, ſeu obiecto mala, deturpatur finis, etſi honeſtiſſimus, iuxta doctrinam, quæ de actibus humanis à Theologis tradi ſolet.

Quæres. An iuſtè poſſit à publica auctoritate occidi homo pro ſimplici, & ſolo furto.

Reſp. negatiuè cum Alenſi p. 3. q. 47. mem. 4. art. 3. & Scoti in 4. d. 15. q. 3. art. 2. Ratio eſt, quia pœna, vt ſit iuſta, debet eſſe proportionata culpæ, iuxta illud Deuter. 25. *Pro menſura peccati erit plagarum modus*; ſed vita, & bona fortunæ non proportionantur ad inuicem: ergo iniuſtum eſt pro ſimplici furto punire furem morte. Confirmatur à Scot. per illud Exod. 22. *Fur nocturnus occidi præcipitur, diurnus verò nequaquam*, & ratio eſt, quia fur diurnus eſt ſimplex fur: nocturnus verò præſumitur inuaſor, qui non eſt ſimplex fur. Confirm. etiam ex iure ciuili Cæſareo. Nam Iuſtinianus Imper. in Autent. Vt nulli iudicium §. quia verb. coll. 9. tit. 17. Sanciuit furem non eſſe morte plectendum his verbis. *Pro furto autem nolumus omninò quodlibet membrum*

brum abſcindi, aut mori, ſed aliter eum caſtigari: quæ verba indubie de furto ſimplici intelligenda ſunt cum de furto circumſtantijs aggrauantibus veſtito idem Imper. ibidem diuerſam ſtatuat legem. *Eos verò, qui violenter aggrediuntur, aut cum armis. aut ſine armis in domibus, aut itineribus, aut in mari pœnis eos legalibus ſubdi iubemus*. Ex quo patet, quàm inconſiderate Recentiores præſertim loquantur, appellantes opinionem Scoti falſam, periculoſam, & errori Vualdenſium valde affinem, qui aſſerebant non licere Principibus vlla ratione malefactores interficere; nam, vt optimè aduertit Pitiganus in 4 diſt. 15. q. 3. art. 3. & poſt ipſum Maſtrius, Scotus ſecutus Alenſem aſſeruit, nullam legem iuſtam ſtatui poſſe, vt pro ſimplici furto poſſit fur occidi: ſimplex autem furtum illud dicitur ab Alenſi, & Scoto, quod nullam habet circumſtantiam notabiliter aggrauantem, quales ſunt magnitudo rei furtiuæ, furti frequentia, dignitas loci, in quo res furata eſt, magna rei ablatæ neceſſitas, & ſi quæ aliæ circumſtantiæ furto connecti poſſunt; vndè furtum aliqua ex his circumſtantijs veſtitum non ſimplex furtum dicetur, ſed furtum cum homicidio, aut cum incorrigibilitate, aut cum contumacia, & contemptu, quod quidem furtum iuſtè puniri poteſt membri abciſſione, vel etiam morte, maximè pro bono communi, & pace Reipub. ſeruandis.

QVÆSTIO IV.

Ad quid teneatur, qui proximum læſit occiſione, vel mutilatione, & quibus facienda ſit reſtitutio.

NOt. 1. Quòd quatuor videntur reſtituenda ab eo, qui priuata auctoritate proximum læſit in vita. Primò expenſæ factæ in curatione vulneris ante mortem: 2. expenſæ funeris: 3. damnum naturale vitæ, nam vita eſt maximum bonum naturale: 4. damnum temporale, quia nimirum occiſus erat vtilis ſuis ob induſtriam, artem, officium &c.

Not. 2. Quòd perſonæ, quibus poſt mortem occiſi facienda eſt reſtitutio, ſunt hæredes, qui poſſunt diſtingui in triplices. Primò, qui ſunt ita coniuncti, vt reputentur

vna perſona cum defuncto, & ſic ſunt parentes, filij, & vxor occiſi: 2. qui ſuccederent ab inteſtato, vt fratres, nepotes &c. 3. extranei ab eo inſtituti in teſtamento, & aliæ perſonæ, ad quas erat vtilis in vita idem occiſus, & hæ ſunt duplicis generis: primi ſunt creditores: 2. ſunt ij, quos ipſe alebat ex liberalitate, de quibus omnibus poteſt eſſe dubitatio.

I. Concl. Occidens, ſeu mutilans alium tenetur ad omnia damna ex occiſione, aut mutilatione ſecuta ante omnem iudicis ſententiam. Eſt Scoti, & eſt communis. Quarè obligatur occiſor, aut mutilator iniuſtus ſoluere omnes expenſas pro curatione occiſi, vel mutilati, & inſuper æſtimationem operum læſi, vel occiſi pro ratione ſpei lucri, quod facturus erat occiſus, vel mutilatus ex artificio negotiatione, vel officio, detractis tamen ijs, quæ ipſe conſumpſiſſet, quæ omnia prudentis arbitrio in caſibus particularibus ſunt æſtimanda; *Quando enim non habemus rem diffinitam lege aliqua poſitiua, debet ea determinari arbitrio boni viri, vt dicitur l. autem computationi ff. ad leg. falcid.* Non tamen tenetur ad expenſas funeris, quas etiam occiſus feciſſet, ſi morte naturali obijſſet, niſi ratione accelerationis mortis, vel quia mortuus eſt extra patriam, maiores fierent expenſæ, ad quem exceſſum teneretur: hancquè obligationem reſtitutionis tranſire ad hæredes etiam occiſoris, & mutilatoris certum eſt, ſicut & ius ea exigendi tranſit ad hæredes occiſi, & mutilati.

II. Concl. Pro damno naturali vitæ, aut membri mutilatione, aut cicatrice ex vulnere contracta tenetur iniuſtus inuaſor aliquid reſtituere. Ita Scotus contra Thomiſtas, & alios. Prob. Nam ſecundùm legem naturalem inferens damnum alteri, ex iuſtitia tenetur, ſi poteſt, æquiualenter reſarcire, vel in eo, quod poteſt; quia qui iuſtitiam offendit, non eximitur ab obligatione damni illati; ergo pro vita ablata, & membro abſciſſo tenetur etiam offendens reſarcire, vt poteſt: abſurdum enim eſt, inquit Doctor, quòd quis ex iuſtitia ad damnum illatum recompenſandum teneatur, ſi occidat bouem, vel canem, & non teneatur pro compenſando hominis vita. Nec obſtat *textus legis ex hac ff. ſi quadrupes pauperiem, & l. vlt. de his, qui deiecerant, vbi dicitur: Pro cicatrice, & huiuſmodi in corpore libero factis nullam compen-*

ſa-

ſtationem faciendam eſſe, & rationem ſubdit, *quia liberum corpus æſtimationem non recipit*; quæ ratio militat a fortiori de vita, quia vt bene diſcurrit noſter Hiquæus in 4. loc. cit. etiam fama non eſt pretio æſtimabilis, & tamen damnificans in fama ex præcepto naturali eam reſtituere tenetur, reuocando calumniam, aut aliquo alio modo æquiualenti. Itaque quando negatur hæc eſſe pretio æſtimabilia non intelligitur ea eſſe omninò à præcepto reſtitutionis abſoluta, ſed tantùm non habere in re inferioris ordinis, qualis eſt pecunia, pretium proportionatum æſtimationi ſecundùm æqualitatem; non verò de re æquali eiuſdem ordinis, aut ſuperioris, quia & æquiualentia in his dari poteſt, & iuſtitia ſemper ad reſtitutionem obligat ſecundum æquiualentiam; quando res in ſpecie reſtitui nequit; ideoquè ſubdit Doctor: In omni Republ. in qua pro homicidio talionis pœna eſt impoſita, teneri homicidam mortem patienter tolerare, vt ſic dignè vita cum vita compenſetur; non autem tenetur ſe exponere, ſeu offerre Curiæ, vt occidatur pro vita occiſi, vt quidam malè Scoto imponunt.

Cæterùm nobiſcum conueniunt, ſi fœmina ſit percuſſa, ita vt ex percuſſione, vel abſciſſione membri maneat deformis, & difficilis ad nubendum, quòd in tali caſu aliquid eſt compenſandum ex iuſtitia, & pariter ſaltem ex charitate teneri compenſare damna perſonalia ipſi occiſo per eleemoſynas, orationes, & Eccleſiæ Sacrificia, vt pluribus citatis tenet Fernandez in examine Theol. moral. Imò ſubdit vim Soto, Gabriel. Adrian. & Tolet. quòd qui non potuit expenſas facere in Sacrificijs, eleemoſynis, & ſimilibus, teneatur ex iuſtitia ſatisfacere per proprias orationes, præſertim cum cauſa fuit, vt ille damnificaretur in ſpiritualibus, nimirum ne maiori cum ſalutis cura moreretur, nam ſpiritualia ſpiritualibus ſunt compenſanda, quæ eſt Scoti ſententia.

III. Concl. Si occiſor fuit prouocatus ad duellum, ad nihil tenetur, quamuìs exceſſerit limites inculpatæ tutelæ. Ratio eſt, quia prouocans videtur condonare; dat enim poteſtatem prouocato faciendi contra ſe quantum poteſt. Idem ſi ſe mutuò prouocaſſent, vel prouocatus acceptat liberè, nam cenſentur ſibi inuicem condonare iniuriam, & damnum: Similiter quando prouocatus in rixa occideret

prouocantem, vel occiſus, & occiſor ſe mutuò prouocauerunt, quia in his militat eadem ratio. Ita communior ſententia. Dubium inſuper mouetur, ſi quis exceſſerit in ſui defenſione; ad quod reſpondent communiter Doctores; quod ſi exceſſus fuit venialis, ad nihil tenetur, quia vt ſupra oſtenſum eſt exigitur peccatum mortale. Quòd ſi ex inaduertentia occidiſſet inuaſorem, non aduertens ſe excedere limites inculpatæ tutelæ, ſed mortaliter culpabilis, ſunt, qui eum excuſant: alij verò putant obligari hoc ipſo, quòd inaduertentia non reddit illum excuſatum à peccato mortali, & hoc videtur probabilius; & idem multò magis dicendum eſt, quando quis exceſſiſſet fines inculpatæ tutelæ notabiliter, vt tradit inter alios Nauar. minùs tamen tenetur reſtituere inuaſus occidens inuaſorem cum exceſſu &c. quàm inuaſor, quia hic ex parte videtur amittere ius ad compenſationem damni, cum ſit ſibi ipſi damni cauſa, vt recte notat Leſſ.

IV. Concl. Homicida non tenetur aliquid reſtituere hæredibus ſecundi, vel tertij generis, nec alijs perſonis, nempè creditoribus, & alijs, quos ex liberalitate occiſus alebat, ſed tantum tenetur hæredibus primi generis. Hæc videtur communis. Prob. 1. pars. Quia hæredes ſecundi, vel tertij generis non cenſentur vna perſona cum occiſo; ac proindè nec ſunt læſi in re ſua: Tum quia ſi cui teneretur, maximè fratri; at ei nullum infertur damnum, cum remaneat hæres ſui fratris. Verùm, vt notat Filiucc. tam frater, quàm alij hæredes extranei ſuccedunt in iuribus, quæ defunctus habebat ante mortem; vndè expenſæ factæ in curatione vulneris reſtituendæ ſunt hæredibus quibuſcumque. Prob. 2. pars. Nam damnum creditoribus illatum eſt per accidens coniunctum cum actione occiſionis; nemo autem tenetur ad damna, quæ per accidens ſequuntur ex mala aliqua actione, vt pluribus citatis tradit Leſſius cap. 9. dub. 15. & 16. & tantò minùs tenetur ijs, quos ex liberalitate occiſus alebat.

Prob. 3. pars. Etenim hæredes primi generis cenſentur vna perſona cũ defuncto, & per conſequens eſt illis damnum illatum in re ſua. Quarè tenetur primò, ſi occiſus ſit filius, & ei debet ſuccedere Pater, ipſi reſtitutio damni temporalis fieri debet. Si tamen filius debuiſſet Patrem alere, quia ſe-

nex ineptus labori, occiſor tenebitur eum alere: 2. Si occiſus ſit Pater, filijs eius facienda eſt reſtitutio. 3. Si maritus occiſus ſit, erit reſtitutio facienda vxori regulariter: Si tamen hæc nullum damnum accepiſſet, vel æquè commodè poſſet alteri nubere, probabile eſt ad nihil teneri homicidam, prout ſentiunt Sot. Salon. Lopez, Leſſ. cap. 9. dub. 26.

Quæres 1. An ab onere reſtitutionis etiam faciendæ vxori, ac liberis abſoluantur hæredes occiſoris; ſi ſubeat hic pœnam talionis.

Reſp. quòd nonnulli affirmant, ſed probabiliùs negatur. Ratio eſt, quia ſicut damnum, quod fur intulit auferendo alteri ſuum, licet puniatur, debet tamen res furto ablata ab hæredibus furis adhuc reſtitui, ergo & damnum, quod intulit occiſor. Neque ex hoc dicendum eſt occiſorem bis puniri de eodem delicto; quia pœna talionis non infligitur ad reparanda dicta damna, ſed potius vt ſatisfiat iuſtitiæ publicæ: & hæc mihi videtur ita certa, vt oppoſita improbabilis appareat.

DISPVTATIO X.

De iniurijs circa famam, & bona ſpiritualia, & conſequenter quid reſtituendum.

QVÆSTIO I.

Vtrum Murmuratio, ſeu Detractio, Contumelia, & Suſuratio ſint peccata mortalia.

NOt. 1. Quòd fama à fando dicitur ſecundùm nominis etymologiam; vndè fama non eſt, niſi vbi eſt locutio; & à iuris peritis ſic deſcribitur. *Fama eſt illæſa dignitatis ſtatus legibus, & moribus comprobatus ff. de var. & extraord. cognit. l. cognit. §. exiſtimatio*: quæ definitio competit tantum bonæ famæ; ideò in genere fama ſic deſcribi ſolet. *Eſt multorum opinio, ſeu exiſtimatio de vita, & moribus alterius*; quæ opinio, ſi ſit bona, dicitur bona fama, ſi ſit mala, dicitur mala fama, & differt ab honore, quia honor eſt teſtimonium æſtimationis propriæ de excellentia aliena, in virtute, ſcientia &c. cum quadam ſummiſſione externa: vndè honor eſt ex-

excellentior fama, quia honor includit famam, ſcilicet æſtimationem excellentiæ alienæ, & inſuper illius teſtificationem; ideoquè contumelia, quæ directè opponitur honori, cæteris paribus eſt grauius peccatum detractione tollente famam; hinc Ariſt. lib. 4. Ethic. cap. 3. docet *honorem eſſe maximum inter bona externa, cuius ſignum eſt, vt ipſe ait, quòd principatus, & diuitiæ propter honorem ſunt optabilia*; & Sac. Scrip. monet, nos conſeruare bonum nomen, ſeu famam; nam Prouerb. cap. 22. dicit. *Melius eſt nomen bonum, quàm diuitiæ multæ & Eccleſ. cap. 7. Melius eſt nomen bonum, quàm vnguenta pretioſa*.

Not 2. Quòd Murmuratio, ſeu Detractio *eſt alienæ famæ occulta, & iniuſta denigratio perſonæ abſenti facta*; Contumelia verò *eſt iniuſta honoris diminutio ſeu violatio facta præſenti & ſcienti*: ex quo conſtat, quòd differunt obiecto; in prima enim læditur fama, in ſecunda honor: differunt & modo, quia detractio fit per modum furti occultè contra abſentem, contumelia autem per modum rapinæ fit apertè, & contra præſentem. Inſuper Detractio, & Contumelia fiunt ſuſurratio dum inter eum, cuius fama, aut honor læditur, & ipſos audientes intenditur ſeminatio diſcordiæ, aut diminutio amicitiæ.

Not. 3. quòd varijs modis diuiditur detractio; & quidem primò in directam, & indirectam ex partæ voluntatis: prior eſt cum aliquis detrahit, & famam denigrat cum intentione nocendi; poſterior eſt cum quis dicit aliquid incautè, vel ignoranter, quod famam lædit; directa dicitur detractio formalis, indirecta verò materialis. Quarè tam detractio, quàm contumelia fieri poſſunt octo modis, nempe quatuor modis directè, & quatuor indirectè iuxta hos verſus.

Imponens, augens, manifeſtans, in mala vertens,
Qui negat, aut minuit, reticet, laudatquè remiſsè.

Fiunt ergo directè; primò falſum crimen alteri imponendo: ſecundò verùm crimen augendo: tertiò occultum crimen propalando; & quartò dictum, vel factum alterius ſiniſtrè interpretando. Indirectè item fiunt; primò negando alterius bona, aut honeſta facta. Secundò ea extenuando. Tertiò ea tacendo in illis circumſtantijs, in quibus reticentia à præſentibus habetur pro vituperio.

De-

Denique ità frigidè alterum laudando, vt id potiùs cedat in laudati opprobrium: quòd ſi vnum ex his omnibus fiat, vt cauſentur diſcordiæ erit ſimul Suſurratio.

I. Concl. Detractio formalis, qua intenditur læſio famæ alterius. & pariter Contumelia, & Suſurratio ſunt ex ſuo genere peccata mortalia. Hæc eſt communis; & patet ex Sac. Scrip. ſignanter ad Roman. 1. *Vbi detractores dicuntur Deo odibiles*. Tum quia honor, & fama ſunt bona altiora, quàm diuitiæ, vt apertè teſtatur S. Scrip. ſed iniuſta ablatio diuitiarum ex ſuo genere eſt mortalis, ergò à fortiori formalis, & iniuſta ablatio honoris,& famæ: ideoq; hoc peccatum eſt grauiùs furto, ſed leuius homicidio, & adulterio quia hoc eſt contra bonum prolis, matrimonij ſanctitatem, & contra ius coniugis. Cæterùm detractio materialis, qua non intenditur læſio famæ, ſed ex quadam loquacitate narrantur defectus alterius; licet ex ſuo genere ſit tantùm venialis, aliquando tamen ex circumſtantijs poteſt euadere mortalis: vndè ſi aduertatur à detrahente, quòd poſſit ſequi grauis læſio famæ proximi, eſt peccatum mortale, quia etiamſi non intendatur directè læſio alterius, tamen indirectè, & interpretatiuè eſt volita, ac proindè æquiualet formali. Quòd ſi non ſequatur ex ea per ſe grauis læſio, quia ſcilicet, vel communiter non accipiantur talia verba ſeriò, nec credantur, vel quia ex quadam animi leuitate potiùs dicantur quæ ex ſua natura non ſolent grauiter proximum lædere, erit tantùm peccatum veniale.

II. Concl. Omnes detractiones inter ſe, ſicut & omnes contumeliæ ſunt eiuſdem ſpeciei. Ratio eſt, quia eodem præcepto, & eidem virtuti iuſtitiæ commutatiuæ opponuntur; ac proindè ad idem vitium formaliter pertinent, quia eſt eadem ratio formalis, etſi plura ſint obiecta materialia, & diuerſa, adeòquè ad eandem ſpeciem ſpectant, ergo &c. quarè iuxta ſententiam probabilem ſufficit dicere in confeſſione toties in graui materia proximo detraxi, toties ei grauem intuli contumeliam, vel dixi quicquid mihi occurrebat, non referendo ſigillatim illatas calumnias, de quo vide Dian. p. 11. tract. 7. reſol. 34. Id tamen non obſtat, quin ob circumſtantiam aduenientem ipſi detractioni, aut contumeliæ, aliquando addatur malitia ſpecie diſtincta; ac proinde in confeſſione neceſſariò aperienda, vt dum quis

de-

detrahit Patri, aut Sacerdoti: tunc enim ſuperadditur malitia contra pietatem parentibus debitam, vel contra reuerentiam debitam ſtatui Sacerdotali. Quale autem peccatum ſit, & quomodò confitendum, dum quis vnico actu detrahit pluribus, dictum eſt in tract. de peccatis diſp. 1. q. 12. part. 2. Aduertunt tamen Doctores, conuitia quibus mulierculæ, pueri, & infimæ ſortis homines ſe ſe afficiunt ex animi promptitudine, ſeu loquacitate effutiendo quicquid in buccam venit, dummodò non intendant grauem iniuriam, non eſſe peccata mortalia, quia cum audientes ſimilibus nullam fidem adhibeant, non cauſatur grauis iactura honoris, aut famæ, etſi aliquando indè eueniant alia peccata grauia, puta iræ, odij &c.

Similiter communiter loquendo excuſantur à mortali etiam, qui narrant ſolos defectus naturales animi, corporis, aut natalium, quòd v. g. aliquis ſit ignarus, claudus, ſurdus, ſpurius &c. cum enim hæc à natura proueniant, & non à moribus apud prudentes non ſunt infamiæ aut, dedecoris; & idem plures Doctores aſſerunt de infamantibus alios verbis generalibus peccatorum mortalium, dicendo v. g. alium eſſe iracundum, ſuperbum &c. quia ſimilia audientes intelligunt ordinariè de naturali propenſione, & inuoluntario defectu, ac proindè non fit graue damnum in fama. Quod tamdn non videtur extendi poſſe ad omne genus peccati mortalis; ſiquidem grauiter nocet famæ alterius, qui de viro honeſto dicit, etſi in generali, eum eſſe luxurioſum, vel ebrioſum. Vndè multùm attendi debet quid, & de qua perſona quis loquatur, & coram quibus, nam ex huiuſmodi circumſtantijs detractio venialis tranſit in mortalem, vt ſi quis obloquatur de Prælatis, Sacerdotibus, & Religioſis. Adde maritos ſæpè peccare mortaliter, dum vxores vocant meretrices, adulteras, & ſimilia, præſertim quando ex vindicta talia eis obijciunt, niſi excuſentur ob motus ſubitaneos, & indeliberatos.

Quæres 1. An ſit verè detractor, qui refert peccata ab alijs audita abſque alia aſſeueratione.

Reſp. ex Scot. in 3. d. 4. q. 4. quem ſequitur Caiet. q. 73. art. 2. eſſe quidem detractorem, ſed peccare tantùm venialiter: ratio eſt, quia ex ſua natura talis relatio non eſt inductiua ſiniſtræ opinionis in animum audientium, quòd ſi

ma-

malè opinentur id eueniet ex culpa ipſorum audientium, qui ex leuitate citò credunt, quod non deberent. Nihilominus puto, Scotum non negare, quòd ſi is, qui audita refert, & aduertit audientes meritò induci poſſe ad opinandum malum de proximo, ſit verè detractor, & peccare mortaliter contra iuſtitiam, cum alios inducat ad malè ſentiendum de proximo, quia qui inducit alterius teſtimonium, affert argumentum ſatis efficax ad perſuadendum, & per conſequens qui refert ex tali auctore, adeò vt audientes meritò inducantur ad credendum, erit cauſa efficax ad perſuadendam, & inſerendam illam opinionem.

Quæres 2. An reuelare crimen occultum vni tantùm perſonæ fideli, abſque rationabili cauſa ex ſuo genere ſit peccatum mortale. Reſp. quòd duplex eſt opinio. Prima aſſerit eſſe tantùm peccatum veniale. Ratio, quia non fit grauis læſio famæ, nam infamia propriè eſt inter multos, nec ob id is, de quo detrahitur, impeditur à conſecutione alicuius boni, quia perſona illa fidelis, cui reuelatur crimen alterius eodem modo ſe gerit ſicut antea, ſic e.g. vir, & vxor peccata filiorum, & famulorum reuelantur, ſic quis communicat alteri ſecretum ſibi commiſſum. Secunda ſententia eſt negatiua, & eſt communior. Ratio, quia ſæpè quis meritò egriùs feret iacturam bonæ exiſtimationis apud vnum virum prudentem, & grauem, quàm apud tres, vel quatuor alios: tum quia in ſententia oppoſita vir prudens ſine culpa mortali poterit idem crimen vni alteri ſimiliter prudenti aperire, & hic iterum vni alteri; & ſic tandem delictum poteſt fieri publicum abſque eo, quòd ille, qui eſt in culpa grauiter peccet, quod videtur abſurdum. Quod ſi quis habeat rationabilem cauſam reuelandi alteri, puta ad conſilium, & ſolamen accipiendum, concedunt paſſim Doctores abſque peccato fieri poſſe.

QVÆSTIO II.

Vtrum crimen publicum in vno loco liceat diffamare in alio, in quo ignoratur.

NOt. Quòd crimen dici poteſt publicum tripliciter. Primò, quia ſit notorium iure; nempè per iuridicam ſen-

tentiam, vel confeſſionem Rei in iudicio, vel per legitimam depoſitionem teſtium. 2. quia ſit notorium facti; videlicet, quòd ſit factum in præſentia multorum vt in foro, via publica eo tempore, quo multis potuit innoteſcere, vel maiori parti viciniæ. 3. quia ſit famoſum, cuius ſcilicet fama orta ex ſufficientibus indicijs ad multos peruenit, ita vt maior pars ciuitatis, pagi, vel pareciæ illud norit, & conſequenter illud innoteſcere potuerit: quia ſcilicet auctor non curauit quiſnam illud ſciret, vel non, eò quòd rem eam geſſit in platea, vel publica via.

Not. 2. Quòd conueniunt Doctores peccare contra iuſtitiam eum, qui infamatum iniuſtè in vno loco eius famam denigrat, ac lacerat in alio, quia ſicut ius non amittit, vt ſublata fama ſibi reſtituatur; ita nec ius amittit, ne eadem vlterius denigretur. Conueniunt pariter, quòd ſi aliquis olim infamatus iam ſuam recuperauit famam, erit mortale ſaltem contra charitatem eum iterum infamare renouando criminis memoriam. Item manifeſtare crimen alicuius, etiam infamati intentione mala grauiter nocendi eſſe mortale contra charitatem; non eſt tamen peccatum contra iuſtitiam, nec mortale contra charitatem, inquit Scot. delictum publicè commiſſum in vno loco neſcienti manifeſtare; quia per publicitatem facti ſibi famam ademit. Conueniunt denique, non eſſe mortale narrare crimen alterius publicum in alio loco, quò fama eſt breui tempore peruentura. Sola igitur difficultas eſt: an liceat peccatum publicum in vno loco manifeſtare in alio, vbi fama non eſt peruentura; circa quod referuntur præſertim à Maſtrio diſp. 8. q. 3. art. 3. de reſtit. in particulari variæ ſententiæ; at breuitatis cauſa, miſſis diuerſis opinionibus, ſit iuxta probabiliorem ſententiam.

Concl. Non eſt peccatum mortale, ſaltèm contra iuſtitiam, crimen in vno loco publicum aliquo ex præfatis modis adductis in 1. notabili manifeſtare alibi, quò non de facili fama eſt peruentura. Prob. Delinquens, per criminis publicitatem, amiſit ius ad famam, ergò manifeſtans alibi tale delictum publicum, non peccat ſaltem contra iuſtitiam. Confirm. Etenim ſi ſit publicum de iure iam id eſt loco pœnæ à iudice inflictæ, videlicet vt eo tempore, & loco exerceant huiuſmodi iudicia, quo eorum crimina ve-

niant

niant in notitiam plurimorum; ſi de facto, ſeù famoſum, hoc ipſo delinquens amiſit ius ad ſuam famam: & deniquè comprobatur conſuetudine totius Orbis ſcribentis per literas, typis conſignantis hiſtorias de huiuſmodi delictis, ergo &c.

Dices. Qui amiſit famam in vno loco, alibi eam retinet, ergo non poteſt ea iuſtè ſpoliari. Reſp. retinere quidem alibi ſuam famam de facto, non tamen de iure; hoc enim ipſo, quòd crimen eſt publicum, iam amiſit ius famæ: adeò vt nemo teneatur ex iuſtitia amplius priorem exiſtimationem retinere.

Quæres 1. An liceat eum, qui vno, aut altero crimine infamis eſt, de alijs infamare.

Reſp. 1. non eſſe mortale, infamatum de vno crimine, de alijs valde coniunctis, & affinibus, & ordinariè cum priori coniunctis infamare apud eos, qui primũ nouerunt. Sic v. g. non peccat mortaliter, qui de notorio adultero dicit eum ſcripſiſſe literas amatorias, vel alias laſciuas actiones exercuiſſe cum adultera, quia non cenſetur noua infamia; prudentia tamen opus eſt, vt notant Doctores, ne præcedens infamia eo pacto videatur augeri.

Reſp. 2. Si crimina non ſunt inter ſe connexa, eſt peccatum mortale contra iuſtitiam illa manifeſtare. Ratio euidens eſt, quia ex eo quod aliquis ſit infamis in vno crimine, non amiſit ius ad famam, quam adhuc habet illæſam in alijs virtutibus; non enim fama eſt quid ſimplex, & indiuiſibile, ſed ſicut diuerſæ virtutis, laus eſt diuerſa, ita & diuerſorum criminum diuerſa eſt infamia.

QVÆSTIO III.

Vtrum liceat infamare alium ad euitandum magnum malum.

NOt. Quòd præſens quæſtio poteſt agitari in duplici ſenſu. Primò, an liceat crimen falſum alteri imponere ad magnum malum vitandum: 2. An liceat reuelare alterius crimen occultum, vel aliud ſecretum per iniuriam extortum ad vitanda tormenta, & etiam mortem.

I. Concl. Nunquam licet alium infamare, imponendo ei

fal-

falſum crimen, ac proindè id non eſt licitum nec ad mortem vitandam. Ita Alenſ. D. Thomas, & omnes theologi, nonnullis exceptis, quorum opinio eſt damnata ab Innoc. XI. in propoſitione 44. in ordine quæ eſt talis *Probabile eſt, non peccare mortaliter, qui imponit falſum crimen alicui, vt ſuam iuſtitiam, & honorem defendat. Etſi hoc non ſit probabile, vix vlla erit opinio probabilis in Theologia*. Et in propoſit. 43. in ordine. *Quidni non niſi veniale ſit detrahentis auctoritatem magnam ſibi noxiam falſo crimine elidere*. Ratio eſt euidens, quia imponere graue crimen falſum alteri eſt contra ius naturæ, & contra charitatem.

II. Concl. Licitum eſt reuelare alterius crimen verum, quoties id iudicatur neceſſarium ad graue damnum proprium, vel alienum vitandum. Hæc videtur communis. Ratio eſt, quia obligatio ad celandum ſecretum proximi crimen non obligat cum graui noſtro, vel alterius damno: vndè iuxtà Doctores communiter licitum eſt, aperire imperitiam medici, dum quis periculum vitæ, vel ſanitatis incurreret: ſimiliter qui nouit alterum eſſe furem, licitè poteſt monere eos, cum quibus ille frequenter conuerſatur, vt ſibi caueant: item dum quis iniuſtè tuam famam lædit, nec vales eam conſeruare, aut recuperare, niſi ipſius famam minuas, poteſt verum ipſius crimen occultum manifeſtare quantùm neceſſe eſt, vt tuam famam ſerues illæſam; cauendum tamen eſt, ne eum plus lædas, quàm tu ab ipſo lædaris conſiderando nimirum tuam, & alterius perſonam. Inſuper qui iniuſtè deuenit in notitiam alieni delicti poteſt hoc reuelare in tribus caſibus: primò, quando alter eum iniuſtè opprimit, nec aliter oppreſſionem euadere poteſt; tunc enim vim vi repellit: 2. quando alter obligatur ex iuſtitia ſuum crimen fateri, quia iam amiſit ius ad famam: 3. quando aliàs periclitaretur ſalus Reip. aut Principis, vel immineret magnum damnum Religioni; ſic qui legendo alterius epiſtolas, deuenit in notitiam delicti ſecreti, etſi mortaliter peccauerit eas aperiendo, & legendo (niſi putaſſet prudenter ex circumſtantijs in ijs nihil magni momenti contineri) poterit adhuc tali ſcientia vti in prædictis caſibus. Adde, non eſſe peccatum, ſaltem mortale, legere literas laceratas, vel abiectas, quia tunc cenſetur dominus ſuo iuri renuntiaſſe; ſi tamen ex illis quid graue deprehenditur, te-

ne-

petur in conſcientia ad ſecretum. Cæterùm, an quis poſſit ſe infamare, vel condonare famam ſibi ab alio ablatam, deduci poteſt ex diſput. de dominio; vbi oſtenſum eſt cum ſententia communiori, quemlibet habere dominium ſuæ famæ, & ſolùm per accidens non poſſe in aliquo caſu diſſipare, aut condonare propriam famam.

Quæres. Quale peccatum ſit audire detractorem.

Reſp 1. Qui detractorem audit, itaut eum ad detrahendum prouocet interrogando, hortando, exteriùs eum in hoc laudando, peccat contra iuſtitiam, & deficiente detrahente, tenetur ipſe ad reſtitutionem famæ læſæ, vel amiſſæ per talem detractionem; & inſuper peccat peccato ſcandali. Qui autem abſque prouocatione delectatur audiendo detractionem, vel detractorem non corrigit, dum facilè poteſt, peccat contra charitatem, & quidem mortaliter, ſi detractio ſit de re graui: ratio quia qui de peccato proximi delectatur, eidem & conſentit, quod ſemper malum eſt; & non corrigens detractorem, dum poteſt, peccat contra præceptum correctionis fraternę: vnde non videtur admittenda quorumdam opinio dicentium, non eſſe mortale gaudere detractionibus audiendis ex ſola curioſa cognitione factorum proximi, quia hæc curioſa cognitio eſt proximi famæ diminutio. Reſp. 2. audiens detractorem, non peccat, ſi neque ad hoc eum excitet, neque de eo gaudeat, nec corrigere omittat, dum facilè poteſt. Ratio, quia non apparet, quòd operetur contra aliquod præceptum; tum quia Doctores apud Dian. p. 2. reſol. 24. tract. 3. tradunt, peccare ſolùm venialiter, qui ob timorem, verecundiam, negligentiam, aut animi leuitatem detractori non reſiſtit. Monent tamen, in prædictis optimum fore, ſermonem diuertere, vel triſtem vultum oſtendere, iuxta illud Prouerb. 25. *Facies triſtis diſſipat linguam detrahentis*. Quare Superiores, vt parentes reſpectu filiorum, domini reſpectu ſeruorum, Prælati reſpectu Religioſorum tenentur impedire ſuum ſubditum à detractione, quod ſi non fecerint, tenentur ex officio curare, vt ab eodem ſubdito reſtituatur fama iniuſtè ablata; alias debet per ſe eam reſtituere, quia cum ſit obligatus ex officio impedire ſuum ſubditum, ne alteri noceat, cenſetur ipſemet Superior iniuſta cauſa damni, & infamię, dũ non reſiſtit. Ita communiter Doctores, & conſtat ex dictis ſupra.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Suſpicio, & Iudicium temerarium de proximo ſit peccatum mortale.

NOt. Quòd *Suſpicio eſt opinio mali orta ex leuibus indicijs, ideoque ſemper retinet annexam formalem, vel virtualem formidinem de oppoſito; Iudicium autem temerarium eſt velut definitiua ſententia de malo proximi fundata pariter in indicijs inſufficientibus.*

Cæterùm inter Suſpicionē, & Iudicium temerarium datur Dubitatio, quæ eſt ſuſpenſio animi, ideſt aſſenſus in neutram partem inclinando. Leuia indicia hìc dicuntur, quæ non mouerent virum prudentem ad dubitandum, ſuſpicandum, vel iudicandum: quarè indicia quandoque poſſunt eſſe ſufficientia ad dubitandum, & inſufficientia, ſiue leuia ad iudicandum, vel ſuſpicandum, ſicut & ſufficientia ad ſuſpicandum poſſunt eſſe inſufficientia ad iudicandum: tunc autem cenſetur quis habere iudicium, quando rogatus, an rem habeat pro certa, reſponderet, eam ſibi certam, vel quaſi certam videri; & tunc ſolùm habet ſuſpicionem, ſi diceret, ſe non eſſe moraliter certum, ſed facilè poſſe falli: ita notat Baſſæus cum alijs.

I. Concl. Iudicium temerarium eſt peccatum ex genere ſuo mortale, ac proindè peccat mortaliter, qui de graui delicto proximi temerè iudicat. Hæc videtur communis, & patet ex S. Scrip. Matt. 7. & Lucæ 6. vbi dicitur. *Nolite iudicare, & non iudicabimini; & ad Corint. 4. Nolite ante tempus iudicare, videlicet, vt explicant Doctores, ne id fiat per nimiam animi leuitatem, & affectus præcipitationem.*

Prob. etiam ratione. Nam, cum iudicium de ſe ſit quid graue, quiſque habet ius, ne alius de ſe temerariè iudicet, ac proindè grauiter læditur iuſtitia per tale iudicium temerarium. Poteſt tamen quis interdum à mortali excuſari, ſi perfectè non aduertat ad damni grauitatem, vel ad iudicij temeritatem; & ſecundùm Buſembau ſi ipſum iudicium habeat magnam probabilitatem, etſi non omninò ſufficientem ad certitudinem; quia moralis certitudo, & magna probabilitas non adeò diſtant, vt cenſeatur eſſe magna iniuria iudicare certum, quod eſt valdè probabile.

II. Concl. Nulla ſuſpicio eſt mortalis; ita probabiliter plu-

plures Doctores, ſentientes idem à fortiori de dubitatione. Vnde D. Thomas ex D. Auguſt. ait. *Genus iſtud ſuſpicionis ad humanam tentationem pertinet, ſine qua vita iſta non ducitur*, quibus verbis indicat, ſuſpicionem non eſſe mortalem.

Prob. ratione; quia cum ſuſpicio ſemper annexam habeat formidinem de oppoſito, nec conſequenter per eam firmiter credatur, alterum deliquiſſe ſolum leuiter læditur alterius fama; etſi ſuſpicio ſit de graui crimine, licèt id non admittatur de perſona graui, & honeſta; vndè meliùs eſt de omnibus dubium in meliorem partem interpretari. Eſt tamen in praxi licitum in rebus magni momenti ita ſe gerere, ac ſi conſtaret eos, inter quos quis verſatur eſſe malos, vt ſe, & ſua ſeruet indemnia formando hoc iudicium. Credo tales eſſe bonos, attamen nolo me, vel mea periculo exponere, ſic diſcurrere poſſunt domini, de miniſtris, & ſeruis, & ſic Prælati maximè Religioſi de ſuis ſubditis; non ad malum finem, ſed pro bono regimine domus, Conuentus &c.

Quæres. Qui teneantur ad famæ reſtitutionem, & qualiter talis reſtitutio ſit facienda.

Reſp. 1. Quòd tres conditiones adeſſe debent, vt detur obligatio reſtituendi famam. Prima, vt fama à parte rei læſa ſit. 2. vt læſa ſit contra iuſtitiam. 3. vt aliundè non ſit adhuc recuperata. Tenentur igitur ad reſtitutionem famæ, qui per detractionem illam abſtulerunt, & compenſare omnia damna, quæ indè ſunt ſecuta, quia horum omnium eſt cauſa iniuſta. Quarè qui per detractionem eſt cauſa efficax, ne alter conſequatur beneficium, vel officium, tenetur ad reſtitutionem, non quidem quoad totum valorem officij, vel beneficij, ſed ad valorem ipſius ſpei de beneficio, vel officio obtinendo; nam iuxtà Scotum, & alios eſt maioris valoris, bonum poſſeſſum, ſiuè in re, quàm ſolùm in ſpe: quòd ſi tamen quis per detractionem fuit cauſa, cur alter beneficio, vel officio obtento priuetur, tenebitur ad totum valorem: ita paſſim Doctores. Item tenetur iuxtà Cordub. & alios pro ipſa infamia, hoc eſt pro iniuria, ob quam infamatus caret bono nomine, vel negatiuè, hoc eſt non malè cenſebatur, vel poſitiuè, hoc eſt bonus cenſebatur; & obligatio reſtitutionis quoad damna realia ex infamia ſubſecuta, tenentur reſtituere hæredes

infamatoris, qui iam eam non reſtituerat; vt dicunt Paludan. in 4. Cordub. q. 3. & conſtat *ex cap. finali de Sepult. cap. A nobis 2. de Sent. excom.* tenentur prætereà reſtituere famæ ipſius damnum: ita Doctores citati, quia iſta fama eſt pecunia æſtimabilis; vt tenent omnes teſte Facundez contra Sylueſt. & Tolet. ergo tranſit hoc onus cum pecuniæ, aut cum rebus pecuniæ æquipollentibus ad hæredes. Inſuper probabiliùs tenetur ad famæ reſtitutionem etiam, qui alterum infamauit infamatione obiectiuè iniuſta, licèt id fecerit bona fide, & abſque peccato, vt v. g. quia narrauit alterius delictum putatum verum, & publicum, quod tamen non erat, Amplius tenetur ad reſtitutionem faciens libellum famoſum, & etiam cooperantes in ſcribendo, & euulgando libellum, ſi ſit de re graui. Eſt autem *libellus famoſus compoſitio in ſcriptis quæ exponitur in loco publico, vbi à multis legi poſſit, qua proximi fama, & honor iniuſtè lęditur; & reſtitutio debet fieri publica voce preconis, vel publico ſcripto: & l. vn. C. de famoſ. libel. inueniens famoſum libellum, & non lacerans, ſed alijs pandens, tenetur velut auctor ad pœnam capitalem.*

Reſp. 2. quòd circa modum reſtituendi famam ſunt diuerſi modi dicendi; nobis ſufficiat dicere cum Scoto, D. Thoma, & eorum diſcipulis. Quòd detractor, ſi falſum crimen alteri impoſuit, tenetur dicere, ſe falſum dixiſſe, & mentitum fuiſſe; ſi autem verum crimen, ſed occultum propalauit, certum eſt, quòd non debet dicere abſolutè ſe mentitum, vel falſum dixiſſe, quia, vt ait Doctor, tunc mentiretur, & nemo tenetur mentiri propter quodcumque bonum alteri reddendum; quia mentiri eſt intrinſecè malum; debet igitur alio modo licito, & ad id idoneo vti, perſuadendo, ne ipſi credant, quod dixerat, v. g. teſtando, ſe malè dixiſſe, fatuè dixiſſe, & ſimili modo; quòd ſi aliquis auditorum ex hoc modo loquendi velit ſe magìs in mala opinione concepta confirmare, erit ex malitia ſua. Et quidem calliditas hominum eò iam deuenit, vt ſuſpicentur huiuſmodi retractationes fieri eo ſolùm fine, vt reſtituatur fama ablata, de cætero credentes firmiter primum dictum detractoris. Quare infamator debet ſemper benè loqui de illo, & ſemper paratus eſſe, ſi alij petant: qualiter nunc tam bene loquatur de illo, de quo anteà crimen reuelauerat? reſpondere ab eo tempore comperiſſe, ſe erraſſe,

fuiſſe

fuiſſe deceptum &c. & ſic minus occaſionis habebunt auditores ſuſpicandi, id fieri ſimpliciter ad reſtitutionem famæ. Sed quid ſi ij, apud quos detractor aliquem infamauit, deinde infament apud alios; an ipſe ſolus, vel omnes alij crimen peruulgantes, teneantur ad reſtitutionem.

Reſp. affirmatiuè, ſi infamator ſciuerit, aut ſuſpicatus fuerit, eos alijs idem crimen reuelaturos, quia tunc cenſetur efficax cauſa infamiæ apud omnes: negatiuè verò, ſi alter rationabiliter crediderit, eos fore taciturnos, quia tunc infamatio vlterior cenſetur caſualis, ac proindè per accidens cauſa illius: ita noſter Villalobos, & Baſſæus cum alijs.

Quæres: quæ cauſæ excuſent à reſtitutione famæ.

Reſp. tres præcipuè ſunt. Prima eſt ob vitæ periculum, niſi adeò vita abiecta ſit, & fama adeò illuſtris, vt fama ſit vita maioris ponderis. 2. ob inæqualitatem maximam illuſtriſſimæ perſonæ infamantis ad infamatum, quia nemo tenetur rem parui momenti reſarcire cum magno detrimento ſui ipſius. 3. cum rationabiliter creditur; retractationem non profuturam. An verò teneatur reſtituere ſamam per compenſationem alterius rei, ſi non poſsit per retractationem famam reſtituere. Quidam negant, vt Tolet. Syluest. affirmant tamen Scotus loc. cit. q. 4 D. Thom. & alij communiter: ratio eſt, quia quando debitum compenſari nequit ad æqualitem in eodem genere, compenſandum eſt in alio, quoad fieri poterit adæquando. Adde ſequentes alias cauſas. Prima eſt iuſta compenſatio; vndè qui infamat eum, à quo priùs fuit infamatus, non tenetur ad reſtitutionem, niſi & ille ſibi reſtituat: 2. quando crimen iniuſtè detectum alia via factum eſt publicum; tunc enim infamatus amiſit ius ad famam: 3. dum prudenter iudicatur infamiam illatam iam abijſſe in obliuionem; & denique quandò reſtitutio famæ eſt prorſus impoſſibilis. Quæ obligatio extenditur etiam ad famam defunctorum; quia etiam defuncti viuunt in opinione, & exiſtimatione hominum, ac proindè læditur eorum fama, & audientibus infertur ſcandalum. Immò detrahere de mortuis eſt maius peccatum, quàm de viuis, quandò cum eorum fama eſt coniuncta fama viuentium.

QVÆSTIO V.

Vtrum damnificans in bonis ſpiritualibus, teneatur ad reſtitutionem.

NOt. 1. quòd bona ſpiritualia diſtingui ſolent in ſupernaturalia, qualia ſunt fides, gratia, & ſimilia; & in bona naturalia, qualia ſunt vſus, & perſpicacitas intellectus, memoria, doctrina, ſcientiæ, & artes. In primis nullus poteſt effectiuè damnificare, quia malum culpæ ſemper eſt à voluntate propria, & libera peccantis, inquit Scotus, ſed tantùm poteſt aliquis alium damnificare in bonis animæ diſpoſitiuè inducendo eum ad peccatum, ſollicitando diuerſimodè, & retrahendo ab actu bono, & meritorio ſibi conueniente, & debito, & per conſequens, ſi debeat illud ablatum bonum propter peccatum reſtituere, debet per oppoſitum diſpoſitiuè, quantùm poteſt inducere efficaciter ad bonum pœnitentiæ &c. Bona pariter ſpiritualia, naturalia per accidens tantùm poſſunt damnificari, vt infra oſtendetur.

Not. 2. Quòd DD. conueniunt in hoc, quòd qui ad peccatum paratũ inducit, non tenetur ad eius emendationem procurandam ex iuſtitia, ſed ex ſola charitate: conueniunt pariter, quòd qui per vim, vel fraudem alium induxit ad peccandum, vel à bono opere retraxit, ex iuſtitia tenetur, non ſolùm fraudem aperire, & vim auferre, ſed etiam oratione, precibus, & alijs medijs congruis curare, vt à peccato reſipiſcat, quia eſt cauſa iniuſta damni illati. Difficultas igitur in hoc conſiſtit; an qui ſine fraude, & vi non paratum ad peccatum conſulendo, perſuadendo, & rogando ad illud inducit, teneatur ex iuſtitia ad aliquam reſtitutionem. Circa quam difficultatem referuntur duæ opiniones: prima eſt ferè omnium Recentiorum aſſerentium ad nihil teneri ex vi iuſtitiæ, ſed ex ſola charitate ad fraternam correctionem, ſicut cæteri homines, ea ratione, quòd volenti, & conſentienti non fit iniuria: altera eſt Antiquorum ſignanter Scoti, & Scotiſtarum Ricardi, Maioris; D. Antonini, & aliorum, qui docent, in ſpiritualibus teneri ad reſtitutionem, non quidem eadem bona ſpiritualia reddendo, quod eſt impoſſibile, ſed inducendo, quantùm fieri poteſt ad pœnitentiam.

I. Concl.

I. Concl. Qui damnificauit proximum in bonis ſpiritualibus, tenetur ex iuſtitia reſarcire damnum illatum eo modo, quo ſibi poſſibile eſt. Prob. ex Scot. Nam bona animæ digniora ſunt bonis temporalibus, & ideò, vt ait D. Aug. 1. retract. cap. 9. *Cum virtutum bona ſint maxima, plus damnificat, qui in iſtis damnificat, quàm qui in quibuſcumque alijs*, & per conſequens plus ſecundum iuſtitiam tenetur ad reſtituendum proximo tale bonum quantùm ſibi poſſibile eſt.

Confirmatur à Doctore in argumentis ad oppoſitum quæſtionis ex illo exodi cap. 22. vbi dicitur; quòd *qui ſeduxerit virginem, & dormierit cum ea, dotabit eam, & habebit eam vxorem*: ex quo deducit Doctor, quòd damnificatio virgini illata contra caſtitatem reſtitutionem caſtitatis requiri eo modo, quo poſſibile eſt; & quia caſtitas virginalis reddi non poteſt, præcipit Deus, vt ei reſtituatur caſtitas coniugalis, ergo ex iure diuino inducens aliquem ad peccatum, tenetur ad reſtitutionem damni ſpiritualis illati eo modo, quo poſſibile eſt.

II. Concl. Qui tenentur ex iuſtitia veritatem docere, vt Lector, Doctor, Aduocatus, Confeſſor debent ex iuſtitia errorem reuocare apud eos, quos docuit. Item Medicus, qui aliquod medicamentum conſuluit, ſi malitioſè, ſtatim; ſi ignoranter, quàmprimùm id intellexerit, oppoſitum ſuadere tenetur: quòd ſi Medicus non poteſt iam reuocare errorem ſuum, quia v. g. medicamentum ſumptum eſt, tenetur ſatisfacere damnum illatum, ſicut in damnis corporis ad arbitrium boni viri. Denique, qui lædit aliquem in bonis animæ naturalibus, vt in memoria, & intellectu, & in alijs potentijs, quæ per accidens lædi poſſunt ex læſione phantaſiæ v. g. Si quis potione dementet aliquem, vel ſit cauſa, quòd memoriam perdat, tenetur ad reſtitutionem, vt in damnis corporis. Ita ex communi diſcurrit noſter Aretinus in 4. d. 15. q. 3. art. 4.

Arg. cont. 1. Concl. *Nemo ex conſilio dato ſine dolo ad reſtitutionem tenetur ex cap. Nullus de reg. iuris in 6.* ergo inducens alium ſolo conſilio ad peccandum, non tenetur ex iuſtitia aliquid reſtituere. Reſp. cum Maſtrio: quòd regula iuris intelligitur de conſulente circa aliquam rem, quæ non ſit peccatum, vt de contractu, vel quaſi contractu, v. g. de mercatura exercenda, vxore ducenda, lite mouenda, & ſimi-

milibus: vndè ſi ex conſilio dato circa talia ſequatur ali-quod damnum, dummodò conſulens bona fide, & ſine do-lo proceſſerit, non tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti; neque ratio in principio adducta obſtat, nempè, quòd agenti, & conſentienti non fit iniuria, quia peccatum, etſi ex parte inducti, ſit voluntarium, quia liberè peccat, ta-men, quatenus inducitur ad peccatum, fit quodammodo ei iniuria. *Ex quo monet Scotus quantum periculum ſit alium ſolici-tare, & inducere ad peccatum, quia vix poteſt inducens dignè reſti-tuere, cum voluntatem iam allectam ad peccatum, vix poſſit perſua-ſionibus, & alijs, etiam vijs reducere ad virtutem.*

Quæres 1. Quid reſtituendum ſit ob crimen Adulterij.

Reſp. Quòd ſi Adulterium ſit occultum, nec proles, nec infamia ſit ſecuta, ad nihil tenetur, vt communiter Do-ctores tradunt: ſi autem ex adulterio ſequatur proles, & ambo æquè primò in adulterium conſenſerint, tenentur ambo æquè primò ad reſtitutionem pro damno, quod ſu-bit maritus in alenda prole, & quod patiuntur filij legiti-mi; & vno deficiente, tenetur alter inſolidum, quia totius damni tam adulter, quàm adultera ſunt cauſa: quarè omne ſimile damnum obligatur adultera impedire omni meliori modo, quo poſſibile eſt, vt docet Scotus in 4. d. 15. q. 2. v. g. ſuadendo ſpurio, vt intret Religionem, vel fiat Eccle-ſiaſticus, vel efficiendo, vt adoptetur ab extraneo, aut ſal-tem procurando ditare ex proprijs bonis alios filios legiti-mos, & inducere illegitimum ad laborem, & negotiationem, atquè ſimiliter per ſe negotiari &c. vt augeantur in tantum bona communia, donec pars ſpurij cenſeri poſſit de nouo acquiſita, & non detracta portioni filiorum legitimorum. Non debet autem, vt dicit Doctor, ſe exponere certo peri-culo, vel certæ diffamationi propter incertam correctio-nem filij, ſi non credat matri dicenti, illum eſſe ſpurium, quia tunc ſunt duo mala, illa enim eſt diffamata, & iſte te-net hæreditatem vt priùs. Neque mater debet exponere virum periculo vxoricidij, nec ſe exponere periculo diffa-mationis, & mortis, ſeu odij perpetui, & ſeparationis à vi-ro, quæ ex talibus, vt in pluribus eueniunt propter incer-tum bonum hæreditatis reſtituendæ; & propter hoc in Terris vbi primogenitus eſt hęres, vir non poſſet auferre hę-reditatem à ſpurio, niſi in foro publico probaret, eam eſſe

talem, & tunc oporteret mulierem, non ſolùm diffamari apud maritum, ſed apud totam patriam; notant tamen Scotiſtæ, quod quando periclitaretur bonum publicum, vt ſi filius adulterinus, qui aliàs fieret rex, eſſet noxius regno, & compelleret ſubditos à fide apoſtatare; tunc mater teneretur manifeſtare filium ſpurium ex charitate, quia debet mater commune bonum præferre priuato, vt etiam dicit Diana cum alij p.11. tract. 1. reſol. 33. Verùm ſi adulter eſſet dubius, an eſſet ſuus filius, communior opinio aſſerit, ad nihil teneri, eſtò Scilder oppoſitum teneat. Sed quid ſi proles adultera exponatur foribus hoſpitalis alenda inter pauperes.

Reſp. quòd ſi adulter id conſuluerit, vel aliter expoſitionis auctor fuerit, tenetur ad reſtitutionem hoſpitali prolem nutrienti; at ſi mater ipſo inuito, aut inſcio prolem expoſuerit, multi ipſum excuſant à reſtitutione, eò quòd tunc non ſit vera cauſa damni, nequè illud intendat; quòd ſi illud intendat ſimul cum matre ad euitandam infamiam, tenentur ſi diuites ſunt, ad reſtitutionem, quia licèt hoſpitale domicilium ad diuites ſit ſubterfugium, ad ſolos tamen pauperes eſt domicilium, & ideò ibi pauperes ſoli aluntur; diuites verò tantùm charitatis amplexu recipiuntur, vt ex communi tradit Fernandez in theol. moral. Inſuper adulter, ſi moraliter certò eſt pater, tenetur alere prolem à tertio ipſius anno, vt alibi dictum eſt; immò tenetur dotare filiam ſpuriam; quanta autem debeat eſſe dos, putat Diana p. 11. tract. 4. reſol. 25. quòd ſufficiat, ſi commenſuretur alimentorum quantitati, quæ ipſi iure naturali à patre adminiſtranda ſunt, niſi aliundè habeat, vel polleat arte, & viribus, quibus alimenta comparare poſſit.

Quæres 2. Quid reſtituendum ob crimen ſtupri.

Reſp. quòd ſtuprum, vt dictum eſt in diſput. de peccatis in particulari p. 2. eſt violatio virginis ipſa inuita, quia ſi conſenſerit, probabiliùs non eſt ſtuprum, nam ſcienti, & volenti non fit iniuria, & in tali caſu ſtuprator ad nihil tenetur, niſi vi, vel dolo eſſet inducta ad conſenſum: in foro tamen externo ſolet ordinarie præſumi pro puella. Vnde nihil refert, quòd illa ſit ſub poteſtate parentum, quia nihilominus eſt domina vſus ſui corporis, ac proindè ſi virgo conſentiens violetur inuitis eius parentibus, non in-

du-

ducitur malitia ſtupri. Dixi, niſi vi, vel dolo eſſet induċta ad conſenſum, quia ſi ſic eſſet inducta, & corrupta, ſtuprator tenetur ad compenſationem omnium damnorum, vel eam ducendo in vxorem, vel dotando, vt non peiùs nubat, quàm ſi foret integra. Quòd ſi nubat ac ſi non fuiſſet corrupta, ad nihil tenetur ſtuprator, volunt aliqui, ſed oppoſitum eſt verius, quia iam paſſa eſt iniuriam, dum vi, & dolo fuit corrupta. Deinde ſi quis illam, quam vi, vel dolo cognoſcit, deprehendat, non eſſe virginem, & copula ſit occulta, ad nihil tenetur; ſi verò ſit publica, & antea pro virgine tenebatur, tenetur reſtituere, vt nubat, quaſi fuiſſet virgo: vndè in foro externo præſumitur pro virginitate. Adde cum Doctoribus communiter, ſub vim inferente comprehendi etiam eum, cui petenti virgo non audet contradicere ex timore, vel verecundia tanta, vt æquent vim, tollentem libertatem, ſufficientem ad validum contractum virginis, vt v. g. ſi petens ſit Princeps, vel dominus. Item importunus ſtuprator ficte promittens, & illudens ſpe matrimonij futuri, regulariter loquendo tenetur eam ducere in vxorem, nec aliter ſatisfacere; ita D. Thom. in 4. diſt. 24. Richard. ibidem, Ang Cordub. lib. 1. q. 3. & alij. Dicitur ex natura rei loquendo, quia fieri poteſt, vt ex matrimonio ſequantur grauia damna; tunc enim ſufficit dotare; niſi ipſa puella intelligat deceptorem fictè loqui, & velle eam decipere, ac proindè pati ſe ipſam decipi; vndè ſibi imputet deceptionem; tunc enim non tenetur deceptor eam ducere; tunc autem cenſetur voluiſſe puellam decipi, & deceptorem fictè locutum cum ipſa conſcia erat inæqualitatis inter eos circa nobilitatem, vel diuitias, vt cum vir nobilis promittit abiectæ fœminæ, aut diues pauperculæ: interim tamen tenetur eam dotare, à quo onere excuſatur, & multò magis ab obligatione eam ducendi in vxorem, ſi ipſa poſt promiſſionem, cum alio fornicetur, quia tunc potiùs ipſe decipitur, quàm decipiat.

Sed quid ſi Titius e. g. tres virgines paris conditionis ſub ficta promiſſione coniugij corrumpit. Reſp. nonnulli cum Leſs. Titium teneri ducere primam, ſi hæc fraudem aduertere nullo modo potuit, nec tenetur ducere ſecundam, vel tertiam, licèt contingat illum tranſigere, ideſt aliter rem componere cum prima. Quòd ſi prima potuit facilè

aduer-

aduertere fraudem, & non ſecunda, hanc tenetur ducere.

Reſp. inſuper in caſu, quo tenetur ducere primam, teneri cæteris de damno ſecuto occaſione huius fictæ promiſſionis. Verum non video, quomodo Titius non teneatur ducere ſecundam, ſi tranſigat cum prima, quemadmodum enim, ſi prima moreretur, teneretur ducere ſecundam &c. ita, ſi tranſigat cum prima, pari ratione cum ſecunda debet contrahere matrimonium.

DISPVTATIO XI.

De Iniurijs circa bona fortunæ, & quid reſtituendum.

QVÆSTIO I.

Quænam quantitas ſufficiat in materia Furti ad conſtituendum peccatum mortale.

NOt. 1. Quòd *furtum eſt ablatio alieni domino rationabiliter inuito*; vbi per alienum intelligitur omne id, quod ad alterum, vt dominum ſpectat, vel quod eſt in alterius poteſtate, vt eſt v. g. res depoſita, commodata, locata &c. Poteſt autem dominus eſſe rationabiliter inuitus dupliciter, nempè quoad rem, quæ accipitur, & quoad modum accipiendi: ſic filius ſæpè accipit à patre inuito aliquid, non quòd pater nolit tale quid à filio accipi, ſed quia non vult, quòd occultè, vel ipſo inſcio accipiat; quo caſu nullum committitur furtum, quia talis acceptio potiùs dicenda eſt fieri patre inſcio, quàm inuito; ſic pariter Religioſi ſubditi aliquid accipiunt, vel retinent contra voluntatem Superioris, non ſimpliciter, ſed quoad modum. Hinc poſſunt excuſari multæ ſimiles acceptiones domeſticæ, dum ob verecundiam tolluntur res occultæ, non tamen inuitis ſimpliciter parentibus. *Rapina eſt, alieni per violentiam ablatio rationabiliter inuito*, & diſtinguitur ſpecie in genere moris à furto, vt docent Alenſ. D. Thom. D. Auguſt. relatus cap. pœnale 14. q. 5. quod immeritò negat Scotus. Inſuper Furtum, & Rapina diuerſæ ſunt ſpeciei iuxta diuerſitatem obiectorum; nam ſi ſurripiatur bonum Reipub. dicitur Peculatus; ſi ſurripiatur pecus à grege diuer-

ſo

ſo dicitur Abigeatus: ſi quis abducat alienum ſeruum, vocatur Plagium: ſi denique auferatur res ſacra, dicitur Sacrilegium.

Not. 2. Quòd circa propoſitam quæſt. quot ſunt capita, tot ſunt Sententiæ; quidam enim volunt, materiam furti ad peccatum mortale ſufficientem non eſſe aſſignandam ſecundùm ſe, & abſolutè, ſed reſpectiuè ad perſonas, quæ furto damnificantur; aliter enim damnificatur diues, aliter pauper, aliter Princeps, ſeu Rex, & aliter perſona priuata, & ordinariè diues. Alij, vt noſter Poncius diſp. 52. q. 9. cenſent, grauitatem materiæ furti ad peccatum mortale ſufficientem, menſurandam eſſe ex pœna quantitatis furti impoſita; alij huiuſmodi grauitatem attendendam eſſe iuxta rationem locorum, & Prouinciarum, in quibus maior, vel minor copia pecuniæ, & rerum adeſt. Hinc patet, quòd apud Doctores de hac re nil certum inuenitur; nihilominùs iuxtà probabiliorem ſententiam ſit

4 Concl. Probabiliùs eſt, dari in furto aliquam quantitatem, quæ ſecundum ſe, & etiam reſpectu omnium diuitum exiſtimetur notabilis, & ſufficiens ad peccatum mortale. Prob. Summa e. g. trium iuliorum reſpectu omnium videtur notabilis quantitas, etſi reſpectu regum, & principium poſſit eſſe maior e. g. vnus aureus, vt inter alios notat Filiucc. qui inſuper diſtinguens tres perſonarum ſtatus, ſubdit; hæc quantitas reſpectu diuitum videtur eſſe vnius aurei, quia talem quantitatem homines illius ſtatus communiter æſtimant notabilem: reſpectu ſecundi ſtatus perſonarum, ideſt mediocris, erit quantitas dimidia aurei, vel vnius Floreni, hoc eſt ſex iuliorum: reſpectu tertij ſtatus ideſt pauperum, qui ſuis laboribus victitant, erit duorum, vel trium iuliorum ſumma, licet per accidens minor quantitas reſpectu alicuius poſſit ſufficere ad peccatum mortale; vt ſi tollatur ab artifice inſtrumentum parui valoris, ſine quo nequit ſuam artem exercere.

Confirmatur etiam ex abſurdo, quod ſequeretur, ſi admittatur opinio aſſignans quantitatem tantum reſpectiuè; nam *veritas etiam ex abſurdis conſtare poteſt l. nam abſurdum ff. de bonis liberorum*, ſequeretur, inquam, quòd furari mille aureos à Rege non eſſet peccatum mortale, quia facta paritate cum tribus iulijs ablatis à perſona ordinaria, vt ſupra, magis

gis iſta damnificatur, quàm Rex, quòd eſt abſurdum.

Quæres 1. An qui rem emit à fure; poſſit eidem illam reſtituere, ne pretium ſuum amittat, vel potius teneatur vero domino reſtituere, etiam cum diſpendio pretij, quo eam emit. Reſp. Conueniunt Doctores; quòd ſi emens probabiliter credat, rem Domini furi reſtitutam non periclitari, ſed poſſe à domino recuperari, & pretium pro re datum furi periclitari, poſſit in tali caſu eam furi reddere; at difficultas eſt in caſu, quo res, ſi furi reſtituatur, pereat, vel periclitetur domino: circa quam difficultatem tres opiniones referuntur. Prima affirmat in tali caſu teneri ementem domino immediatè reſtituere. Ratio eſt, quia iuxta regulam generalem, res ablata eſt domino reſtituenda: vndè ſi fur diſparuiſſet, & dominus ſciret rem eſſe apud emptorem, poſſet eam repetere; ac proinde etiam cum amiſſione ſui pretij reddere illam Domino teneretur; ergo etiam quando fur adeſt, tenetur eam domino immediatè reſtituere: ita noſter Maior, Medina, Soto, Molina, & alij. Secunda opinio cum diſtinctione procedit. Qui bona fide rem emit à fure poſſet illi reddere, vt pretium ſuum recuperet, qui verò mala fide illam emit, tenetur eam domino reſtituere; ità Bonacina cum alijs. Tertia denique opinio putat, poſſe ſemper emptorem rem emptam furi reſtituere; ità Alenſ. Michael Medina Minorita lib. de Pœnit. Aretinus, Faber, & alij; quæ probabilior videtur Leſſio, Valentiæ Maldero, & pluribus alijs apud Dian. p. 1. tract. 8. reſ. 69. Ratio eſt quia talis emens non tenetur potiùs bonis alterius conſulere, quàm proprijs, cum bona fide alienam rem acceperit, neque cogitur alienum reſtituere cum maiori, vel æquali detrimento ſuorum bonorum; in caſu autem iſto, ſi reſtitueret domino immediate, prodeſſet alteri & ſibi noceret, ergo &c. Tum quia ſibi prouidendo facit actum iuſtum, qui de ſe non eſt malus, nec ex parte recipientis, nec ex parte dantis; tum etiam quia id faciendo non conſtituit res alterius in peiori ſtatu, quàm erat ante: hinc Diana p. 2. tract. 3. reſ. 4. aſſerit, hanc ſententiam claram eſſe, & communem.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum qui bona fide rem furtiuam emit; & poſtea, durante bona fide vendit eam alteri, æquali, vel maiori pretio, teneatur, ſi compareat Dominus, contractum reſcindere reddito pretio, cui vendidit.

NOt. Quòd qui alienam rem bona fide emptam, eadem fide conſumpſit, nil tenetur vero domino reſtituere, niſi inquantùm indè factus eſt ditior; verùm qui rem furtiuam emit bona fide, ſi dominus compareat ante legitimam præſcriptionem, tenetur ei rem in ſpecie exiſtentem reſtituere; quia quælibet res vbicumque fuerit reperta, eſt ſemper vero domino reſtituenda: Inſuper ſi quis rem alterius emiſſet paruo pretio à fure, à quo dominus nunquam erat eam recepturus gratis, poſſet tale paruum pretium à domino repetere; quia in tali caſu cenſetur prudenter negotium vtile domino feciſſe.

Concl. Qui rem furtiuam bona fide emptam reuendit alteri bona fide ad nihil tenetur, niſi fortè ſit factus ditior; hoc eſt ſi vendiderit rem pluſquàm emerit; quia iuxta probabiliorem ſententiam tenetur illud plus reſtituere. Ratio eſt. Etenim non tenetur ratione rei alienæ, quam non habet nunc; nec ratione iniuſtæ acceptionis, vt patet; ergo ex nullo capite tenetur. Cæterùm an præfatus vendens totum pretium reſtituere debeat ei, cui eam vendidit, & ſic reſcindere contractum controuertitur. Affirmatiuè reſpondent Bonac. Malder. & alij apud Dian. p.1. tract. 8. reſ. 68. Quia, aiunt, qui vitrum v.g. vendit pro gemma, aut permutat falſum aurum pro vero, tenetur in conſcientia diſſoluere contractum, & alterum reddere indemnem; ergo pari ratione ſi vendat rem alienam, putans eſſe ſuam, debet contractum dirimere, dum agnoſcit eam eſſe alienam. Verùm probabiliùs oppoſitum tenent; ex noſtris Angel. Pitigianus, Faber, Caſpenſis; & Maſtrius cum multis. Ratio eſt eadem; non enim tenetur ratione rei acceptæ, nec iniuſtæ acceptionis. Nec refert, quòd pretium ſuccedat loco rei; id enim non eſt vniuerſaliter verum; ſed ſolùm in iu-

dicijs, cuiuſmodi ſunt, hæreditas, dos &c. Vndè concludunt Doctores apud Dian. loc. cit. talem venditorem tantùm teneri in foro conſcientiæ ſuo emptori cedere actionem de euictione, quam ipſe habebat contra eum, à quo bona fide dictam rem emerat. Neque hic currit paritas cum eo, qui dedit falſum aurum pro vero, quia hic dedit rem intrinſecè vitioſam; ſecùs autem ille; ideo &c.

Quæres 1. An qui furi aliquid bona fide vendidit, & poſtea cognoſcit pecunias in pretium acceptas eſſe furto ablatas, quarum & dominum noſcit, teneatur eas vero domino reſtituere. Reſp. quòd æquè pecuniæ, ac aliæ res ad priorem dominum ſpectant vbicumque repertæ fuerint: ita Sanchez poſt Nauarra. Quòd ſi tales pecuniæ cum alijs pecunijs dicti venditoris ſint permixtæ; ad nihil teneri docent Nauarra, Sanchez, Sayro, Vaſquez, quos ſequitur Diana p. 5. t. 5. reſ. 40. Ratio eſt, quia, cum *iuxta l. ſi alieni nummi ff. de ſolutione fiat vendens dictarum pecuniarum dominus per talem mixtionem*; vt etiam docuit Gabriel, & poſt ipſum Sylueſt. Medina, & alij apud Sanchez in decal. lib. 2. cap. 23. non tenetur ratione rei acceptæ; quia rem alienam non habet, nec ex ea factus eſt ditior, neque etiam ratione acceptionis iniuſtæ, cum ſupponatur bona fide accepiſſe, & eadem fide inter ſuas pecunias repoſuiſſe, ergo ex nullo capite obligatur &c.

Quæres. An compenſatio occulta ſit licita.

Reſp. Doctores vnanimi conſenſu admittunt licitè compenſationem occultam, poſitis tamen certis conditionibus. Prima, ſi debitum ſit liquidum, ideſt moraliter certum: 2. Si non plus accipiatur, quàm alter ex iuſtitia debeat. 3. Si debitum ſit actuale, hoc eſt tali tempore ſoluendum, vel ſaltem deſit ſpes tempore ſtatuto illud obtinendi: 4. Si præcaueatur, ne idem debitum poſtea ſibi, vel ſucceſſoribus ſoluatur, quod fit ſufficienter monendo alterum, tibi nihil amplius deberi: 5. Si commodè res, ſeu merces haberi nequeat, ſeu recuperari alia via, alioquin peccatur contra iuſtitiam legalem, ait Rich. in quantum vſurpatur officium Iudicis: hanc tamen conditionem non putat neceſſariam Diana, pluribus citatis, ea ratione, quòd quando ex compenſatione occulta nec adeſt periculum ſcandali, nec turbationis Reip. non vſurpatur officium Iudicis, qui ſo-

ſolùm conſtitutus eſt ad puplicam pacem tuendam: 6. deniquè ſi in compenſatione vis non adhibeatur. Hinc patet falſitas propoſitionis damnatæ ab Innoc. XI. de famulis; quæ ſic loquitur. *Famuli, & famulæ domeſticæ poſſunt occultè heris ſuis ſurripere ad compenſandam operam ſuam, quam maiorem iudicant ſalario, quod recipiunt: eſtquè 37 in ordine.*

DISPVTATIO XII.

De iuſtitia diſtributiua, & de Iudicijs.

QVÆSTIO I.

Vtrum acceptio perſonarum ſit peccatum.

NOt. 1. Quòd iuſtitia commutatiua, vt ex dictis patet, reſpicit Res; iuſtitia verò diſtributiua reſpicit Perſonas; Quare ſicut illa res rebus iniuſtè commutando læditur; ita pariter hæc offenditur, dum iniuſtè vna perſona alteri præfertur, quod contingit præſertim in beneficijs, & officijs publicis, in electionibus, honoribus, & Iudicijs. Quoniam verò naturam iuſtitiæ diſtributiuæ in p. diſp de iuſt. & iure explicata fuit; idcircò in præſenti ſolùm agendum eſt de eius obligationibus in officijs, beneficijs, & iudicijs publicis agendis, ne ob temporales reſpectus detur acceptio perſonarum, qua deſtruuntur Prouinciæ, & Regna, & Religiones ipſæ; dum non ob merita perſonarum bona publica, puta officia, & beneficia diſtribuuntur, ſed iuxta proprium genium, affectum, amicitiam, & intereſſe.

Not. 2. Quòd *acceptio perſonarum eſt vitium iuſtitiæ diſtributiuæ oppoſitum quo fit iniqua diuiſio bonorum communium habito reſpectu ad perſonas & eius qualitates impertinentes, non autem ad iuſtas cauſas.* Bona autem Communitatis tripliciter diſtingui poſſunt. Primò, quando eſt res, in qua plures habent ſuam propriam partem per dominium priuatum, & hæc non pertinent ad iuſtitiam diſtributiuam, ſed ad commutatiuam. 2. eſt res, in qua ciues, ſeu perſonæ particulares non habent proprietatem alicuius determinatæ partis, ſed communitas copulatim ſumpta habet illius dominium, & ſic ſunt multa bona, quæ ad publicos, & communes vſus in

ciuitatibus eſſe ſolent, & hæc ſunt materia iuſtitiæ diſtributiuæ, quæ ſi conferantur alicui perſonæ ſeruari debet æqualitas pro dignitate, & qualitate: 3. alia ſunt bona, quæ ſpectant ad principem, & poteſt pro ſuo arbitrio de illis diſponere; ac proindè non cadunt ſub iuſtitia diſtributiua.

Not. 3. Quòd *honor ex Ariſt. lib. 1. Ret. cap. 5. aliud non eſt, quàm virtutis teſtimonium, ac proindè in primis debetur virtute, & ſapientia præditis, quia in his conſiſtit perfectiſſima excellentia naturæ rationalis:* deindè ijs, qui poteſtate excellunt, quales ſunt Principes, & Magiſtratus; nam hi quaſi diuini dominatus, & poteſtatis participes ſunt iuxta illud Scrip. *Per me Reges regnant, & Principes imperant*: item parentibus, eò quòd poſt Deum ſint principium noſtri eſſe, nec non etiam ſenibus, quia ſenex eſt ſignum prudentiæ, ac virtutis. An verò diuites ſint honorandi ob ſolas diuitias, negant communiter; nihilominùs Alenſ. & D. Thom. docent adhuc diuitibus ſuo modo honorem deberi, quatenùs diuitiæ poſſunt eſſe inſtrumenta virtutum, & ſubſeruire bonis operibus.

I. Concl. Acceptio perſonarum ex ſuo genere eſt peccatum mortale, dummodo paruitas materiæ non excuſet: ita communiter Doctores, & ſignanter Angelus in Sum. Verb. Acceptio perſonarum, vbi notat, acceptionem perſonarum eſſe peccatum mortale, quando vel aliquis non facit iuſtitiam, vel facit contra iuſtitiam, negans, aut auferens alicui propter aliquem affectum temporalem, quod illi aliquo iuſto titulo debetur. Quarè peccant Principes, & tantò magìs Prælati Eccleſiaſtici, & Regulares contra iuſtitiam diſtributiuam, ſi conferant indignis bona Reipublicæ 2. modo explicata, beneficia, dignitates &c.

Prob. concl. Nam acceptio perſonarum ex dictis eſt vitium ex ſuo genere mortale, ſed Principes, nec non alij Prælati omittendo dignos pro indignis, acceptant perſonas, non ſecundùm merita, ſed ſecundùm temporales reſpectus; ergo peccant in materia graui mortaliter, diſtribuendo indignis officia Reipub. conferendo indignis Prælaturas, & beneficia Eccleſiaſtica, & hoc habetur expreſsè in Deuteronom. cap. 1. *Non accipietis cuiuſquam perſonam, & Prouerb. cap. 28. Accipere perſonam in iudicio non eſt bonum, & Ia-*

 cob.

cob. Apoſt. cap. 2. Si autem perſonam accipitis, peccatum operamini.

Confirmatur. Etenim in tali collatione fit dignis manifeſta iniuſtitia, qui licèt non habeant ius ſtrictum, & legale ad officia diſtribuenda, habent tamen ius, ſeu titulum latè ſumptum, cum ſint membra Reipub. quibus Princeps ex iuſtitia diſtributiua tenetur illis ea conferre, ergo non ſic diſtribuendo, peccant Principes, & multò magis Prælati Eccleſiaſtici. Confirmatur 2. Nam Princeps eligendo indignum facit contra fidelitatem, quam vt Gubernator debet Reipub. ratione cuius tenetur ad conſeruationem ſubditorum, ad eorum bonum regimen, & ad defenſionem, & mali propulſionem, vt latè oſtendit Petrus Marchant. tom. 3. ſui tribun. alioquin eligens miniſtros indignos, eſt cauſa poſitiua multorum malorum Reipub. igitur peccat contra iuſtitiam diſtributiuam; immò & contra iuſtitiam commutatiuam; cum ex iuſtitia teneatur Remp. rectè adminiſtrare; & quantùm commodè poteſt eius damna impedire; & ad bonum Reip. promouendum, quod præſtare non poſſunt niſi per idoneos miniſtros. Verùm ſi Princeps aſſumat viros dignos, & idoneos, omiſſis dignioribus, peccat quidem contra iuſtitiam diſtributiuam, cuius ius conſiſtit ſolùm in maiori aptitudine, & proportione ad bonum diſtribuendum, & non contra commutatiuam iuſtitiam, ratione cuius tranſgreſſionis tenetur Princeps ad reſtitutionem damni ſecuti *Iuxta reg. iuris. Qui cauſam damni dat, damnum dediſſe videtur.*

Ex hactenùs deductis conſtat, quòd finis iuſti regiminis, eſt bono publico, neglecto priuato, conſulere; ac proindè regimen, quod ordinatur ad proprium commodum, & perſonarum acceptionem eſt iniquum, atque peruerſum. Ex quo fit, vt in Rep. & communitatibus multa mala oriantur, vt diſſenſiones, ſeditiones, & factiones; *Prout oſtendit etiam Ariſt. lib. 5. polit. vbi dicit, quòd in Rep. ex duobus capitibus ſeditiones, & factiones oriuntur. Primò quando homines non recipiunt ſecundùm quod exiſtimant ſe dignos: 2. quia ſunt alij, qui excellentes alios in nobilitate credunt excedere illos ſimpliciter, & ideò reputant ſe dignos maioribus*; & infra oſtendens, qui poſſint iuſtè mouere ſeditionem, ſeu diſſenſionem in Ciuitate, & tamen non mouent, quòd inter omnes iuſtiſſimè poſſunt mouere ſeditionem in ciuitate, quamuis non faciant virtuoſi excellen-

cellentes alios ſecundùm virtutem; & ratio eſt dicit D. Thomas commentando lib. Polit. Ariſt. *Quia illi, qui ſunt ſimpliciter inæquales, ſi non recipiant ſecundùm illam inæqualitatem; iniuſtum ſit ſimpliciter eis; ſed virtuoſi ſunt ſimpliciter inæquales reſpectu aliorum, ipſos excedentes ſecundùm virtutem, ergo ſi non recipiant ſecundùm illam inæqualitatem, iniuſtum ſit eis.* Et cum excedant in eo, quòd eſt bonum ſimpliciter, iuſtiſſimè poſſunt mouere diſſenſionem, ſed non faciunt propter duas cauſas. Prima, quia frequenter contingit propter diſſenſionem detrimentum boni communis: ſapiens autem vt plurimùm plus diligit bonum commune, quàm proprium, & ideò non facit diſſenſionem: 2. ratio eſt, quia ad hoc, quòd aliquis debeat mouere ſeditionem in Ciuitate, oportet, quòd habeat iuſtam cauſam, & potentiam, ſed virtuoſi, vt frequenter non habent potentiam, nec putant ſe habere iuſtam cauſam, ideò non mouent; ſed ſi iſta concurrerent, quòd haberent cauſam iuſtam, & potentiam, & non eſſet detrimentum boni communis, mouerent ſeditionem rationabiliter, & peccarent, ſi non mouerent. Hæc D. Thom. in coment. vt ſupra, quòd attentè ponderent etiam Regulares.

Quæres. Vtrùm licitum ſit vendere officia ſecularia.

Reſp. non eſt illicitum vendere officia ſecularia concurrentibus iuſtis circumſtantijs, secùs illicitum eſt. Ita Roſella, Angles, Herincx, Poncius ex noſtris, & quamplures ex alijs. Ratio, quia dignitas exceſſus pretij cómenſurati ad labores, qui ab aliquo conſtituitur in officio iuſtè ratione officij exigitur, & occaſio lucrandi ſunt verè pretia æſtimabilia, ſed hæc omnia manifeſtum eſt reperiri in multis officijs publicis, ergo huiuſmodi officia ex natura rei vendi poſſunt, notanter dicitur ex natura rei, quia tales venditiones ſæpè, imò plerùmque redduntur illicita ob plurima damna, quæ indè Reip. obueniunt; datur enim occaſio non eligiendi digniores, & electi per emptionem ſtudent ſolutum pretium recuperare, augendo ſtatutum pretium ſuorum laborum. Quarè Doctores vnanimi conſenſu docent, non expedire officia prædicta vendere, quia talis venditio peſtis eſt Reip. Itaque eligendi ſunt homines, quos deſignat Exod. cap. 18. vbi dicitur. *Prouide autem de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & ode-*

& oderint auaritiam, & conſtitue ex eis Tribunos, Centuriones, Decuriones &c. Cæterùm conditionum, quæ poſſunt aliqualiter cohoneſtare officiorum ſecularium venditionem, prima eſt, vt talia officia vendantur ſaltem digno. 2. vt vendantur pretio moderato. 3. vt id fiat ob neceſſitatem, & vtilitatem Reip. nimirum, quia eget pecunia.

QVÆSTIO II.

Vtrum impediens aliquem à conſecutione officij, vel beneficij teneatur ad reſtitutionem.

NOt. Quòd dupliciter poteſt quis impediri, ne aliquod bonum, ſeu officium, vel beneficium ab ipſo procuratum, conſequatur. Primò, ne conſequatur id, ad quod habet ius, & quod ei ex iuſtitia debetur: 2 ne conſequatur quod ei ex iuſtitia non debetur, ſed ſolùm ex liberalitate, & beneficentia aliorum. Inſuper dupliciter poteſt quis alterum impedire ab aliquo bono conſequendo. Priori modo ſolis precibus, & ſuaſionibus, nimirum ſuadendo eum, ad quem ſtat conferre beneficium, ne illud conferat tali perſonæ; poſteriori modo dolo, metu, fraudibus, & per iniuriam aliquam efficiendo, ne talis perſona huiuſmodi bonum conſequatur. Conueniunt Doctores, quòd ſi res non erat debita ex iuſtitia, ſed conferenda ex libera voluntate collatoris, impediens alterum à conſecutione talis boni ſine vi, & fraude, ac deceptione collatoris, & fiat ex intentione proprij commodi, vel alterius amici, & non ex animo nocendi, non obligari ad reſtitutionem; vt ſi quis impediat aliquem a conſecutione legati conferendi, efficiendo, vt teſtamentum mutet, & potiùs ſibi illud relinquat. Verùm ſi quis per vim, & metum, vel fraudem, hoc eſt, per deceptionem, & mendacia collatorem retrahat, ne donet aliquod bonum, cui donare volebat, tenetur ad reſtitutionem pro ratione valoris ſpei; quia licèt ille ius non haberet ad rem, ius tamen habet, ne per media iniuſta ab alijs impediatur à conſecutione boni, quod ex alterius beneuolentia ſperabat: ita Scot. in 4. d. 15. q. 2. in ſolutione ad vltimum, & alij communiter; punctus igitur difficultatis eſt; an quis obligetur ad reſtitutionem; ſi abſque vi,

frau-

fraude, ex odio tamen, & ex directa intentione nocendi aliquem impediat.

Concl. Qui impedit aliquem à conſecutione alicuius boni, ſeu officij, & beneficij, quod ei ex iuſtitia non debetur, nec aliqua vis, aut fraus adhibetur, ad nullam reſtitutionem obligatur, etiamſi id fiat ſiniſtra intentione nocendi, & impediendi bonum alterius. Eſt Scoti loc. cit. Ratio eſt, quia ſolus animus nocendi ſine alterius iuris violatione, non eſt ſufficiens radix reſtituendi, quia obligatio reſtitutionis non oritur niſi ex eo, quòd tollatur res ipſa, aut ius alterius per media, & contractus illicitos: vndè ex Scot. dictum eſt in diſp. de mutuo, & vſura, quòd animus vſurarius mutuantis, niſi trahatur in pactum verbis, aut ſignis manifeſtis, non inducit obligationem reſtituendi, quia ſolus animus nocendi non priuat hominem iure ſuo, vel dominio, ſi cum animo nocendi non coniungatur actio externa alterius iuri iniurioſa. Hinc patet, quàm malè ab aliquibus pro oppoſita ſententia citetur, vt videre eſt ipſum Scotum in loc. cit. vel apud Fauent. diſp. 50. cap. 8. & apud Maſtrium diſp. 9. q. 1. art. 2.

Nec obſtat *lex illa ff. praſcindo venas, qua ſtatuitur, vt ſi quis aliquid in ſuo fundo faciat, ex quo damnum vicino ſequatur, non teneatur de damno ſecuto, ſi id faciat animo non nocendi*, ergo ab oppoſito arguendo, ſi animo nocendi faciat, tenetur ad reſtitutionem; quia lex citata non intelligitur de ſolo animo nocendi, ſed de animo nocendi, coniuncto cum actione externa mala, vt fraude, & dolo; vt egregiè tradit Doctor diſcurrendo ſuper leg. allegatam.

QVÆSTIO III.

Vtrum Vectigalia, & Gabellas defraudare, & non ſoluere ſit peccatum.

NOt. Quod præter ea, quę dicta ſunt in tract. de Legibus diſp. 5. q. 5. de ſolutione gabellarum, & vectigalium; in præſentiarum alia plura dicenda occurrunt; & quidem in primis danda eſt deſcriptio vectigalis, gabellæ, pedagij &c. *Vectigal eſt tributum, quod ſoluitur de rebus, quæ ad aliquem locum aſportantur, aut ibi venduntur.* Gabella eſt nomen gene-

rale non minùs late patens; quàm tributum; *Tributum autem eſt, quod vnuſquiſque pro ſe ſoluit in ſignum ſubiectionis; & dicitur etiam cenſus l. ætatem ff. de cenſibus*, & poteſt eſſe realis, vel perſonalis. *Pedagium propriè eſt, quod datur à tranſeuntibus in certo aliquo loco à Principe conſtitutum. Portorium eſt, quod ſoluitur pro tranſportatione mercium per pontes, portus, aut flumina.*

Not. 2. Quòd Princeps poteſtatem habet imponendi iuſta Vectigalia, ſeu gabellas, ſi ſint Principes abſoluti in Terris ſibi temporaliter ſubiectis. Principes abſoluti dicuntur, qui in temporalibus Superiorem non agnoſcunt in ſuo regimine; tales ſunt Pontifex, Imperator, Reges, Duces e. g. Etruriæ, Sabaudiæ &c. Notat autem noſter Poncius diſp. 59. q. 2. hoc ita intelligendum eſſe, vt illi ſoli poſſint ea ſic imponere, vt ab alijs impediri non poſſint, quò minùs ſolui debeant; aliàs enim ex natura rei nihil obſtare videtur quò minùs aliquis particularis Dominus alicui Principi, vel Regi ſubditus, vel aliqua Ciuitas tributum ſuper ſubditos imponere poſſit in ordine ad bonum commune Ciuitatis, vel ditionis, quod tamen à Principibus, quibus ſubduntur, reuocari poſſet. Itaquè Magiſtratus, & inferiores Principes, ſeu Marchiones non poſſunt abſolutè gabellas imponere, ſed dependenter à poteſtate, & conſenſu explicito, vel implicito Principis, Regis &c. quam quidem poteſtatem cenſentur ſemper habere, vbi neceſſarium id iudicant in conſeruationem communitatis. Cæterùm difficultas eſt determinare res, ſuper quibus gabellæ, ſeu vectigalia imponi poſſint: Siquidem communiter Doctores volunt ea iniuſtè imponi ſuper rebus ad vitam, & humanum vſum neceſſarijs, ſi aliundè neceſſitati communi poſſit ſuccurri; rationem dant, quia in illis, æquè grauantur pauperes, ac diuites, immò magis pauperes, vt paulò infra oſtendetur; quod apertè repugnat debitæ onerum diſtributioni.

Concl. Dum conſtat, gabellas, ſeu vectigalia, & tributa eſſe ex omni parte iuſta; ſubditi tenentur in conſcientia illa ſoluere, & non defraudare. Ita ſententia communiter recepta. Prob. ex S. Scrip. ad Rom. 13. *Ideò & tributa præſtatis, miniſtri enim Dei ſunt &c.* & Matt. 22. Saluator præcipit: *Reddite ergo, quæ ſunt Cæſaris Cæſari.*

Prob. etiam ratione. Iure naturæ debentur Principi ea,

quæ

quæ neceſſaria ſunt ad ſuum ſtatum, & decus conſeruanda; ergo quandocumque Princeps ſine talibus gabellis, & tributis ſuum ſtatum decenter non valeat conſeruare, ſubditi tenentur in conſcientia ea ſoluere. Idcircò in concluſione dicitur, dum ex omni parte iuſta ſint: Iuſtitia autem gabellarum, & tributorum præcipuè ex duobus dignoſcitur. Primum ex cauſa, ideſt, quòd ſit iuſta, cuius Iuſtitia attendi debet ex neceſſitate boni communis, ad quod tributa ordinari debent, non ad Principis commodum, luxum, & abundantiam; ſic neceſsitas publica ad bellum iuſtum inferendum, vel regnum tuendum, vel ad redimendum Remp. ab aliquo onere, aut debito; vel ad prouidendum victui, & annonæ, vel deniquè ad compenſationem ſumptuum, & damnorum acceptorum. Secundum, vt tributa in ijs rebus imponantur, & cum tali proportione, vt pauperes non plùs grauentur diuitibus; & ne vltra neceſsitatem, propter quam ſunt impoſita protrahantur; niſi aliqua alia neceſſitas æqualis, vel maior ſuperueniat. Quarè Doctores vnanimi conſenſu docent, in tributis imponendis ſeruandam eſſe proportionem geometricam, quæ in hoc conſiſtit, vt ij, qui maiores diuitias habent, plùs ſoluant, & qui minores minùs ſoluant; quod certè in gabellis impoſitis rebus ad humanum vſum neceſſarijs ſeruari non poteſt; immò oppoſitum manifeſta experientia comprobatur; dum pauperes nil poſſidentes coguntur ſoluere ac diuites; immò plus, vt patet diſcurrenti; ideoquè pro maiori notitia huius materiæ videnda eſt quæſtio cit. in diſp. de leg.

QVÆSTIO IV.

Vtrum ad beneficium Eccleſiaſticum ſemper dignior ſit eligendus.

NOt. 1. Quòd *beneficium Eccleſiaſticum eſt ius percipiendi fructus in perpetuum ex bonis Eccleſiaſticis ob munus ſpirituale auctoritate Eccleſiæ conſtitutum: ità Doctores communiter, & colligitur ex cap. Relatum de præbendis*. Diuiditur beneficium primò in regulare, & ſeculare; primum eſt, quod conceditur Religioſis, vt Abbatia, Generalatus, Prouincialatus, Prioratus,

tus, Guardianatus &c. quibus etiam Beneficia curata poſſunt ſine diſpenſatione concedi ; non tamen alia , quibus non eſt animarum cura annexa, ne per hoc eis detur occaſio vitæ licentioſioris . & otioſæ ; id tamen ſolùm verificari de Religioſis in particulari . Secundum eſt ſeculare, quod conceditur Clericis non Religioſis ; hoc autem vel dicitur ſummum, & vocatur Papatus, vel dicitur eminens , & hoc eſt Cardinalatus, aut appellatur, maius, & dicitur Epiſcopatus ; aut eſt mediocre , & ſic eſt quicumque perſonatus habens annexam animarum curam ; vt Curatus , Archipresbyter, Plebanus &c. deniquè aliud nuncupatur minus ; & hoc dicitur beneficium ſimplex , quod curam animarum non habet, ſed ſimplicem adminiſtrationem Eccleſiæ perpetuam, vel altaris ſui beneficij ; vndè ſi adminiſtratio ſit amouibilis propriè non dicitur beneficium , ſed Capellania . Inſuper beneficium patronatum ; ſeu iuſpatronatus eſt illud, quod agnoſcit fundatorem habentem ius præſentandi . Prælatura eſt beneficium habens annexam fori externi iuriſdictionem Eccleſiaſticam ; ideoquè Priores , & Superiores etiam conuentuales meritò ex hoc capite dicuntur Prælati . Dignitas propriè eſt beneficium habens annexam præeminentiam , ac iuriſdictionem Eccleſiaſticam, vt beneficium maius, Præpoſitura, Archidiaconatus, Abbatia Secularis . Perſonatus eſt beneficium habens annexam præeminentiam Eccleſiaſticam abſq; iuriſdictione.

Not. 2. Quòd indubiè beneficium Eccleſiaſticum conferendum non eſt indigno, ſed digno, vt conſtat *ex cap. graue nimis ;* quia ſi daretur indigno , id cederet in deſtructionem, & non ædificationem Eccleſiæ . *Dignitas autem conſiſtit in tribus; nempe in bonitate morum, in ſcientia ſufficienti ad ſuum munus obeundum ; & in idoneitate , & aptitudine ad ſuum officium exercendum ;* poteſt enim contingere, quòd aliquis ſit doctus, & tamen neſciat exercere ſuum munus , vel non poſſit præ alijs occupationibus, vel quia non eſt datus praxi, & exercitio exteriori ; adeoquè dicitur indignus , vt docet Fernandez cum noſtro Rodriquez, Maiolo, & Toleto . Præter hanc perſonæ dignitatem requiruntur conditiones preſcriptæ à iure . Prima vt ſit Clericus ſaltem primæ tonſuræ, teſte Toleto lib. 5. cap. 89. 2. vt ſit ex legitimo Matrimonio natus : 3. vt ſit legitimæ ætatis *cap. cum in cunctis de elect.*

Ætas

Ætas autem ad Epiſcopatum eſt 30. annus inceptus ; ad Curatum 25. inceptus cap. eod. cit. ad Beneficia ſimplicia 14. ex Trid. ſeſſ. 23. [illegible] Quartò vt non ſit inhabilis vllo iuris impedimento; qualis eſt irregularitas ; excommunicatio , vel alia cenſura Eccleſiaſtica : 5. vt non habeat aliud beneficium ; vt decernitur cap. Singula 89. diſt. & Trid. ſeſſ. 7. cap. 24. idquè intelligendum de omnibus beneficijs, tàm curatis, quàm ſimplicibus ; vt notat Rodriq. in ſum. c. 31. ex declaratione Congreg. Cardinalium. Si tamen non poſtulent reſidentiam perſonalem , licet habere plura beneficia , vel vno excepto.; ita Fernandez ex communi p. 3. cap. 13. §. 7.

Concl. Ad beneficia Eccleſiaſtica curam animarum annexam habentia ſemper dignior eligi debet, quibuſdam caſibus exceptis. Hæc eſt communior ſententia, immò certa , vt ex dicendis conſtabit ; eamquè docent Alenſ. p.2. q. 136. D. Bonau. in ſpecul. animæ p.3. D. Thom. 2. 2. q.63. art. 2. Lyran. in cap. 21. Ioan. Richar. Scoti, Maior. in 4. d. 15. quos ſequuntur quamplures recentiores , tam Theologi, quàm Iuriſperiti. Prob. *Ex cap. vn. lib. 3. Decretal. tit. 12. vbi dicitur ; conferenda eſſe beneficia, non ex affectu carnali , ſed diſcreto iudicio debere Eccleſiaſticum beneficium in perſonam magis idoneam diſpenſari*, & oppoſita beneficij collatio , tanquam grauis culpa, reprehenditur in eodem cap. ab Innoc. in Concil. generali : conſtat inſuper ex Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. vbi ſic habetur. *Omnes, & ſingulos, qui ad promotionem præficiendorum, quomodocumque ius habent mortaliter peccare , niſi quos digniores, & Eccleſiæ magis vtiles ipſi iudicauerint , non quidem precibus, vel humano affectu , ab ambientium ſuggeſtionibus , ſed eorum exigentibus meritis præfici diligenter curauerint* . Accedit etiam ratio euidens, quia vt ſupradictum eſt , bona communia , & publica diſtribuenda ſunt iuxtà merita perſonarum , ſeruata proportione geometrica , quam poſtulat iuſtitia diſtributiua ; ergo cum beneficia Eccleſiaſtica ſint bona publica Eccleſiæ,conferri debent ex natura rei ſecundùm proportionem meritorum ; ac proindè dignioribus ſunt conferenda ſub pœna peccati mortalis. Vndè corruit opinio dicentium,obligationem ſub mortali ad eligendum digniorem ex natura rei non adeſſe, niſi habeatur aliunde , vel ex iuramento, ſtatuto, vel lege, vel niſi beneficium detur per concurſum , & ſublatis huiuſmodi circumſtantijs , dari

poſſe

poſſe dignis, omiſſis dignioribus, quoties prudenter indè non timeatur ſecuturum damnum Eccleſiarum, ſeu animarum.

II Concl. Obligatio eligendi digniorem extenditur etiam ad reſignantem beneficium in fauorem Tertij. Hæc deducitur ex prima, & traditur etiam à Nauar. Vaſquez, & alijs. Ratio eſt, quia reſignans, etſi non ſit diſtributor, tenetur ſeruare ea, quæ ex natura rei, vel iure poſitiuo exiguntur; canones autem præſcribunt, & mandant, non ſolùm reſpectu perſonarum concurrentium digniores eligi, vt iuſtitia diſtributiua iuxtà merita, & qualitates concurrentium locum habeat, ſed etiam ad procurandam Eccleſiæ vtilitatem; quæ quidem vtilitas intendi debet tam in concurſu, quàm extra concurſum, ac proindè etiam in reſignatione, immò ideò digniores eliguntur, quia ab illis primò, & principaliter maior Eccleſiæ vtilitas ſperatur. Soli igitur patrono, ſeu fundatori beneficij videtur conceſſum, & licitum poſſe eligere dignum, omiſſo digniori; quia de proprijs bonis conueniens eſt, vt poſſit ſic diſponere Cap. Monaſterium 16. q. vlt. Cæterùm caſus particulares, & excepti, in quibus quis non obligetur eligere digniorem, etiam in beneficijs curam animarum annexam habentia, videri poſſunt apud Doctores, & ſignanter apud Bonac. & Card. de Lugo diſp. 35. ſect. 2. An verò ad reſtitutionem teneantur, qui in concurſu, omiſſo digniori, eligunt dignum: variant Doctores, nam alij affirmant, alij negant; affirmatiua tamen opinio, vt dicit Diana p. 11. tract. 4. reſol. 35. eſt communior, & ſequenda. Nihilominùs Scot. Rich. Adria, & alij, docent ad nihil teneri, qui ſibi, vel alteri procurat beneficium extra concurſum, ſi dignus tantùm eligatur.

Quæres. An hæc eadem doctrina locum habeat in electionibus Regularium ad Prælaturas.

Reſp. Maſtrius in Theol. moral cum Fabro in 4. diſp. 45. de reſtit. c. 5. quòd huius quæſiti reſolutio propter quaſdam Religiones præſertim neceſſaria eſt, in quibus ignorantia dominatur, vel hypocriſis; permittit enim Deus interdum in Religionibus hominem regnare hypocritam ad Religioſorum peccata punienda iuxta, illud Iob. 34. *Qui regnare facit hominem hypocritam propter peccata populi*, de quo graui abuſu

plu-

plures diuerſarum Religionum Auctores vehementer conqueruntur, & præſertim Faber noſter loc. cit. vbi ait, quòd *Superiores Religionum, in quibus hic pollet abuſus, litteratis vt mulis, & equis vtuntur, ideſt ſolùm ad labores, ad dignitates autem, & regimina dicunt eſſe ineptos.* Communis ſententia docet apud Card. de Lugo diſp. 35. ſect. 2. eandem eſſe obligationem eligendi digniorem in Prælatum Regularem, perinde ac in beneficium ad curam animarum. Ratio eſt, Quia cum tota huius obligationis ratio ex bono communitatis deducatur, cui electores conſulere debent, & ex damnis eiuſdem communitatis, quæ impedire tenentur, negari nequit, eadem mala in Religionibus oriri poſſe, ſi digniores non eligantur; & tantò magis certa eſt hæc obligatio, quando præcedit iuramentum eligendi meliorem, ſeu digniorem, & quando Conſtitutiones, & Regulæ id præſcribunt.

APPENDIX I.

De penſionibus.

PEnſio ſumpta pro iure exigendi, vel ſoluendi non pro penſione, quæ ſoluitur, & exigitur; ſic communiter deſcribitur. *Penſio Eccleſiaſtica eſt ius percipiendi fructus ex determinato beneficio alieno.* Duplex autem eſt Penſio Eccleſiaſtica; Clericalis, quæ datur ob exercitium, aut ſubſtentationem ſtatus Clericalis: altera eſt Laicalis, quæ datur ob temporale ſeruitium Eccleſiæ exhibitum, aut exhibendum, quæ quidem penſio Laicalis eſt quid temporale, & non ſpirituale, vt ex communi notat Filiuc. in tract. de penſion. An verò penſio clericalis ſit quid ſpirituale, vel temporale, controuertitur omnes enim ferè Doctores, qui ante B. Pium V. ſcripſerunt, negant eſſe quid ſpirituale, ſed communis, & vera ſententia affirmat; quia eadem ratio, quæ probat de beneficio, quòd ſit quid ſpirituale, quia eſt annexum ſtatui Clericali, & datur propter officium ſpirituale, ita cum penſio Clericalis ſit annexa ſtatui Clericali, & detur propter officium Clericale, eſt pariter quid ſpirituale, *Quòd conſtat ex conſtitutione B. Pij V. & Sixti V. in quibus decernitur, penſiones eccleſiaſticas non niſi deferentibus tonſuram poſſe conferri, & obligationem inducere recitandi officium B. Virginis*

Qua-

Quarè peccatum Simoniæ committunt, qui penſiones Clericales vendunt, redimunt, aut in commercium illicitum, ſiue ex natura ſua, ſiuè ex prohibitione poſitiua trahunt. Non tamen Simoniæ pœnas incurrit, quia cum pœnæ impoſitæ ſimoniacis loquantur de Simonia circa beneficia, recepti iuris eſt, quòd qui ſimoniacè peccant in penſionibus; non incurrant tales pœnas: ita Nauar. Cordub. & alij; quos citat, & ſequitur Filiuc. loc. cit. Cæterùm à quo poſſint Eccleſiæ penſiones imponi, & quæ perſonæ ſint capaces eiuſdem penſionis, & incapaces, quibuſuè beneficijs, nec non ob quas cauſas ſint penſiones conſtituendæ, ac conferendæ; & inſuper de obligationibus titularis penſione grauati, & penſionarij, & de eorum peccatis, & deniquè de ceſſatione penſionis latè tractatur à Bonac. præſertim, & à Filiuc. loc. cit. ad quos lectorem remitto breuitatis cauſa.

APPENDIX II.

De Electione.

Electio communiter definitur. *Eſt alicuius hominis ad Eccleſiam paſtore deſtitutam canonicè facta vocatio, neque enim electio fieri poteſt niſi Eccleſia, vel Conuentu ſuo paſtore vacante, vt conſtat ex cap. Quia propter de elect. vbi dicitur; Eccleſijs viduatis*. Et pertinet electio ad Collegium, vel aggregationem, etiam, ſolùm duo, vel tres fuerint ſi extra eo cap. 1. De ſubſtantia autem electionis ſunt ſequentia *iuxta gloſ. in cap. Quia propter*. Primò, vt ſecretò, & ſigillatim per ſcriptum ſuffragia recipiantur; quòd ſi inaduertenter, vel ex negligentia, vel etiam ex malitia aliquod ſuffragium publicaretur, cenſent Doctores, præſertim Rodric. & Bordon. non eſſe contra formam eſſentialem electionis, etiam à Trid. præſcriptam, ac proindè talem electionem eſſe validam: 2. vt publicatio fiat in communi: 3. vt collatio, ac publicatio fiat ſtatim, nullo actu contrario interpoſito: 4. vt maior pars capituli ſuffragetur electo, idquè iuxtà leges canonicas, & particulares latas de exceſſu ſuffragiorum; apices autem electionis, hoc eſt, quæ non ſunt de eſſentia, ſunt cætera, præter proximè dicta. Et ibidem ait gloſ. non

eſſe de ſubſtantia electionis vocare omnes abſentes; ſi enim non vocentur, valebit, etſi non vocati poſſint annullare electionem, ſi velint: neque inſuper eſt de ſubſtantia electionis, vt ſint tres ſcrutatores ſuffragiorum; quia in ore duorum, vel trium &c. gloſ. ibidem. Neque eſt de ſubſtantia, quòd ſcrutatores ſint de corpore capituli.

Electio tribus modis iure fieri poteſt, nempe per Inſpirationem, per Scrutinium, & per Compromiſſum *cap. Quia propter* Electio per Inſpirationem fit, cum electores nulla præcedente conſultatione, quaſi Diuini Spiritus impulſu excitati, ſimul omnes in vnum repente conſentiunt, & ſimul vnum nominant, & eligunt. Per Scrutinium fit electio, cum præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commodè intereſſe, tres de Collegio fide digni aſſumuntur, qui ſecretè, & ſigillatim vota, & ſuffragia cunctorum diligenter exquirant, & demum in ſcripturam redacta, mox publicè denuntient, quo facto, nequeunt electores variare *cap. Publicato, de elect.* Ea deindè collatione habita, is demum cenſetur electus, in quem omnes vel maior, & ſanior pars Collegij ſtatim conſenſerit. Quòd ſi eligentium ſuffragia ità diuidantur, vt hinc quidem Electorum pars numeroſior conſiſtat, illhinc minor, ſed quæ non minus auctoritate eligentium, quàm ex meritis electi ſanior appareat, ad infringendam electionem maioris partis; facultas eſt minoris, & de auctoritate eligentium, & de meritis eius, qui eſt electus, opponendi; *gloſ. in cap. Si quando de elect. in 6.* Hoc tamen locum habet, cum non magnus in altera parte contingit exceſſus; *gloſ. in cap. Si quandò; de elect. in 6. in verbo, interdicimus.* Cæterùm, ſi quandò duabus electionibus factis, pars altera eligentium duplo maior numero deprehenditur, aut ſaltem continet duas partes ex tribus contra huiuſmodi electores, ad extenuanda merita, vel auctoritatem ipſorum infirmandam, paucioribus, vel electo ab eis, opponendi facultas non eſt: *gloſ. in cap. Si quando cit.* Poteſt tamen opponi, ſi eligentium ſuffragia ipſo iure ſint irrita, puta quia ſunt excommunicati, vel omnes, vel aliqui eorum; gloſ. ibidem.

Per Compromiſſum celebratur electio, cum plures idonei viri eliguntur, in quos omninò bene eligendi certo modo facultas, & poteſtas transfunditur, qui arbitri compromiſſi

miſſi

miſſi fines diligenter cuſtodire debent; alioquin, ſi quid contra demandatam formulam fecerint, nullum habet iuris effectum electio: quòd ſi intra terminos conſtiterint, quod ab eis factam fuerit vſque adeò ratum, & firmum habebitur, vt etiam electione minimè ſecuta, re tamen non integra, demandata ſibi poteſtas reuocare iure non poſſit *cap. Quia propter de elect.* & poteſt cōmitti hęc poteſtas eligendi vni, vel pluribus, tam ex ijs qui ad collegium ſpectant, quàm ex ijs, qui extrà collegium ſunt, *vt notat gloſ. in cap. Quia propter de elect. & colligitur ex cap. Cauſam quæ, de electione.* Nota tamen, quòd in ordine Minorum pro electione quacumque ſufficit exceſſus medietatis ſuffragiorum, prout habetur in Statutis Tolet. verb. elect. & practicatur quotidie, e. g. Si electores ſint 31. is, qui habet ſuffragia, ſeu vota ſexdecim, remanet electus.

Electio debet eſſe libera, quæ autem minùs liberè fuit facta, eſt ipſo facto inualida; *dicitur verò minùs libera; quæ facta fuit per metum cap. vbi periculum §. cæterùm de electione.* Item quæ facta fuit per limitationem perſonarum, quæ vocatur electio coarctata, vt cum Præſes Congregationis dicit. Nomino Petrum, Iohannem, & Iacobum ex his tribus eligite vnum in Abbatem, in Prouincialem &c. Quòd ſi Statutum adſit in Religione, vt non eligantur ad tale munus niſi ex tali, vel tali natione; vel eiuſdem Prouinciæ ex tali, vel tali cuſtodia, ſeu genere Perſonarum; & omnes illius nationis, ſeu cuſtodiæ ſint indigni, electores tenentur eligere dignos alterius nationis, ſeu cuſtodiæ; alioquin mortaliter peccant, vt colligitur ex dictis, & etiam ex D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.

In electionibus vota conditionata, & incerta non valent, vt notant noſtri Orbellus in 4. diſt. 24. q. 5. de elect. Rodriq. & Portel. verb. Electio; vt ſi dicatur in ſchedula: *Eligo Franciſcum, vel Petrum. Eligo Petrum ſi tale, vel tale fecerit, aut contigerit; item eligo; quem elegerit maior pars Conuentus; vel quem elegerit Prælatus præſes: ita Portel. l. c. cum Rodriq. tom. 2. q. q. reg. q. 51. art. 4.*

Electio facta per ſchedulas communiter fieri nequit de nocte; poterit tamen, ſi fiat cum ſufficienti numero candelarum, ideſt, quòd adſint tria luminaria, & vrgente aliqua graui neceſſitate, vt ſi iam incepta ſit electio, & periculum

ſit

ſit in dilatione Rodriq. q. cit. art. 15. Mirand. Portel. &c. Quòd ſi electores vna die naturali per diſcordiam non eligant in Ord. Minorum, Præſes electionis poteſt eligere quem voluerit, etiamſi ſit electio Prouincialis, Abbatiſſæ, & ſimilium ex Stat. Tolet. & Clement. exijt de verb. ſignif. & Rodriq. q. 52. art. 5. quod puto eſſe intelligendum de Præſidente habente talem auctoritatem, vel ordinariam, vel ſpecialiter delegatam; ſcio enim huiuſmodi electionem deuolui ad Superiorem Generalem in Italia iuxta Ord. conſtit. Verùm in Eccleſijs cathedralibus, & regularibus, vt notat Azorius Inſtit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 15. remoto omni legitimo impedimento, ſi electores intra ſex Menſes non elegerint, electio deuoluitur ad proximum ſuperiorem: ſi is intra totidem Menſes electionem diſtulerit deuoluitur ad alium Superiorem, & ſic vſquè ad Papam *cap. Ne pro defectu. De elect.* Item ſi omnes electores ſcienter elegerint indignum, tunc electio deuoluitur proximè ad Romanum Pontificem *cap. Quamquam, de elect. in 6.* Electio non eſt actus ordinis, nec Iuriſdictionis, ſed potiùs muneris, & officij; nam Canonici ius habent eligendi Præſulem, Monachi Abbatem, & tamen non habent poteſtatem iuriſdictionis. Immò in electione Prælati localis facta per conuentum, poſſunt ſuffragari etiam illi, qui ſunt abſque Ordine ſacro; *Nam Clementina, vt hi de ætate, & qualit. non loquitur de mendicantibus, ſed de Clericis, & Canonicis Regularibus.* Ita Rodriq. & cum eo Portel. loc. cit. Videant tamen Religioſi ſua ſtatuta; nec obſtat Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. de Reform. vbi ait, *quòd non habeat vocem in capitulo is, qui non fuerit Subdiaconus;* quia non prohibet, quin illam habeat aliquis in illo ordine, in quo per ſtatutum, vel conſuetudinem ſuffragium dant, etiam carentes Ordine Sacro ex declaratione Cardinal. ſuper Trident. Anno 1573. vt refert compend. Minimorum, & notat Portel. & praxis comprobat.

Caſſanda eſt electio illius, qui requiſitus antequam eſſet electus, conſenſit electioni de ſe faciendæ; quia præſumitur ambitioſus *extra eo. cum priùs petitam, & cap. officij.* Si electus non conſentit, vel poſt conſenſum renunciat iuri ſuo, vel moritur; vel propter eius vitium electio irritatur, electores habent integrum tempus poſtmodum ad eligendum, ac ſi vacatio noua eſſet *extra eodem. Si electio lib. 6.* Sed

quid

quid iuris, & poteſtatis tribuit confirmatio electo, quia ſi electus ante confirmationem adminiſtret, remouendus eſt *extra cap. Qualiter; niſi in Sum. Pontifice, qui eligendo confirmatur diſt. 23.* Reſp. quòd confirmatio tribuit electo plenum ius in beneficium, ſeù prælaturam; itaut confirmatus poſſit ea omnia, quæ ſunt iuriſdictionis *Cap. Noſti de elect.* talis autem confirmatio fieri debet à Præſide Capituli in Ordine Minorum per auctoritatem delegatam à Superiore Generali; nec poteſt denegare confirmationem electo, niſi ſit indignus. Vndè debet Præſes, ſeu Commiſſarius publicare electionem, & electum indignum non confirmare, ſed de illius inſufficientia ſummariè per teſtes inquirere, & probata indignitate ab electione illum eijcere: *Ita colligitur ex cap. Quia propter de elect. vbi, facto Scrutinio, iubetur ſtatim vota publicari;* quòd autem debeat fieri inquiſitio, ſine qua indignum excludere nequeat, conſtat *ex cap. Nihil eſt de elect.* Quòd ſi electus ſit dignus, tenetur illum poſt electionem confirmare, quia iam acquiſiuit ius ad rem; non enim hoc ſtat ad arbitrium Præſidis.

Elector renunciare poteſt voci ſuæ, nam quilibet poteſt renunciare iuri, quod ſibi competit, niſi præuideat id fore in detrimentum publicum; vndè quod poſtea fit per alios, ipſe non poterit impugnare; ſi tamen talis accedat electione nondum facta, admittendus eſt in omnibus, quæ circa ipſam reſtant facienda; vt notat noſter Nicolaus de Auximo in ſupplem. & habetur extra eo. Eccleſia veſtra.

Electores facto vno Scrutinio poſſunt procedere ad 2. & 3. donec aliquis eligi poſſit. Publicato autem Scrutinio electores nequeunt variare voces, ſed facienda eſt collatio, & electio celebranda: ita idem Nicol. verb. elect. Cæterùm, ſi aliqui è capitulo exeant, dummodo remaneat maior pars vocalium, valet electio, *Vt habetur expreſsè in cap. cum nobis de elect.* Incapaces ad eligendum, licèt ſint de electoribus, ſunt ſuſpenſi ab officio, interdicti, & excommunicati maiori excommunicat. ſecùs de excommunicatione minori *Extra de Clericis.* Excommunicatus autem intelligendus eſt denunciatus, ſeu non toleratus, quia toleratus, & non denunciatus validè eligit, & etiam recipit, vt ex communi tradunt Bordon. in Pract. Criminal. cap. 92. & Sanctor. cap. 3. de pœnis q. 3. Pariter reijciuntur à iure, ne promoueantur-

ueant-

uea ntur ad dignitates interdicti, & qui interdictum fregerunt, ſuſpenſi, illegitimi, infames, excommunicati excommun. maiori; licèt electio excommunicati maiori excom. non ſit ipſo facto nulla, *ſed poteſt annullari cap. final. de elect. Non poteſt tamen quis priuari voce actiua ſine ſententia criminis declaratoria, propter quod incurritur*. Ita Rodriq. tom. 1. q. 29. art. 5. & alij. Vndè ſicut interdictum, ait Rodriq. ingreſſus poſſeſſionis agri, vel beneficij, vel aliorum actuum, qui non tangunt animam, ſuſpenditur per appellationem, *vt omnes dicunt in cap. Omnes §. final. & in cap. Ad hæc, quoniam de apellat.* ita ſuſpenſus à dicta voce actiua, & paſſiua, ſi poſt appellationem eligatur, vel eligat, valida procul dubio erit electio; quòd notent Regulares, prout monet idem Rodriq. Nec cenſetur infamis accuſatus de crimine, adhuc pendente lite, & à ſuis inimicis accuſatus, cum aliàs ſit vir boni nominis. Ita Fernan. p. 4. cap. 7. §. 2. citans Hoſtienſ. Andream, & Felin. *cap. Minimum de accuſat.* & notat Roder. in ſum. cap. 105. qui pariter tom. 1. q. 14. art. 3. docet, ad impediendam electionem alicuius inhabilis ſufficere vnum teſtem, qui probet illius inhabilitatem, ſicut ſufficit vnus teſtis ad probandum impedimentum Matrimonij. Deniquè nota cum Aſteſano, quòd illi, qui non per electionem canonicam, ſed per violentiam occupant officia, vel beneficia Eccleſiaſtica dicuntur intruſi.

QVÆSTIO V.

Quid requiritur in Iudice ad iudicandum, & qualiter iudicare debeat.

NOt. 1. Quòd *Iudex eſt perſona publica habens legitimam poteſtatem iuris dicendi, ideſt per ſententiam definiendi quid cuique ſit debitum, debitum inquam ſtricto iure, ita vt violatio illius cauſet iniuriam*. Iudex enim in iudicio publico tenet primum locum; nam iudicium ſubſtantialiter conſtat ex iudice, actore, & reo; aliæ verò perſonæ, etſi non ſubſtantialiter, tamen ordinariè requiruntur, vt teſtes; aliæ vero interueniunt contingenter, & ordinarie, quales ſunt Aſſeſſor, Aduocatus, Procurator, Tabellio, ſeù Notarius, de quibus omnibus aliqua tangenda ſunt. Iudex autem multi-

plex eſt; alius dicitur ordinarius, qui ex dignitate, vel officio ſuo habet iuriſdictionem ex iure, vel conſuetudine, vel præſcriptione; alius eſt delegatus, ſiuè commiſſarius, qui ex commiſſione alicuius Superioris iuriſdictionē habet; vel generaliter ad omnes cauſas, lites &c. vel ſpecialiter, ideſt ſolùm ad certam cauſam, & litem cognoſcendam. Item alius Iudex dicitur Arbitrarius, & hic pariter eſt duplex; vnus dicitur Arbiter, nimirum is, qui ex conſenſu litigantium in iudicem eligitur ad parendum ſententię ipſius ſub pœnæ obligatione, & hic dicitur etiam compromiſſarius, qui ſententiam ferre debet, ſeruato iuris ordine, & litigantes eius ſententiæ ſtare tenentur; alius dicitur Arbitrator, nempe is, qui ex litigantium conſenſu eligitur, vt cauſam dirimat amicabiliter; & iſte non tenetur ferre ſententíam, ſeruato iuris ordine, ſed pro arbitrio, ſeruata tamen æquitate iuris naturalis.

Not. 2. Quòd in iudicio cauſa iudicialis; alia eſt ſecularis, alia Eccleſiaſtica, & vtraque diuiditur in criminalem, & ciuilem: *Criminalis dicitur, cum agitur directè de crimine puniendo publica vindicta, aut abſoluendo ex cap. Cum non ab homine de iudicijs: ciuilis dicitur, cum agitur rei vindicatione in cauſa pecuniaria ex cap. Super prudentiam* 12. *q.* 2. Deindè in cauſa criminali aliquando in iudicio agitur criminaliter, nempè cum agitur de crimine ad vindictam publicam; aliquando verò agitur ciuiliter; nempè cum agitur ad obtinendum id, quod partis litigantis intereſt. Verùm, an quando proceditur in iudicio ad pœnam pecuniariam, procedatur criminaliter, an ciuiliter, variant Doctores, vt notat Azorius, concordia tamen eſt; quòd quando pœna pecuniaria applicanda eſt fiſco, tunc proceditur criminaliter. *Ita Innoc. in cap. Qualiter, & quando*; quia tunc intenditur publica vindicta criminis per pœnam pecuniariam, ſicut intenditur per pœnam capitis, ſiue corporis.

Not. 3. Quòd in iudicio aliqua dicuntur crimina publica, aliqua priuata; publica dupliciter: primò quæcumque directè, & primariò offendunt commune bonum Reipub. qualia ſunt crimen læſæ maieſtatis, Hæreſis, Simonia, Blaſphemia, Proditio Reipublicæ, Latrocinium, & huiuſmodi: priuata verò dicuntur quæcumque lædunt directè, & primariò bonum hominis priuati, licèt conſequenter, &

ſe-

ſecundariò lędant etiam commune bonum, qualia ſunt Homicidium, Adulterium, Stuprum, Furtum &c. 2. modo dicuntur crimina publica ea, quorum accuſatio, vel denunciatio pertinet ad quemlibet popularem priuatum, etiam illæſum, & hac ratione homicidia dicuntur crimina publica, priuata verò dicuntur ea, quorum accuſatio non pertinet ad quemlibet popularem, ſed tantum ad eum, qui læſus eſt, vt eſt furtum, damnum, contumelia, iniuria arborum &c.

Not. 4. Quòd hæretici Valdenſes, vt refert noſter Caſtro, negarunt licitum eſſe iudicare, ſeu ius dicere inter partes, difficultatem, ſeù controuerſiam habentes, in materia iuſtitiæ, quos ſequuntur Anabaptiſtæ moderni, qui omnes in hunc errorem inducti ſunt per prauam intelligentiam diuerſorum locorum Scripturæ, in quibus dicitur: *Nolite iudicare, vt non iudicemini* Matt. 7. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum*, ad Roman. 14. &c. quæ loca intelligi debent de iudicijs priuatis hominum particularium, & non de iudicio publico, legitima auctoritate facto, vt conſtat ex Scrip. Deuter. 16. 1. ad Corint. 1. c. 6. &c. & ratio eſt euidens, quia iudicare eſt actus virtutis, ſi ſeruentur, quæ ad iuſtitiæ rationem pertinent, qui quidem actus in Rep. eſt neceſſarius ad conueniens humani generis regimen; ergo peruersè præfati hæretici interpretantur loca S. Scrip. Inſuper nonnulli Sectarij auſi ſunt dicere, Prælatum peccato mortali amittere iuriſdictionem, quem errorem damnauit Concil. Conſtantien. ſeſſ. 8. art. 15. & nonnulli Theologi iudicem in peccato mortali iudicantem, mortaliter peccare.

I. Concl. In omni Iudice requiritur iuriſdictio, ſine qua ſententia eſt nulla, & iudicans peccat mortaliter. Inſuper requiritur ſcientia, qua poſſit rectè fungi ſuo officio: quarè petens, aut ſuſcipiens officium Iudicis, dum non habet ſcientiam ſufficientem ad tale munus obeundum, peccat mortaliter, & ſi non renunciet officium, eſt in ſtatu peccati mortalis; quia Communitatem exponit periculo grauium damnorum: vndè iuxta D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. & alios; non debet talis abſolui, niſi firmiter ſtatuat officium renuntiare; & malè iudicans ex imperitia tenetur parti læſæ reſtituere integrum damnum; at ſi agnoſcat

ſe erraſſe inculpabiliter, tenetur quidem errorem impedire, quantum ſine graui infamia poteſt, puta monendo ſecretò per ſe, vel per alium partem læſam, vt appellet ad iudicem altiorem; ad nullam tamen tenetur reſtitutionem. Ampliùs cum res iudicanda ſuperat captum iudicis maximè in materia litis magni momenti, debet conſulere alios Iuriſconſultos indifferentes, quia, vt notat P. Scilder minorita tract. 2. Iudex in quæſt. facti ſibi ignoti, debet ſequi teſtes duos, vel tres; ita etiam debet in quæſt. iuris à ſe non intellecti ſequi ſententiam duorum Doctorum, ſeù conſultum.

II. Concl. Iudex debet ſemper iudicare iuxtà leges ſcriptas. Ita communiter Doctores, & ſignanter D. Thom. q. 60. art. 5. Prob. Ideò leges ſtatuuntur, vt iudex inferior, de quo in hac concluſ. eſt ſermo, ſecundùm eas iudicium ferat; alioquin ſuperfluæ eſſent leges, & nulla differentia eſſet inter Iudicem ſupremum, ſeù Principem, qui in ſuis legibus diſpenſare valet, à Iudice inferiori. Nihilominùs iudex inferior interdum poteſt à lege ſcripta declinare, iudicando in aliquibus caſibus particularibus per epykeiam interpretando mentem legiſlatoris: in dubio autem de ipſius mente conſulendus eſſet legislator, ſi res patiatur moram, vt latè oſtenſum eſt in tract. de legibus; quòd ſi lex ſcripta non extet, poteſt, & debet iudicium formare ſecundum conſuetudinem, & ſtylum in foro iudiciali communiter receptum, *vel ſecundùm Doctorum auctoritatem, quæ, vbi deficit lex, pro lege ſeruanda eſt l. ſi idem cum eodem ff. de iuriſdict. omn. iud.*

III. Concl. Iudices peccant vſurpatione iudicij, quando iudicant eum, qui non eſt, vel abſolutè ipſis ſubditus, vel non in ijs cauſis, in quibus eum iudicant. Ratio eſt, quia in prædictis caſibus, cum non ſint iudices competentes, carent poteſtate in eos, quos iudicant, ac proindè auctoritate, tam obligandi in conſcientia, quàm cogendi ad executionem in foro externo. Quare Iudex competens ex iure Ciuili, & Canonico dignoſcitur multis modis, & indè cognoſcitur etiam eſſe ſubditum, vel non, quem iudicant. Primò ratione cauſæ, de qua in iudicio agitur; quia ſi cauſa ſit ſpiritualis, vel annexa ſpirituali, vt legata, donationes, & alia ad pias cauſas; tunc ſolùm coram Iudice Eccle-

ſia-

ſiaſtico agi poteſt *cap. Relatum* 1. *de teſtam.* 2. ratione ſubiectionis fit autem ſubditus, & ſortitur forum ratione criminis; vt ſi crimen eſt merè Eccleſiaſticum, iudicat de eo ſolus iudex Eccleſiæ; ſi ſeculare, iudex ſecularis, ſi eſt mixti fori, datur locus præuentioni: 3. ſortitur quis forum ratione loci, & hoc tripliciter, vel ratione originis, vel domicilij, vel delicti, quod quis alicubi patrauit: 4. ratione perſonæ ſortitur quis forum v. g. ſi eſt Clericus conueniri non poteſt, niſi coram Iudice Eccleſiaſtico.

Quæres 1. An geſta à Iudice non habente titulum verum, ſed coloratum, ſeu putatiuum, valida ſint.

Reſp. affirmatiuè ex communi ſententia *in cap. Nihil de elect. & in l. Barbarius ff. de officio Prætor*; ſecùs autem ſi eſſet intruſus, & non habuiſſet ab eo, qui aliàs poterat talem titulum conferre, quia iam non haberet titulus ille colorem, qui verus videri poſſet: ideò *in d. l. dicitur, quia populus, à quo habebat officium, potuiſſet ei hanc poteſtatem decernere*, quia iuxta regulam receptam, ius in ijs, quæ ſunt de iure humano ſupplet defectum ex occulto impedimento prouenientem, & dat illi iuriſdictionem neceſſariam ad tales actus, quando extet titulus coloratus.

Quæres 2. An Iudex excommunicatus peccet iudicando, & eius geſta ſint valida.

Reſp. Si Iudex excommunicatus ſit occultus, & toleratus non peccat iudicando, neque eius geſta ſunt inualida. *Ita Concil. Conſtantien. & extrauag. Martini V. Ad euitanda*. Verùm ſi ſit publicus excommunicatus, & vitandus peccat iudicando, eiuſquè actus ſunt irriti, quia caret iuriſdictione *iuxta cap. Ad probandum de Sentent. & re iudicat. & cap. Audiuimus*; excipiunt tamen Doctores aliqui, ſi iudex ad alium locum migret, aut in loco ſuæ iuriſdictionis non habeatur pro vitando, tunc acta eius putant eſſe valida, licèt peccet ſe ingerendo in iudicium.

Quarè peccatum Simoniæ committunt, qui penſiones Clericales vendunt, redimunt, aut in commercium illicitum, ſiue ex natura ſua, ſiuè ex prohibitione poſitiua trahunt. Non tamen Simoniæ pœnas incurrit, quia cum pœnæ impoſitæ ſimoniacis loquantur de Simonia circa beneficia, recepti iuris eſt, quòd qui ſimoniacè peccant in penſionibus; non incurrant tales pœnas: Ita Nauar. Cordub. & alij; quos citat, & ſequitur Filiuc. loc. cit. Cæterùm à quo poſſint Eccleſiæ penſiones imponi, & quæ perſonæ ſint capaces eiuſdem penſionis, & incapaces, quibuſuè beneficijs, nec non ob quas cauſas ſint penſiones conſtituendæ, ac conferendæ; & inſuper de obligationibus titularis penſione grauati, & penſionarij, & de eorum peccatis, & deniquè de ceſſatione penſionis latè tractatur à Bonac. præſertim, & à Filiuc. loc. cit. ad quos lectorem remitto breuitatis cauſa.

APPENDIX II.

De Electione.

Electio communiter definitur. *Eſt alicuius hominis ad Eccleſiam paſtore deſtitutam canonicè facta vocatio, neque enim electio fieri poteſt niſi Eccleſia, vel Conuentu ſuo paſtore vacante, vt conſtat ex cap. Quia propter de elect. vbi dicitur; Eccleſijs viduatis.* Et pertinet electio ad Collegium, vel aggregationem, etiam, ſolùm duo, vel tres fuerint ſi extra eo cap. 1. De ſubſtantia autem electionis ſunt ſequentia *iuxta gloſ. in cap. Quia propter.* Primò, vt ſecretò, & ſigillatim per ſcriptum ſuffragia recipiantur; quòd ſi inaduertenter, vel ex negligentia, vel etiam ex malitia aliquod ſuffragium publicaretur, cenſent Doctores, præſertim Rodric. & Bordon. non eſſe contra formam eſſentialem electionis, etiam à Trid. præſcriptam, ac proindè talem electionem eſſe validam: 2. vt publicatio fiat in communi: 3. vt collatio, ac publicatio fiat ſtatim, nullo actu contrario interpoſito: 4. vt maior pars capituli ſuffragetur electo, idquè iuxtà leges canonicas, & particulares latas de exceſſu ſuffragiorum; apices autem electionis, hoc eſt, quæ non ſunt de eſſentia, ſunt cætera, præter proximè dicta. Et ibidem ait gloſ. non

eſſe

eſſe de ſubſtantia electionis vocare omnes abſentes; ſi enim non vocentur, valebit, etſi non vocati poſſint annullare electionem, ſi velint: neque inſuper eſt de ſubſtantia electionis, vt ſint tres ſcrutatores ſuffragiorum; quia in ore duorum, vel trium &c. gloſ. ibidem. Neque eſt de ſubſtantia, quòd ſcrutatores ſint de corpore capituli.

Electio tribus modis iure fieri poteſt, nempe per Inſpirationem, per Scrutinium, & per Compromiſſum *cap. Quia propter* Electio per Inſpirationem fit, cum electores nulla præcedente conſultatione, quaſi Diuini Spiritus impulſu excitati, ſimul omnes in vnum repente conſentiunt, & ſimul vnum nominant, & eligunt. Per Scrutinium fit electio, cum præſentibus omnibus, qui debent, volunt, & poſſunt commodè intereſſe, tres de Collegio fide digni aſſumuntur, qui ſecretè, & ſigillatim vota, & ſuffragia cunctorum diligenter exquirant, & demum in ſcripturam redacta, mox publicè denuntient, quo facto, nequeunt electores variare *cap. Publicato, de elect.* Ea deindè collatione habita, is demum cenſetur electus, in quem omnes vel maior, & ſanior pars Collegij ſtatim conſenſerit. Quòd ſi eligentium ſuffragia ità diuidantur, vt hinc quidem Electorum pars numeroſior conſiſtat, illhinc minor, ſed quæ non minus auctoritate eligentium, quàm ex meritis electi ſanior appareat, ad infringendam electionem maioris partis; facultas eſt minoris, & de auctoritate eligentium, & de meritis eius, qui eſt electus, opponendi; *gloſ. in cap. Si quando de elect. in 6.* Hoc tamen locum habet, cum non magnus in altera parte contingit exceſſus; *gloſ. in cap. Si quandò; de elect. in 6. in verbo, interdicimus.* Cæterùm, ſi quandò duabus electionibus factis, pars altera eligentium duplo maior numero deprehenditur, aut ſaltem continet duas partes ex tribus contra huiuſmodi electores, ad extenuanda merita, vel auctoritatem ipſorum infirmandam, paucioribus, vel electo ab eis, opponendi facultas non eſt: *gloſ. in cap. Si quando cit.* Poteſt tamen opponi, ſi eligentium ſuffragia ipſo iure ſint irrita, puta quia ſunt excommunicati, vel omnes, vel aliqui eorum; gloſ. ibidem.

Per Compromiſſum celebratur electio, cum plures idonei viri eliguntur, in quos omninò bene eligendi certo modo facultas, & poteſtas transfunditur, qui arbitri compro-

miſſi

miſſi fines diligenter cuſtodire debent; alioquin, ſi quid contra demandatam formulam fecerint, nullum habet iuris effectum electio: quòd ſi intra terminos conſtiterint, quod ab eis factam fuerit vſque adeò ratum, & firmum habebitur, vt etiam electione minimè ſecuta, re tamen non integra, demandata ſibi poteſtas reuocare iure non poſſit *cap. Quia propter de elect.* & poteſt cómitti hęc poteſtas eligendi vni, vel pluribus, tam ex ijs qui ad collegium ſpectant, quàm ex ijs, qui extrà collegium ſunt, *vt notat gloſ. in cap. Quia propter de elect. & colligitur ex cap. Cauſam quæ, de electione.* Nota tamen, quòd in ordine Minorum pro electione quacumque ſufficit exceſſus medietatis ſuffragiorum, prout habetur in Statutis Tolet. verb. elect. & practicatur quotidie, e. g. Si electores ſint 31. is, qui habet ſuffragia, ſeu vota ſexdecim, remanet electus.

Electio debet eſſe libera, quæ autem minùs liberè fuit facta, eſt ipſo facto inualida; *dicitur verò minùs libera; quæ facta fuit per metum cap. vbi periculum §. caterùm de electione.* Item quæ facta fuit per limitationem perſonarum, quæ vocatur electio coarctata, vt cum Præſes Congregationis dicit. Nomino Petrum, Iohannem, & Iacobum ex his tribus eligite vnum in Abbatem, in Prouincialem &c. Quòd ſi Statutum adſit in Religione, vt non eligantur ad tale munus niſi ex tali, vel tali natione; vel eiuſdem Prouinciæ ex tali, vel tali cuſtodia, ſeu genere Perſonarum; & omnes illius nationis, ſeu cuſtodiæ ſint indigni, electores tenentur eligere dignos alterius nationis, ſeu cuſtodiæ; alioquin mortaliter peccant, vt colligitur ex dictis, & etiam ex D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2.

In electionibus vota conditionata, & incerta non valent, vt notant noſtri Orbellus in 4. diſt. 24. q. 5. de elect. Rodriq. & Portel. verb. Electio; vt ſi dicatur in ſchedula: *Eligo Franciſcum, vel Petrum. Eligo Petrum ſi tale, vel tale fecerit, aut contigerit; item eligo; quem elegerit maior pars Conuentus; vel quem elegerit Prælatus præſes: ita Portel. l. c. cum Rodriq. tom. 2. q. q. reg. q. 51. art. 4.*

Electio facta per ſchedulas communiter fieri nequit de nocte; poterit tamen, ſi fiat cum ſufficienti numero candelarum, ideſt, quòd adſint tria luminaria, & vrgente aliqua graui neceſſitate, vt ſi iam incepta ſit electio, & periculum

ſit

ſit in dilatione Rodriq. q. cit. art. 15. Mirand. Portel. &c. Quòd ſi electores vna die naturali per diſcordiam non eligant in Ord. Minorum, Pręſes electionis poteſt eligere quem voluerit, etiamſi ſit electio Prouincialis, Abbatiſſæ, & ſimilium ex Stat. Tolet. & Clement. exijt de verb. ſignif. & Rodriq. q. 52. art. 5. quod puto eſſe intelligendum de Præſidente habente talem auctoritatem, vel ordinariam, vel ſpecialiter delegatam; ſcio enim huiuſmodi electionem deuolui ad Superiorem Generalem in Italia iuxta Ord. conſtit. Verùm in Eccleſijs cathedralibus, & regularibus, vt notat Azorius Inſtit. moral. p. 2. lib. 6. cap. 15. remoto omni legitimo impedimento, ſi electores intra ſex Menſes non elegerint, electio deuoluitur ad proximum ſuperiorem: ſi is intra totidem Menſes electionem diſtulerit deuoluitur ad alium Superiorem, & ſic vſquè ad Papam *cap. Ne pro defectu. De elect.* Item ſi omnes electores ſcienter elegerint indignum, tunc electio deuoluitur proximè ad Romanum Pontificem *cap. Quamquam, de elect. in 6.* Electio non eſt actus ordinis, nec Iuriſdictionis, ſed potiùs muneris, & officij; nam Canonici ius habent eligendi Præſulem, Monachi Abbatem, & tamen non habent poteſtatem iuriſdictionis. Immò in electione Prælati localis facta per conuentum, poſſunt ſuffragari etiam illi, qui ſunt abſque Ordine ſacro; *Nam Clementina, vt hi de ætate, & qualit. non loquitur de mendicantibus, ſed de Clericis, & Canonicis Regularibus.* Ita Rodriq. & cum eo Portel. loc. cit. Videant tamen Religioſi ſua ſtatuta; nec obſtat Trid. ſeſſ. 22. cap. 4. de Reform. vbi ait, *quòd non habeat vocem in capitulo is, qui non fuerit Subdiaconus;* quia non prohibet, quin illam habeat aliquis in illo ordine, in quo per ſtatutum, vel conſuetudinem ſuffragium dant, etiam carentes Ordine Sacro ex declaratione Cardinal. ſuper Tridént. Anno 1573. vt refert compend. Minimorum, & notat Portel. & praxis comprobat.

Caſſanda eſt electio illius, qui requiſitus antequam eſſet electus, conſenſit electioni de ſe faciendæ; quia præſumitur ambitioſus *extra eo. cum priùs petitam, & cap. officij.* Si electus non conſentit, vel poſt conſenſum renunciat iuri ſuo, vel moritur; vel propter eius vitium electio irritatur, electores habent integrum tempus poſtmodum ad eligendum, ac ſi vacatio noua eſſet *extra eadem. Si electio lib. 6.* Sed

quid

quid iuris, & poteſtatis tribuit confirmatio electo, quia ſi electus ante confirmationem adminiſtret, remouendus eſt *extra cap. Qualiter; niſi in Sum. Pontifice, qui eligendo confirmatur diſt. 23.* Reſp. quòd confirmatio tribuit electo plenum ius in beneficium, ſeù prælaturam; itaut confirmatus poſſit ea omnia, quæ ſunt iuriſdictionis *Cap. Noſti de elect.* talis autem confirmatio fieri debet à Præſide Capituli in Ordine Minorum per auctoritatem delegatam à Superiore Generali; nec poteſt denegare confirmationem electo, niſi ſit indignus. Vndè debet Præſes, ſeu Commiſſarius publicare electionem, & electum indignum non confirmare, ſed de illius inſufficientia ſummariè per teſtes inquirere, & probata indignitate ab electione illum eijcere: *Ita colligitur ex cap. Quia propter de elect. vbi, facto Scrutinio, iubetur ſtatim vota publicari;* quòd autem debeat fieri inquiſitio, ſine qua indignum excludere nequeat, conſtat *ex cap. Nihil eſt de elect.* Quòd ſi electus ſit dignus, tenetur illum poſt electionem confirmare, quia iam acquiſiuit ius ad rem; non enim hoc ſtat ad arbitrium Præſidis.

Elector renunciare poteſt voci ſuæ, nam quilibet poteſt renunciare iuri, quod ſibi competit, niſi præuideat id fore in detrimentum publicum; vndè quod poſtea fit per alios, ipſe non poterit impugnare; ſi tamen talis accedat electione nondum facta, admittendus eſt in omnibus, quæ circa ipſam reſtant facienda; vt notat noſter Nicolaus de Auximo in ſupplem. & habetur extra eo. Eccleſia veſtra.

Electores facto vno Scrutinio poſſunt procedere ad 2. & 3. donec aliquis eligi poſſit. Publicato autem Scrutinio electores nequeunt variare voces, ſed facienda eſt collatio, & electio celebranda: ita idem Nicol. verb. elect. Cæterùm, ſi aliqui è capitulo exeant, dummodo remaneat maior pars vocalium, valet electio, *Vt habetur expreſsè in cap. cum nobis de elect.* Incapaces ad eligendum, licèt ſint de electoribus, ſunt ſuſpenſi ab officio, interdicti, & excommunicati maiori excommunicat. ſecùs de excommunicatione minori. *Extra de Clericis.* Excommunicatus autem intelligendus eſt denunciatus, ſeu non toleratus, quia toleratus, & non denunciatus validè eligit, & etiam recipit, vt ex communi tradunt Bordon. in Pract. Criminal. cap. 92. & Sanctor. cap. 3. de pœnis q. 3. Pariter reijciuntur à iure, ne promoue-

uea ntur ad dignitates interdicti, & qui interdictum fregerunt, ſuſpenſi, illegitimi, infames, excommunicati excommun. maiori; licèt electio excommunicati maiori excom. non ſit ipſo facto nulla, *ſed poteſt annullari cap. final. de elect. Non poteſt tamen quis priuari voce actiua ſine ſententia criminis declaratoria, propter quod incurritur*. Ita Rodriq. tom. 1. q. 29. art. 5. & alij. Vndè ſicut interdictum, ait Rodriq. ingreſſus poſſeſſionis agri, vel beneficij, vel aliorum actuum, qui non tangunt animam, ſuſpenditur per appellationem, *vt omnes dicunt in cap. Omnes §. final. & in cap. Ad hæc, quoniam de appellat.* ita ſuſpenſus à dicta voce actiua, & paſſiua, ſi poſt appellationem eligatur, vel eligat, valida procul dubio erit electio; quòd notent Regulares, prout monet idem Rodriq. Nec cenſetur infamis accuſatus de crimine, adhuc pendente lite, & à ſuis inimicis accuſatus, cum aliàs ſit vir boni nominis. Ita Fernan. p. 4. cap. 7. §. 2. citans Hoſtienſ. Andream, & Felin. *cap. Minimum de accuſat.* & notat Roder. in ſum. cap. 105. qui pariter tom. 1. q. 14. art. 3. docet, ad impediendam electionem alicuius inhabilis ſufficere vnum teſtem, qui probet illius inhabilitatem, ſicut ſufficit vnus teſtis ad probandum impedimentum Matrimonij. Deniquè nota cum Aſteſano, quòd illi, qui non per electionem canonicam, ſed per violentiam occupant officia, vel beneficia Eccleſiaſtica dicuntur intruſi.

QVÆSTIO V.

Quid requiritur in Iudice ad iudicandum, & qualiter iudicare debeat.

NOt. 1. Quòd *Iudex eſt perſona publica habens legitimam poteſtatem iuris dicendi, ideſt per ſententiam definiendi quid cuique ſit debitum, debitum inquam ſtricto iure, ita vt violatio illius cauſet iniuriam.* Iudex enim in iudicio publico tenet primum locum; nam iudicium ſubſtantialiter conſtat ex iudice, actore, & reo; aliæ verò perſonæ, etſi non ſubſtantialiter, tamen ordinariè requiruntur, vt teſtes; aliæ vero interueniunt contingenter, & ordinariè, quales ſunt Aſſeſſor, Aduocatus, Procurator, Tabellio, ſeù Notarius, de quibus omnibus aliqua tangenda ſunt. Iudex autem multi-

plex eſt; alius dicitur ordinarius, qui ex dignitate, vel officio ſuo habet iuriſdictionem ex iure, vel conſuetudine, vel præſcriptione; alius eſt delegatus, ſiuè commiſſarius, qui ex commiſſione alicuius Superioris iuriſdictioné habet; vel generaliter ad omnes cauſas, lites &c. vel ſpecialiter, ideſt ſolùm ad certam cauſam, & litem cognoſcendam. Item alius Iudex dicitur Arbitrarius, & hic pariter eſt duplex; vnus dicitur Arbiter, nimirum is, qui ex conſenſu litigantium in iudicem eligitur ad parendum ſententię ipſius ſub pœnæ obligatione, & hic dicitur etiam compromiſſarius, qui ſententiam ferre debet, ſeruato iuris ordine, & litigantes eius ſententiæ ſtare tenentur; alius dicitur Arbitrator, nempe is, qui ex litigantium conſenſu eligitur, vt cauſam dirimat amicabiliter; & iſte non tenetur ferre ſententíam, ſeruato iuris ordine, ſed pro arbitrio, ſeruata tamen æquitate iuris naturalis.

Not. 2. Quòd in iudicio cauſa iudicialis; alia eſt ſecularis, alia Eccleſiaſtica, & vtraque diuiditur in criminalem, & ciuilem: *Criminalis dicitur, cum agitur directè de crimine puniendo publica vindicta, aut abſoluendo ex cap. Cum non ab homine de iudicijs: ciuilis dicitur, cum agitur rei vindicatione in cauſa pecuniaria ex cap. Super prudentiam* 12. *q.* 2. Deindè in cauſa criminali aliquando in iudicio agitur criminaliter, nempè cum agitur de crimine ad vindictam publicam; aliquando verò agitur ciuiliter; nempè cum agitur ad obtinendum id, quod partis litigantis intereſt. Verùm, an quando proceditur in iudicio ad pœnam pecuniariam, procedatur criminaliter, an ciuiliter, variant Doctores, vt notat Azorius, concordia tamen eſt; quòd quando pœna pecuniaria applicanda eſt fiſco, tunc proceditur criminaliter. *Ita Innoc. in cap. Qualiter, & quando*; quia tunc intenditur publica vindicta criminis per pœnam pecuniariam, ſicut intenditur per pœnam capitis, ſiue corporis.

Not. 3. Quòd in iudicio aliqua dicuntur crimina publica, aliqua priuata; publica dupliciter: primò quæcumque directè, & primariò offendunt commune bonum Reipub. qualia ſunt crimen læſæ maieſtatis, Hæreſis, Simonia, Blaſphemia, Proditio Reipublicæ, Latrocinium, & huiuſmodi: priuata verò dicuntur quæcumque lædunt directè, & primariò bonum hominis priuati, licèt conſequenter, &

ſe-

ſecundariò lędant etiam commune bonum, qualia ſunt Homicidium, Adulterium, Stuprum, Furtum &c. 2. modo dicuntur crimina publica ea, quorum accuſatio, vel denunciatio pertinet ad quemlibet popularem priuatum, etiam illæſum, & hac ratione homicidia dicuntur crimina publica, priuata verò dicuntur ea, quorum accuſatio non pertinet ad quemlibet popularem, ſed tantum ad eum, qui læſus eſt, vt eſt furtum, damnum, contumelia, iniuria arborum &c.

Not. 4. Quòd hæretici Valdenſes, vt refert noſter Caſtro, negarunt licitum eſſe iudicare, ſeu ius dicere inter partes, difficultatem, ſeù controuerſiam habentes, in materia iuſtitiæ, quos ſequuntur Anabaptiſtæ moderni, qui omnes in hunc errorem inducti ſunt per prauam intelligentiam diuerſorum locorum Scripturæ, in quibus dicitur: *Nolite iudicare, vt non iudicemini* Matt. 7. *Tu quis es, qui iudicas alienum ſeruum*, ad Roman. 14. &c. quæ loca intelligi debent de iudicijs priuatis hominum particularium, & non de iudicio publico, legitima auctoritate facto, vt conſtat ex Scrip. Deuter. 16. 1. ad Corint. 1. c. 6. &c. & ratio eſt euidens, quia iudicare eſt actus virtutis, ſi ſeruentur, quæ ad iuſtitiæ rationem pertinent, qui quidem actus in Rep. eſt neceſſarius ad conueniens humani generis regimen; ergo peruersè præfati hæretici interpretantur loca S. Scrip. Inſuper nonnulli Sectarij auſi ſunt dicere, Prælatum peccato mortali amittere iuriſdictionem, quem errorem damnauit Concil. Conſtantien. ſeſſ. 8. art. 15. & nonnulli Theologi iudicem in peccato mortali iudicantem, mortaliter peccare.

I. Concl. In omni Iudice requiritur iuriſdictio, ſine qua ſententia eſt nulla, & iudicans peccat mortaliter. Inſuper requiritur ſcientia, qua poſſit rectè fungi ſuo officio: quarè petens, aut ſuſcipiens officium Iudicis, dum non habet ſcientiam ſufficientem ad tale munus obeundum, peccat mortaliter, & ſi non renunciet officium, eſt in ſtatu peccati mortalis; quia Communitatem exponit periculo grauium damnorum: vndè iuxta D. Thom. 2. 2. q. 67. art. 2. & alios; non debet talis abſolui, niſi firmiter ſtatuat officium renuntiare; & malè iudicans ex imperitia tenetur parti læſæ reſtituere integrum damnum; at ſi agnoſcat

ſe erraſſe inculpabiliter, tenetur quidem errorem impedire, quantum ſine graui infamia poteſt, puta monendo ſecretò per ſe, vel per alium partem læſam, vt appellet ad iudicem altiorem; ad nullam tamen tenetur reſtitutionem. Ampliùs cum res iudicanda ſuperat captum iudicis maximè in materia litis magni momenti, debet conſulere alios Iuriſconſultos indifferentes, quia, vt notat P. Scilder minorita tract. 2. Iudex in quæſt. facti ſibi ignoti, debet ſequi teſtes duos, vel tres; ita etiam debet in quæſt. iuris à ſe non intellecti ſequi ſententiam duorum Doctorum, ſeù conſultum.

II. Concl. Iudex debet ſemper iudicare iuxtà leges ſcriptas. Ita communiter Doctores, & ſignanter D. Thom. q. 60. art. 5. Prob. Ideò leges ſtatuuntur, vt iudex inferior, de quo in hac concluſ. eſt ſermo, ſecundùm eas iudicium ferat; alioquin ſuperfluæ eſſent leges, & nulla differentia eſſet inter Iudicem ſupremum, ſeù Principem, qui in ſuis legibus diſpenſare valet, à Iudice inferiori. Nihilominùs iudex inferior interdum poteſt à lege ſcripta declinare, iudicando in aliquibus caſibus particularibus per epykeiam interpretando mentem legiſlatoris: in dubio autem de ipſius mente conſulendus eſſet legislator, ſi res patiatur moram, vt latè oſtenſum eſt in tract. de legibus; quòd ſi lex ſcripta non extet, poteſt, & debet iudicium formare ſecundum conſuetudinem, & ſtylum in foro iudiciali communiter receptum, *vel ſecundùm Doctorum auctoritatem, quæ, vbi deficit lex, pro lege ſeruanda eſt l. ſi idem cum eodem ff. de iuriſdict. omn. iud.*

III. Concl. Iudices peccant vſurpatione iudicij, quando iudicant eum, qui non eſt, vel abſolutè ipſis ſubditus, vel non in ijs cauſis, in quibus eum iudicant. Ratio eſt, quia in prædictis caſibus, cum non ſint iudices competentes, carent poteſtate in eos, quos iudicant, ac proindè auctoritate, tam obligandi in conſcientia, quàm cogendi ad executionem in foro externo. Quare Iudex competens ex iure Ciuili, & Canonico dignoſcitur multis modis, & indè cognoſcitur etiam eſſe ſubditum, vel non, quem iudicant. Primò ratione cauſæ, de qua in iudicio agitur; quia ſi cauſa ſit ſpiritualis, vel annexa ſpirituali, vt legata, donationes, & alia ad pias cauſas; tunc ſolùm coram Iudice Eccle

ſia-

ſiaſtico agi poteſt *cap. Relatum* 1. *de teſtam.* 2. ratione ſubiectionis ſit autem ſubditus, & ſortitur forum ratione criminis; vt ſi crimen eſt merè Eccleſiaſticum, iudicat de eo ſolus iudex Eccleſiæ; ſi ſeculare, iudex ſecularis, ſi eſt mixti fori, datur locus præuentioni: 3. ſortitur quis forum ratione loci, & hoc tripliciter, vel ratione originis, vel domicilij, vel delicti, quod quis alicubi patrauit: 4. ratione perſonæ ſortitur quis forum v. g. ſi eſt Clericus conueniri non poteſt, niſi coram Iudice Eccleſiaſtico.

Quæres 1. An geſta à Iudice non habente titulum verum, ſed coloratum, ſeu putatiuum, valida ſint.

Reſp. affirmatiuè ex communi ſententia *in cap. Nihil de elect. & in l. Barbarius ff. de officio Prætor*; ſecùs autem ſi eſſet intruſus, & non habuiſſet ab eo, qui aliàs poterat talem titulum conferre, quia iam non haberet titulus ille colorem, qui verus videri poſſet: ideò *in d. l. dicitur, quia populus, à quo habebat officium, potuiſſet ei hanc poteſtatem decernere*, quia iuxta regulam receptam, ius in ijs, quæ ſunt de iure humano ſupplet defectum ex occulto impedimento prouenientem, & dat illi iuriſdictionem neceſſariam ad tales actus, quando extet titulus coloratus.

Quæres 2. An Iudex excommunicatus peccet iudicando, & eius geſta ſint valida.

Reſp. Si Iudex excommunicatus ſit occultus, & toleratus non peccat iudicando, neque eius geſta ſunt inualida. *Ita Concil. Conſtantien. & extrauag. Martini V. Ad euitanda*. Verùm ſi ſit publicus excommunicatus, & vitandus peccat iudicando, eiuſquè actus ſunt irriti, quia caret iuriſdictione *iuxta cap. Ad probandum de Sentent. & re iudicat. & cap. Audiuimus*; excipiunt tamen Doctores aliqui, ſi iudex ad alium locum migret, aut in loco ſuæ iuriſdictionis non habeatur pro vitando, tunc acta eius putant eſſe valida, licèt peccet ſe ingerendo in iudicium.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Iudex teneatur condemnare Reũ, qui ſecundùm allegata, & probata reus eſt criminis, quem tamen Iudex priuata ſcientia ſcit eſſe innocentem.

NOt. Quòd conueniunt Doctores, iudicem teneri adhibere omnia media, & omnem diligentiam adhibere ad reum liberandum falsò reum præſumptum, licèt ſecundùm allegata, & probata ſit conuictus; impediendo accuſationem, protrahendo iudicium, interrogando diligenter de circumſtantijs, loci, temporis &c. donec teſtes inueniat diſſidentes, diſſimulando etiam carceris cuſtodiam, vt innocens fugere poſſit. Quòd ſi hæc, & ſimilia ad innocentis iuſtificationem proficere nequeant, debet iudex inferior cauſam remittere ad altiorem, & coram illo agere munus teſtis, vt innocentia rei detegatur, & abſoluatur; ſi verò Iudex ſit ſupremus faciliùs poterit reum liberare; cum Princeps poſſit quandoque pœnam condonare; & ad quodlibet ſcandalum vitandum coram populo teſtificare, & iurare poterit, hominem illum reuerà eſſe innocentem; ex quibus patet, quàm raròcontingere poſſit, iudicem non valere Reum, quem nouit certò eſſe innocentem, liberare. Itaque punctus difficultatis eſt; dato, quòd nullo modo Iudex inferior valeat innocentem liberare, an teneatur illum iuxta allegata, & probata condemnare; circa quam difficultatem tres ſententiæ referuntur. Prima abſolutè negat poſſe Reum condemnare innocentem: 2. abſolutè affirmat, poſſe, & debere iudicare iuxta allegata, & probata: 3. media via incedit hac diſtinctione. Si cauſæ ſint criminales, in quibus agitur de pœna vitæ mutilationis; nequit Iudex procedere contra Reum iuxtà legitimè probata: at, ſi cauſæ ſint ciuiles, poteſt procedere ad ſententiam: ratio diſcriminis eſt; quia in cauſis ciuilibus innocens per appellationem poteſt reſtitui in integrum; ſecùs autem in criminalibus: ita Nauar. Leſſ. Malder. Bonac. &c.

Concl. Iudex non poteſt iuſtè ſententiam dicere contra eum, quem certò ſcit eſſe innocentem; idquè maximè in criminalibus. Eſt Alenſis, Angeli, Panormitani; Roſellæ verb. Iudex Lyran. exod. 23. Cordubæ lib. 1. q. 37. Hoſtienſ.

ſtienſ.

ſtienſ. Felini in cap. Paſtoralis, in quam ſententiam inclinant omnes ferè Scotiſtæ Recentiores. Prob. Repugnat iuri naturali, & diuino innocentem directè occidi; hoc enim eſt intrinſece malum, ſed talis malitia non tollitur per allegata, & probata; ergo nequit Iudex condemnare innocentem ſecundùm allegata &c.

Confirm. Etenim ſcientia teſtium requiritur in iudicio ad informandum iudicem facti ignarum; ergo ſi iudex certò ſcit oppoſitum depoſitionum teſtium, tenetur procedere ſecundùm propriam ſcientiam veram, & certam, & non ſecundum informationem falſam teſtium. Prob. conſ. Nam lex obligans Iudicem ad iudicandum allegata, & probata eſt purè poſitiua humana, lex verò obligans in foro conſcientiæ ad iudicandum de rebus ſecundùm veritatem à parte rei ſibi notam, eſt naturalis, & diuina, ſed lex inferior non poteſt obligare contra ſuperiorem; ergo &c.

Arg. Iudex ſuſtinet perſonam publicam, non priuatam, ergo debet vti publica notitia; quæ habetur per allegata, & probata. Reſp. conc. ant. & diſting. conſ. debet vti publica notitia vera, conc. falſa, neg. veritas enim in iudicio tenet primum locum.

Dices. Data hac ſententia, aperiretur via Iudicibus ad non caſtigandos Reos; quod eſt maximum malum in Republ. ergo &c. Reſp. Ex dictis conſtat, caſum poſſe eſſe rariſſimum; ac proindè talis via non aperiretur Iudicibus.

Quæres 1. An ſupremus Iudex, qui ſcit crimen imminens in futurum perniciosum Reip. vel Principi, poſſit Reum ex hac ſola priuata ſcientia indefenſum, & inauditum punire. Reſp. affirmatiuè ex communi. Ratio, quia in eo euentu Reſp. habet ius ſe defendendi ab iniuſto inuaſore; ac proinde poteſt talem Reum veneno, vel ſuffocatione interficere.

Quæres 2. Quæ ſint ſpectantia ad Iudicij ſolemnitatem, & quæ eſſentialia.

Reſp. cum Aretino noſtro in pract. crimin. cap. 2. & 3. Ea ad iudicij ſolemnitatem ſpectant, quæ ſunt iuris poſitiui ciuilis, & canonici, vt ſunt citationes; interualla, dilationes, conteſtatio litis, dilationes, interlocutoriæ, & cætera huiuſmodi. Ea verò dicuntur ſubſtantialia, ſeu eſſentialia iudicij, quæ ſunt de iure diuino naturali, vel

gentium; vt declarat Panor. in cap. delicti extra de Iudic. & Nauar. lib. 2. conſ. tit. de ſent. & re iudicata; vbi inquit: *Quòd Fratres Minores in iudicijs ſuis debent ſeruare ea, quæ ſunt iure naturali, & diuino neceſſaria, & ſufficientia ad inquiſitionem, & inuentionem iuſtitiæ.* Hæc verò ſunt quatuor in genere: primum, vt contra aliquem non procedatur, niſi accuſatum, denunciatum, aut infamatum, iuxta tres modos procedendi à iure ſtatutos per accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem; ſecundum, vt teſtes examinentur cum iuramento; tertium, vt abſens vocetur; quartum, vt indefenſus non condemnetur, niſi fuerit contumax.

Quæres 3. Quot modis iuridicè iudex procedere poſſit contra delinquentes.

Reſp. ex communi. Iudex triplici modo procedere poteſt, nempè per viam accuſationis, vel denunciationis, vel inquiſitionis, *Vt habetur cap. Qualiter, & quando, 2. de accuſatione.* Commodiùs tamen ex Claro lib. 1. ſ. Pract. crim. q. 3. Doctores, ſignanter Filiuc. & Aret. loc. cit. ponunt duos modos procedendi contra criminoſos; alterum ex officio, alterum ad inſtantiam partis; Denunciatio enim non eſt per ſe aliqua via diſtincta procedendi, ſed eſt quiddam præuium, vt iudex procedat ex officio, vt docet Clarus. Ad inſtantiam partis procedit, quando pars offenſa, vel alius, ad quem id iure ſpectare poteſt, accuſationem porrigit, & iudex, ea admiſſa, ſecundùm eius probationem procedit. Ex officio autem, quando, præcedente aliqua infamia, vel denunciatione, capit informationes, & format inquiſitionem contra auctorem, vt ſic ad plenam probationem, & ſententiam perueniat. Itaque iudex, quando agit ex officio, procedit per inquiſitionem, quando verò ad inſtantiam partis, procedit per accuſationem; & quàmuis iudex nunquam poſſit condemnare ſine accuſatore, tamen id intelligi debet de accuſatore generaliter accepto, hoc eſt, vel de formali, vt cum proceditur per accuſationem, vel virtuali, vt cum ſit denunciatio, vel crimen eſt notorium, vel auctor eſt contumax, vel præcedit infamia, ſeu clamoroſa inſinuatio; hæc enim omnia vices habent, ſeu gerunt Accuſatoris.

QVÆSTIO VII.

De modo procedendi per Inquiſitionem.

NOt. 1. Quòd *Inquiſitio eſt informatio contra criminum auctores*; hæc autem in triplicem diſtingui ſolet. Prima dicitur merè generalis, nimirum cùm in genere quæritur de obſeruantia legum, de delictis, de infamia criminis in aliquo, an ſit, vel ſuſpicio, & hac ſolent vti Prælati,& Superiores in ſuis viſitationibus: 2. dicitur omninò ſpecialis, cum de perſona determinata, & determinato delicto v. g. an Petrus commiſerit furtum, adulterium: 3. dicitur mixta, quando vel ſolùm crimen eſt ſpeciale, vel ſola perſona, vt an Petrus ſeruet Statuta Prouincialia, vel Synodalia, vel an quis commiſerit tale furtum, tale homicidium &c.

Not. 2. Quòd *Infamia eſt rumor communis, ſeu exiſtimatio bonorum de tali crimine manans, non à maleuolis, neque leuibus*. Prudentis autem arbitrio relinquitur iudicare, qui numerus perſonarum ſit ſufficiens, habita ratione perſonarum, loci, & temporis, non tamen requiritur, vt teſtes oculati fuerint, ſed ſatis eſt audiuiſſe à bonis viris, & fide dignis, vel habuiſſe ſufficientia indicia: quæ autem ſint iudicia ſufficientia traditur à Doctoribus in Pract. Criminal. ad quos &c.

I. Concl. Ad inquiſitionem omninò generalem non eſt neceſſaria præcedens infamia, vel accuſatio, vel denunciatio perſonæ, aut delicti. Eſt communis; & prob. *ex iure cap. 1. de off. Ord. cap. Cum olim de accuſ. & cap. Romana de Cenſibus in 6. quibus locis præcipiuntur viſitationes, & inquiſitiones generales facienda ſuis temporibus à Prælatis, nullo habito reſpectu ad præcedentem infamiam*; & ratio eſt, quia talis inquiſitio eſt vtilis ad purgationem Reip. nec vlli infert iniuriam. Cæterùm in hac inquiſitione ſubditi interrogati, non ſolùm non tenentur manifeſtare occultos criminoſos, de quibus infamia non præcedit, ſed neque licitè id facere poſſunt, & peccant contra iuſtitiam, ſi crimen ſit occultum, & non redundet in damnum commune, aut innocentis. Ita communis ſententia, & ſignanter D. Thom. & Sum. Ang. Inquiſitio n. 1. Ratio, quia iudicis poteſtas ad id non ſe extendit,

dit, etiamſi ſub excommunicatione, ſeu præcepto obedientiæ id præciperet; quia ſicut extra viſitationem nemo tenetur manifeſtare delicta occulta, ita nec in viſitatione: vndè iniuſtè Superior interrogat de occultis præfatis; quòd ſi ſubditus ignarus exiſtimat, ſe teneri ad manifeſtanda Prælato delicta occulta, tenetur ipſe ad ſecretum illorum.

II. Concl. Ad inquiſitionem ſpecialem neceſſaria eſt præuia infamia. Eſt communis: & prob. *Ex iure in cap. Inquiſitionis §. tertia de accuſat. vbi habetur, nullum eſſe pro crimine, ſuper quo non laborat infamia, ſeu clamoſa inſinuatio non præceſſerit, puniendum. Idem in c. Qualiter, & quando.* Accedit ratio; quia iudex ad punitionem ex publica ſcientia procedere debet; ideoquè non ſine accuſatore formali, vel virtuali *cap. Si quis poteſtat. 23. q. 4. vbi ſic. Iudicis non eſt ſine accuſat. damnare; ſicut nec Chriſtus Iudam abiecit, & tamen ſciebat, eum eſſe furem.* Itaque ad hoc vt iudex inquirat circa perſonam determinatam præcedere debet infamia, neque ad hanc infamiam ſufficit, quòd duo teſtes, vel tres, etiam iurati deponant de crimine, ſed requiritur, vt rumor diffuſus ſit per maiorem, vel mediam partem viciniæ, Ciuitatis, Collegij, Monaſterij; vt ex Bartol. Doctores tradunt, & expreſsè habetur in d. cap. Inquiſitionis vel ſaltem iuxtà Franc. B. Spei diſp. 4. n. 29. vt duo viri probi iudicialiter teſtentur, talem eſſe rumorem.

III. Concl. Quando per inquiſitionem ſpecialem ſolùm intenditur erroris euitatio, aut damni impedimentum fieri poteſt in vtroque foro abſque infamia, & alijs ei æquipollentibus. Ita noſter Roſella verb. inquiſ. *Et ferè omnes ex cap. Poſtquam, cap. Cum in cunctis, & cap. Nihil de elect. & cap. Final. de clandeſt. deſponſat.* Ratio eſt, quia id pertinet ad bonum commune, quod bono particulari anteferri debet. Hinc ſi adſint non leues ſuſpiciones, vel præſumptiones, vel iudicia de hæreſi, apoſtaſia, proditione, læſæ maieſtatis crimine, & ſimilibus in graue damnum commune, vel tertij innocentis redundantibus, & pendentibus, in futurum, fieri poteſt particularis inquiſitio, vt inter plures tradit Simanch. tit. 44.

Quæres. Inquirit iudex generaliter, ſed per talem inquiſitionem venit in cognitionem criminis occulti, v. g. Titij; poteſtne poſtea de eo particulariter inquirere?

Reſp.

Reſp. negatiuè *ex cap. Inquiſitionis, & cap. Qualiter, & quando 2. de accuſat.* quia illa notitia fuit contra iuſtitiam, & iniqua, ac proinde habenda eſt pro non acquiſita. Ità Doctores communiter, qui docent, iudicem peccare mortaliter inquirendo aliquod particulare delictum.

QVÆSTIO VIII.

De Denunciatione, & Accuſatione.

NOt. 1. Quòd *Denunciatio eſt delatio rei de crimine per actorem non ſuſcipientem in ſe onus probationis*. Diuiditur communiter à Canoniſtis cap. Nouit de iudicijs quadrupliciter, nempè in Euangelicam, quæ fit per Euangelium inducta; iuxta illud *Si peccauerit in te &c.* 2. dicitur Canonica, ideſt per Canones introducta, qua proceditur ſpecialiter, vel generaliter, vt remoueatur quis ab officio, beneficio &c. 3. dicitur Iudicialis, qua procedit iudex contra malefactores. 4. dicitur Regularis, qua in Ordinibus regularibus contra ipſos Religioſos iuxta eorum conſtitutiones, & Regulas proceditur. Verùm rectiùs ſecundùm Theologos diuiditur denunciatio in duplicem; alteram, qua crimen denunciatur Pręlato, tanquàm patri ad emendationem proximi delinquentis, iuxta mandatum Chriſti. *Si peccauerit in te Frater tuus*: Alteram verò iudicialem, qua crimen defertur ad Prælatum, tanquam iudicem, quæ fieri aliquando ſolet ob publicam criminis punitionem; aliquando, vt pars offenſa competentem ſatisfactionem obtineat; aliquando, vt quis tanquam indignus remoueatur, vel à dignitate, & officio iam habitis, vel à dignitate, & officio obtinendis. *Accuſatio eſt delatio rei de crimine per actorem ſuſcipientem in ſe onus probandi.*

Not. 2. quòd ex definitionibus modò traditis de denunciatione, & accuſatione dignoſcitur diſcrimen inter vtramque. Siquidem accuſatio diſtinguitur à denunciatione; primò, quòd accuſator non poſſit eſſe teſtis in cauſa, in qua eſt accuſator; denunciator autem poteſt; 2. quòd accuſator teneatur ad probandum, non autem denunciator: 3. accuſatio debet fieri in ſcriptis, vt conſtet, quid probandum ſit: immò accuſans alterum in cauſa Eccleſiaſtica de-

debet ſe obligare ad pœnam talionis, ſi in probatione defecerit, *vt habetur cap. Qualiter, & quando*; etſi in cauſa ſeculari contrarium ſit conſuetudine introductum, eò quòd paſſim omnes ob id ab accuſationibus retraherentur, vt notant DD. qui addunt, vt accuſator cenſeatur delictum probaſſe, ſufficere, quòd illud probarit ſemiplenè, ſiuè per famam, vel vnum integrum teſtem, vel per alia indicia æquipollentia.

I. Concl. Quilibet tenetur accuſare, vel ſaltem denunciare publica peccata, quæ in commune detrimentum redundant, vel tertij innocentis; ſi aliter impediri non poſſunt, idquè ſub mortali, ſi poſſit ea in iudicio probare. Ita D. Thom 2. 2. q. 67. Sum. Ang. & omnes. Ratio eſt; quia quilibet tenetur procurare ad euitandum damnum publicum, id autem non poteſt præſtare, niſi denunciet ea crimina, quæ redundant in bonum publicum, ergo &c. Quòd ſi teneatur ex iuſtitia, tenetur ad reſtitutionem, vt ex dictis conſtat; ſi verò ex charitate, peccat quidem mortaliter, ſed ad reſtitutionem non tenetur, vt aliàs dictum eſt. Notanter dictum eſt in Conc. peccata publica; quia peccata, quæ ſub ſecreto aliquis ſciuit, quamuis alia via fiant notoria, & manifeſta, non poteſt quis in iudicio denunciare, niſi vergant in perniciem publicam, etiamſi recipiat iuramentum. *Ratio eſt, vt docet Scotus in 4. d. 21. q. 2. §. teneo igitur; quia ius naturale ita oſtendit, & ita poſtulat conuictus, & Societas humana, alioquin eſſet intolerabilis, ſi quis ſolus, aut cum paucis viderit, vel audierit aliquod crimen tertij, poſſet illud alteri aperire.*

II. Concl. Non tenetur quis denunciare, licèt ſit Religioſus, qui, attenta praxi, & omnibus circumſtantijs cum prudentia, ſcit certò moraliter denunciationem ſuam non profuturam; quia Prælatus negligens eſt in puniendo, vt iam in alijs ſimilibus cauſis innotuit, vel quia ob affectum amicitiæ, vel conſanguinitatis, vel ob alium humanum reſpectum punire non curat: ratio eſt, quia nemo tenetur ad actum fruſtraneum, & inutilem cap. Si quis de pœn. diſt. 7. Si verò non ſit certus, ſed dubius, an proficiet, tenetur denunciare. Item non tenetur quis denunciare, quando peccatum eſt ſecretum, & emendatum, nec eſt occaſio recidiuandi. Quando autem ſit præmittenda correctio, ſatìs

tis oſtenſum eſt in diſp. de correctione diſp. de Charitate.

Cęterum accuſatio non videtur eſſe in vſu apud Regulares reformatos; tum quia vix ſine peccato exerceri poteſt, *vt habet gloſ. in cap. Si quis Epiſcopus*: tum quia accuſatio tendit potius ad vindictam, quàm ad emendationem; vndè qui ex odio accuſat, vt malum infligatur proximo propter vindictam, peccat mortaliter; vndè Thomas à Ieſu de Viſit. regul. tract. 1. cap. 4. dicit, accuſationem paci, ac tranquillitati non expedire; & idem videtur dicendum de denunciatione palliata, quæ reuera eſt accuſatio, cum denunciator induat accuſatoris perſonam. Hinc monent DD. Regulares; *Vt prudens Prælatus non acceptet huiuſmodi denunciationem quæ ſapit accuſationem, niſi actor denuncians obligetur ad pœnam talionis; neque acceptet ſimplicem denunciationem contra viros graues, & probatos multis annis Religioſos, à quocunque fiat, ſed ſolam accuſationem ſub pœna talionis ne malignantes indè captent occaſionem opprimendi Religioſos probatæ vitæ, & veræ obſeruantiæ Zelatores. Inſuper Sum. Pontifex in cap. Qualiter, & quando ait, non facilè admitti accuſationem Prælatorum, & rationem ſubdit, quia Prælati ſunt quaſi ſignum poſitum ad ſagittam, ac multorum odia incurrunt*: & vt bene notat Panormit. *quantò Prælatus eſt iuſtior, tanto minùs omnibus placere poteſt, cum debeat ſuum officium diligenter exequi ſine perſonarum acceptione.*

QVÆSTIO IX.

Ad quid teneatur Teſtis in iudicio.

NOt. 1. Quòd, vt tactum eſt paulò ſuperiùs, nemo condemnari poteſt niſi per publicam ſcientiam conſtet Iudici de criminis auctore. Tribus autem modis crimen per publicam ſcientiam conſtare poteſt; primo ſi ipſe Iudex cum tribus, vel quatuor alijs deprehendat illum in fragranti crimine: 2. ſi Reus in iudicio confiteatur crimen: 3. ſi teſtibus conuincatur; & hic tertius modus eſt ferè ordinarius; ideoquè de Teſtibus in hac quæſt. nobis agendum eſt.

Not. 2. Quòd *teſtis eſt ille, qui aſſecuratione ſua rei fidem facit*; Teſtis alius eſt idoneus, nempe cui nihil opponi poteſt, quin fides ei habeatur; & idem vocatur locuples, claſſicus,

in-

integer, & omni exceptione maior; alius dicitur minùs idoneus; nempè cui aliquid opponi poteſt; vel ex natura rei; v. g. defectus vſus rationis, vel iuris diſpoſitione v. g. periurium. Ad conuincendum, & damnandum Reum requiruntur duo teſtes idonei, legitimi fide digni, & omni exceptione maiores, & iurati; cap. nuper de teſtibus; idq; vt notat noſter Aretinus in pract criminali cap. 2. de num. teſt. eſt iuris gentium, iuris canonici, & ciuilis; non autem diuini; cum lex Deuter. cap. 17. *In ore duorum, vel trium ſtat &c.* in lege noua non obliget, niſi quatenùs continet id, quod eſt iuris naturæ. Inſuper ad conuincendum reum debent eſſe teſtes conteſtes, idest de eodem facto, nam teſtes ſingulares non probant; ſunt autem ſingulares, quando vnus vnum crimen, v. g. furtum Aſini teſtatur, alter alterum, v. g. furtum veſtis &c. qui omnes ſuum dictum probant, non alterius. Teſtes conteſtes ſunt, qui deponunt de eodem numero delicto, atque eiſdem circumſtantijs; igitur ad hoc, vt ſint conteſtes, debent conuenire in tempore, loco, & delicti ſpecie, & numero; & præterea requiritur, vt teſtes ſenſu aliquo factum perceperint *l. ſolùm de teſtibus*; vndè debent factum vidiſſe, vel ſi delictum in voce ſit audiuiſſe; itaque tres ſunt præcipuæ conditiones teſtis legitimi, & idonei, quòd ſit iuratus, conteſtis, & ſenſu aliquo factum percepiſſe. Quarè non eſt neceſſe, quòd conteſtes conueniant omnino in accidentalibus, quia omnimoda conuenientia potiùs reddit teſtes ſuſpectos.

Not. 3. quòd à iure tam canonico, quàm ciuili repelluntur multi à teſtificando in cauſis criminalibus; & in primis Seruus manens in ſeruitute, quia ſeruitus præſefert timorem dominationis: 2. ſexus muliebris in criminalibus, in ciuilibus autem admittitur; quòd intelligendum eſt, vt notat Aretinus loc. cit. in criminalibus quoad probationem, vt ſcilicet quis condemnetur, ſed non quoad inquiſitionem; 3. minor viginti annis *l. in teſtimonium ff. de teſt. dictum autem eius facit indicium ſufficiens ad capiendam informationem, non tamen ad torturam:* Si tamen ſit puber, tam maſculus, quàm fœmina admittitur in ciuilibus: 4. inimicus eius, contra quem teſtimonium dicitur, ſi inimicitia ſit grauis: 5. ſanguine coniuncti, nempe aſcendentes, & deſcendentes accuſatoris; item collaterales vſquè ad quartum gradum:

6. do-

6. domeſtici ipſius producentis, quia præſumuntur affecti in eum ·7. infamis infamia iuris, & infamia facti: 8. Socius criminis *l. final. C. de accuſat.* quia hic facilè alium nominabit, vel quia illius priuilegio veniam ſperat, vel quia odio cupit illum eodem ſupplicio perire; ſecus autem in criminibus exceptis; & in delictis, quæ non poſſunt ſine ſocio committi; & in his facit ſemiplenam probationem; vt dicit Aretin. loc. cit. 9. Perſona vilis, inops, de qua ſuſpicio eſt facilè poſſe corrumpi; ſecùs ſi ſit honeſta: 10. Conſpirantes; *dicuntur autem conſpiratores, qui ex pacto conuenerunt, vt vnus accuſet, ſeu denunciet, & reliqui ſint teſtes, quorum accuſatio, ait Aret & teſtimonium non ſolùm admittenda non ſunt, ſed etiam Prælatus tanquam impoſtores, & Reip. perturbatores grauiter punire debet*; quæ omnia continentur in his verſibus.

Conditio, ſexus, ætas, diſcretio, fama;
Et fortuna, fides, in teſtibus iſta requires.

Cæterum vbi non poſſent haberi teſtes idonei; ſi veritas delicti aliter haberi nequit, admittuntur teſtes, qui aliàs prohibentur, vt ex communi tradit Decius conſ. 342. n. 9. & ſequitur Aretinus.

I. Concl. Teſtis tenetur offerre ſe ipſum ad teſtandum; dum eſt neceſſarium ad defenſionem communitatis, vel alicuius innocentis; ſecùs non tenetur, & tunc ſolùm tenetur ex charitate, iuxta communiorem ſententiam; ac proinde non tenetur ad reſtitutionem, niſi tulerit teſtimonium falſum; quod ſignanter defendit Diana p. 3. tract. 5. reſ. 101. de teſte iuridicè interrogato, qui reſpondet ſe nihil ſcire, quia per iudicis mandatum non accedit obligatio iuſtitiæ commutatiuæ ad teſtificandum; communior tamen ſententia contrarium tenet; & inſuper docet, teſte Filiuccio tom. 2. in tract. de iudic. quod teſtis iuridicè citatus, ſi ſe occultet, vel fugiat, poſtquàm citatio ei legitimè intimata eſt, tenetur ad reſtitutionem damni ſecuti ex defectu teſtificationis.

II. Concl. Si teſtis falſum teſtimonium dixit ex ignorantia probabili, vel inaduertentia non culpabili; & tamen ratione eius teſtimonij reus damnatur, non tenetur ad reſtitutionem; ſecùs autem ſi teſtimonium dixerit ſcienter, vel ignorantia craſſa; nam in tali caſu tenetur ad reſtitutionem damni, & etiam ad retractationem cum periculo vitæ, ſi

tæ, ſi ſimile damnum reo timeatur, & putetur retractatio profutura, ita Nauar. Leſs. dub. 7. & plures alij: ratio ſecundæ partis eſt, quia per iniuriam eſt cauſa efficax totius damni, ideoquè tenebitur in ſolidum. Verum ſi eius teſtimonium non fuerit cauſa efficax; quia iam per alios teſtes conuictus erat, ad nihil tenebitur.

III. Concl. Quando Iudex inquirit generaliter ſuper aliquo delicto notorio; tunc ſubditus dubitans, an infamia, vel indicia ſufficientia ſint contra eum, quem nouit delictum commiſiſſe, non tenetur eum manifeſtare; immò tenetur celare crimen, dicendo, ſe nihil ſcire, ita Aret. cum Soto, & multis aliis. Hinc Diana ait, miſerrimè decipi teſtes, ac Iudices: immò licèt teſtis ſciat, ſe iuridicè interrogari, adhuc non tenetur reſpondere in ſequentibus caſibus. Primò, quando nouit ex confeſſione ſacramentali, aut ſub ſecreto naturali, tanquàm Medicus, Conſiliarius, Aduocatus, obſtetrix &c. niſi fortè periculum immineat Communitati, ſi non pateſiat; tunc enim tenetur, etiamſi iuraſſet, ſe non reuelaturum; quia, cum iure naturæ ad id teneatur; non obligat iuramentum: 2. dum teſtis videt crimen probari non poſſe, non obſtante ſuo teſtimonio: 3. quando ſibi, & ſuis timet notabile damnum: 4. dum quis crimen nouit per iniuriam, aperiendo v. g. Literas, cogendo alterum ad reuelationem &c. 5. Si alter in facto probabiliter non peccauerit ob inaduertentiam, vel ignorantiam; vel aliundè; quia in tali caſu non deliquit, & Iudex intendit interrogare de delicto. Notent denique Superiores Regulares ex Portel. verb. Correctio; quòd ſi duo, vel tres teſtes denuncient Prælato aliquod crimen ſub iuramento, & tale crimen non ſit diffamatum, neque perſona infamata, non poteſt Prælatus illud publicè punire, ſed ſolùm ſecretè paternaliter monere *Cap. Inquiſitionis §. tertia de accuſat. & conſonat ſtat. general. Tolet. Minorum cap. 6. tit. de correctionibus.*

QVÆSTIO X.

Ad quid tenetur Reus in iudicio.

NOt. Quòd nemo dicendus, aut præſumendus eſt Reus, niſi factum ſit criminoſum; vndè crimen, ſeu delictum

ctum in dubio non præſumitur; *Ideoquè actus, qui poteſt ſonare in delictum, & non delictum, ſemper interpretatur, vt abſit delictum l. Prætor §. docere, & l. meritò ff. pro Socio: & Maſcard. de probat. conſ. 95.* Reum, non teneri fateri veritatem, ſi Iudex non interrogat iuridicè; hoc eſt non ſeruato iuris ordine eſt indubitatum *Ex cap. Qualiter, & quando*: tunc autem Iudex iuridicè non interrogat, quando de crimine neque præceſſit fama contra Reum, neque indicia manifeſta, neque probatio ſemiplena; vnde Iudex tenetur aperire Reo ſtatum cauſæ, probationes, indicia, & teſtes, vt ſciat contra ſe iuridicè procedi; ita ex communi docet Aretinus l. c. immò in dubio non tenetur, quia magìs fauendum eſt reo, quàm actori. Hinc ſequitur, Iudicem non poſſe Reo iuramentum dare; niſi præcedat ſemiplena probatio, vel per teſtes, vel per æquiualentia.

I. Concl. Reus ſciens ſe iuridicè interrogari tenetur ſub mortali veritatem fateri; non tamen in cauſa capitali, vt ſi morte eſſet damnandus, vel ad triremes, vel confiſcatione omnium bonorum. Prima pars eſt communis, & certa. 2. pars controuertitur, nam D. Thom. cum multis docet Reum vniuerſaliter teneri fateri abſque vlla exceptione: ex oppoſito Scot. in 4. d. 15. p. 4. art. 3. excipit cauſas capitales; & cum eo non ſolùm omnes ferè Scotiſtæ; ſed vt teſtatur Franciſcus Boneſpei communiùs doceri. Ratio Scoti eſt euidens. Durum videtur, quòd quilibet accuſatus in publico ab vno, ſtatim teneretur de neceſſitate ſalutis in publico fateri illud; & ſic ſtatim exponere ſe patibulo in iudicio ſanguinis; ſed habendo oculum non tantùm ad pœnam, ſed ad honeſtum, & inhoneſtum, non apparet, quòd iſte honeſtè, & ſecundùm rectam rationem debeat confiteri coram tali iudice, quia ipſe pluſquàm quicumque alius accuſans ſingularis auferret ſibi famam, quia confitenti contra ſe in iudicio creditur. Confirmatur. Quia leges humanæ non obligant teſtes deponere contra perſonas ſibi valdè coniunctas; neq; quis obligatur teſtificari contra alium, ſi ſibi notabile damnum immineat; ergo tantò minùs Reus contra ſe ipſum. Tum quia dictum eſt; vt ait Scot. addunt alij moraliter impoſſibile tale præceptum, & ſuperare humanam conditionem; vndè ait Card. de Lugo noſtram ſententiam eſſe multò probabiliorem oppoſita.

II. Concl. Licet Reo occulta crimina teſtium detegere; ſi illa crimina valeant ad infirmandum teſtimonium; dummodò reus in hoc non excedat debitam moderationem. Eſt communis. Ratio primæ partis eſt, quia poteſt quiſque ſe defendere iuſto moderamine eodem genere armorum, quo oppugnatur; nec alter poteſt quæri de iniuria, cum ſit inuaſor; ex quo remanet probata etiam ſecunda pars: fieri tamen poteſt, addit Aret. pract. crim. vt ſit contra charitatem talia crimina patefacere; vt ſi teſtis non ſpontè ſe ingeſſit, ſed coactus à Iudice, & crimen, quod ei obijcitur, eſſe longè grauius cauſa Rei.

III. Concl. Reus tam ante condemnationem, quàm poſt condemnationem poteſt è carcere fugere; vtraquè pars videtur communis; quia præceptum, vt ibi maneat cum ſuo damno, & periculo. ſuperat humanam conditionem: Hinc rectè inferunt Doctores Reum poſſe effringere carcerem, vt fugiat; item poſſe corrumpere cuſtodes pecunia, vel alijs modis. Inſuper alios poſſe Reo conſulere fugam è carcere; & auxilium ei præſtare, & media ſuppeditare, dum non ſint miniſtri iuſtitiæ; vt cum alijs tenet Diana p. 3. tract. 5. reſol. 102. Non tamen vlli licitum eſt per ſe carcerem effringere, vt reus fugiat. Cæterùm nullus iuſtè condemnatus tenetur fugere; at condemnatus iniuſtè, tenetur fugere; quia non habet cauſam permittendi ſui occiſionem: Nunquam tamen eſt licitum interficere falſos teſtes, Accuſatorem, Iudicem; etiamſi iniqua immineat ſententia; id enim damnauit Alex. VII. propoſ. 18. inter damnatas; quæ eſt talis. *Licet interficere falſum accuſatorem, falſos teſtes, ac etiam Iudicem, à quo iniqua imminet ſententia, ſi alia via non poteſt innocens damnum euitare.*

Quæres 1. An Reus negans iniuſtè crimen verum, ob quod erat damnandus pœna pecuniaria, teneatur ſoluere.

Reſp. affirmatiuam ſententiam tradunt Caſtro de lege pœnali, Layman, Molin. & alij: negatiuam tenent quamplures; & videtur verior, & communior; addunt tamen Doctores ſecundæ ſententiæ, teneri ad litis expenſas, vt videri poteſt apud Dian. p. 3. tract. 5. reſol. 52.

Quæres 2. An Reus negans veritatem indebitè, qua damnaretur, teneatur retractare ante finem iudicij.

Reſp. Affirmant Angles, Malder. Sanchez, & alij: Negant

gant Bonacin. Angel. Azor. & quamplures alij; quorum aliqui addunt, teneri Confeſſarium monere Reum, vt ſit paratus ad veritatem, ſi iterum interrogetur; quod diſplicet Dianæ p. 1. tract. 5 reſ. 26. & meritò, quia eſt exponere Reum periculo; ſed ſatis eſt eum monere ad emendationem: Quomodò autem Iudex debeat procedere ad torturam; docent omnes, non poſſe inferri torturam; niſi præcedente ſemiplena probatione: hæc breuiter ſufficiant; nam late de hac materia agunt Legales in pract. crimin. & Theologi nonnulli pariter, qui practicas criminales ediderunt, inter quos ex noſtris Aretinus, Bictus; Bellegrandis, Miranda, Rodriquez, & alij; ad quos lectorem mitto, vbi reperiet quicquid ad iuſtitiam proceſſus exigitur &c. Reſtat ſolùm aliquid addere de appellatione Rei, de Aduocato, Procuratore, & Tabellione. Vndè.

Quæs 1. Quid ſit Appellatio, & quibus, & quando liceat appellare. Reſp. Appellatio *eſt recurſus à iudice inferiori ad ſuperiorem ratione grauaminis illati, vel inferendi. Ità colligitur ex iure canon. & præſertim de appellation. tit.* 17. *Inſtit. iur. canon.* quæ duplex eſt; vna iudicialis, quæ accidit, quandò recurritur ad ſuperiorem ratione alicuius ſententiæ iniuſtæ: alia extraiudicialis, quando aliquis ratione alicuius grauaminis præſentis, aut futuri recurrit ad ſuperiorem; & appellatio duos habet effectus: primus eſt deuoluere cauſam ad iudicem ſuperiorem: 2. eſt ſuſpendere primi iudicis auctoritatem, adeout illius mandatum poſt appellationem non liget, etiamſi iubeat ſub cenſuris *gloſ. in cap. ad reprimendum de offic. ordinarij*: ex quo fit, quòd interdum à iudice admittitur appellatio quoad effectum deuolutiuum tantùm, non verò quoad ſuſpenſiuum. Appellatio de iure naturæ nemini eſt deneganda, cum ſit ſpecies quædam defenſionis ex iure naturali, ciuili, & canon. quarè reo licitum eſt appellare à ſententia lata, ſi ſit iniuſta; at ſi ſit iuſta, & appellet ad eam repellendam, vel differendam, peccat mortaliter *cap. Quicumque* 2. *q.* 6. *vbi præcipitur, ne huiuſmodi appellationes recipiantur, & cap. Omnis* 2. *q.* 6. *appellantes puniri iubetur*.

Difficultas tamen eſt: An Religioſi ad ſuperiorem altiorem appellare poſſint. Reſp. 1. Religioſi appellare poſſunt, quando illis iuxta prudentis arbitrium infertur grauamen iniuſtum per ſententiam iniuſtè latam, quia defenſio na-

turalis eſt ipſa appellatio iuſta; ita vt iudex non recipiens appellationem iuſtam, peccat mortaliter, vt tradunt Doctores.

Reſp. 2. Religioſi non poſſunt appellare à correctione ordinaria inflicta a Superiore iuxtà regulam, & ſtatuta, *vt habetur cap. Irrefragabili, & decernit Trident. ſeſſ. 25. cap. 4. de Regul.* quæ ratio militare videtur, non ſolum in mortificationibus ordinarijs iuxta diſciplinam regularem, ſed etiam quandò delinquens punitur pœna taxata in Regula, vel Statutis, quia tunc non cenſetur exceſſus. Verùm ſi Superior, vel Iudex in corrigendo excedit modum regularem, & legitimum, poteſt Religioſus ſubditus appellare, *vt dicit Abbas in cap. 3. & cap. reprehenſibilis, quo ſenſu etiam vterque Rodericus, & Aretin. in pract. crim. cap. 10. docent, quòd auctoritates ex cap. irrefragab. ex Bonifacio, & Trident. prohibentes Regularibus appellationem intelligenda ſunt; quando correctio, & punitio legitimè facta fuit; ſecùs autem quando modus regularis, & legitimus in corrigendo exceditur.*

Quæres 2. Qualiter ſe gerere debeant in ſuis muneribus obeundis Aduocatus, Procurator, & Tabellio, ſeu Notarius. Reſp. In Aduocato quatuor communiter à DD. deſiderantur. Primò conueniens ſcientia; qua valeat noſcere iura, conſuetudines, nec non alia neceſſaria ad clientum cauſas iuſtè, & rectè defendendas. Hinc mortaliter peccat, & tenetur ad reſtitutionem, ſi ſit in culpa lata theologica, vel ſcientiæ acquirendæ, vel diligentiæ adhibendæ iuxta prudentis iudicium: item ſi expeditionem cauſæ cum præiudicio Clientum differat, poſtponat, vel adeò multas defendendas ſuſcipiat, vt eas expedire non valeat; tenetur autem maiorem, vel minorem adhibere diligentiam ſecundùm merita cauſarum.

Secundò requiritur iuſtitiæ cauſa; peccat quidem contra iuſtitiam, & ad reſtitutionem tenetur Iudex ſi ſcienter patrocinetur cauſæ iniuſtæ; ſiuè in decurſu, ſiue ab initio litis notæ, vt tali; poteſt tamen defendere, ne dum cauſam probabilem, ſed etiam minùs probabilem; non verò dubiam, quicquid dicant nonnulli apud Dian. p. 2. tract. 13. reſ. 6. nam videtur irrationabile ſuſcipere cauſam nihil ferè probabilitatis habentem, adeò vt vix ſit ſpes, moraliter loquendo, litem lucrandi, ac proinde Aduocatus eſt cauſa,

quòd

quòd cliens ſine fructu tempus, & pecuniam perdat, cum ſimilis cauſa ordinariè in iudicio reiiciatur.

Tertiò debet Aduocatus eſſe fidelis, tùm erga clientes, non manifeſtando aduerſarijs merita cauſarum, nec ipſos iuuando, tum etiam erga Rempub. & propriam conſcientiam, non afferendo leges falſas pro veris, aut ſenſus à vera doctrina alienos pro legitimis, vel falſas cauillas pro ſolidis rationibus.

Deniquè requiritur, ne exigat ſtipendium vltra iuſtum pretium; iuſtum autem pretium cenſetur id quòd patitur laudabilis, & tolerata conſuetudo locorum, niſi ſit à lege taxatum. Hinc non poteſt in conſcientia Aduocatus paciſci de aliqua parte cauſæ, ſi obtinuerit litis victoriam; *idquè cauetur l. ſi qui C. de poſtul.* neque aduocatus agnoſcens ſui clientis iniuſtitiam, poteſt illi ſuadere, vt veniat cum ſua parte in fœdus, & tenetur præter peccatum aduerſario reſtituere omne id, quod fallacijs illis illuſus dedit, quia non liberè, nec iuſtè dedit, ſed ſolùm ad redimendam vexationem. Quarè Aduocatus debet diligenter examinare iuſtitiam cauſæ, antequam ei patrocinetur. Inſuper tenetur aduocatus defendere clientem gratis, non ſolùm in extrema, ſed etiam graui neceſſitate, vt communiter tradunt DD. *Hinc tenetur iudex perſonis miſerabilibus dare aduocatum ex l. nec quicquam ff. de offic. conſul. §. fin. quòd ſi aduocatus ſine cauſa renuat, poteſt Iudex eum ab officio aduocationis perpetuò amouere l. prouidendum C. eod. tit.* Procuratori, Tabellioni &c: cum proportione applicanda eſt doctrina.

TRACTATVS QVARTVS DE VIRTVTE RELIGIONIS,

Ac de alijs Virtutibus Iuſtitiæ annexis, nec non de Fortitudine, & Temperantia.

DISPVTATIO I.

QVÆSTIO I.

Vtrum Religio ſit virtus ſpecialis, & ad ſuos actus quandoque obliget.

NOt. 1. Quòd hoc nomen Religio tripliciter ſumi poteſt. Primò pro virtute, quæ cultum Deo ſupremo Domino debitum exhibet: 2. pro determinato ritu cultus D. ad ſalutem neceſſarij; qualis eſt Religio Chriſtiana: 3. pro perfecto ritu cultus D. & obſeruantia conſiliorum Euangelicorum, cuiuſmodi eſt ſtatus Religioſorum. Vndè ſecunda Religio includit primam, & tertia vtramque. *Religio autem iuxta nominis etymon, à religando dicitur ex D. Iſid. l. 8. etymol. eò quòd Religio per modum iuſtitiæ vinculi, & ſeruitutis creaturam ſtrictè ligat ad Deum colendum; ideoquè ſolet ſic deſcribi. Religio eſt virtus moralis inclinans creaturam intellectualem ad tribuendum debitum cultum latriæ Deo, vt ſupremo Domino omnis creaturæ:* in cuius exercitio quatuor præcipuè ſunt conſideranda. Primum eſt ſumma Dei dignitas: 2. noſtrum nihil: 3. humiliatio creaturæ: 4. eiuſdem humiliationis externa profeſſio: & nota, quòd cultus in eo ab honore diſtinguitur, quia cultus præter honorem, ſeù excellentiæ alterius teſtimonium dicit animi ſubmiſſionem; vndè Deus Sanctos ſuos honorat, ſed non colit.

Not. 2. ex Scot. in 3. d. 9. q. vn. §. de primo ſciendum eſt, quòd Latria poteſt æquiuocè accipi; vno modo pro cul-

cultu, ſeu reuerentia exhibita Deo in actu interiori ratione ſummi domini, vel ſummi boni, vel pro reuerentia exhibita Deo actu exteriori, vel pro habitu inclinante ad talem actum, & ille habitus, cum ſit conſonus rationi rectæ, virtus eſt, ſed non Theologica, quia non habet pro obiecto immediato bonum increatum. ſed honorem deferendum domino increato, ideoquè eſt virtus moralis, & potiſſimè continetur ſub iuſtitia, qua redditur ſuperiori quod ſibi debetur. Quare obiectum materiale Religionis ſunt actiones humanæ, quibus deferimus honorem, & reuerentiam Deo, & comprehenduntur nomine diuini cultus; obiectum verò formale eſt reddere Deo cultum debitum, non quidem ſecundùm debitum legale, ſed morale; quia debitum Religionis fundatur in honeſtate virtutis, quod priùs eſt debito legali: hinc Deus poteſt dici obiectum remotum, ſeu indirectum, & obiectum cui.

I Concl. Religio eſt virtus moralis particularis ab alijs virtutibus cardinalibus, & theologicis diſtincta. Hæc eſt Scoti, D. Bonau. & eſt communis. Prob. quòd ſit ſpecialis virtus. Habitus, qui habet ſpeciale obiectum, eſt ſpecialis virtus, ſed Religio habet ſpeciale obiectum, nempè cultum Dei, ergo &c. Prob. 2. Habitus, cui opponitur ſpeciale vitium, eſt ſpecialis virtus, ſed Religioni opponitur ſpeciale vitium, nempè idololatria, ergo &c.

Prob. quòd ſit diſtincta ab alijs virtutibus; & in primis diſtinguitur à iuſtitia, licèt ſit pars potentialis eius, & non pars ſubiectiua, vt oſtenſum eſt in diſp. 1. tract. de Iuſtitia, & Iure; diſtinguitur, inquam, à iuſtitia, quia hæc diſponit hominem in ordine ad proximum; Religio autem in ordine ad Deum. Diſtinguitur à prudentia, fortitudine, & temperantia, quia hæ diſponunt hominem in ordine ad ſe ipſum: diſtinguitur etiam à fide, ſpe, & charitate, quia Religio immediatè reſpicit cultum debitum Deo pro obiecto; virtutes autẽ theologicæ reſpiciunt pro obiecto immediato Deum, vt ſuo loco dictum eſt. Diſtinguitur inſuper Religio à pœnitentia, pia affectione, & obedientia, quia piæ affectionis eſt credere, obedientiæ ſe ſubmittere, & pœnitentiæ ſatisfacere, quæ omnia, vt patet, ſunt diſtincta ab obiecto Religionis. Denique diſtinguitur ab humilitate, quia per hanc homo ſe ſubmittit, eò quòd id con-

gruat ſuæ vilitati; per Religionem verò animo declarandi diuinam eminentiam.

II. Concl. Cultus latriæ Deo exhibendæ adeſt præceptum affirmatiuum: ita Scot. in 3. cit. Nam rationabile eſt, ait Doctor, creaturam intellectualem obligari aliquandò ad recognoſcendum, & reuerendum ſummum dominum ſuum: hoc autem præceptum, ſicut alia præcepta affirmatiua, obligat ſemper, ſed non ad ſemper, & poteſt poni, quòd obligatio ad iſtum actum pertinet ad primum præceptum primæ tabulæ. *Non habebis Deos alienos &c.* quod præceptum non eſt tantùm negatiuum de prohibendo adorationem exhiberi alicui, cui non conuenit, ſed affirmatiuum, vt habeatur Deus verus, & vt tanquam dominus adoretur; quod bene exprimit illud Deuter. 6. quod allegat Saluator Matt. 4. *Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies*, vbi ponitur præceptum affirmatiuum de adoratione cum excluſione adorationis, ſeu ſeruitutis exhibendæ alteri; ſicut & ibi, *Non adorabis Deos alienos* prohibetur idololatria. Latriæ actus, pergit Scotus, determinatio pro tempore legis Moſaicæ videtur fuiſſe facta per illud tertium præceptum *Sabbathum ſanctifica*; quod etiam fuit præceptum tempore legis naturæ, vt ſcilicet aliquo determinato tempore vacaret homo ab operibus ſeruilibus, & in hac ſola negatione non eſſet obſeruatio præcepti, ſed in actu poſitiuo, ideſt ſanctificando, & magnificando Deum: pro tempore verò legis Euangelicæ cultus ille exhibendus Deo in ſanctificatione Sabbathi determinatur exhibendus die Dominico, & etiam determinatur quantùm ad actum illum ſecundum, quem debet exhibere, puta in oblatione illius ſummi ſacrificij, ſcilicet Euchariſtiæ, quam debet Sacerdos offerre pro ſe, & pro populo: & illa oblatione populus etiam offert ſpiritualiter, ſcilicet qui tenetur audire Miſſam totam die Dominico; etſi aliqua neceſſitas excuſet ab executione huius actus, quem determinauit Eccleſia, neceſſe eſt implere illum in aliquo æquiualente, vt ſaltem die illo ſpecialiter deputato cultui diuino aliquis actus habeatur relatus immediatè in Deum ad eius reuerentiam. Vtrùm autem latriæ adorationis actum teneatur quis præſtare aliquo alio tempore, præterquam in tempore illo determinato primò in lege naturæ, & poſtea in lege Moſaica,

& iam

& iam in tempore Euangelij die Dominico dubium eſt: tamen hoc eſt certum, quòd iſtis diebus ſaltem videtur adoratio aliqua neceſſariò exhibenda. Hactenus Scotus.

Quæres 1. An Religio ſit vna tantùm virtus ſpecie, nam videntur duæ eſſe Religionis ſpecies; vna, quæ Deo venerationem, & cultum debitum defert, altera, quæ Sanctis, & ſacris imaginibus, alijſquè rebus Sanctis iuſtum honorem tribuit.

Reſp. Putarunt nonnulli, Religionem non eſſe vnam ſpecie, ſed genere, ea ratione ducti, quòd Religio ſit, qua cultum alicui damus, nempè quia dignitate aliqua, aut virtute cæteris rebus excellat, & præſtet. Verùm iſta opinio non recipitur; ideoquè dicendum cum ſententia communi, quæ colligitur etiam ex Scoto, & tenent Scotiſtæ Recentiores, ſignanter Poncius in curſu theologico, Herinex p. 3. tract. de Religione, & alij, Religionem eſſe vnam virtutem ſpecie. Ratio, quia apud latinos, Religio dicitur eadem, quæ apud Græcos Latria, hoc eſt virtus, quæ Deo iuſtum, & debitum cultum, & honorem tribuit; non enim Religio eſt virtus, quæ in genere aliquem ob excellentiam honoret, & colat, ſed quæ diuinos honores, & cultus Deo defert, ergo ſicut obiectum Religionis eſt cultus diuinus, qui eſt vnus, ſic etiam Religio eſt vna ſola virtus. Vndè dum Sancti coluntur ob Dei eminentiam increatam, non tam coluntur Sancti, quàm Deus in illis; ac proindè talis cultus dicitur diuinus: at ſi in excellentia ipſius Sancti, aut ſanctitate creata ſiſtatur, non erit Religio, ſed cultus duliæ, de qua in diſp. de Adorat. erit ſermo.

Quæres 2. Quinam ſint adorationis actus, quos Deo, diuiniſquè rebus Religio tribuit.

Reſp. cum Azorio p. 1. inſtit. Moral. quòd apud Hebræos fuerunt quatuor adorationis genera. Aut enim iudæi caput ſuum ſubmittebant; aut crura, & genua flectebant; aut totum corpus inclinabant; aut deniquè ſeſe in terram facie, & toto corpore proſternebant, qui quidem actus etiam in lege noua ritè in ordine ad Deum exercentur.

Quæres 2. Quinam ſunt actus Religionis.

Reſp. Actus Religionis communiter diſtingui ſolent in duo genera, nempè in actus interiores, & in actus exteriores: ad primum pertinent Deuotio, & Oratio: ad 2. perti-

nent

nent Adoratio, Sacrificium, Decimæ, Votum, Iuramentum &c. quæ omnia poſſunt reduci ad tres præcipuè actus; primus eſt, quo aliquid Deo tribuimus, & offerimus, ſiue ipſum venerando certa aliqua corporis inclinatione, & dicitur Adoratio, ſiuè aliquid ſacrificando, in eius honorem, & dicitur Sacrificium, ſiuè alendo eius miniſtros, vel res vſibus diuinis dicatas, vt dare decimas, primitias, & alias ſimiles penſiones: 2. eſt, quo aliquid Deo promittimus, & hoc eſt Votum: 3. eſt, quo rem aliquam Deo ſacram adhibemus ad aliquid faciendum, ſi ipſum Dei nomen adhibemus ad confirmanda, quæ diximus, dicitur Iuramentum; ſi ad inducendos homines, vel mouendas res creatas ad aliquid faciendum, dicitur Adiuratio.

QVÆSTIO II.

De Deuotione, & Oratione.

NOt. 1. Quòd Oratio hìc non ſumitur in ſenſu rethorico, quo omne genus ſermonis indicatur, & ſignificatur, ſed ſumitur iuxtà ſenſum Eccleſiæ, & ſic ſolet deſcribi. *Oratio eſt mentis eleuatio in Deum cum petitione rerum decentium, & deſiderio obtinendi, ſi expediat:* hinc patet, quòd per orationem intelligitur actus ille, quo à Deo aliquid imploramus, vel impetramus. Quæ quidem oratio ex communi ſententia PP. & DD. diuiditur in orationem mentalem, vocalem, & mixtam, cuius diuiſionis notitia omnibus eſt comperta.

Not. 2. quòd circa vtilitatem, & neceſſitatem orationis fuerunt diuerſæ hæreſes, vt refert noſter Caſtro lib. 11. aduersùs hæreſes; nam prima fuit cuiuſdam Adelphij, qui tantam virtutem tribuit orationi, vt diceret eam ſolam ſufficere ad vitam æternam habendam, etiam ſine Baptiſmate: 2. hæreſis fuit Maſſalianorum, ſiue Pſallianorum dicentium nunquam eſſe ceſſandum ab oratione, & vtraque hæreſis manifeſtè ex S. Scrip. conuincitur: 3. fuit Pelagij dicentis, orationem eſſe prorſus inutilem, nulliuſquè virtutis, eò quòd quicquid faciunt orationes, quas fundit Eccleſia pro infidelibus, & alijs peccatoribus, vt conuertantur, præſtare poteſt noſtrum liberum arbitrium, ideoquè

non

non eſſe opus à Deo petere, quod nos ipſi conſequi poſſumus: quod fundamentum tanquàm falſum, & hæreticum remanet euerſum ex ijs, quæ dicta ſunt in tract. de Grat. & lib. arb. & in 1. part. diſp. de Prædeſt. vbi etiam confutatur error Vuicleff; Martini Luther. & aliorum hæreticorum, qui delirantes aſſeruerunt, omnia neceſſitate abſoluta fieri, neque poſſe aliter fieri, quàm fiunt, ac proindè ſuperfluum eſſe Deum orare: 4. fuit Ioannis Vuicleff dicentis non eſſe orandum pro aliqua particulari perſona, quia quæ pro vno ſolo fit, non plus prodeſt illi, quàm alijs, quam hæreſim ipſe Deus ore ſuo damnat, qui præcepit Eliphaz Themanite, vt rogaret Iob, quatenus ille rogaret Deum pro ipſo, & pro alijs duobus amicis ſuis, qui Deum offenderant, eò quòd ſic acriter reprehenderant Iob.

I. Concl. Deuotio eſt primus actus Religionis, qua voluntas ſe promptam diuinis obſequijs deuouet; licèt non rarò ſumatur pro eo guſtu, qui ex attentione inter meditandum, ſeu orandum reſultat, & aliquando pro ſuaui, & rapido quodam affectu, quo voluntas ad mentales orationes placidè excitatur, & hic affectus à Spiritu S. immiſſus deuotionis gratia, ſeu virtutis ſeminarium meritò poteſt nuncupari, de qua præclarè, & latè agunt Myſtici, & præſertim Seraph. Doctor, qui in Opuſc. de Sex alis cap. 8. triplicem diſtinguit deuotionem; prima eſt communis, ſeu in operibus communibus diuini ſeruitij, vt in diuinis óſficijs, iuxta illud ad Corint. 4. *Omnia honeſtè, & ſecundùm ordinem fiant in vobis*; 2. eſt ſpecialis, nempe in priuatis orationibus, iuxta illud Pſal. 76. *Meditatus ſum nocte cum corde meo*; deuotione enim cor accenditur in Dei ſeruitium: 3. eſt deuotio generalis, quæ conſiſtit in continuo ſtudio Deo placendi, iuxtà illud ad Corint. 5. *Contendimus ſiue præſentes, ſiue abſentes placere illi*. Cæterùm deuotionis mirabiles effectus ſapientiſſimè ediſſerit Seraph. Doctor loc. cit. & in Opuſc. de profectu Religioſi lib. 2. cap. 73. ad quem veluti ad fontem Religioſi velociter currere ſtudeant, ſi perfectiones deuotionis aſſequi optant.

II. Concl. Oratio eſt actus Religionis, qui quidem actus eſt neceſſarius ex præcepto ipſius Religionis, & ex præcepto diuino. Ratio primæ partis, & etiam ſecundæ conſtat ex pluribus locis S. Scrip. quæ inculcat, & præcipit, vt

oremus, & ſignanter Eccleſ. 18. dicitur; *ne impediaris orare ſemper; & Luca* 18. *oportet ſemper orare:* quia creatura rationalis pendet non tantùm in ſuo eſſe, & conſeruatione à potentia Dei; vndè oritur neceſſitas colendi Deum actu Religionis; verùm etiam in conſecutione ſui finis à liberalitate, & dilectione Dei: vndè oritur neceſſitas actus orationis, quo ſignificatur talis dependentia. De tempore autem obligationis, iuxta doctrinam Scoti ſuperiùs allatam, & etiam iuxta DD. communiter obligatur quilibet adultus, quando eſt neceſſitas audiendi ſacrum, recipiendi Sacramentum, eliciendi contritionem, ſuperandæ grauis tentationis, & maximè, dum imminet periculum mortis, in quibus caſibus certum eſt, quemlibet debere orare mentaliter. An verò quandoque homo teneatur orare vocaliter controuertitur, nam inter alios Suarez putat, non extare de hoc præceptum; at Malder. contendit, præceptum eſſe de oratione vocali; quia cum homo conſtet anima, & corpore, debet actibus vtriuſque Deum per orationem colere.

III. Concl. Oratio ad hoc vt ſit meritoria, & ſatisfactoria, & impetratoria, exigitur, vt ſit actio libera, & honeſta ſupernaturaliter, vt in tract. de Gratia dictum eſt de cæteris operibus bonis; eſt autem honeſta, & bona ſupernaturaliter, ſi habeat iſtas conditiones. Prima eſt fides vnius Dei remuneratoris: 2. bonum deſiderium rei, quæ petitur, videlicet, vt quis moueatur bono fine: 3. eſt humilitas, qua quis iudicet ſibi non deberi rem, quæ petitur: 4. non habere animum offendendi Deum; immò neceſſe eſt priùs veniam petere; vt oratio ſit verè meritoria, exigitur, quòd perſona orans ſit in gratia ſanctificante, alioquin non eſt meritoria de condigno, vt conſtat ex dictis in tract. de Gratia.

Quæres. Quinam ſint orandi, & pro quibus ſit orandum.

Reſp. Solus Deus eſt exorandus tanquam auctor principalis ſupernaturalium donorum, quia ſolus Deus dat gratiam, & gloriam, & per Deum intelligitur etiam Chriſtus dominus, qui eſt verus Deus, & homo: item orandi ſunt Sancti, tam Angeli, quàm Animæ Beatæ, vt per eos oratio noſtra ſit impetratoria; Sancti enim intercedunt apud Deum pro impetrando id, quod petimus. Hinc patet differentia orationis facta ad Deum, & ad Sanctos; nam illa

eſt

eſt verus actus Religionis, & latriæ, & hæc eſt actus duliæ, ſiue hyperduliæ.

Verùm An animæ Purgatorij ſint exorandæ, negant communiter Doctores; quia adhuc non ſunt in termino, ac proinde Beatæ; ſed de hoc part. 4. diſp. de Purgat.

Reſp. 2. Orare poſſumus in primis pro omnibus viuentibus iuxta illud Apoſtoli: *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus*, ideſt tam pro bonis, quàm pro malis; & inſuper pro animabus, quæ ſunt in Purgatorio, quia per noſtras orationes, & ſuffragia, vt docet Eccleſia Catholica iuuari poſſunt; at pro ijs, qui ſunt in Inferno, non eſt orandum, neque pro ijs, qui ſunt in Cœlo, quia omnes ſunt in termino, damnati quidem Beatitudinis incapaces; Beati autem Beatitudinis poſſeſſores:

QVÆSTIO III.

Vtrum in oratione vocali; ac proinde in Horis Canonicis recitandis requiratur attentio.

NOt. 1. Quòd oratio vocalis addit vltra mentalem, ſenſibilem ſignificationem eius petitionis, quæ in mente verſatur; quæ quidem oratio tam ex natura rei, quàm ex iure diuino, & humano eſt licita, ſi debito modo fiat; vt expreſsè habetur in S. Scriptura, & oſtendit laudabilis praxis Eccleſiæ Catholicæ, quæ inſtituit, vt Horæ canonicæ certis horis, die noctuquè publicè in Eccleſijs recitentur; ex quo patet, quàm inſipienter dixerint Vualdenſes hæretici, teſte Caſtro lib. 7. aduersùs hæreſes; in horis canonicis cantandis, dicendiſquè fruſtra tempus teri. Quem errorem ſuſcitauit poſtea Ioan. Vuicleff dicens, quòd licèt ſit bonum orare, non eſt tamen æquum, vt homo arctetur ad orandum certo, & determinato tempore; quia hoc repugnat libertati chriſtianæ; cuius praua ratio alibi comfutata eſt; oſtendendo Eccleſiam, habere poteſtatem leges condendi, ac obligandi; & libertatem chriſtianam non conſiſtere in hoc, vt nulli humanæ legi obligetur. Quare, quòd Eccleſia inſtituerit, vt certis horis diei diuinum Officium recitetur iuſtè fecit, quia vt dicit Sapiens. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub Cœlos*

& plu-

& pluribi tam vetus, quàm nouum teſtamentum narrat, Sanct's ſtatutis temporibus diuinas laudes decantaſſe, & oraſſe; vndè de SS. Petro, & Paulo Act. 1. & 10. dicitur, *Petrus, & Iohannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*.

Not. 2. Quòd per Horas canonicas intelliguntur preces, & laudes, quæ certis, ac determinatis horis iuxta canones, & regulas Eccleſiæ recitari debent, & dicuntur etiam Officium Diuinum, ſeu Eccleſiaſticum; ad quod recitandum indubiè requiritur attentio; quia verò triplex attentio diſtingui ſolet; nempè materialis, quæ ad ſola verba reſpicit, litteralis, quæ ad ſenſum litteralem attendit, & denique ſpiritualis, qua attenditur ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, hinc oritur controuerſia; quænam attentio ſufficiat ad perſoluendas horas canonicas. Caiet. q. 83. art. 13. Nauar. cap. 13. docent, non ſufficere primam, voluntariè carendo meliori. Verùm communior opinio exiſtimat, vnam ex tribus ſufficere, etiam eam, quæ eſt ad verba; & nota, quòd non idem ſunt intentio, & attentio; *nam intentio eſt actus voluntatis, quo intendit, vel actualiter, vel virtualiter, ideſt in virtute prioris actus recitare officium; at attentio eſt voluntaria animi applicatio ad ſenſum orationis, ſaltem in confuſo, qualem habent idiotæ*, & diuiditur in quadruplicem, nempè in actualem, virtualem, habitualem, & interpretatiuam. Actualis eſt præſens animi applicatio ad opus, quod agitur; virtualis, non actu, ſed virtute actus præteriti. Habitualis eſt propenſio ad attendendum, orta ex frequentatione actuum; & denique Interpretatiua eſt applicatio animi ad opus, non in ſe, ſed in alio, tanquàm continente, vel cauſa: ſic intelligens verba orationis, & attentè proferens, cenſetur attendere ad ſenſum in ijs contentum.

Concl. Qui recitat Horas canonicas ſine attentione, ſaltem virtuali, vel interpretatiua non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de recitandis Horis canonicis. Hæc eſt ſententia communior; & prob. 1. *Ex cap. Dolentes, vbi præcipitur, vt officium diuinum celebretur ſtudioſè, & deuotè*: quibus verbis ſignificatur interna attentio, & præcipitur verus actus orationis. Nihilominùs apud Dian. p. 2. tract. 12. reſol. 2. quamplures Doctores, nempè Durand. Syluest. D. Anton. Ang. Medina, & alij ſententiam oppoſitam tenent quoad

Cle-

Clericos non beneficiatos; quam ſententiam Dian. cum Layman, Leſs. & alijs cenſet probabilem quoad omnes. Ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt ſaltem probabiliter præcipere actus internos, ſicut nec eos poteſt punire, aut cognoſcere, vt conſtat ex dictis in tract. de Legibus. Hinc ad cap. Dolentes allegatum probabiliter dici poteſt ibi ſolùm præcipi ſtudioſitatem, deuotionem, & orationem externam, quæ videlicet cum talibus circumſtantijs fiat, quæ requiruntur ad actum Religionis externum; ſiue ita, vt exteriùs non peccetur contra Religionem: quod ipſum non obſcurè videtur colligi ex contextu; nam in citato cap. agitur contra eos, qui tempore Officij diuini confabulantur.

Quæres 1. Qui teneantur ad Horas canonicas.

Reſp. 1. Omnes conſtituti in ordinibus Sacris tenentur ad Horas ſub culpa mortali. *Ita ex cap. Dolentes; & conſtat ex praxi antiquiſſima Eccleſiæ*, etiam excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, & degradati ab Ordinibus; quia tales priuantur honoribus, non oneribus: neque in hoc ſuum crimen debet illis patrocinari. *Ita Alex. in cap Presbyterum* 28. *diſt.*

Reſp. 2. Tenentur ad Horas canonicas ſub mortali Religioſi, ac Moniales profeſſi choro deputati ex conſuetudine immemorabili. Ita communis Doctorum ſententia, quicquid dicant aliqui, inter quos eſt noſter Marchant. talem conſuetudinem reſpectu Monialium priuatim recitandi non eſſe introductam ſub onere grauis culpæ, & quidem præfatus Marchant. in miſcellaneis latè nititur oſtendere ex conſtitutionibus Pontificijs, & rationibus, Moniales in particulari non teneri ſub mortali ratione conſuetudinis ad Horas recitandas contra P. Loth; qui acriter eum reprehenderat, eò quòd tom. 2. tribunal. docuerat hanc ſententiam. Cæterùm idem Marchant. poſt longum diſcurſum proteſtatur, talem doctrinam ſcripſiſſe, non ad laxandas conſcientias Monialium, ſed ad conſcientias inquietas, & ſcrupuloſas ſedandas. An verò Religioſus fugitiuus, aut eiectus, ſi non fuerit in ſacris, teneatur ad Horas, communis ſententia affirmat contra Bonacin. & Buſemb. niſi talis Religioſus eſſet condemnatus ad triremes; in quo caſu vſus eſt in contrarium; tum quia id cederet in dedecus ordinis Eccleſiaſtici, tum quia ſatis afflictionis, & la-

bo-

boris habet; ſecùs autem cenſeo, ſi commodè poſſet diuinum Officium recitare. Inſuper tenentur omnes, qui habent beneficium Eccleſiaſticum, nomine autem Eccleſiaſtici Beneficij intelliguntur quicumque redditus Eccleſiaſtici, qui non niſi Clerico dari poſſunt; *ita diſt. 42. Can. fin. & Panorm. in cap. Dolentes.*

Quæres 2. Qualiter recitandum ſit Officium Diuinum.

Reſp. recitandum eſt attentè, & deuotè, vt ſupra. Si quis tamen recitet cum ſocio balbutiente ob linguæ impedimentum non benè pronunciante ſatisfacit præcepto recitandi Horas; immò, vt aduertit Fernandez malè faciet, ſi interturbet poſtulando, vt iterum repetat, & pronunciet. Item ſatisfacit præcepto, qui in choro ſed tam ſubmiſſa voce recitat, vt non ſolùm non audiatur ab alia parte chori, ſed vix à vicinis. Ita Rodriq. & alij contra Nauar. & Caiet. Similiter ſatisfacit præceptis recitandi officium, ſi eodem tempore audiat miſſam præceptam; quia iſta duo ad eundem finem ordinantur, nempè ad vacandum rebus diuinis.

Quęres 3. Quę materia cenſeatur grauis in omiſſione Horarum. Reſp. Non parùm variant in hoc Doctores. Quidam enim cenſent mediam partem horæ; alij tertiam partem eſſe materiam grauem. Nonnulli tenent omiſſionem integræ horæ paruæ, vt v. g. Tertiæ, aut Completorij non eſſe materiam grauem; ac proindè non eſſe peccatum mortale: ratio eorum eſt, quia quando totum aliquod eſt magnum, leuis materia iudicatur, quæ non excedit partem duodecimam materiæ præceptæ. At Diana p. 10. tract. 16. dicit, hanc ſententiam Marchini eſſe deletam ex opere ipſius à S. Congregat. itaquè quælibet Hora, etſi parua, iudicatur communiter à Doctoribus materia grauis, ac proinde ſufficiens ad peccatum mortale.

Quæres 4. An Regulares deputati ad chorum teneantur recitare officium in choro.

Reſp. Secluſa ſpeciali regula obligante ad peccatum mortale, non teneri ſub præcepto ad recitandum officium in choro. Ratio eſt, quia conſuetudo chori non eſt introducta in Religionibus ex obligatione ratione beneficij, vel alicuius ſtipendij, ſed tantùm vt laudabiliter occupentur in eo exercitio, & vt omninò Horæ dicendæ ſint in choro,

& om-

& omnes adeſſe debeant ex Regula, qui autem in hoc deficiant, ſoluant aliquam pœnam, non autem, quòd peccent modò priuatim horas recitent. Obligatio autem, quæ eſt in toto corpore obligat tantùm Prælatum, vt, vbi opus erit, cogat etiam per præceptum: quandò autem etiam Prælatus eſſet negligens, tunc poſſet oriri obligatio in ſingulis, vt curent non omitti Officium diuinum. Ità ex communi Filiuc. tract. 23. cap. 4.

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat Officium immutare, interrumpere, aut Horas tranſportare.

NOt. Quòd immutatio Officij diuini poteſt eſſe, vel eſſentialis, vel accidentalis; verùm non conueniunt Doctores, quando fiat iſta mutatio eſſentialis, ſeu ſubſtantialis, & quando accidentalis. Fuit qui aſſeruit, mutationem officij Dominicæ Palmarum, vel alterius officij longioris poſſe ſine peccato fieri cum officio Paſchatis, quia officium pro officio moraliter æquiualet; quæ quidem opinio iam damnata eſt *ab Alex. VII. damnante in terminis hanc propoſitionem. quæ eſt 34. in ordine. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.* De cæteris autem officijs, nempe de officio feriæ cum feria, vel de Sancti Officio cum officio alterius Sancti, vel etiam feriæ ſunt duæ opiniones, ambæ probabiles iuxta communiorem ſententiam: ideò ſit.

I. Concl. Mutatio Officij e. g. feriæ in officium alicuius Sancti, etiam ſine vlla cauſa facta, non eſt niſi peccatum veniale; ita plurimi apud Dian. part. 11. tract. 4. reſol. 45. Ratio eſt, quia præceptum Eccleſiæ tunc adhuc plenè quoad ſubſtantiam obſeruatur, quæ conſiſtit in recitatione ſeptem Horarum, ergò in huiuſmodi mutatione interuenit ſola mutatio accidentalis, quæ non poteſt conſtituere culpam mortalem, vt ait Gobat in triga horaria diſp. 3. n. 883. cum Recentioribus ferè omnibus: ſubdit tamen eſſe peccatum mortale perpetuò, vel ferè perpetuò ſic mutare officium; ſecùs ſi id fiat rarò. Hinc ait Lezana in ſum. tom. 3. verbo Breuiar. omnes Regulares poſſe extra chorum mutare officium ſui breuiarij, & illud recitare iuxta

Breuiarium Romanum; quia cum Eccleſia Romana ſit mater omnium Eccleſiarum, videtur ſemper licitum ſe illi conformare; & B. Pius V. permiſit omnibus, ſi velint, vti Breuiario Romano in choro, ſi Epiſcopo, & toti Capitulo magis arrideat, ex quo colligi videtur extrà chorum non requiri ſimilem conſenſum, dummodò tamen non extet in Religione de eo prohibitio. Cæterùm ſententia contrarium tenens videtur ſequenda in praxi; cum B. Pius V. præcipiat recitari officium iuxta formam ab ipſo præſcriptam, ad quam iuxta Doctores huius ſententię, pertinet diſtributio officij in tempora, feſtiuitates, & dies, ſeu ferias. Nihilominus cauſa rationabilis, & legitima poteſt iuſtificare talem mutationem.

II. Concl. Probabile eſt non eſſe peccatum mortale, ſi officium interrumpatur abſque vlla ratione. Nam in his ſaluatur omninò ſubſtantia præcepti, & ex multis recitationibus realiter diſcretis fit moraliter vna totalis durante eadem intentione perſoluendi. Et hæc conc. non intelligitur de interruptione laudum à matutinis; quia ad modum duarum horarum poſſunt dici; nec etiam intelligitur de vno nocturno ab alio moderata interruptione ſegregare, cum ſenſus poſſit compleri, & concludi in quolibet nocturno, ſed intelligitur de interruptione pſalmorum, capitulorum, lectionum eiuſdem horæ, in qua poteſt interuenire aliqua actio, ſeu exercitium incompoſſibile cum officij continuatione, vt confabulatio, applicatio ad aliquod opus externum, riſus immoderatus, & ſimilia. Nihilominus Suarez ſuſtinet huiuſmodi interruptiones, ſi ſint notabiles, eſſe peccatum mortale.

Quæres 1. An qui dicit officium cum notabili ſyllabarum detruncatione, ſatisfaciat præcepto.

Reſp. Si id contingat ex imperfectione linguæ, & adhibeat debitam diligentiam, ſatisfacit præcepto: at ſi contingat ex voluntaria negligentia, & talis ſyllabarum detruncatio ſit notabilis quantitatis, non ſatisfacit præcepto; quia fieri poteſt, quòd ille detruncationes, quæ ſecundùm ſe ſpectatæ ſunt parua materia, coaleſcant ſimul in materiam grauem, ac proinde peccati mortalis ſint materia ſufficiens iuxta doctrinam alibi traditam.

Quæres 2. An qui priuatim, & ſolus officium recitat debeat ſe ipſum audire.

Reſp.

Reſp. affirmant plures; quia oratio vocalis debet eſſe audibilis ſaltem ab ipſo orante, quia ſeclusis impedimentis v. g. Si quis non bene diſpoſitum haberet organum auditus, nulla vox eſt tam tenuis, quin in auribus loquentis ſonet, aliter vox non eſt cenſenda; & certè eo ipſo, quòd vox perfectè articulatur, eſt per ſe audibilis ab ipſomet proferente, & in hoc ſenſu puto poſſe intelligi opinionem oppoſitam.

Quæres 3. Quot peccata committit, qui ſeptem Horas officij vnius diei abſque legitima cauſa non recitat.

Reſp. Nonnulli Antiquiores dixerunt committere ſeptem peccata; quia exiſtimant eſſe ſeptem officia vnius diei horas. Verùm communis opinio tradit, eſſe tantùm vnicum officium, ac proindè vnum peccatum mortale, grauius tamen, & æquiualens ſeptem diſtinctis traſgreſſionibus.

Quæres 4. An qui partem Officij recitat, puta vnam, vel duas horas animo non ſatisfaciendi, ſatisfaciat.

Reſp. Reſolutio huius dubij deducitur ex dictis in tract. de legibus. Igitur breuiter dico iuxta veriorem ſententiam, quòd ſi habuit animum expreſſum non ſatisfaciendi, non ſatisfecit; ſecus autem ſi recitando cum alijs e. g. in choro, habuit intentionem iterum illud perſoluendi, & tamen poſtea non perſoluit: ratio, quia non habuit intentionem contrariam præcepto.

Quæres 5. Quo tempore poſſunt, ac debeant ſingulę Horæ recitari. Reſp. Apud omnes eſt indubitatum Matutinum cum laudibus recitari poſſe pridie poſt Completorium officium præſentis diei, idquè ab hora quarta poſt meridiem, & etiam minùs, vt videre licet apud Dian. non tamen eſſet peccatum mortale, ſi quis diceret Matutinum diei ſequentis, non adhuc recitatis Veſperis, & Completorio; quia talis inuerſio non videtur grauis; quoad tempus verò cæterarum Horarum vſquè ad veſperas ponitur ordinarie ante meridianum, poſt meridianum Veſperas, & Completorium; vndè certum eſt inuertere talem ordinem ſine vlla cauſa eſſe peccatum veniale; cauſa autem iuſta poteſt eſſe, ſi v. g. prima poſt Tertiam legatur, vel occaſione chori, vel amici petentis ſecum legi Tertiam, Prima nedum lecta &c.

Quæres 6. Quæ excuſent à recitatione Horarum.

 Reſp.

Reſp. Excuſat primò grauis moleſtia, quæ in Horis recitandis ſubiretur, ideſt grauis dolor capitis, vel oculorum, vel alia infirmitas; quòd ſi dubitetur, an infirmitas, dolor &c. ſit verè ſufficiens ad excuſandum, conſulatur Medicus, vel etiam Superior, qui ſua diſpenſatione omnem dubietatem tollere poteſt. Vndè Superior non ſolùm poteſt, ſed etiam debet, quando adeſt cauſa rationabilis diſpenſare in ſimilibus ſuum ſubditum, nec ſe remittere, vt quidam faciunt, conſcientiæ ſubditi; quia ſic eſt conſcientias perturbare, & non ſedare: dat rationem Portel. cum Sanchez, quia poteſtas data Prælatis ad diſpenſandum eſt ad ſubditorum bonum: 2. carentia Breuiarij; quia ad impoſſibile nemo tenetur. Verùm non excuſatur à recitatione illarum Horarum, quas memoriter dicere poteſt, quia falſa eſt, & damnata ab Innoc. XI. illa propoſitio, quæ ſic aſſerit. *Qui non poteſt recitare Matutinum, & Laudes, poteſt autem reliquas horas, ad nihil tenetur; quia maior pars trahit ad ſe minorem, & eſt 54. in ordine*. Siquidem vitiosè detorquetur, & applicatur huic materiæ regula iſta: *maior pars trahit ad ſe minorem, vt habetur l. quod maior pars ff. ad Municip. quia verificatur ſolùm in caſibus eligendi aliquid, vel ſtatuendi in capitulis, communitatibus &c. quorum maior pars trahit ad ſe minorem*. Hinc rectè infertur, quòd ſi quis ob infirmitatem, ſeu aliud legitimum impedimentum non valeat totum Officium perſoluere, & poſſit aliquam partem, tenetur recitare eam partem, quam poteſt. Neque qui non poteſt ſolus Officium recitare, tenetur adhibere Socium, vt fert communior ſententia, licèt nonnulli vtantur hac diſtinctione, nempè, quòd debeat Socium adhibere, ſi commodè poſſit, & id facere ſoleat; ſecùs ſi non ſoleat, quia non obligatur ad quærendum Socium.

Inſuper excuſantur, qui agunt ea, quæ conducunt ad Officium, puta qui thure perfundit altare, qui pulſat campanas, & quid ſimile peragit, ab omiſſione eius, quod tunc omittitur, ſeù non legitur. Quamplures etiam Doctores aſſerunt, non teneri priuatim recitare Litanias, quæ dici ſolent in Feſto S. Marci, & in Rogationibus; & nonnulli extendunt etiam ad officium Defunctorum, ſed de hoc valdè dubito, quia in die Commemorationis defunctorum expreſsè præcipit Eccleſia recitari vtrumque officium, ſiue

publi-

publicè, ſiue priuatim recitetur. Quòd autem attinet ad officium B. Virginis, pſalmos pœnitentiales, & graduales, & officium defunctorum, quæ dici ſolent in choro, tradunt paſſim Doctores extra chorum non obligare, & ita habet praxis communis.

Quæres 7. An Beneficiati non ſolùm peccent non recitando diuinum officium, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum teneantur.

Reſp. Beneficiati non ſolùm tenentur ad recitationem Horarum, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum proportionatè correſpondentium ad horas, quas omittit, idquè ante ſententiam Iudicis, vt conſtat ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. quæ eſt 20. in ordine. *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus; ſupple horas canonicas, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eò quòd ſit pœna.* Nec ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas antea factas, vt decernit idem Alexand. VII. damnando hanc propoſitionem, quæ in ordine eſt 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiatus de fructibus ſui beneficij fecerit.* Neque ſolùm tenentur Beneficiati, qui ex beneficio recipiunt ſummam honeſtam (ſumma autem honeſta cenſetur, quæ ad honeſtam ſubſtentationem ſufficit) ſed etiam qui habent Beneficium tenue, nempe octo, vel decem aureorum, vt probabiliter docent Sylueſt. Azorius, & alij communiter, immò plures exiſtimant cum Leſſio, & Molfeſio habentes beneficium valdè tenue, obligari ſolummodò, ad recitandas horas aliquoties in anno v. g. diebus dominicis, & feſtis, prout prudens ratio dictauerit: & prædictos teneri ad reſtitutionem, dum ex culpa officium non recitent. *Adde tamen, beneficiatum intra tempus ſex menſium ab obtenta poſſeſſione beneficij horas non recitantem, non teneri ad vllam reſtitutionem, eſtò peccet mortaliter; ita decreuit Concil. Lateran. ſub Leone ſeſſ. 9. & colligitur etiam ex Bulla B. Pij V.*

Cæterùm diuerſa ratio eſt de Parochis, quia officium parochiale præcisè non datur ob onus horarum canonicarum, ſed ob actus, & labores curæ paſtoralis, quos debet Parochus ex debito conſcientiæ impendere in cura animarum, quales ſunt docere, prædicare, miniſtrare Sacramenta &c. Hinc mandat *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 13. de Reform. In*

 Paro-

oremus, & ſignanter Eccleſ. 18. dicitur; *ne impediaris orare ſemper; & Lucæ* 18. *oportet ſemper orare:* quia creatura rationalis pendet non tantùm in ſuo eſſe, & conſeruatione à potentia Dei; vndè oritur neceſſitas colendi Deum actu Religionis; verùm etiam in conſecutione ſui finis à liberalitate, & dilectione Dei: vndè oritur neceſſitas actus orationis, quo ſignificatur talis dependentia. De tempore autem obligationis, iuxta doctrinam Scoti ſuperiùs allatam, & etiam iuxta DD. communiter obligatur quilibet adultus, quando eſt neceſſitas audiendi ſacrum, recipiendi Sacramentum, eliciendi contritionem, ſuperandæ grauis tentationis, & maximè, dum imminet periculum mortis, in quibus caſibus certum eſt, quemlibet debere orare mentaliter. An verò quandoque homo teneatur orare vocaliter controuertitur, nam inter alios Suarez putat, non extare de hoc præceptum; at Malder. contendit, præceptum eſſe de oratione vocali; quia cum homo conſtet anima, & corpore, debet actibus vtriuſque Deum per orationem colere.

III. Concl. Oratio ad hoc vt ſit meritoria, & ſatisfactoria, & impetratoria, exigitur, vt ſit actio libera, & honeſta ſupernaturaliter, vt in tract. de Gratia dictum eſt de cæteris operibus bonis; eſt autem honeſta, & bona ſupernaturaliter, ſi habeat iſtas conditiones. Prima eſt fidès vnius Dei remuneratoris: 2. bonum deſiderium rei, quæ petitur, videlicet, vt quis moueatur bono fine: 3. eſt humilitas, qua quis iudicet ſibi non deberi rem, quæ petitur: 4. non habere animum offendendi Deum; immò neceſſe eſt priùs veniam petere; vt oratio ſit verè meritoria, exigitur, quòd perſona orans ſit in gratia ſanctificante, alioquin non eſt meritoria de condigno, vt conſtat ex dictis in tract. de Gratia.

Quæres. Quinam ſint orandi, & pro quibus ſit orandum.

Reſp. Solus Deus eſt exorandus tanquam auctor principalis ſupernaturalium donorum, quia ſolus Deus dat gratiam, & gloriam, & per Deum intelligitur etiam Chriſtus dominus, qui eſt verus Deus, & homo: item orandi ſunt Sancti, tam Angeli, quàm Animæ Beatæ, vt per eos oratio noſtra ſit impetratoria; Sancti enim intercedunt apud Deum pro impetrando id, quod petimus. Hinc patet differentia orationis facta ad Deum, & ad Sanctos; nam illa

eſt

eſt verus actus Religionis, & latriæ, & hæc eſt actus duliæ, ſiue hyperduliæ.

Verùm An animæ Purgatorij ſint exorandæ, negant communiter Doctores; quia adhuc non ſunt in termino, ac proinde Beatæ; ſed de hoc part. 4. diſp. de Purgat.

Reſp. 2. Orare poſſumus in primis pro omnibus viuentibus iuxta illud Apoſtoli: *Obſecro fieri orationes pro omnibus hominibus*, ideſt tam pro bonis, quàm pro malis; & inſuper pro animabus, quæ ſunt in Purgatorio, quia per noſtras orationes, & ſuffragia, vt docet Eccleſia Catholica iuuari poſſunt; at pro ijs, qui ſunt in Inferno, non eſt orandum, neque pro ijs, qui ſunt in Cœlo, quia omnes ſunt in termino, damnati quidem Beatitudinis incapaces; Beati autem Beatitudinis poſſeſſores:

QVÆSTIO III.

Vtrum in oratione vocali; ac proinde in Horis Canonicis recitandis requiratur attentio.

NOt. 1. Quòd oratio vocalis addit vltra mentalem, ſenſibilem ſignificationem eius petitionis, quæ in mente verſatur; quæ quidem oratio tam ex natura rei, quàm ex iure diuino, & humano eſt licita, ſi debito modo fiat; vt expreſsè habetur in S. Scriptura, & oſtendit laudabilis praxis Eccleſiæ Catholicæ, quæ inſtituit, vt Horæ canonicæ certis horis, die noctuquè publicè in Eccleſijs recitentur; ex quo patet, quàm inſipienter dixerint Vualdenſes hæretici, teſte Caſtro lib. 7. aduersùs hæreſes; in horis canonicis cantandis, dicendiſquè fruſtra tempus teri. Quem errorem ſuſcitauit poſtea Ioan. Vuicleff dicens, quòd licet ſit bonum orare, non eſt tamen æquum, vt homo arctetur ad orandum certo, & determinato tempore; quia hoc repugnat libertati chriſtianæ; cuius praua ratio alibi comfutata eſt; oſtendendo Eccleſiam, habere poteſtatem leges condendi, ac obligandi; & libertatem chriſtianam non conſiſtere in hoc, vt nulli humanæ legi obligetur. Quare, quòd Eccleſia inſtituerit, vt certis horis diei diuinum Officium recitetur iuſtè fecit, quia vt dicit Sapiens. *Omnia tempus habent, & ſuis ſpatijs tranſeunt vniuerſa ſub Cœlo* & plu-

& pluribi tam vetus, quàm nouum teſtamentum narrat, Sanctos ſtatutis temporibus diuinas laudes decantaſſe, & oraſſe; vndè de SS. Petro, & Paulo Act. 1. & 10. dicitur, *Petrus, & Iohannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*.

Not. 2. Quòd per Horas canonicas intelliguntur preces, & laudes, quæ certis, ac determinatis horis iuxta canones, & regulas Eccleſiæ recitari debent, & dicuntur etiam Officium Diuinum, ſeu Eccleſiaſticum; ad quod recitandum indubiè requiritur attentio; quia verò triplex attentio diſtingui ſolet; nempè materialis, quæ ad ſola verba reſpicit, litteralis, quæ ad ſenſum litteralem attendit, & deniquè ſpiritualis, qua attenditur ad Deum, & ad rem, pro qua oratur, hinc oritur controuerſia; quænam attentio ſufficiat ad perſoluendas horas canonicas. Caiet. q. 83. art. 13. Nauar. cap. 13. docent, non ſufficere primam, voluntariè carendo meliori. Verùm communior opinio exiſtimat, vnam ex tribus ſufficere, etiam eam, quæ eſt ad verba; & nota, quòd non idem ſunt intentio, & attentio; *nam intentio eſt actus voluntatis, quo intendit, vel actualiter, vel virtualiter, ideſt in virtute prioris actus recitare officium; at attentio eſt voluntaria animi applicatio ad ſenſum orationis, ſaltem in confuſo, qualem habent idiotæ*, & diuiditur in quadruplicem, nempè in actualem, virtualem, habitualem, & interpretatiuam. Actualis eſt præſens animi applicatio ad opus, quod agitur; virtualis, non actu, ſed virtute actus præteriti. Habitualis eſt propenſio ad attendendum, orta ex frequentatione actuum; & deniquè Interpretatiua eſt applicatio animi ad opus, non in ſe, ſed in alio, tanquàm continente, vel cauſa: ſic intelligens verba orationis, & attentè proferens, cenſetur attendere ad ſenſum in ijs contentum.

Concl. Qui recitat Horas canonicas ſine attentione, ſaltem virtuali, vel interpretatiua non ſatisfacit præcepto Eccleſiæ de recitandis Horis canonicis. Hæc eſt ſententia communior; & prob. 1. *Ex cap. Dolentes, vbi præcipitur, vt officium diuinum celebretur ſtudiosè, & deuotè*: quibus verbis ſignificatur interna attentio, & præcipitur verus actus orationis. Nihilominùs apud Dian. p. 2. tract. 12. reſol. 2. quamplures Doctores, nempè Durand. Syluest. D. Anton. Ang. Medina, & alij ſententiam oppoſitam tenent quoad

Cle-

Clericos non beneficiatos; quam ſententiam Dian. cum Layman, Leſs. & alijs cenſet probabilem quoad omnes. Ratio eſt, quia Eccleſia non poteſt ſaltem probabiliter pręcipere actus internos, ſicut nec eos poteſt punire, aut cognoſcere, vt conſtat ex dictis in tract. de Legibus. Hinc ad cap. Dolentes allegatum probabiliter dici poteſt ibi ſolùm præcipi ſtudioſitatem, deuotionem, & orationem externam, quæ videlicet cum talibus circumſtantijs fiat, quæ requiruntur ad actum Religionis externum; ſiue ita, vt exteriùs non peccetur contra Religionem: quod ipſum non obſcurè videtur colligi ex contextu; nam in citato cap. agitur contra ęos, qui tempore Officij diuini confabulantur.

Quæres 1. Qui teneantur ad Horas canonicas.

Reſp. 1. Omnes conſtituti in ordinibus Sacris tenentur ad Horas ſub culpa mortali. *Ita ex cap. Dolentes; & conſtat ex praxi antiquiſſima Eccleſia*, etiam excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, & degradati ab Ordinibus; quia tales priuantur honoribus, non oneribus: neque in hoc ſuum crimen debet illis patrocinari. *Ita Alex. in cap Presbyterum* 28. *diſt*.

Reſp. 2. Tenentur ad Horas canonicas ſub mortali Religioſi, ac Moniales profeſſi choro deputati ex conſuetudine immemorabili. Ita communis Doctorum ſententia, quicquid dicant aliqui, inter quos eſt noſter Marchant. talem conſuetudinem reſpectu Monialium priuatim recitandi non eſſe introductam ſub onere grauis culpæ, & quidem præfatus Marchant. in miſcellaneis latè nititur oſtendere ex conſtitutionibus Pontificijs, & rationibus, Moniales in particulari non teneri ſub mortali ratione conſuetudinis ad Horas recitandas contra P. Loth; qui acriter eum reprehenderat, eò quòd tom. 2. tribunal. docuerat hanc ſententiam. Cæterùm idem Marchant. poſt longum diſcurſum proteſtatur, talem doctrinam ſcripſiſſe, non ad laxandas conſcientias Monialium, ſed ad conſcientias inquietas, & ſcrupuloſas ſedandas. An verò Religioſus fugitiuus, aut eiectus, ſi non fuerit in ſacris, teneatur ad Horas, communis ſententia affirmat contra Bonacin. & Buſemb. niſi talis Religioſus eſſet condemnatus ad triremes; in quo caſu vſus eſt in contrarium; tum quia id cederet in dedecus ordinis Eccleſiaſtici, tum quia ſatìs afflictionis, & labo-

boris habet; ſecùs autem cenſeo, ſi commodè poſſet diuinum Officium recitare. Inſuper tenentur omnes, qui habent beneficium Eccleſiaſticum, nomine autem Eccleſiaſtici Beneficij intelliguntur quicumque redditus Eccleſiaſtici, qui non niſi Clerico dari poſſunt; *ita diſt. 42. Can. fin. & Panorm. in cap. Dolentes.*

Quæres 2. Qualiter recitandum ſit Officium Diuinum.

Reſp. recitandum eſt attentè, & deuotè, vt ſupra. Si quis tamen recitet cum ſocio balbutiente ob linguæ impedimentum non benè pronunciante ſatisfacit præcepto recitandi Horas; immò, vt aduertit Fernandez malè faciet, ſi interturbet poſtulando, vt iterum repetat, & pronunciet. Item ſatisfacit præcepto, qui in choro ſed tam ſubmiſſa voce recitat, vt non ſolùm non audiatur ab alia parte chori, ſed vix à vicinis. Ita Rodriq. & alij contra Nauar. & Caiet. Similiter ſatisfacit præceptis recitandi officium, ſi eodem tempore audiat miſſam præceptam; quia iſta duo ad eundem finem ordinántur, nempè ad vacandum rebus diuinis.

Quęres 3. Quę materia cenſeatur grauis in omiſſione Horarum. Reſp. Non parùm variant in hoc Doctores. Quidam enim cenſent mediam partem horæ; alij tertiam partem eſſe materiam grauem. Nonnulli tenent omiſſionem integræ horæ paruæ, vt v. g. Tertiæ, aut Completorij non eſſe materiam grauem; ac proindè non eſſe peccatum mortale: ratio eorum eſt, quia quando totum aliquod eſt magnum, leuis materia iudicatur, quæ non excedit partem duodecimam materiæ præceptæ. At Diana p. 10. tract. 16. dicit, hanc ſententiam Marchini eſſe deletam ex opere ipſius à S. Congregat. itaquè quælibet Hora, etſi parua, iudicatur communiter à Doctoribus materia grauis, ac proinde ſufficiens ad peccatum mortale.

Quæres 4. An Regulares deputati ad chorum teneantur recitare officium in choro.

Reſp. Secluſa ſpeciali regula obligante ad peccatum mortale, non teneri ſub præcepto ad recitandum officium in choro. Ratio eſt, quia conſuetudo chori non eſt introducta in Religionibus ex obligatione ratione beneficij, vel alicuius ſtipendij, ſed tantùm vt laudabiliter occupentur in eo exercitio, & vt omninò Horæ dicendæ ſint in choro,

& om-

& omnes adeſſe debeant ex Regula, qui autem in hoc deficiant, ſoluant aliquam pœnam, non autem, quòd peccent modò priuatim horas recitent. Obligatio autem, quæ eſt in toto corpore obligat tantùm Prælatum, vt, vbi opus erit, cogat etiam per præceptum: quandò autem etiam Prælatus eſſet negligens, tunc poſſet oriri obligatio in ſingulis, vt curent non omitti Officium diuinum. Ità ex communi Filiuc. tract. 23. cap. 4.

QVÆSTIO IV.

Vtrum liceat Officium immutare, interrumpere, aut Horas tranſportare.

NOt. Quòd immutatio Officij diuini poteſt eſſe, vel eſſentialis, vel accidentalis; verùm non conueniunt Doctores, quando fiat iſta mutatio eſſentialis, ſeu ſubſtantialis, & quando accidentalis. Fuit qui aſſeruit, mutationem officij Dominicæ Palmarum, vel alterius officij longioris poſſe ſine peccato fieri cum officio Paſchatis, quia officium pro officio moraliter æquiualet; quæ quidem opinio iam damnata eſt *ab Alex. VII. damnante in terminis hanc propoſitionem. quæ eſt 34. in ordine. In die Palmarum recitans Officium Paſchale ſatisfacit præcepto.* De cæteris autem officijs, nempe de officio feriæ cum feria, vel de Sancti Officio cum officio alterius Sancti, vel etiam feriæ ſunt duæ opiniones, ambæ probabiles iuxta communiorem ſententiam: ideò ſit.

I. Concl. Mutatio Officij e. g. feriæ in officium alicuius Sancti, etiam ſine vlla cauſa facta, non eſt niſi peccatum veniale; ita plurimi apud Dian. part. 11. tract. 4. reſol. 45. Ratio eſt, quia præceptum Eccleſiæ tunc adhuc plenè quoad ſubſtantiam obſeruatur, quæ conſiſtit in recitatione ſeptem Horarum, ergò in huiuſmodi mutatione interuenit ſola mutatio accidentalis, quæ non poteſt conſtituere culpam mortalem, vt ait Gobat in triga horaria diſp. 3. n. 883. cum Recentioribus ferè omnibus: ſubdit tamen eſſe peccatum mortale perpetuò, vel ferè perpetuò ſic mutare officium; ſecùs ſi id fiat rarò. Hinc ait Lezana in ſum. tom. 3. verbo Breuiar. omnes Regulares poſſe extra chorum mutare officium ſui breuiarij, & illud recitare iuxta

Breuiarium Romanum; quia cum Eccleſia Romana ſit mater omnium Eccleſiarum, videtur ſemper licitum ſe illi conformare; & B. Pius V. permiſit omnibus, ſi velint, vti Breuiario Romano in choro, ſi Epiſcopo, & toti Capitulo magis arrideat, ex quo colligi videtur extrà chorum non requiri ſimilem conſenſum, dummodò tamen non extet in Religione de eo prohibitio. Cæterùm ſententia contrarium tenens videtur ſequenda in praxi; cum B. Pius V. præcipiat recitari officium iuxta formam ab ipſo præſcriptam, ad quam iuxta Doctores huius ſententię, pertinet diſtributio officij in tempora, feſtiuitates, & dies, ſeu ferias. Nihilominus cauſa rationabilis, & legitima poteſt iuſtificare talem mutationem.

II. Concl. Probabile eſt non eſſe peccatum mortale, ſi officium interrumpatur abſque vlla ratione. Nam in his ſaluatur omninò ſubſtantia præcepti, & ex multis recitationibus realiter diſcretis fit moraliter vna totalis durante eadem intentione perſoluendi. Et hæc conc. non intelligitur de interruptione laudum à matutinis; quia ad modum duarum horarum poſſunt dici; nec etiam intelligitur de vno nocturno ab alio moderata interruptione ſegregare, cum ſenſus poſſit compleri, & concludi in quolibet nocturno, ſed intelligitur de interruptione pſalmorum, capitulorum, lectionum eiuſdem horæ, in qua poteſt interuenire aliqua actio, ſeu exercitium incompoſſibile cum officij continuatione, vt confabulatio, applicatio ad aliquod opus externum, riſus immoderatus, & ſimilia. Nihilominus Suarez ſuſtinet huiuſmodi interruptiones, ſi ſint notabiles, eſſe peccatum mortale.

Quæres 1. An qui dicit officium cum notabili ſyllabarum detruncatione, ſatisfaciat præcepto.

Reſp. Si id contingat ex imperfectione linguæ, & adhibeat debitam diligentiam, ſatisfacit præcepto: at ſi contingat ex voluntaria negligentia, & talis ſyllabarum detruncatio ſit notabilis quantitatis, non ſatisfacit præcepto; quia fieri poteſt, quòd ille detruncationes, quæ ſecundùm ſe ſpectatæ ſunt parua materia, coaleſcant ſimul in materiam grauem, ac proinde peccati mortalis ſint materia ſufficiens iuxta doctrinam alibi traditam.

Quæres 2. An qui priuatim, & ſolus officium recitat debeat ſe ipſum audire.

Reſp.

Reſp. affirmant plures; quia oratio vocalis debet eſſe audibilis ſaltem ab ipſo orante, quia ſeclusis impedimentis v. g. Si quis non bene diſpoſitum haberet organum auditus, nulla vox eſt tam tenuis, quin in auribus loquentis ſonet, aliter vox non eſt cenſenda; & certè eo ipſo, quòd vox perfectè articulatur, eſt per ſe audibilis ab ipſomet proferente, & in hoc ſenſu puto poſſe intelligi opinionem oppoſitam.

Quæres 3. Quot peccata committit, qui ſeptem Horas officij vnius diei abſque legitima cauſa non recitat.

Reſp. Nonnulli Antiquiores dixerunt committere ſeptem peccata; quia exiſtimant eſſe ſeptem officia vnius diei horas. Verùm communis opinio tradit, eſſe tantum vnicum officium, ac proindè vnum peccatum mortale, grauius tamen, & æquiualens ſeptem diſtinctis traſgreſſionibus.

Quæres 4. An qui partem Officij recitat, puta vnam, vel duas horas animo non ſatisfaciendi, ſatisfaciat.

Reſp. Reſolutio huius dubij deducitur ex dictis in tract. de legibus. Igitur breuiter dico iuxta veriorem ſententiam, quòd ſi habuit animum expreſſum non ſatisfaciendi, non ſatisfecit; ſecus autem ſi recitando cum alijs e. g. in choro, habuit intentionem iterum illud perſoluendi, & tamen poſtea non perſoluit: ratio, quia non habuit intentionem contrariam præcepto.

Quæres 5. Quo tempore poſſunt, ac debeant ſingulę Horæ recitari. Reſp. Apud omnes eſt indubitatum Matutinum cum laudibus recitari poſſe pridie poſt Completorium officium præſentis diei, idquè ab hora quarta poſt meridiem, & etiam minùs, vt videre licet apud Dian. non tamen eſſet peccatum mortale, ſi quis diceret Matutinum diei ſequentis, non adhuc recitatis Veſperis, & Completorio; quia talis inuerſio non videtur grauis; quoad tempus verò cæterarum Horarum vſquè ad veſperas ponitur ordinariè ante meridianum, poſt meridianum Veſperas, & Completorium; vndè certum eſt inuertere talem ordinem ſine vlla cauſa eſſe peccatum veniale; cauſa autem iuſta poteſt eſſe, ſi v. g. prima poſt Tertiam legatur, vel occaſione chori, vel amici petentis ſecum legi Tertiam, Prima nedum lecta &c.

Quæres 6. Quæ excuſent à recitatione Horarum.

 Reſp.

publicè, ſiue priuatim recitetur. Quòd autem attinet ad officium B. Virginis, pſalmos pœnitentiales, & graduales, & officium defunctorum, quæ dici ſolent in choro, tradunt paſſim Doctores extra chorum non obligare, & ita habet praxis communis.

Quæres 7. An Beneficiati non ſolùm peccent non recitando diuinum officium, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum teneantur.

Reſp. Beneficiati non ſolùm tenentur ad recitationem Horarum, ſed etiam ad reſtitutionem fructuum proportionatè correſpondentium ad horas, quas omittit, idquè ante ſententiam Iudicis, vt conſtat ex propoſitione damnata ab Alexandro VII. quæ eſt 20. in ordine. *Reſtitutio à Pio V. impoſita Beneficiatis non recitantibus; ſupple horas canonicas, non debetur in conſcientia ante ſententiam declaratoriam Iudicis, eò quòd ſit pœna.* Nec ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas antea factas, vt decernit idem Alexand. VII. damnando hanc propoſitionem, quæ in ordine eſt 33. *Reſtitutio fructuum ob omiſſionem horarum ſuppleri poteſt per quaſcumque eleemoſynas, quas antea beneficiatus de fructibus ſui beneficij fecerit.* Neque ſolùm tenentur Beneficiati, qui ex beneficio recipiunt ſummam honeſtam (ſumma autem honeſta cenſetur, quæ ad honeſtam ſubſtentationem ſufficit) ſed etiam qui habent Beneficium tenue, nempe octo, vel decem aureorum, vt probabiliter docent Sylueſt. Azorius, & alij communiter, immò plures exiſtimant cum Leſſio, & Molfeſio habentes beneficium valdè tenue, obligari ſolummodò, ad recitandas horas aliquoties in anno v. g. diebus dominicis, & feſtis, prout prudens ratio dictauerit: & prædictos teneri ad reſtitutionem, dum ex culpa officium non recitent. *Adde tamen, beneficiatum intra tempus ſex menſium ab obtenta poſſeſſione beneficij horas non recitantem, non teneri ad vllam reſtitutionem, eſtò peccet mortaliter; ita decreuit Concil. Lateran. ſub Leone ſeſſ. 9. & colligitur etiam ex Bulla B. Pij V.*

Cæterùm diuerſa ratio eſt de Parochis, quia officium parochiale præcisè non datur ob onus horarum canonicarum, ſed ob actus, & labores curæ paſtoralis, quos debet Parochus ex debito conſcientiæ impendere in cura animarum, quales ſunt docere, prædicare, miniſtrare Sacramenta &c. Hinc mandat *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 13. de Reform. In*

DISPVTATIO II.

De Voto.

QVÆSTIO I.

Qualis libertas requiritur ad vouendum; & an ſit licitum, atque expediens homini vouere.

NOt. 1 Quòd Votum etymologicè ex Aſteſano dicitur à volendo, vndè ſicut in nobis eſt duplex velle, nempe alterum plenum, & deliberatum; alterum ſemiplenum, ſeu indeliberatum, ex ſurreptione; ſic duplex eſt votum, vnum deliberate factum, alterum indeliberatè; & communiter definitur votum plena voluntate factum: *Eſt deliberata promiſſio ex voluntatis propoſito Deo facta de meliori bono* Dicitur ex propoſito; quia nullum propoſitum à promiſſione in hoc differt, quòd illud procedit ex deliberatione conuenientiæ ſolius rei faciendæ; hæc autem ex deliberatione acceptandæ obligationis, ſibique illius imponendæ, vt notat noſter Moronus cum Sanchez: dicitur Deo facta immediate, vel mediatè per Sanctos; quia cum Votum ſit actus latriæ, ſoli Deo fieri debet, vel Sanctis in ordine ad Deum; quòd ſi votum fieret immediatè Sancto ob eius propriam excellentiam non eſſet actus Religionis ſed virtutis obſeruantiæ: dicitur de meliori bono, ideſt de bono tali, quod abſolutè, & non per accidens eſt melius, quàm oppoſitum, vt melius eſt ſeruare caſtitatem, & virginitatem, quàm nubere, etſi per accidens alicui magìs expediat nubere, quàm non nubere ob periculum incontinentiæ.

Not. 2. quòd hæretici dicti Lamperiani; vt ſcribit Caſtro lib. 14. aduerſùs Hæres. Dicebant, nihil eſſe ex neceſſitate faciendum, ſed omnia debere fieri liberè iuxta illud Pſal. 53. *Voluntariè ſacrificabo tibi:* ideoquè omnia vota damnabant: eandem hæreſim amplexi ſunt Vuicleff, & Lutherus, dicentes, vota hodie non valere, niſi ad operum iactantiam, & præſumptionem: quæ opiniones hæreticæ ex ſe ipſis improbantur.

I. Concl. Ad Votum requiritur voluntas libera, deliberata cum promiſſione firma faciendi aliquid ad cultum

Nequè in hoc amittit homo libertatem, vt prauè diſcurrit Lutherus, quia ſeruire Deo, regnare eſt. Præterea qui duxit vxorem, ſe ipſum ligauit vinculo indiſſolubili, quarè igitur ò Luthere nequit homo vinculo perpetui voti ſe ligare? Væ igitur Luthero, eiuſquè complicibus, qui monaſticam profeſſionem abhorrentes ad ſeculum redeuntes, vxores duxerunt.

Quæres. Quotuplex eſt votum.

Reſp. Votum in primis diuiditur in ſimplex, & ſolemne; prius conſiſtit in nuda promiſſione, vt votum ieiunandi &c. poſterius eſt illud, quod annexum eſt ſuſceptioni Ordinis Sacri, aut profeſſioni Religionis approbatæ 28. *diſt.* & *extra de Regul.* vndè dicit Scot. quòd votum dicitur ſolemne, non quia publicum, ſed quia in ſe habet aliquid annexum, vt in publicum debeat venire, & per quod vouens ponitur ſub alterius hominis poteſtate, vt ſub Epiſcopo Clericus in ſuſceptione Sacri Ordinis, & Religioſus ſub Prælato in profeſſione Religionis. Ita in 4. d. 38. q. vn. ſ. dico. Ex quo conſtat, quòd ſolemnitas voti eſt de iure canonico dumtaxat. Item aliud eſt Votum abſolutum, quod fit abſque particula ſuſpenſiua; aliud conditionale, quod fit cum conditione ſuſpenſiua, vel alia æquipollenti. Votum autem conditionale duplex eſt, nempe merè conditionale, quod fit non in delicti punitionem, ſed tantùm ſub conditione ſuſpendente obligationem vſque ad conditionis appoſitæ impletionem, & alterum conditionale pœnale, quòd fit in punitionem delicti, ſi illud fuerit commiſſum: & hoc rurſus duplex; vnum, quo Deo promittitur pœna delicti, & non euitatio delicti v. g. *Voueo Deo me daturum pauperibus tantam eleemoſynam, ſi blaſphemauero:* alterum, quo Deo promittitur euitatio delicti, & pœna commiſſi v. g. *Voueo Deo, me non blaſphematurum, & ſi blaſphemauero, dabo pauperibus eleemoſynam*; & hoc eſt duplex votum; vnum abſolutum de non blaſphemando; alterum conditionale de danda eleemoſyna. Inſuper Votum, aliud dicitur expreſſum, quòd videlicet expreſsè intenditur, & explicatur verbis internis, aut externis; aliud tacitum, quod cenſetur fieri eo ipſo, quo fit aliquid, cui annexum eſt votum; tale eſt votum caſtitatis in ſuſceptione Ordinis Sacri, & votum caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quod fit in geſtatione

habitus profeſſorum, expleto anno probationis, cum animo ſaltem implicito profitendi; & dici ſolet etiam votum interpretatiuum; at ſi deſit animus, præſumitur quidem profeſſus quis in foro exteriori, ſed non coram Deo. Denique diuiditur in votum reale, quod eſt promiſſio Deo facta de re temporali, vel actione exercenda per alium, & non ab ipſo vouente; & in perſonale, quod eſt promiſſio Deo facta de proprio actu perſonæ vouentis v.g de ieiunio, de ingreſſu Religionis. Præterea datur Votum mixtum, quod eſt promiſſio Deo facta de re temporali, & etiam de proprio actu perſonæ vouentis v.g. de diſtributione bonorum ſuorum cum ingreſſu Religionis &c. Adde, Votum aliud eſſe perpetuum; aliud temporaneum: temporaneum cenſetur etiam tunc, quando, omnibus penſatis, dubitatur, quomodo vouens ſe intenderit obligare: hinc Portel. putat, quòd ſi quis vouet virginitatem, & dubitat, an intenderit perpetuam caſtitatem, an ſolùm continentiam à primo actu venereo, obligetur tantùm ad hoc ſecundum; quia in dubio voti eligendum eſt, quod eſt minus, & verba ſumenda ſunt in propria ſignificatione. Verùm contra Portel. ſtat ratio, quia virginitatis votum in propria ſignificatione importat perpetuam caſtitatem, vt cum alijs aduertit Dian.

QVÆSTIO II.

Qualis debet eſſe materia Voti.

NOt. Quòd materia Voti dicitur omne id, quod poſſumus promittere in Dei cultum; quæ ad duo genera reduci poteſt, ad primum res permanentes, vt pecunia, prædia, bona noſtra, & corpora; ad 2. res non permanentes, quales ſunt actiones noſtræ, quibus vtimur in ijs rebus dandis, & exercendis. Præterea materia; alia eſt poſſibilis; alia impoſſibilis; alia bona; alia mala; alia indifferens: certum eſt autem, materiam malam, nempè id, quod eſt peccatum, vel ordinatur ad peccatum, non poſſe eſſe materiam Voti; materia pariter indifferens abſolutè, & in ſe nequit eſſe materia Voti, at relatiuè ad bonum finem poteſt eſſe Voti materia; immò vouere rem malam continet peccatum,

mor-

mortale, ſi materia ſit mala mortaliter, veniale, ſi venialiter tantum; etſi Caiet. & Becan. velint, vouere opus etiam ſolùm venialiter malum, eſſe peccatum mortale. Igitur materia voti debet eſſe, vt etiam in diffinitione voti indicauimus de meliori bono, vel abſolutè, vel relatiuè: vndè vouere rem abſolutè indifferentem v.g. non comedere capita animalium in honorem S.Iohan. Baptiſtæ eſt peccatum veniale, niſi bona fide fiat; nam iuxta illud ad Roman. 12. *Rationabile obſequium veſtrum*: debet votum eſſe obſequium rationabile, quale non eſt votum rei indifferentis, & tanto minùs in malis: *vndè habetur* 22. *q.*4. *In malis promiſſis reſcinde fidem. & in turpi voto muta decretum*.

I. Concl. Materia voti debet eſſe poſſibilis. Ratio eſt euidens, quia ad impoſſibile nemo tenetur. Hinc rectè infertur votum de non committendo vllum peccatum, nec etiam veniale, non obligat, quia ſuperat vires, non ſolùm naturæ, ſed etiam auxilij ordinarij gratiæ Dei, vt dictum eſt in tract. de Gratia. Cæterùm ſi fiat votum de peccato veniali proueniente ex plena aduertentia, vt non dicere mendacium, verba turpia, & ſimilia, quæ non proueniunt ex ſubreptione, eſt validum. Quòd ſi materia voti fuerit partim poſſibilis, partim impoſſibilis, & ſit diuiſibilis, obligabit quoad partem poſſibilem; ſecùs ſi materia fuerit indiuiſibilis. Sed quid ſi materia non eſſet certa, & determinata per intentionem vouentis. Reſp. iuxtà DD. paſſim, quòd ſtandum eſt arbitrio prudentis viri, & in dubio eſt reſtringenda quoad circumſtantias incerta; v.g. qui vouit dare menſuram tritici ſatisfacit dando mediocrem, ſi calicem, ſatisfacit dando calicem ordinarium; quia voti executio debet cedere in Dei honorem ſaltem mediocrem. Qui autem dubitat, an voti materia iam facti ſit bona, vel mala, vouenti fas eſt eligere quodlibet: Diana cum alijs.

II. Concl. Actio præcepta poteſt eſſe materia voti: eſt communior ſententia. Ratio. Quia, licèt actio præcepta ſit etiam aliquo modo neceſſaria, attamen ſimpliciter eſt libera; ergo &c. tum quia vni obligationi poteſt addi altera; Tum quia ſub ratione melioris boni includuntur etiam præcepta; nam per melius bonum non intelliguntur ſolùm opera conſiliorum, ſed quæcumquè bona opera, quæ ſine impedimento maioris boni fieri poſſint; ita vt comparatio

de-

debeat fieri cum oppoſito talis boni; quo pacto etiam opera præcepta dicuntur de meliori modo, quàm oppoſitum: vndè etiam omiſſiones actuum bonorum, qui neque ſunt in præcepto, nec in conſilio ſunt apta materia, v.g. de non nubendo, de omittendo matrimonium &c.

Quætes. Qualiter, & quando Votum obliget ad ſui impletionem. Reſp. Votum ſe habet ad inſtar legis priuatæ, quam quis ſibi imponit: vndè tanta eſt voti obligatio, quantam materiæ quantitas importat, & intentio vouentis fuerit, qua ſe vel leuiter, vel grauiter, vel abſolutè, vel ſub conditione temporis, vel qualitatis reſtrictione &c. obligare voluit, adeout, etſi obligatio voti iam poſiti ſit iuris naturalis, vis tamen eius pendeat à voluntate, & facto hominis, tamquàm præuia conditione, vt tantùm, vel tantùm obliget. Hinc votum liberè factum in materia graui, obligat grauiter, vt patet ex S. Scrip. & docent omnes; in materia autem leui non obligat votum, niſi leuiter: immò probabiliſſimum eſt, poſſe vouentem ſub ſola culpa veniali ſe obligare ad rem grauem, ſi voluerit. Item ſi non determinauit vouens tempus executionis, quamprimùm commodè poterit iuxtà prudentis iudicium, impleri debet, vt habetur Deuteron. 23. *cum votum voueris Domino Deo tuo non tardabis reddere* Quòd ſi determinauit tempus, tenetur vouens tunc illud implere, niſi factum ſit impoſſibile phyſicè, vel moraliter: & inſuper in voto conditionali, ſi conditio ab ipſo vouente pendet, tenetur conditionem implere, vt docet Richar. in 4. d. 38. q. 5. art. 3. *Tunc autem votum ceſſat obligare, ſi materia euadat mala, vel indifferens, vel impeditiua maioris boni, vel impoſſibilis phyſicè, aut moraliter: vndè docet D. Thom. in 4. d. 38. q. 1. art. 3. quòd quicquid votum fieri impediret, ſi præſens eſſet, obligationem voto etiam facto aufert v.g. diues vouet Eccleſiam ædificare, ſi paupertas ſuperueniat, ad illud non obligatur.*

QVÆSTIO III.

Quinam irritare valeant vota iam facta.

NOt. Quòd præter ea, quæ proximè dicta ſunt in ordine ad ceſſationem Voti, tolli etiam poteſt voti obligatio auctoritate humana, idquè tripliciter, nempè irritatio-

tatione,commutatione,& diſpenſatione. Irritatio autem, de qua hic agimus, nam de alijs agetur infra, eſt eiuſdem voti annullatio, ac ſi votum nunquam fuiſſet factum. Poteſtatem irritandi alterius vota habet omnis, qui in vouentis voluntatem habet legitimam poteſtatem dominatiuam; natura ſiquidem dominij talis eſt, vt plenum ius concedat diſponenti de re ſua ad quoslibet vſus ſine iniuria alterius, vt latè oſtenſum eſt in 1. diſput. de Iuſt. & Iur. ac proinde habens tale dominium in perſonam ſibi ſubiectam, poteſt velle, & declarare, quòd vota eius ſint nulla. Cæterùm ad vota irritanda exigitur rationabilis cauſa; vndè Superior vota ſubditorum ſine cauſa irritando, peccat, vt docet Roder. in ſum. cap. 80. cum alijs: oppoſitum tamen eſt æque probabile, eò quòd irritans vtatur iure ſuo; quo tamen vti non debet male; ac proindè peccat mortaliter irritando votum, quod noſcit valde inſeruire ad vtilitatem ſpiritualem ſubditi, cuiuſmodi eſſet votum Religionis, votum Pœnitentiæ frequentandæ, & ſimilia. Hinc colligit Fernandez p. 1. cap. 6. §. 8. peccare ſubditum, qui eo animo Superiori votum manifeſtat, vt irritet, cum ſciat id eum facturum abſque cauſa, & iniuſtè; etſi irritatio iniuſtè procurata, ſufficiat ad tollendam obligationem; quia etiam voti irritatio ſine cauſa facta, eſtò non ſit licita, eſt tamen valida.

Concl. Omnes perſonæ, quæ habent poteſtatem dominatiuam, poſſunt aliorum vota irritare. Quarè in primis Pater, & hoc deficiente, Tutor, immò Auus Mater poſſunt irritare vota prolis impuberis, etiam Religionis ingrediendæ. Item Parentes irritare poſſunt vota perſonalia filiorum vſque ad annum 25. (quo tempore fieri ſolet emancipatio à patria poteſtate) ſi bono familiæ ſint nociua, vt ieiunandi, dum oportet laborare, peregrinandi &c. nec non vota realia, niſi ea implere poſſint de bonis caſtrenſibus, vel quaſi caſtrenſibus; & inſuper vota facta à filijs tempore ſubiectionis adhuc irritare poſſunt poſt illud tempus; quod verum eſt, etiamſi in pubertate ea ratificaſſent, putantes ex errore ea eſſe valida, & firma: Secùs tamen ſi nouiſſent eſſe infirma, & independenter à prioribus ratificaſſent; quia tunc cenſetur, ea quaſi de nouo elicere: 2. Maritus poteſt irritare omnia vota vxoris, ſicut Pater vota filij, quamdiù

ta-

tamen eſt illi ſubiecta, non verò ſi per diuortium ſit ab eo ſeparata: vxor autem solùm poteſt irritare Mariti vota, quæ nocent iuri Matrimonij, vt longiùs peregrinandi, diutiùs ieiunandi, caſtitatem ſeruandi &c. & eandem ſolam poteſtatem tribuunt marito, negando, eum habere poteſtatem omnia vota vxoris irritandi. Interim docet Baſſæus, poſſe à viro irritari vota præiudicialia iuri Matrimonij, etiamſi vxor cum ipſius licentiâ vouerit, quia per talem licentiam non amiſit poteſtatem in vxorem; & idem cum alijs tenet; votum continentiæ communi conſenſu emiſſum, ſicut & votum, quo vterque ex pacto vouet ingreſſum Religionis; non poſſe, ſaltem licitè, ab vllo coniugum irritari, quia vterque tunc ceſſit ſuo iuri quoad omnem actum coniugalem. Si tamen vxor iterum det marito facultatem in corpus, putat Sanchez, non eſſe improbabile, virum poſſe validè etiam iſta vota irritare. Rurſus poteſt irritare vota vxoris facta ante Matrimonium; immò & facta in primo Matrimonio à Marito ſecundi Matrimonij irritari poſſunt: 3. Superiores, ſeu Prælati poſſunt irritare omnia vota ſuorum ſubditorum, quia in omnibus illis ſubintelligitur illa conditio, ſi Prælatus conſenſerit, excipitur tamen votum tranſeundi ad ſtrictiorem Religionem; quod tamen Nauar. lib. 3. conſil. tit. deuot. Sotus lib. 7. Iuſt. q. 3. art. 1. & Aragon. quos ſequitur Fernan. poteſt vel commutare, vel diſpenſare. Si autem ſubditus fecit votum cum licentia Superioris, vel Superior votum factum confirmauit, non poteſt deinde Superior ſine cauſa tale votum irritare; & ſi irritet peccat mortaliter, vt ſupra; Idem poſſunt facere Abbatiſſæ; quamuis diſpenſare, vel commutare vota circa ſuas ſubditas non valeant, cum hoc ſolummodò poſſit præſtare habens iuriſdictionem Eccleſiaſticam; cuius fœmina eſt omninò incapax. Nec poteſt irritare vota Nouitiarum, quia, vt ait Portel. ſuper ipſas non habet poteſtatem dominatiuam; & idem dicendum videtur de Prælatis in ordine ad vota Nouitiorum. Denique Dominus irritare poteſt vota ſui ſerui, quæ ſuo ſeruitio præiudicant; eſtò emiſerit ante ſeruitutem.

QVÆ-

QVÆSTIO IV.

Quinam poſſint diſpenſare in Votis iam factis.

NOt. Quòd *diſpenſatio eſt relaxatio iuris facta ab habente legitimam poteſtatem, ideſt Eccleſiaſticam rationabili cauſa*: ex qua definitione patet, quòd non ſunt idem diſpenſatio, & irritatio, ſed ſunt duæ poteſtates diſtinctæ, & vna non impedit aliam, vt aduertit Portel. cum Suarez, ſi reperiantur in vna, & eadem perſona: quare votum confirmatum à Superiore altiori, quòd Prælatus inferior non poteſt irritare per potentiam dominatiuam, poteſt tamen illud diſpenſare, idque per poteſtatem iuriſdictionis; nam Superior confirmatione voti non reſeruauit ſibi illius diſpenſationem. Itaque ad diſpenſandum duo requiruntur, nempè iuriſdictio, ſeu poteſtas Eccleſiaſtica, & cauſa rationabilis, de qua tamen vix poteſt certa regula ſtatui; nihilominùs reduci poſſunt ad quatuor; quarum prima eſt vtilitas Eccleſiæ, honor Dei, bonum commune Reipub. vtilitas vouentis, & magna eiuſdem fragilitas, per quam timetur ſæpè violaturus votum, & etiam leuitas materiæ, inconſideratio, inconſtantia, timor, vel alia imperfectio actus vouendi, quæ omnia faciliorem diſpenſationis impetrationem reddunt. Inſuper aduertit Aſteſanus, quòd Superior tria debet attendere, nempe quid liceat ſecundum æquitatem, quid deceat ſecundùm honeſtatem, & quid expediat ſecundùm vtilitatem, ſiue neceſſitatem, nec non cauſam, propter quam votum eſt emiſſum, nam, ea ceſſante, ceſſat faciliùs, & effectus *vt habetur extra c. magna §. 1.*

Concl. Omnes ij, qui habent poteſtatem, ſeu iuriſdictionem Eccleſiaſticam, rationabili de cauſa poſſunt in votis diſpenſare. Vnde Pontifex poteſt diſpenſare in omnibus votis, etiam in votis ſolemnibus caſtitatis, paupertatis, & obedientiæ, quæ ſunt vota Religionis, & tantò magìs in voto ſolemni caſtitatis, Sacris ordinibus annexa. Ita Principes Theologiæ, nempè Scot. Richar. Maior, & alij; nec non communis ſententia Iuriſperitorum, etſi nonnulli oppoſitum teneant, inter quos citantur etiam D. Bonau. & D. Thom. Præterea ſolus Papa diſpenſat in his quinque votis, nempè in voto perpetuæ continentiæ, Re-

ligionis, peregrinationis Hieroſolymitanæ, Sancti Iacobi de Compoſtella, & peregrinationis Romanæ; *iure enim communi, vt habetur cap. ex multis de votis Papa hæc vota reſeruantur*; & nota, quòd ſub nomine caſtitatis intelligitur votum virginitatis, quod eſt votum perpetuæ continentiæ. Docent tamen Doctores, Epiſcopum in tertio, & quarto poſſe diſpenſare, quando animus expreſſus vouentis non eſt ad inuiſenda dicta loca, ſed ad alium finem, etſi pium, vt ſi quis vouet ire Romam ad oſculandos pedes Papæ, ad viſitandam imaginem B. Mariæ &c. Immò in quibuſdam caſibus valdè extraordinarijs ob grauem neceſſitatem poſſe Epiſcopum quaſi per accidens diſpenſare omnia quinque vota, vt videre licet apud Baſſæum; idquè ex ſpeciali iure antiquo, & ex conceſſione Concilij Tridentini ſeſſ. 14. cap. 6.

Epiſcopi poſſunt propria poteſtate diſpenſare in omnibus alijs votis Papæ non reſeruatis: hinc dicit Baſſæus cum alijs poſſe diſpenſare, primò in voto Religionis non approbatæ, & conſequenter in votis paupertatis, & obedientiæ in tali Religione factis: 2. in voto caſtitatis non perpetuæ, in voto non fornicandi, non petendi debitum, non nubendi, non ſuſcipiendi Sacros ordines. Item poteſt diſpenſare in voto virginitatis, ſi vouens nil aliud intenderit, quàm præcisè ſe obligare ad ſeruandam carnis integritatem; quia neque hoc eſt votum integræ caſtitatis. Et deniquè poteſt diſpenſare iuxta DD. paſſim in quibuſdam qualitatibus ſubſtantiæ voti reſeruati annexis; ſic vouenti ingreſſum Religionis ſtrictioris, poteſt concedere ingreſſum laxioris: ſic pariter poteſt relaxare votum de eundo Romam pedibus nudis, mendicando &c. & etiam votum nunquam petendi diſpenſationem, quia nec hoc eſt reſeruatum. Adde, poſſe Epiſcopum diſpenſare in votis pœnalibus; item dum dubitatur de valore, vel de reſeruatione, quia cum reſeruatio ſit odioſa, reſtringenda eſt ad caſus certos; nec non quando materia deficit à natura materiæ reſeruatæ, hoc eſt ſi tota materia promiſſa non ſit reſeruata, vt v. g. dum quis facit votum diſiunctiuum caſtitatis, aut ieiunij, vel habuerit animum ſe obligandi tantùm ſub veniali. Non tamen poteſt abſq; magna cauſa diſpenſare in voto quocumque facto in alteriùs vtilitatem, ſi fuerit acceptatum, quia

iam

iam acquiſiuit ius ad rem, quo iure acquiſito, non debet quis priuari ſine vrgentiſſima cauſa.

Confeſſarij Mendicantes habent eandem poteſtatem per Priuilegia, quam ordinariè habent Epiſcopi. Quarè poſſunt diſpenſare in votis iure ordinario Epiſcopis reſeruatis, excepto tamen voto peregrinationis vltra duas dietas. Cæterùm difficultas eſt; an quando Epiſcopus per accidens diſpenſare poteſt à votis reſeruatis Papæ, etiam Mendicantes tunc valeant diſpenſare. Nonnulli affirmant, ſed non eſt recedendum à ſententia negatiua. Inſuper poſſunt Confeſſarij Regulares diſpenſare in petitione debiti cum ijs, qui poſt emiſſum votũ caſtitatis conſummarunt Matrimonium; imò addit Sanchez id poſſe fieri etiam ante conſummatum Matrimonium; at ſi ante, vel poſt Matrimonium, nondũ conſummatum, coniux vouerit ingreſſum Religionis, cum eo non poſſunt diſpenſare, neque vt petat, neque, vt reddat debitum, quia neque Epiſcopus id poteſt. Aduertit autem Virginius Aluiſet ſect. 3. cap. 16. diſpenſationem prædictam in voto caſtitatis meliùs dici voti ſuſpenſionem, quia ſi obligatus tali voto ſuperuiuat ſuæ coniugi, non poteſt ad ſecundas nuptias tranſire *cap. ex parte de conuerſ. coniug.* idquè clarè conſtat ex formula diſpenſationis, qua vtitur Papa, dum diſpenſat in voto caſtitatis ſimplici; dicit enim. *Diſpenſamus ad hoc tantùm, vt Matrimonium legitimè contrahere poſſis. ſic vt in eo poſtmodum debitum coniugale exigere, & reddere, licitè valeas.* Ex quibus clauſulis videtur clarè colligi, ſic diſpenſatum adhuc contra ſuum votum peccare, quoties adulteratur, vel peccat contra caſtitatem coniugalem; vt benè conſideranti patet.

Huiuſmodi poteſtas diſpenſandi; ſicut & commutandi vota poteſt delegari, *iuxta reg. habens poteſtatem ordinariam, poteſt eam delegare: at conceſſa alicui poteſtate vota commutandi, non cenſetur conceſſa poteſtas diſpenſandi, niſi exprimatur, ita ex communi:* etſi conceſſa alicui facultate diſpenſandi, intelligatur ei conceſſa etiam poteſtas commutandi; quia diſpenſatio continet commutationem, & omnis commutatiò voti eſt diſpenſatio ſecundùm quid; nam per poteſtatem diſpenſandi poteſt votum commutari in minus.

Quæres. Quinam poſſint vota commutare,

Reſp. quòd *voti commutatio iuxta cap. peruenit 2. de iure iur.*

 eſt

eſt ſubſtitutio operis honeſti, loco alterius per votum promiſſi, eodem vinculo manente; & poteſt fieri tripliciter, nempe in opus melius, æquale, & minus: Conueniunt paſſim Doctores, quodlibet votum etiam ab ipſo vouente in apertè melius commutari poſſe, excepto voto Religionis ſtrictioris, & in voto Terræ Sanctæ in ſubſidium; *iuxta reg. cap. Scriptura de voto non frangit promiſſum, qui in melius illud commutat*: ſed dubium eſt, an ipſe vouens valeat in æquale commutare; affirmant Villalob. & Dianca cum multis; negant alij; probabilis tamen prima etiam in praxi apparet, quia nulla fit Deo iniuria, cum reddatur res æquè grata: Item auctoritate propria omnia vota in vota Religionis commutari poſſunt; & eo ipſo, quo quis profeſſionem facit, deſinunt omnia illa vota obligare. Igitur ordinariam poteſtatem commutandi vota habent Epiſcopi, & alij habentes poteſtatem vota diſpenſandi; quales ſunt Prælati Regulares; & confeſſarij mendicantes ex priuilegio; vt conſtat ex dictis: Et quamuis ad commutandum votum in euidenter melius, nulla requiratur cauſa; ad commutationem tamen in æquale aliqua exigitur; & ſufficit, ſi ſuauiùs; ac hilarius vouens adimpleat votum: & ad commutationem in minus requiritur cauſa tanta, quanta ad diſpenſationem partis, in qua mixtè diſpenſatur; vndè qui non habet poteſtatem diſpenſandi; non poteſt in minus commutare ita Fernand. in exam. theol. moralis.

DISPVTATIO III.

De Iuramento.

QVÆSTIO I.

Vtrum iurare ſit bonum; & liceat Chriſtianis iurare.

NOt. 1. Quòd Manichæi dicebant, omne Iuramentum eſſe illicitum, teſte Aſteſano; eundem errorem, docuerunt, vt refert noſter Caſtro lib. 8. aduersùs hæreſes, Pſeudoapoſtoli; & tantùm fuiſſe permiſſum Iudæis in lege veteri, Chriſtianis autem, qui perfectiorem habent legem, non licere, quem errorem in parte ſecutus eſt Ioan. Vuicleff

cleſ. *Vt conſtat ex damnatione ſuarum propoſitionum facta à Concil. Conſtantienſi, ſeſſ. 8. inter quas quadrageſimo tertio loco ponitur hæc de iuramento. quæ ait. Iuramenta illicita ſunt, quæ fiunt ad roborandum humanos contractus, & commercia ciuilia.* E contra Priſcillianiſtæ docebant diſcipulos ſuos, vt interrogati iuramento, & requiſiti, nihil vnquàm reuelarint de illorum doctrina; & ad illius doctrinæ occultationem dicebant eſſe licitum periuriũ: hinc ſemper in ore hanc ſententiam habebant. *Iura, periura, ſecretum prodere noli*; quòd etiam moderni Hæretici tenent ad occultandam propriam ſectam &c.

Not. 2. ex noſtro Rich. quòd Iuramentum, ſeu iurare per Deum in ſua generalitate, neque eſt bonum, neque malum ex genere; iurare tamen verum per Deum eſt actus bonus ex genere, quia tranſit ſuper materiam debitam, quia verò adhuc non includit ordinem rationis ſimpliciter, nec aliquid incompoſſibile ei; ideò iurare verùm fieri poteſt benè, & malè; niſi illud comitentur circumſtantiæ debitæ; vndè iurare non eſt de appetibilibus per ſe; quia illud, quod non quæritur, niſi ad ſubueniendum alicui defectui, non numeratur inter ea, quæ ſunt per ſe appetenda, ſed inter ea, quæ ſunt neceſſaria, vt patet de medicina, quæ quæritur ad ſubueniendum infirmitati, & iuramentum admittitur ad ſubueniendum alicui defectui, quo nimirum vnus homo diſcredit alteri; hinc D. Auguſt. lib. de Serm. Dom. dicit. *Qui intelligit non in bonis, ideſt per ſe appetendis, iurationem habendam ſe refrænet quantum poteſt, vt non ea vtatur niſi neceſſitas cogat.* Vndè iuramentum ſic definitur, *eſt inuocatio diuini teſtimonij ad fidem faciendam, vel promiſſionem firmandam; iuramentum, & iuſiurandum ſunt ſynonyma; vt nouit etiam Ariſt. & Cicero lib. off. ait iuſiurandum eſt affirmatio religioſa.*

Not. 3. Quòd tres conditiones deſiderantur, vt iuramentum debitè fiat; nempè veritas, iudicium, & iuſtitia iuxta Hierem. cap. 4. *Iurabis viuit Dominus in veritate, & iudicio, & iuſtitia*; nam ſine veritate eſt mendacium, ſine iuſtitia, hoc eſt, cum fit de re illicita, & iniuſta eſt iniquum; ſine iudicio, & diſcretione, & debita reuerentia eſt indecens, & temerarium. Ex defectu harum conditionum iuramentum eſt peccatum: mortale quidem ſi deeſt iuſtitia in materia graui; ſi autem deſit veritas, ſiue materia ſit leuis, ſiue grauis eſt peccatum mortale; quia in iuramento aſſer-

torio non datur paruitas materiæ ; vndè damnatur ab Innoc. XI. hæc propoſitio 24. in ordine. *Vocare Deum in teſtem mendacij leuis, tanta non eſt irreuerentia, propter quam velit, aut poſſit damnare hominem*. Dicitur autem iurare etymologicè, quia quaſi pro iure introductum eſt, vt quod ſub inuocatione diuini teſtimonij dicitur, pro vero habeatur iuxta Aſteſan. lib. 1. tit. 18.

Concl. Honeſtum, & licitum eſt iurare; quandocumque concurrant conditiones ſuperiùs aſſignatæ; idquè tam in lege veteri, quàm in noua. Hæc eſt contra recenſitos Hæreticos. Prob. Iuramentum eſt actus virtutis Religionis; ac proindè latriæ, quo cultum verum Deo exhibetur; & agnoſcitur Deus tanquàm prima veritas infallibilis, omniſciens, vniuerſi prouiſor, & gubernator; ergo &c.

Prob. 2. pars: conſtat ex nouo teſtamento, & veteri: Deuter. 6. & 20. *Per nomen illius iurabis; ideſt Dei, & Pſal. 62. Laudabuntur omnes, qui iurant in te; & D. Paul. ad Rom. 1. Teſtis enim mihi eſt Deus, & ad Galat. 1. Ecce coram Deo. quia non mentior.* Prob. ratione Scoti, & Aſteſani. Iuramentum ad confirmationem ordinatur, confirmatio autem in ſcibilibus fit per rationem, quæ procedit ex aliquibus naturaliter notis, quæ ſunt infallibiliter vera, ſed particularia hominum facta, & contingentia non poſſunt per rationem neceſſariam confirmari; & ideò ea, quæ dicuntur, de eis ſolet confirmari per teſtes; humanum autem teſtimonium non eſt ſufficiens ad confirmandum huiuſmodi; ideoquè primò ob defectum veritatis humanæ iuramentum eſt adhibendum, & ſecundò ob defectum cognitionis, quia homines non poſſunt cognoſcere contingentia, nec cordium ſecreta, nec etiam abſentia, de quibus homines loquuntur, & expedit rebus humanis, vt certitudo aliqua habeatur de ipſis; ergo neceſſarium eſt recurrere ad D. teſtimonium. Adde etiam ob rationem finis, quia iuramentum introducitur ad certificandos homines, & finiendum controuerſias, vt dicitur ad Hebr 6. *Solo enim iuramento creditur: quando de conſcientia alicuius dubitatur extra de ſent. excom. Si verò aliquis*.

Arg. ab hæreticis Matt. 5. Saluator ait. *Ego dico vobis non iurare omninò, neque per Cœlum, neque per Terram, & D. Iacob c. 5. Ante omnia autem Fratres mei nolite iurare nequè per Cœlum, nequè per Terram &c. Sit autem ſermo veſter eſt, eſt, non, non, vt non ſub iu-*

dicio

dicio decidatis. Reſp. quòd in prima Scrip. non prohibetur iurare per Deum; vt notat Caſtro cum D. Hieron. quia ly omninò, refertur ad ſequentia; ita vt omninò non ſit iurandum per Cœlum, aut per Terram; idquè ne illa venerarentur, aut plus debito diligerentur. Ad alteram Scrip. obiectam dicimus; quòd Chriſtus nobis perfectionem docere voluit; ſignificans eam fidem inter chriſtianos eſſe adhibendam, vt non ſit neceſſarium ad iuramentum recurrere: Et ſi dicas; Chriſtum ſubdere hæc verba. *Quod autem abundantius his eſt, à malo eſt*; reſpondetur fatendo, eſſe quidem à malo iuramentum; non autem malum eſſe, vt conſtat ex dictis, quia plurimi in mendacium labuntur; & hoc eſt à cauſa mala, ſeù à malo, vndè oritur neceſſitas iuramenti.

Quæres. Quotuplex eſt Iuramentum. Reſp. Iuramentum aliud eſt expreſſum ſeu explicitum, aliud tacitum, ſeu implicitum: Primum eſt dum verbis dicitur. Iuro per Deum, vel quid ſimile: 2. dum quis animo iurandi tangit Crucifixum, Euangelium, pectus &c. & ad hoc refertur etiam iuramentum, quo quis iurat per creaturas animo iurandi per Creatorem ipſarum. Tripliciter autem id contingere poteſt: primò conſtituendo in creatura finem iuramenti, ſeu adducendo illam tanquam teſtem infallibilem veritatis, & ſic iurare eſt blaſphemare, & eſt ſpecies quædam idololatriæ: 2. referendo creaturam in Deum, cuius bonitas, & veritas in ipſa relucet, vel prout eſt factura Dei, & ſic iurare eſt verum iuramentum, quia implicitè iurat per Deum ipſum: 3. adducendo creaturam in teſtem iuxtà dignitatem, quam in ſe habet, & ſic nec eſt verè iurare, nec vllum malum continet: attendenda eſt tamen in omnibus intentio iurantis, à qua petenda eſt vera ratio iuramenti. Verùm *dum exprimitur nomen Dei, vel Chriſti, ſaltem in obliquo, vt ſi iuretur per acrem Dei, per ſanguinem & vulnera Chriſti &c.* cenſetur verum iuramentum, quia ſic iurans refert creaturas in Deum. Idem pariter dicendum de iurante his verbis. Per animam, vel veſtes B. Virginis, S. Franciſci &c. per veſtes ſacras, manus conſecratas, reliquias, vel templa Sanctorum &c. quia cum in his omnibus ſpecialiter reluceat Dei perfectio, per ea iurans reputatur iurare per Deum; è contrà tamen iudicandum de his iurandi formulis. *Per meam*

veritatem, meam conſcientiam, meam fidem, & etiam vt vulgò dicitur, alla fe; dummodò non intelligat dicere alla fè di Dio. Inſuper iuramentum aliud eſt aſſertorium, quo aſſeritur, quod eſt præſens, vel præteritum; aliud promiſſorium, quo aliquid futurum promittitur in fauorem alterius; aliud comminatorium, quo alicui malum minatur, vel prædicitur; aliud eſt execratorium, quo aliquid cum atteſtatione diuina aſſeritur ſibi apponendo punitionem, ſeu malum, *v.g. Deus me damnet ſi cras tibi non ſoluerim, Deus vita me priuet &c.* Exemplũ tertij *iuro per Deum, quod volo tibi frangere caput;* cętera ſunt clara. Rurſus iuramentum aliud eſt ſimplex, aliud ſolemne; hoc eſt inuocatio Dei in teſtem cum ceremonia coram Notario, Iudice &c. illud ſine vlla ſolemnitate. Item aliud eſt extraiudiciale, ideſt extra iudicium: aliud iudiciale, quod fit in iudicio. Et hoc ſubdiuiditur in iuramentum calumniæ: *& eſt Diuini Numinis atteſtatio, facta per litigantem, ſuper ſua bona fide, in litis conteſtatione, & proſecutione*, quod ſcilicet partes litigantes, earumque adminiſtri iurant ſe non de dolo malo, nec animo calumniandi; ſed fide, conſcientiaquè bona, cauſam cæpiſſe, & proſequi velle: partes litigantes ſunt Accuſator, & Reus: eorum miniſtri ſunt Aduocati, & Procuratores. Hìc verò *calumnia eſt dolus malus, malitioſaq; litigatio, ſeu falſa petitio, vel iniuſta repulſio facta ſcienter 2. q. 3. can. Si quem §. Accuſatorem.* Iuramentum calumniæ continet ferè quinque capita: primò, quòd iurans in conſcientia ſua credat, ſe iuſtam cauſam habere, non fruſtatoriè, & fraudulenter agere: 2. quòd reſpondebit veritatem ſuper omnibus, iuridicè interrogatus: 3. quòd non vtetur ſcienter falſa probatione: 4. quòd non corrumpet Iudicem, nec Tabellionem: 5. quod non patrabit fraudulentā dilationem; ſub qua comprehenditur etiam temeraria appellatio. Recuſantis calumniæ iuramentum iuſtè petitum, pœna eſt, vt actor ab inſtituta cadat actione, Reus autem debeat haberi pro confeſſo. *Iuramentum in litem eſt D. Numinis atteſtatio per litigantem facta ſuper re controuerſa.* Hoc iterum eſt duplex: neceſſarium, & non neceſſarium. Prius, quod dicitur etiam deciſorium eſt, quod Iudex exigit apertè ad terminandam litem, & recuſari non poteſt ſine cauſa legitima: poſterius eſt, quod Pars Parti defert; itaut recuſari poſſit.

Quæ-

Quæres 2. An quæcumque veritates, quæ merè enunciatiuè proferuntur, faciant iuramentum.

Reſp. cum Vrbano negatiuè; quia dicere v. g. *Tam verum eſt, quod dico, quàm ipſum Euangelium: teſtis eſt Deus, Deus ſcit*, videntur potius æquiuoca; ac proinde poſſunt proferri tam enunciatiuè, quàm inuocatiuè, itaque pendent ex intentione proferentis, & in dubio debet credi, non fuiſſe dicta intentione iurandi; ſi autem huiuſmodi enunciationes habeantur pro iuramento expreſſo, indubiè erit verum iuramentum.

QVÆSTIO II.

Vtrum ſit idem iurare ſine animo iurandi; ac iurare ſine animo ſe obligandi.

NOt. Quòd præſens quæſtio controuertitur à Doctoribus: Nam quidam, vt Valent. 2. 2. diſp. 6. q. 7. punct. 4. Leſs. de iuſt. & iure lib. 2. cap. 42. dub. 8. Sayrus lib. 5. cap. 6, & alij exiſtimant, non eſſe idem hæc duo, de quibus quærimus; vndè aiunt, iuramentum factum ſine animo obligandi, adhuc obligare, ac per conſequens non erit idem iurare ſine animo iurandi, ac iurare ſine animo ſe obligandi, quia non viget obligatio, vbi deeſt iurandi animus, ſicut viget vbi tantùm deeſt animus ſe obligandi. Alij è contra tenent, eſſe idem iurare &c. ac proindè iuramentum factum abſque intentione ſe obligandi, non obligare: rationem dant D. Bonau. loc. cit. Scot. in 3. d. 39. q. vn. art. 3. Almainus, Richard. ibidem; Roſella, S. Antoninus, & alij: quia conditio appoſita ſubſtantiæ rei, vel proprietati ita neceſſariò concomitanti eſſentiam, vt talis eſſentia ſine illa nequeat conſiſtere, tollit, ac deſtruit ipſam eſſentiam, ſeu ſubſtantiam rei, cum ergo obligatio ſit neceſſariò concomitans ſubſtantiam, & eſſentiam iuramenti, adeout ſine illa pereat; ſequitur, quòd iurans ſine animo ſe obligandi, verè non eſt obligatus, quia reuerà non iurauit, nec iurare voluit, ſi enim vnum voluiſſet, & alterum pariter voluiſſet.

Concl. Idem eſt iurare ſine animo iurandi, ac ſine animo ſe obligandi, vt conſtat ex ratione proximè adducta; immò quamuis dicatur cum ſententia oppoſita non eſſe idem,

adhuc tamen iurare exteriùs ſine intentione iurandi eſt peccatum ex genere ſuo mortale contra Religionem, & interdum etiam contra iuſtitiam.

Prob. ex doctrina Doctorum præfatorum. Etenim quis ſic iurando nomen Dei aſſumit in vanum, cum ad deceptionem, & non ad veritatis confirmationem adhibeatur; & licèt ſic iurans reuerà non iuret, ſed tantùm apparenter, ac proindè non ſit periurus; attamen ipſa ſimulatio, ſeu fictio periurij eſt Deo valdè iniurioſa, atque multùm pernicioſa hominum Societati, idquè habet locum in iuramento tam aſſertorio, quàm promiſſorio; & inſuper ſiue iuretur verum, ſiue falſum, etſi maior irreuerentia dignoſcatur in iuramento ficto, ſeu apparenti de re falſa, quàm de re vera.

Confirmatur ex Innoc. XI. damnante hanc propoſitionem 25. in ordine. *Cum cauſa licitum eſt iurare ſine animo iurandi, ſiue res ſit leuis, ſiue grauis.*

Quæres. Quale peccatum eſt iurare ex conſuetudine.

Reſp. ex Scoto in 3. d. 39. q. vn. §. Videtur ergo. Periurium ſi indeliberatè fiat, quantumcumquè frequenter fiat (cum actus meritorius requirat, quòd ſit plenè humanus, & hoc eſt eſſe ex plena deliberatione; & actus demeritorius non minùs requirat illud, non eſt enim Deus pronior ad condemnandum, quàm ad parcendum) poteſt dici, quòd illud Periurium indeliberatum quotieſcumque iteratum, non eſt peccatum mortale. Verùm ſi per hoc quis exponatur periculo peierandi, quòd communiter contingere poteſt, mortaliter peccat, quamdiù non proponit talem conſuetudinem extirpare, nam qui voluntariè ſe continet in periculo peccati mortalis, mortaliter peccat. Hinc dicunt Doctores, non eſſe capacem abſolutionis, qui prauam iurandi conſuetudinem deponere non proponit.

QVÆSTIO III.

Vtrum Iuramentum promiſſorium, & comminatorium ſemper obligent ad ſui obſeruantiam, ſeu impletionem.

NOt. 1. Quòd Periurium includit duplex peccatum, ſcilicet, mendacium tanquàm materiale, & aſſumptionem

nem Nominis Dei in vanum: hoc eſt non ſolùm includit mentiri, ſed etiam irreuerentiam; & primum pertinet ad ſecundam tabulam, ſed ſecundum formaliter ad primam, quia irreuerentia prohibetur ibi. Ita Scot. in 3. d. cit. qui ibidem ſubdit, Periurium poſſe eſſe abſque mentiri, puta ſi ſimpliciter dubitans, iurat partem, de qua dubitat, quam fortè dicendo, non mentiretur, quia non habet oppoſitum in mente, aut ſaltem in aliquo caſu, vbi iurans tenetur eſſe certus, periuratur, ſi non eſt ita certus, & tamen ſi illud aſſereret ſine iuramento, credens illud plus, quàm oppoſitum, non mentiretur.

Not. 2. quòd ſicut in iuramento aſſertorio non datur paruitas materiæ, vt ſupra innuimus, ita pariter in iuramento promiſſorio non datur paruitas materiæ, quando quis primò aliquid promittit; quia, vt ait Scotus loc. cit. periurus tunc primò eſt aliquis in iuramento promiſſorio, quando habet voluntatem non implendi illud, quod legitimè iurauit, quia tunc vult primò Deum fuiſſe teſtem falſi: vndè periurium promiſſorium etiam eſt mortale, quamuis res iuramento promiſſa ſit leuis, ſi tempore iuramenti adſit intentio non adimplendi promiſſum. Quòd ſi tempore iuramenti iurans haberet intentionem adimplendi, quod iurat, & poſtea, intentione mutata, & res promiſſa ſit leuis, controuertitur à Doctoribus; An non adimplere iuramentum rei promiſſæ, ſit peccatum mortale.

I. Concl. Iuramentum promiſſorium de re leui, ſi non adimpleatur; probabiliùs videtur, non eſſe peccatum mortale ex genere ſuo. Ità tradunt D. Antonin. p. 2. tit. 10. cap. 4. Angel. verb. iurament. Sylueſt. ibidem, Sotus Archid. Roder. in ſum. cap. 176. & quamplures Recentiores.

Prob. Violatio voti circa materiam leuem non eſt niſi venialis iuxta omnes, ergò nec violatio iuramenti promiſſorij circa materiam leuem eſt niſi venialis; nam ex D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 8. maior eſt obligatio voti, promiſſorij quàm iuramenti. Confirmatur. Etenim taliter iurans non adducit Deum in teſtem falſi, quia non propriè aſſumit Deum in teſtem actualis executionis iuramenti, ſed in teſtem præſentis promiſſionis; & inſuper intentionis adimplendi promiſſum, ergò non peccat mortaliter in re leui, neque contra iuramentum, ſed potius contrà fidelitatem,

vt notat inter alios Marchant. tom. 2. Tribunal. Cæterùm
Iuramentum promiſſorium in multis nullam inducit obligationem; primò quando eſt de re illicita, quia iuramentum non eſt vinculum iniquitatis: immò rem illicitam iuramento promittere eſt peccatum graue, vel leue, prout dicta res fuerit grauiter, vel leuiter mala: 2. dum promittitur res indifferens abſolutè; hæc enim non cedit in honorē Dei, & tale iuramentum eſt peccatum veniale: 3. dum res iuramento promiſſa eſt impoſſibilis; quòd ſi talis impoſſibilitas ſit iuranti nota, erit peccatum mortale illam iurare; quia ſic eſt ſcienter Deum vocare in teſtem rei impoſſibiliter futuræ: 4. non obligat iuramentum promiſſorium de re oppoſita conſilio Euangelico, aut impeditiua maioris boni, & taliter iurantes iuxtà DD. communiter peccant ad minùs venialiter. Aduertunt tamen, quòd ſi iuramentum promiſſorium fiat in vtilitatem hominis, ſeruandum eſt, quoties ſine peccato ſeruari poteſt *Iuxta regulam iuris cap. Quamuis de pactis in 6.* Vndè iuramentum homini præſtitum de re indifferenti, vel etiam minus bona, aut impeditiua maioris boni adhuc obligat, dum cedit in ipſius vtilitatem: ratio diſparitatis eſt, quod homo illud acceptat, & impleri vult, non autem Deus; hinc iuramentum de ſoluendis vſuris, de dando pretio occiſionis alterius &c. adimplendum eſt poſt factum, quia ſine peccato adimpleri poteſt, vt alibi dictum eſt ex communi ſententia.

II. Concl. Iuramentum comminatorium eſt peccatum mortale, quando quis intendit iurare, ſed non habet animum implendi. Ratio, quia deeſt veritas de præſenti, eſt pariter peccatum mortale, quando malum, quod iurans facere proponit, eſt ex ſe peccatum mortale, vt v.g. per Deum te occidam. Verùm in multis tale iuramentum non obligat, vt quandò vel malum eſt implere, vel meliùs eſt non implere, vel eſt tam bonum implere, ac non implere, aut ſaltem quando æqualiter dubitatur; an meliùs ſit implere, vel non implere. Hinc excuſantur parentes, atque domini ad inferendas pœnas, verbera filijs, & ſeruis; etſi iurauerint filios verberare, ſeruos eijcere &c. quando iam emendatos eos vident, vel iudicant meliùs eſſe, vel eos non punire propter pacem, vel punitionem differre, & alia rationabili cauſa, ita Sayrus cum alijs. Aduertunt tamen

DD.

DD. iuramenta parentum, dominorum, & ſimilium circa ſubditorum ſupplicia, verbera &c. fieri ex paſſione iræ, & ſub ratione paruæ vindictæ, licèt verba per exagerationem ſint magna, & magnam vindictam ſignificent.

Quæres 1. An quis faciens iuramentum execratorium, credens Deum non aſſumpturum pœnas, committat periurium.

Reſp. negatiuè: quia Deus non adducitur in teſtem vltionis, ſed deſiderij vltionis infligendæ à Deo; eſſet verò periurus, qui execratoriè iuraret, & tunc malum non optaret: ita Fernandez.

Quæres 2. An iuramentum ex metu factum obliget in conſcientia. Reſp. ex D. Bonau. in 3. d. 39. q. 3. art. 2. & Aureolo ibidem; quòd iuramentum coactum ex vi, vel metu obligat in conſcientia, ſeu in foro Dei; quia cum Deus reſpiciat voluntatem interiorem, & voluntas non poſſit cogi coactione ſufficiente, ſed inducente; *& ita voluntas coacta eſt voluntas, vt habetur* 15. *q.* 1. ſequitur, quòd iure naturæ, & in foro conſcientiæ ſit obligatus. Neque ob quemcumque metum poteſt quis Deum vocare in teſtem falſi, quia hoc iniuriam facit diuinæ veracitati: in foro autem Eccleſiæ, ſeu externo, ſi fuerit metus grauis, non obligat, quia præſumitur coactè iurans, non iuraſſe voluntate implendi iuramentum; ſed potiùs euadendi periculum.

Quæres 3. An liceat petere iuramentum à periuraturo.

Reſp. eſſe peccatum mortale inducere, ſeu exigere iuramentum ab eo, qui eſt periuraturus, ſine graui cauſa. Hinc Iudex, ſeruato iuris ordine, poteſt exigere iuramentum ab eo, quem ſcit periuraturum. Item poteſt Actor exigere iuramentum à periuraturo ad ius ſuum tuendum, quia ſic vtitur iure ſuo ad firmandum, quod ab altero ſibi debetur; non tamen licet perſonæ priuatæ huiuſmodi iuramentum exigere, niſi concurrat grauis cauſa; quia petitio iuramenti, legitima cauſa facta, in ſe nihil mali continet; quòd autem alter periuret, id prouenit ex ſua malitia, quam nemo tenetur impedire cum graui ſuo damno.

Quæres 4. An, & quandò liceat iuramentum exigere ab idololatra. Reſp. Ex D. Bonau. & alijs; quando neceſſitas vrget, ſeu cauſa legitima, licitum eſt ab idololatra iuraturo per idola, iuramentum exigere. Idquè conſtat *ex Scrip. Geneſ.*

neſ. 31. Iacob exegit iuramentum à Laban, qui erat idololatra. Item 1. Machab. c. 8. Iudas exegit à Romanis idololatris iuramentum fœderis. Ratio, quia licet cum Infidelibus contractus, fœdera &c. inire, quæ iuramentis firmantur; tum quia hoc non eſt cooperari peccato illius, ſed iuſta ex cauſa petitur iuramentum, quod licitè præſtari poſſet per verum Deum, & ex malitia ſua non præſtat: reuerà tamen promiſſio iurata facta per Deos falſos non obligat, niſi ex conſcientia erronea iurantis.

Quæres 5. An promiſſio per Sanctos, Angelos, vel homines iurata obliget. Reſp. Si iuramentum fiat tantùm ob dignitatem, & auctoritatem Sanctorum abſque relatione ad Deum, non obligat ex virtute Religionis, cum non contineat cultum latriæ; obligare tamen ſub mortali ex virtute duliæ, quia fit grauis irreuerentia contra honorem duliæ Sanctis debitum, non tamen quis propriè eſſet periurus, licèt grauiter obligetur, ſi non adimpleat promiſſum.

Quæres 6. An ſit ſeparabilis obligatio iuramenti, & voti.

Reſp. ex ſua natura eſſe obligationes ſeparabiles; in quacumque enim materia, etiam religioſa, poteſt obligatio iuramenti ſeparari à voto. Regulariter tamen iuramenta pia fiunt ſimul cum voto, vt rectè aduertit Filiuc. Ratio, quia ordinariè iuramentum de actione facienda non fit ſine promiſſione; ſed in materijs religioſis, & pijs promiſſio ordinariè fit Deo; ac proinde erit etiam votum; ad hoc autem dignoſcendum attendenda eſt intentio vouentis, & ſi hæc haberi non poſſit, penſandæ ſunt circumſtantiæ, an opus iuratum fuerit intuitu diuini honoris, vel tantùm ad firmandam voluntatem ſuam, in dubio autem præſumitur pro voto.

Quæres 7. An maior ſit obligatio Iuramenti, quàm Voti.

Reſp. Si iuramentum ſit aſſertorium, maior eſt obligatio iuramenti, quàm voti: ſi verò iuramentum ſit promiſſorium, maior eſt voti obligatio: ratio eſt, quia per votum datur directè fides Deo: at per iuramentum promiſſorium tantùm adducitur Deus, vt teſtis promiſſionis factæ homini: prior autem reſpectus magìs pertinet ad honorem Dei: ita Filiuc. tract. 25. cap. 4.

Quæres 8. Quinam poſſint irritare, relaxare, diſpenſare, & commutare Iuramenta.

Reſp.

Reſp. Diſcurrendum hìc, ſicut dictum eſt de irritatione, diſpenſatione voti. Quarè breuiter dico, quòd poſſunt annullare, ſeù relaxare Superiores circà illas res, in quibus iurantes eis ſubditi ſunt. Hinc parentes filiorum iuramenta, domini ſeruorum, mariti vxorum, Papa Clericorum de rebus Eccleſiaſticis ait D. Thomas, relaxare valent, ad cuius relaxationem ſufficit ſola Superioris voluntas. Inſuper Papa poteſt diſpenſare in omni iuramento, ſi ceſſet præiudicium Tertij, & detur cauſa diſpenſandi: dicitur ſi ceſſet præiudicium Tertij; quia ſi non ceſſet, non poteſt, cum obligatio pendeat ex voluntate Tertij. Similiter Epiſcopi, & Prælati ex legitima cauſa poſſunt cum ſuis ſubditis in omni iuramento non reſeruato diſpenſare, vt v. g. iuramentum de ingreſſu Religionis, de ſeruanda caſtitate &c. Item poſſunt diſpenſare præcipuè in iuramentis coactis in pœnam cogentis alium iurare. Cæterùm de commutatione iuramenti videtur eadem ratio, ac de commutatione voti. Iuramentum tamen factum Tertio, ille ſolus poteſt commutare, adeout nec in meliùs ab alio, quàm ab ipſo commutari poſſit. Ita ex communi Fernan. p. 1. c. 5. Quando autem ceſſet iuramentum obligare, tactum eſt paulò ſuperiùs, ad quod faciunt etiam ea, quæ dicta fuerunt de ceſſatione promiſſionis non iuratæ. An verò poteſtas ciuilis poſſit relaxare iuramenta ſubditorum videri poteſt ſignanter apud Filiuc. loc. cit. cenſent enim communiter Doctores id non poſſe directè, ſed tantùm indirectè.

Addo pro coronide huius diſputationis duo quæſita ſingularia, & in praxi digna ſcitu. Primum eſt. An ſint immunes à Periurio, qui iurant in promouendo aliquos ad Ordines, ad Prælationes, ad Officia &c. licèt non ſint certi de illorum idoneitate. Secundum. An cum quis iurat ſe ſeruaturum ſtatuta certi Collegij, vel Communitatis, vel Mercatorum &c. tale iuramentum ſe extendat etiam ad ſtatuta in futurum facienda.

Reſp. ad primum ex Scoto in 3. d. 39. q. 1. §. quantùm ad ſecundum dub. Si ex lege poſitiua, vel ex conſuetudine habeatur, quòd iurans non tenetur deponere de certitudine, ſed de credulitate, quia iuramentum habetur pro credito: non autem ſimpliciter pro certo, tunc iurans non peccat, dummodo ex ſignis probabilibus coniecturet magìs

par-

partem iſtam, quàm aliam, *ſicut habetur extra de teſtimonio. & ſcrutinio in ordine faciendo cap. vnico; vbi D. Papa reſpondet etiam, quòd quantùm humana fragilitas ſinit noſcere ſcit, & teſtificatur illum ad huiuſmodi onus eſſe dignum; & dicit Papa, quòd in tale teſtificatione aliquem peccare non credimus;* In promotionibus igitur talibus, ſiue ad Ordines, ſiue ad quaſcumquè Dignitates per electiones faciendas in quibuſcumque collegijs, puta in Vniuerſitatibus ad magiſterium, in Religionibus ad prælationes, vel aliquos alios actus; ſi ſit conſuetudo approbata, quòd tales reſponſiones ſub iuramento præſtito, vel ſub fide data, vel ſub obedientia promiſſa, non debent intelligi niſi de credulitate, quantum ſinit humana fragilitas noſcere; cum illum, quem non nouit indignum debeat æſtimare dignum, omnes tales reſponſiones debent intelligi de illo ſecundùm conſuetudinem communem; & paulo inferius concludit Doctor ſic. Vniuerſaliter autem, ſiue in fauoribus, ſiue in odijs iurans de illo, cuius oppoſitum magis credit, vel de illo, de quo eſt dubius; ideſt, quod non magis aſſentit vni parti, quam alteri, peccat mortaliter, quia adducit Deum tanquam teſtem eius quod neutro modo eſt ſibi certum, quod deberet eſſe certum.

Ad 2. Reſp. Azorius ex communi ſententia, quam habent Abbas, & cæteri *in cap. Clericus de iure iur. tale iuramentum ad futura minimè trahendum eſſe, niſi iurantis mens ad futura quoque ſe ſe fundet, ac porrigat.* Sed quid ſi quis iurat ſeruaturus ſtatuta, quorum aliqua in deſuetudinem abierint? Reſpondent paſſim Doctores, non teneri, quia iuramentum interpretari debet de ſtatutis, quamdiù fuerint in more poſita; & tunc in deſuetudinem abire cenſentur, quando aut tota Communitas, aut ſaltem maior pars ea non ſeruat, ac proindè tale iuramentum interpretari oportet in hoc ſenſu; nempè iurare ſe ſeruaturos, prout ſunt in more poſita, ideſt vt à toto Collegio, vel à maiori parte ſeruari ſolent; ita etiam noſter Marchant. t. 2.

APPENDIX.

De Adiuratione.

QVid ſit Adiurare; & quos liceat adiurare. Reſp. Adiurare eſt aliquem impellere ad aliquid dicendum, vel fa-

faciendum Diuini Nominis, & honoris cauſa; ideoquè *Adiuratio eſt actus virtutis Religionis, per quam aliqua perſona inducitur imperando, aut obſecrando ad aliquid faciendum vel omittendum innocatione Diuini Nominis vel alicuius rei ſacra*: ita D. Bonau. in expoſit. Miſſæ cap. 2. & D. Thom. 2. 2 q 90. art. 1. Aſteſan. lib. 1. tit. 21. & Summiſtæ verb. Adiuratio: Dicitur aliqua perſona, quia res adiurata debet eſſe intellectualis; vt Deus, Angeli, Homines, Dæmones; dicitur imperando, vel obſecrando; quia Adiuratio alia eſt deprecatiua, alia imperatiua; prior eſt diuini Numinis obteſtatio, ſeu aſſumptio, & interpoſitio ab inferiore facta ad mouendum Superiorem, etiam Deum ipſum; *Nam adiuratione generatim accepta etiam Deum adiuramus, obſecrando illum per bonitatem ſuam: per Chriſtum, per merita Immaculata Deipara; & per Sanctos, vt canit Eccleſia in publicis orationibus; & ſic adiuratio cadit ſub præcepto Eccleſiaſtico*: Poſterior ideſt præceptiua eſt diuini Numinis obteſtatio, vt illius intuitu obſtrictus adiuratus permoueatur, & præcipienti obediat: huiuſmodi eſt Adiuratio Dæmoniorum, quæ fit ab Exorciſta circa energumenos, ſeu obſeſſos à Dæmone; nam exorcizo ethymologice idem eſt, quòd adiuro; & Exorciſta, Adiurator: Hæc autem adiuratio; poteſt eſſe comminatoria, & execratoria; videlicet niſi obediat, niſi fecerit dæmon quod ei præcipitur, imprecando illi punitionem, & vindictam; optando, vt habeat Deum iratum, vindicem ſentiat &c. velut reus temeratæ religionis, ac diuinæ vilipenſionis.

Inſuper alia eſt Adiuratio expreſſa; & eſt quando fit per obteſtationem, ſeu aſſumptionem Dei in ſe, vel in ſuis attributis: v. g. *Adiuro te per Deum viuum Matt. 26. per bonitatem, prouidentiam diuinam &c.* Alia eſt implicita, quæ fit per creaturam, prout in ipſa relucet ipſa diuina bonitas; ſicut enim iuramentum per creaturam Dei fit; ita etiam adiuratio, *vt e. g. adiuro te per Euangelium Chriſti. Item Cant. 2. & 3. Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas, ceruoſquè Camporum &c.* Cæterùm quando ſol, aqua, nec non aliæ res inſenſatæ exorcizantur, vel adiurantur, ipſa adiuratio propriè dirigitur ad naturam intellectualem, nempè Deum, vt virtute ſua ijs rebus, & earum vſibus aſſiſtat; vel ad dæmonem, vt ab ijs abſcedat, & per eas nocere non præſumat. De his omnibus dat rationem Aſteſanus: quia ſicut homo per iuramen-

tum

tum ſeipſum determinare poteſt ad aliquid agendum, vel patiendum, ita etiam poteſt alios inducere: Superiores quidem deprecando, inferiores autem imperando; quòd ſi non ſubditum adiuret, iniuſte ſibi vſurpat poteſtatem, *Vt fecit, Princeps Sacerdotum adiurando Chriſtum Matt. c.* 26.

DISPVTATIO IV.

De vitijs oppoſitis Religioni.

QVÆSTIO I.

De Superſtitione.

NOt. Quòd religioni opponuntur duplici ratione vitia ei contraria, quædam enim ei opponuntur per exceſſum; & hæc reducuntur omnia ad commune genus ſuperſtitionis; quædam vero per defectum; & hæc continent irreligioſitatem ac proindè ad genus irreligioſitatis ſpectant; vndè Irreligioſitas nil aliud eſt, quàm contemptus, ſeu neglectus diuini cultus: Vitia autem oppoſita Religioni per exceſſum præcipua ſunt Superſtitio, Magia, Diuinatio, tentatio Dei, Simonia, Sacrilegium, Blaſphemia, &c. de quibus breuiter agam, paucis plura perſtringendo; cum hæc tertia Pars iam nimis excreuerit.

I. Concl. Superſtitio, quæ etymologicè eſt vanus ſuperſtantis numinis cultus, ſic quoad rem deſcribitur: *Eſt falſa Religio exhibens cultum Deo falſo; vel Deo vero cultum indebitum*; non quod Deus poſſit nimium coli; vel maiori cultu, quàm mereatur (cum dignus ſit infinito cultu coli) ſed quia colitur cultu à vero cultu alieno. Vel quia colitur numen falſum. Quare Superſtitio alia eſt cultus indebiti, alia ratione rei cultæ: prior eſt quando exceditur quoad modum colendi tantùm, vt cum Deo tribuitur cultus non conformis Eccleſiæ praxi, aut præſcripto, v. g. colere Deum per ceremonias legis antiquæ, exhibere cultum falſis reliquijs ac ſi eſſent veræ; item fingere miracula, reuelationes &c. quæ omnia ex ſuo genere ſunt mortalia; neque datur in Superſtitione paruitas materiæ; etſi ex parte actus indeliberati, vel ignorantiæ, & ſimplicitatis poſſit eſſe peccatum

veniale tantùm: Similiter eſſet cultus ſuperfluus, & vanus nolle audire Sacrum niſi poſt ſolis ortum, aut niſi in tali Altari &c. Poſterior ſuperſtitio, hoc eſt ratione rei cultæ eſt dum colitur falſus Deus pro vero; quæ inſuper diuiditur in Idololatriam, Diuinationem, & vanam obſeruantiam: vnde ſit.

II. Concl. Idololatria eſt cultus, quo colitur creatura loco Dei, etſi latè ſumatur interdum pro omni peccato, quo ſenſu *Apoſtolus ad Epheſ. c. 5. auaritiam vocat idololatriam. Diuinatio eſt notitia diuina vſurpatio ope Dæmonis ad hoc inuocati expreſsè, vel tacitè, ſeu implicitè;* inuocatur autem dæmon expreſsè, quando mente, corde, vel vocibus, ſeu verbis rogatur vt Deus, vt Angelus: aut quando expreſſa intentione fit aliquid, vt dæmon ſe immiſceat. Inuocatur autem implicitè, quando non rogatur verbo, nec facto expreſſo, ſed tacitè vtendo medijs nullam virtutem, aut vim habentibus naturaliter, neque ex inſtituto diuino, vel Eccleſiaſtico; ſed ſolo dæmoniaco; & dicitur Diuinatio, quia eſt diuina actio, & ſoli Deo conuenit ſcientia futurorum contingentium; nec non præteritorum, & occultorum præſentium, eſtò etiam Angeli mali præſentia occulta, & præterita noſcant, aut nouerint, vt ſatìs oſtenſum eſt in part. 2. tract. de Angelis diſp. de cognit. angel. vbi etiam aliqua dicta ſunt de Mathematicis; de quibus etiam in tract. de actibus humanis; & in append. de cæteris operibus ſex dierum, & de Aſtrologia iudiciaria ibidem. Diuinatio autem tribus modis præcipuè fieri poteſt, nempe per aſtra, per ſortes, & per ſomnia: primo modo ſpectat ad aſtrologiam: 2. ad Sortilegos, vndè *Sortitio eſt actio facta eo fine, vt, illius euentu ſpectato, innoteſcat aliquid occultum, vel dubium*: v. g. quid tibi competere debeat, & tunc eſt ſors diuiſoria: vel quid hic, & nunc agere oporteat, & tunc eſt conſultoria: vel quid futurum ſit, & eſt ſors diuinatoria. Omnis talis ſors eſt illicita, ſi euentus expectetur à Dæmone explicitè, vel implicitè. Diuiſoria tamen eſt licita ſi expectetur euentus à ſolo caſu, vel à Deo, iuxta illud Prouerb. 16. *Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur*. De 3. ideſt de Somnijs patet quid ſit dicendum; quia vel ſunt à cauſa naturali; vel à Dæmone, vel à Deo immiſſa; naturalibus ſomnijs ſæpè ſe immiſcet Dæmon; ideoquè nulla fides eſt eis præſtanda

quoad contingentia, præterita, futura, & etiam præſentia in ordine ad diuinationem occultorum; reſtat igitur à ſomnijs naturalibus naturales qualitates temperamenti licere tantùm arguere.

III. Concl. Vana obſeruantia *eſt, qua aliqua fiunt ad obtinendum id, quod nec à natura nec à Deo ſunt ordinata:* & eſt triplex. Prima eſt: *Ars notoria, qua quis credit aſſequi ſcientiã abſq; ſtudio, inutili medio adhibito* v. g. figurarum inſpectione, ignotorum verborum prolatione, ieiunio; ſi formalis ſit eſt peccatum mortale &c. 2. eſt obſeruantia ſanitatum, qua adhibetur aliquid inane, & inutile ad obtinendum ſanitatem; An verò medicamentum, quod vocant ſympaticum: v. g. quodam puluere uis medetur aliquod pannum ſanguine perfuſum, vel gladium adhuc ſanguinolentum, ſit vana obſeruantia, non eſt certum; Siquidem, vt aduertit noſter Ignatius Lupus in comment. ſuper edicta Inquiſ. id non eſt deciſum; quàmuis ſententia communior huiuſmodi medicamentum eſſe ſuperſtitioſum aſſerat: 3. obſeruantia eſt euentuum, qua ex conſideratione alicuius euentus conijcitur aliud omnino independens euenturum, puta aduerſitatis, vel proſperitatis: v. g. ſi quis iter cœptum abrumpat regrediendo domum, repetendo lectum &c. quia ſibi occurrit lepus, pes impactus; vel perſona aliqua &c. & hæc obſeruantia ex genere ſuo eſt peccatum mortale; quia in ea eſt inuocatio tacita, vel expreſſa Dæmonis, ſi ſit formalis: iuxta illud Pſal. 38. *Odiſti obſeruantes vanitates ſupernacuè, ego autem in Domino ſperaui.*

IV. Concl. Magia alia eſt naturalis, alia ſuperſtitioſa: prior *eſt ſcientia operandi mira per cauſas naturales occultas abſquè vlla Dæmonis ope;* & hæc non eſt de ſe mala, periculoſa tamen ob nimiam curioſitatem, & facilem lapſum in ſuperſtitiones: poſterior; *eſt ratio operandi mira ope Dæmonis per ſigna ab eo inſtituta;* mira quidem, ideſt extraordinaria habentia cauſam ignotam, non verò miraculoſa; ſolus enim Deus facere poteſt vera miracula. *Si hæc Magia ſuperſtitioſa referatur ad noxam, vocabitur veneficium, vel maleficium; vndè maleficium eſt inuocatio Dæmonis ad miri, ac noxij operis patrationem,* duplex autem eſt maleficium; nempe amatorium excitans amorem carnalem, vel odium, Dæmone phantaſiam hominis commouente, & immutante; *& veneficium eſt, quo homini, aut alijs*

animalibus nocumentum corporale infertur. Maleficium an liceat tollere cum intentione adiurandi maleficiatum, eſt quæſtio truffatica; inquit Scot. 4. d. 34. q. vn. ſ. hic primò. Non enim ſolùm licet, ait Doctor, ſed eſt meritorium deſtruere opera Diaboli; nec in hoc eſt aliqua infidelitas, quia deſtruens non acquieſcit operibus malignis, ſed credit Dæmonem poſſe, & velle fatigare, dum tale ſignum durat, & deſtructio talis ſigni imponet finem tali vexationi. Itaque licitum eſt maleficij ſigna magica deſtruere, ad abolendum pactum Dæmonis, ad illum contemnendum ad impediendam Dei offenſam, immò ad conſequendam ſanitatem, vtquè Dæmon deſinat nocere; ita communis ſententia, confirmata per Rituale Romanum Pauli V. Inſuper poſſet maleficus rogari, vt ea tolleret, dummodo id poſſet ſine nouo peccato; quòd ſi maleficus ex ſua malitia illud tolleret nouo maleficio, ſine quo primum deſtruere valeret; & eius malus animus non ignoraretur; adhuc peti poſſet primi maleficij deſtructio, quia cum habeat ius petendi quod ab alio rectè præſtari poteſt, & in ſe eſt omninò indifferens, imputandum eſt eius malitiæ, ſi quid mali fiat; Non tamen peti poteſt curatio morbi ab eo, quem ſcit, non poſſe licitè illum curare; quia, vt ait Scilder cum alijs, vix vnquàm adiri poteſt vllus maleficus præter eum, qui maleficium poſuit; quia alius ignorans vbi poſitum ſit, non valet illud tollere, niſi per nouum maleficiũ. Nequè licet à Dæmone expectare effectum ex pacto, amicitia, aut ſocietate cum eo; ſed ſolùm à Deo; vel à cauſa naturali, immò & ab ipſo Dæmone coacto diuina poteſtate.

V. Concl. Tentatio Dei eſt *dictum, vel factum ad capiendum de Deo experimentum per effectum extraordinarium, ab eo temerè expectatum; nimirum de Deo, eiuſquè attributis, prouidentia ſcilicet, potentia; per extraordinarium effectum, nempe productum contra ordinem rerum curſum, aut miraculoſum: temerè, ideſt abſque iuſta, & rationabili cauſa expectatum*. Tentatio alia eſt formalis, & expreſſa, vt ſi quis aliquid facit, vel petit expreſsè eo animo, vt experiatur Dei potentiam &c. v. g. ſi quis vellet concionari ſine vlla præparatione præcisè, vt experiatur Dei prouidentiam erga ſe. Alia eſt implicita; ſeu interpretatiua tantùm, vt ſi quis faciat, vel petat aliquid, quod ex ſe referri videtur ad aliquam Dei perfectionem probandam; ſi-

ne animo tamen expreſsè Deum tentandi, puta ſi quis grauiter laborans nolet vti medicinis, ſperans à Deo immediatè ſanari. Prior ex ſuo genere eſt mortalis ob dubitationem circa perfectiones Dei; quia grauem iniuriam, & irreuerentiam inuoluit. Poſterior ſæpè à mortali excuſatur; ſi abſit dicta dubitatio; quia plerumquè oritur, vel ex ſimplicitate, vel ex deuotione; & ſpe, quam fidelis reponit in Sanctorum interceſſione, & Dei bonitate &c.

QVÆSTIO II.

De Sacrilegio; & Blaſphemia.

NOt. Quòd ſpecies irreligioſitatis, quæ per defectum opponuntur Religioni ſunt tres; nempe Sacrilegium, Periurium, & Simonia; & ad periurium reduci poteſt Blaſphemia; ſiquidem Blaſphemia, cum ſit verbum maledictionis, conuitij, vel contumeliæ in Deum, directè opponitur laudi Dei, quæ conſiſtit in quadam manifeſtatione alicuius excellentiæ cum affectu voluntatis: Igitur breuiter agendum hic de Sacrilegio, & Blaſphemia; & in ſequenti quæſtione de Simonia.

I. Concl. Sacrilegium *eſt violatio rei ſacræ: ita Gloſ. cap. omnes Eccleſiæ* 17. *q.* 4. D. Thom. D. Bonau. & omnes Theologi. Per rem autem Sacram intelligitur quælibet res creata, quæ ratione ſpecialis dedicationis ad Deum effecta eſt ſacra, & illius violatio dicitur quælibet irreuerentia illi facta. Vndè quia res, quæ ſpecialiter Deo ſunt dicatæ, ſunt in triplici genere; ideoquè triplex eſt Sacrilegium; nempè contra perſonam, contra locum, & contra res aliàs diuino cultui dicatas; *ita Canoniſtæ cap. Sacrilegium* 17. *q.* 4. hinc patet, quòd tempus ſacrum continetur ſub genere rerum ſacrarum. Itaque primum Sacrilegium eſt contra perſonam; vt ſi Clericus percutiatur, vel violetur eius forum, vel immunitas à tributis, vel votum perſonale caſtitatis. Secundum contra locum ſacrum; vt ſi polluatur occiſione hominis, effuſione humani ſeminis, ſanguinis, ſepuitura excommunicati, vel non baptizati. Item ſi vſurpetur tanquam locus communis faciendo in eo mercatum, furtum. Item faciendo contra eius immunitatem; vt eſſet Eccleſiam infringere, extrahere

per-

perſonam; quæ ibi velut in Sacro aſylo manet; Inſuper furtum facere, quòd nonnulli limitant, quando res ablata eſt quaſi ſub iure, & poſſeſſione Eccleſiæ, videlicet, quia illi tradita ſit, vel ad cuſtodiam vel in pignus, vel alio modo depoſita; communis tamen ſententia, teſte Filiuccio, ſine limitatione loquitur,& aſſerit, quodcumque furtum,etiam pecuniam ablatam à perſona priuata, quæ ſit in Eccleſia, eſſe ſacrilegium. Tertium eſt contra res ſacras; vt abutendo Sacramentis, vel ea indignè tractando, profanando vaſa Sacra, & ornamenta, violando Imagines, abutendo Scripturis ad errores confirmandos; & non ſoluendo decimas. Talis autem diuiſio ſacrilegij in tres ſpecies cenſetur eſſe in ſpecies non vltimas, & atomas, ſed ſubalternas: & differunt inter ſe formaliter ob diuerſam habitudinem, quàm dicunt ad ſanctitatem.

II. Concl. Blaſphemia *eſt verbum maledictionis, vel contumelia in Deum, vel Sanctos eius; fit autem, vel tribuendo Deo, quod illum non decet; vel auferendo quod illi conuenit; vel tribuendo creaturæ quod ſoli Creatori competit; & diſtinguitur ab Impietate, quæ eſt dictum, vel factum contumelioſum Dei honori, aut Sanctorum eius.* Cæterùm multis modis diuidi ſolet Blaſphemia: primò ratione ipſius verbi contumelioſi, quod in Deum profertur; & ex eo oritur triplex blaſphemia explicata; nempe, vel aliquid aufertur, vel aliquid tribuitur Deo &c. vel creaturæ &c. 2. diuiditur ratione locutionis, ſeu formæ loquendi; & ſic tribus modis contingit: primò per modum enunciationis dicendo: *Deus non eſt iuſtus; non eſt bonus*: 2. per modum deteſtantis, optantis, vel imperantis, vt ſi quis dicat: *Sit miſer Deus, ſit maledictus*: 3. per modum irridentis; *Vt vah qui deſtruis templum Dei*. Tertiò diſtingui ſolet ratione obiecti; & ſic vel eſt in obiectum increatum, vel in obiectum creatum, quatenus eſt aliquid Dei, & ad Deum refertur, vt Sancti, & aliæ creaturæ rationales, vel irrationales: quatenus in illis relucet Deus, vel Dei bonitas. Quartò denique ratione grauitatis diuiditur in hæreticalem, & ſimplicem, ſeu non hæreticalem. Prior eſt, quæ hæreſim, ſeu falſitatem contra fidem formaliter, aut virtualiter continet; qualis eſt in primis omnis blaſphemia enunciatiua, ideſt affirmans, aut negans aliquid de Deo, quod fides docet: vel etiam tribuendo creaturæ, quod ſoli Deo conue-

nit: Deindè omnis blaſphemia, quæ continet nomina conuitij Deo attributa; *Vt ſi quis nominet Deum iniuſtum, ignorantem &c. virtualiter quidem ſi non expreſſè affirmatur quod profertur, vt ſi dicatur al diſpetto di Dio*. Denique ſunt blaſphemiæ, quæ ſolent proferri his verbis. *Non credo in Deum, abnego Deum, & omnes æquiualentes*.

Poſterior autem ideſt ſimplex Blaſphemia dicitur illa, quæ non formaliter, nec virtute continet falſitatem contra fidei veritatem, quales ſunt omnes eæ, quæ proferuntur modo optatiuo, vel imperatiuo, vel imprecatiuo: Similiter quæ fiunt nominando aliquid, quod reperitur in Deo verè, ſed per modum contumeliæ, & irriſionis; in his enim eſt tantùm falſitas quædam practica, non ſpeculatiua, quæ non opponitur Fidei. Cæterùm aduertendum, quòd non omnis blaſphemia etiam hæreticalis eſt contra fidem; quia non omnis coniungitur cum interiori aſſenſu falſi: Siquidem poteſt quis deliberatè velle dicere aliquid falſum, vt Deum eſſe iniuſtum, partialem, abſque eo, quòd ita ſentiat; tunc igitur eſt contra fidem, quando non tantùm ore quis profert verba, quæ ſignificant à fidei dogmatibus diſſenſum, ſed etiam diſſenſu interiori; non credendo id, quod de fide eſt credendum. Blaſphemiæ non hæreticales reducuntur ad duo capita, vt notat noſter Moronus reſponſ. 95. n. 31. Primum eſt earum quibus aliquod malum Deo, & Sanctis imprecatur: Secundum eſt illarum, quibus aliquid indecorè, & inhoneſtè de Deo, vel de Sanctis nominatur. Ad primum iſta reducuntur: *Tædeat Deum, Deum pœniteat, ſit maledictus Deus. Item ſi dicatur: Velit, nolit Deus, hoc faciam; inuito Deo hoc faciam: al diſpetto di Dio:* quia ſic ſaltem derogatur diuinæ omnipotentiæ; immò, vt modò dicebamus, quidam volunt eſſe blaſphemias hæreticales non quidem formaliter, ſed virtualiter: item ſi dicatur, nego D. Petrum; D. Franciſcum &c. putant plures Doctores non eſſe hæreticales, ſed ſimplices; alij autem cenſent eſſe hæreticales, quia canonizatio Sanctorum videtur eſſe de fide, vt oſtenſum eſt in diſp. de Pontif. q. 5. ac proindè huiuſmodi propoſitionibus negatur aliquid de fide: An verò ſint blaſphemiæ illa verba. *Pentaſi, mal habbia, ſia maledetto, non exprimendo Deum, nec aliquem Sanctum*; Sanchez cum alijs ait, pendere ex intentione proferentis. Similiter ſi dicatur: *Puttana*

zana di Di, & poſt aliqualem ſuſpenſionem di Dio bacco ab intentione pendet.

Ad 2. caput reducuntur, quæ indecorè, & inhoneſtè Deum nominant; vt ſi quis irriſoriè dicat: *Deum ſapientem, iuſtum &c. Item iuramenta per pudenda Chriſti, B. Virginis, Sanctorum;* nam tali modo indicatur Chriſtum eſſe contemptibilem, & deſpicabilem ob illa membra: Verùm iurare per membra honeſta Chriſti, puta per caput, per corpus, per ſanguinem; vel dicendo Chriſto ſagrato; nonnulli graues Doctores apud Farinac. lib. 1. prax q. 10. exiſtimant eſſe blaſphemias; alij autem probabiliùs aſſerunt non eſſe; quia poſt incarnationem nomen Dei ſumitur etiam pro Chriſto, poteſt tamen aliunde eſſe peccatum mortale, quia fit grauis irreuerentia Deo, & Chriſto talia nominare execratiuè; & contemptibiliter; Itaquè quotieſcumq; nominatur Deus, vel aliquid Dei: Sanctus, vel aliquid Sancti inhoneſtè, indecorè, contumelioſè, eſt blaſphemia, & conſequenter ſemper peccatum mortale, ratione tamen actus indeliberati poteſt eſſe veniale, quia, vt paſſim tradunt Doctores, non datur in blaſphemia paruitas materiæ. Præterea notant multi, quòd, quando in rixa, vel alio ſimili caſu nominatur nomen Dei iurando, *vel per vitam Dei, vel per ſanguinem Chriſti cum quodam ſigno indignationis non ſolùm contra homines, ſed etiam contra Deum; puta eleuando oculos in Cœlum, eſſe blaſphemias.* Maledicere autem creaturas tam rationales, quàm irrationales, vt creaturæ ſunt, ad ſummum eſt peccatum veniale, niſi fiat ex odio ad nocendum tertio; *dicendo ti venga la peſte; ti poſſa rompere il collo &c.* ſi tale malum eis deſideret eſt peccatum mortale; ſecùs ſi ex ira, vt fieri ſolet, proferantur, abſquè malo animo.

Quæres. An omnes blaſphemiæ ſint eiuſdem ſpeciei.

Reſp. blaſphemiæ hæreticales ab illis, quæ non ſunt hæreticales indubiè ſunt diuerſæ ſpeciei; at blaſphemiæ omnes non hæreticales iuxta probabiliorem ſententiam ſunt eiuſdem ſpeciei, quia in illis eſt vna ratio formalis derogando diuinæ excellentiæ; licèt ſit quædam varietas materialis. Immò etiam blaſphemia contra Sanctos quatenus in illis maledicitur Deus videtur eſſe eiuſdem ſpeciei cum illa, quæ eſt contra Deum; in confeſſione tamen debet exprimi, vt inter alios aduertit Filiuc. tract. 25. cap. 1. an Blaſphe-

phemia fuerit prolata in Deum, vel in Sanctos; quia in hoc duplex malitia adeſt, & contra Deum, & contra Sanctos honore dignos.

Quæres. Quid cenſendum de conſuetudine blaſphemandi. Reſp. Si deſit aduertentia plena, & ex ea oriatur blaſphemia; etiamſi conſuetudo adſit blaſphemandi, non eſt peccatum mortale, vt de iuramento dictum eſt cum Scoto, & alijs: tunc autem erit peccatum mortale, quando talis conſuetudo eſt coniuncta cum voluntate blaſphemandi directa, vel indirecta, ſeu interpretatiua; puta ſi quis non tollit occaſionem ludendi, vndè ſolet prorumpere in blaſphemias. De correctione blaſphemantis, & denunciatione patet ex dictis alibi.

APPENDIX.

De Faſcinatione, & Incantatione.

AN Faſcinatio ſit poſſibilis, & qualiter fiat. Reſp. ex noſtro Richardo de Mediauilla quol. 12. vbi ex profeſſo de Faſcinatione agit, quòd Faſcinatio eſt ludificatio ſenſuum, quæ quidem ludificatio ſi fiat per artem magicam, ſeu ſuperſtitioſam, à Dæmone fit, vel ope Dæmonis, & de hac Faſcinatione poteſt exponi illud ad Galat. *O inſenſati Galathæ: vbi gloſſa; ſicut magicis ludificantibus aliter, quàm oculis hominum oſtenduntur, quàm ſint &c.* ſi autem fiat per cauſam naturalem; tunc non eſt ſuperſtitioſa, & in hoc ſenſu *Faſcinatio eſt immutatio ad malum facta in corpore alicuius aſpicientis:* Difficultas autem eſt, qualiter Faſcinatio fieri poſſit. Auicenna lib. 6. natural. dicit. Multoties autem anima operatur in corpore alieno, ſicut in proprio, quemadmodùm eſt opus oculi Faſcinantis, & æſtimantis operantis in me, cum anima fuerit conſtans nobiliſſimis principijs, obediet ei materia, quæ eſt in mundo, & patietur ex ea, ſed hæc opinio reprobatur, quia, vt inquit Rich. plura continet contra Fidei veritatem; vt clarè conſtat. Vndè hoc modo, nempe quòd homo per naturalem virtutem animæ ſuæ poſſit pro ſua voluntate talem imaginationem in ſuis oculis facere, qua mediante ipſius Animæ tranſmutatione poſſit corpus huius hominis, quem aſpicit, in aliquam malam tranſ-

tranſmutare qualitatem, prout ſibi placuerit, hoc modo, inquam, non eſt poſſibilis, cum nc Angelis quidem inſit talis facultas, vt oſtenſum eſt in tract. de Angelis; igitur modus poſſibilis, & naturalis eſt. Siquidem poteſt interdum contingere, quòd homo, vel mulier aſpiciens corpus alicuius pueri moueat ipſum mediante viſu, & imaginatione, vel aliqua paſſione ſenſibili, & quia paſſio ſenſibilis eſt cum quadam immutatione corporali, & oculi ſunt tenerrimi, ideoquè ſunt impreſſionis multùm receptiui; idcircò interdùm contingit, quòd per aliquam paſſionem interiorem tranſmutantur oculi in aliquam malam qualitatem, maximè cooperante ad hoc aliqua imaginatione, cuius impreſſio citò redundat in oculos, & ob eorum teneritudinem, & vicinitatem radicis ſenſuum particularium ad imaginationis organum; oculi autem ſic tranſmutati in qualitatem nociuam contingere poteſt, quòd tranſmutent aerem ſibi contiguum in aliam qualitatem malam, & illa pars aliam, & ſic vſquè ad aerem contiguum oculis pueri, qui aſpicitur, idquè experientia comprobatur hominis patientis in oculis, qui ſuo intuitu lædit oculos eum aſpicientis, quia mala qualitas inficit medium, & aer infectus inficit oculos directos ad oculos infirmi. Mulier pariter menſtruis laborans inſpiciens in ſpeculo, fit ſuperficies ſpeculi velut nubes ſanguinea, quam quidem maculam à ſpeculo nouo non eſt facile abſtergere, etſi ſecùs à vetere. De incantatione eodem ferè modo diſcurrendum eſt, dicit enim Aſtenſ. lib. 1. tit. 15. cum Thom. quòd incantationes ſerpentum, vel aliorum animalium, ſi reſpectus habeatur tantùm ad verba S. & virtutem D. non ſunt illicitæ, ſed plerumquè habent illicitas obſeruantias, & per Dæmones ſortiuntur effectus, & præcipuè in ſerpentibus. Quod autem dicitur in Pſal. *Sicut aſpides ſurdæ &c.* vide Interpretes.

QVÆSTIO III.

Vtrum Simonia ſit peccatum mortale.

NOt. 1. Quòd Simonia eſt vitium contra virtutem Religionis, conſiſtens in Rerum ſacrarum indigna tractatione, non qualibet (varijs enim modis indignè tracta-

ri poſſunt) ſed qua res ſacræ tanquàm profanæ æſtimantur, & in contractus deducuntur. Solet autem ſic definiri: *Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi, vel vendendi pretio temporali aliquod ſpirituale, vel ſpirituali annexum: ita gloſſa in cap. Qui ſtudet* 11. *q.* 1. eſtquè communiter recepta; nomine autem emptionis, & venditionis intelligitur omnis contractus non gratuitus, quales ſunt etiam permutationes, tranſactiones, & redemptiones vexationum. Pretium autem temporale ſolet diſtingui in tria deſumpta *ex cap. Saluator diſt.* 1. *q.* 3. nempè in pretium muneris à manu; puta pecunia, veſtis, & quæcumque res pretio æſtimabilis; muneris à lingua, vt laus, vituperatio, patrocinium; commendatio apud Principem &c & muneris obſequij, vt inſeruire pro retributione in miniſterijs temporalibus; famulari &c. hinc patet, nullam committi Simoniam, dum aliquid retribuitur, vel accipitur ex gratitudine abſque vlla prorſus obligatione, vel debito.

Not. 2. Quòd Simonia diuiditur in mentalem, conuentionalem, & realem; mentalis eſt dum quis exteriùs non manifeſtat ſuam prauam internam voluntatem accipiendi, vel dandi aliquod temporale pro ſpirituali tanquàm pretio: Conuentionalis eſt, dum quis in pactum exteriùs deducit abſque tamen executione reali. Realis denique, quando ex vtraque parte dictum pactum adimpletur, vno nimirum conferente rem ſpiritualem, & altero de facto ſoluente pretium iam promiſſum: His tribus Simoniæ ſpeciebus nonnulli addunt, quartam, quam vocant Simoniam confidentiæ; & eſt, dum quis cum eo, cui Beneficium confert, contrahit vt idipſum ab eo alteri conferatur. Inſuper Simonia alia eſt iuris diuini naturalis; & tunc committitur; vbi res pure ſpiritualis venditur, emitur &c. Alia eſt iuris canonici: ſeu humani, & committitur in venditione, & emptione rerum, quæ quidem per ſe, & ſecluſa lege Eccleſiaſtica, ſunt vendibiles; eſtò per eam legem inuendibiles factæ ob reuerentiam rei ſacræ annexæ, de quibus clariùs infra.

Concl. Simonia eſt ſacrilegium; mortale peccatum ex genere; adeò vt in Simonia iuris diuini non admittatur paruitas materiæ. Prob. ex S. Scrip. Actorum c. 8. vbi ob eam Simon magus (à quo hoc vitium dicitur Simonia) à S. Pe-

tro

tro grauiter condemnatur. Immò etiam in veteri lege tale vitium damnatur, vt conſtat *ex lib. 2. Reg. vbi Gezi famulus S. Eliſai ob hoc graue vitium lepra à Deo percuſſus eſt*: hinc Matt. præcipit Saluator c. 17. *Gratis accepiſtis, gratis date*. Suffragatur etiam euidens ratio. Quia vendit, quòd non eſt venale; res enim ſpiritualis, etiam minima, in ſuo genere excellit pecuniam, & omne temporale. Tum quia vendit quis quod ſuum non eſt, nam homo eſt diſpenſator rerum ſpiritualium, & non dominus; ac proindè peccat contra Religionem, & etiam contra iuſtitiam proximi interdum poteſt peccare; puta ſi Parochus, qui obligatus eſt ex iuſtitia talem actionem miniſtrare, eam vendat; ſimiliter ſi quis Agnos Dei benedictos, calices &c. pluris, quàm valeat materia laborata, vendat, & tenetur ad reſtituendum illud plus.

Confirmatur ex iure can. pluribi; & ſignanter 1. *q. 1. per totam prohibetur; & damnatur Simonia*; ergo &c. Cæterùm, quòd in Simonia non detur paruitas materiæ patet; quia cum quælibet res ſpiritualis, etſi minima, includat in ſe quicquid exigitur ad eſſe ſpirituale, perinde ac ſi eſſet res magna, conſequens eſt, quòd etiam imbibat totam rationem formalem Simoniæ. Sed quodnam grauiùs peccatum Gezia, an Simonia? hoc eſt vendere, aut emere ſpiritualia? dicendum cum Richardo in 4. & Toleto, quòd Gezia maior eſt, quàm Simonia, quia ſi non eſſet qui venderet, nec eſſet, qui emeret, dicitur autem non Gezia, ſed Simonia, quia vt notat Richard. in 4. Simon magus intendebat non ſolùm emere, ſed etiam vendere.

QVÆSTIO IV.

Quænam ſunt propriè res ſpirituales non venales.

NOt. Quòd duo ſunt genera rerum ſpiritualium; alterum naturalium, quæ nimirum à nobis naturaliter acquiri poſſunt; vt ſunt ſcientiæ, & virtutes humanæ; immò etiam ſcientia theologica, licèt enim innitatur principijs ſupernaturalibus; attamen ſcientia propriè theologica ſtudio, & labore comparatur: alterum, eſt ſimpliciter ſupernaturalium; *ſpirituale namquè hìc ſumitur prout eſt quid ſupernaturale, ad ſalutem animæ ordinatum, vt ſunt virtutes theologicæ; Sacramen-*

menta, & eis annexa. Verùm ſpiritualia ſupernaturalia diſtinguuntur primò in ijs, quæ ſunt à ſolo Deo immediatè creata, vel inſtituta, & in ijs, quæ ſunt inſtituta ab Eccleſia: Priora ſunt in triplici differentia; nempe ſpiritualia eſſentialiter, vt Gratia, & Virtutes ſupernaturales, ſub quibus comprehenduntur alia ſpiritualia dona, qualia ſunt dona Spiritus S. & gratiæ gratis datæ, ſpiritualia cauſaliter, qualia ſunt Sacramenta, quæ, licèt ſint materialia, ſunt tamen à Deo inſtituta, vt ſint cauſa gratiæ, & donorum ſupernaturalium: deniquè ſpiritualia effectiuè, hoc eſt, vt effectus, vel vſus doni, ac poteſtatis ſpiritualis ſupernaturalis, v. g. prophetare, facere miracula, Sacramenta adminiſtrare, excommunicare, abſoluere, exorcizare, diſpenſare vota, benedicere &c. Spiritualia verò ab Eccleſia ſunt illa, quæ dicuntur ſpiritualibus annexa, idquè, vel propriè: & hoc tripliciter, primò antecedenter, ideſt præcedendo ſpirituale, tanquam quid ordinatum ad illud, vt ſunt calices, veſtimenta, & vaſa ſacra: item iuſpatronatus præſentandi clericum ad beneficium, ius ſepulturæ Eccleſiaſticæ, quo acquiruntur ſacrificia, orationes, ac bona ſpiritualia: 2. concomitanter, vt labor in adminiſtratione ſacramentorum: 3. conſequenter, vt beneficia Eccleſiaſtica, quatenus dicunt ius ad prouentus Eccleſiaſticos, præſupponunt enim titulum, ſeu officium ſpirituale: vel dicuntur annexa impropriè, & ſic ſunt officium Sacriſtiæ, œconomi Eccleſiæ, & ſimilia.

Concl. Res omnes ſpirituales ſupernaturaliter, & inſuper omnia ſpiritualia annexa vendi non poſſunt ſine peccato Simoniæ. Ratio primæ partis allata fuit in ſuperiori quæſtione. Prob. igitur quoad 2. partem. Etenim ſpiritualia annexa, quatenùs benedicta, conſecrata contrahunt ſpiritualitatem quandam ſupernaturalem; ergo &c. Quare licèt annexa antecedenter vendi poſſint ſecundùm quod ſunt materialia, ſeu temporalia præcise, v. g. materia calicis conſecrati, fundus cœmiterij, prædium habens iuſpatronatum annexum, attamen, quatenus ſunt ſpiritualizata vendi nequeunt, immò quædam etiam materialia prohibentur vendi *cap. placuit* 1 *q.* 1. *vbi vetatur expreſsè venditio Chriſmatis, & implicitè aliarum materiarum ſacramentalium benedictarum, ne ſub earum prætextu Sacramenta ipſa venalia eſſe cenſeantur.*

tur. Neque annexa concomitanter, aut conſequenter vendi poſſunt, quia in illis non poteſt vendi temporale ſine ſpirituali. Siquidem in annexis concomitanter ipſa actio eſt ſacra, & labor intrinſecus eſt actioni, eiquè intimè coniunctus, ac proinde illius intuitu non poteſt accipi temporale per modum pretij, poteſt tamen per modum ſuſtentationis: *iuxta illud Apoſt. 1. ad Cor. c. 9. qui Altari deſeruiunt cum Altari participant, & Dominus ordinauit ijs qui Euangelium annuntiant de Euangelio viuere*: in annexis conſequenter pari ratione vendi non poteſt temporale abſquè ſpirituali, quia ab eo dependet, & in eo fundatur.

Cæterùm pro maiori claritate, & ampliori doctrina obſeruandum, quòd in Beneficio Eccleſiaſtico duo conſiderantur, nempe Clericatus, & titulus beneficij, ſeu præbendæ: Clericatus præſupponitur, eiquè annectitur beneficium, & nemo eſt capax alicuius Eccleſiaſtici beneficij, niſi ſit ſaltem Clericus. Clericatus autem eſt quid ſpirituale à Deo inſtitutum, & eſt prorſus inuendibile. Similiter Beneficium duo dicit, ſeu importat, nimirum ſtipendium Clericale, & certam determinationem talis, ac tanti ſtipendij particulariter determinati, ac proinde in titulo Beneficij, & præbendæ quatuor conſiderari poſſunt: primum ius ſtipendij: 2. ſtipendium: 3. ius talis, ac tanti ſtipendij in tali loco &c. 4. ipſum tale, ac tantum ſtipendium. Ius ſtipendij eſt quid ſpirituale iure diuino, quod ſequitur ex officio Clericali, nam ex eo, quòd quis eſt diuinis addictus myſterijs, ius habet, vt ſuſtentetur à populo, pro quo Deo miniſtrat: ipſum autem ſtipendium eſt quidem, res temporalis, ſed iure diuino eſt debitum, iuxta illud Apoſt. Qui alteri &c. at ius talis, ac tanti ſtipendij eſt determinatio facta à iure poſitiuo: Hinc eſt, quòd Eccleſia poteſt redditus beneficij Eccleſiaſtici augere, & diminuere, & eorum partem à Beneficio ſeparare, illoſquè redditus etiam laicis, vt res mere temporales, & vendibiles ad tempus, vel in perpetuum concedere: immò poteſt etiam titulum alicuius beneficij penitùs tollere, & omnes fructus alteri pio operi, tanquam temporales applicare, vt Hoſpitali, vel in alimentum pauperum, vel in ſtipendium militum pugnantium contra fidei hoſtes.

Ex quo patet, non rectè diſcurrere Durand. in 4. d. 25. &

nonnullos alios non admittentes Simoniã iuris Eccleſiaſtici; quæ quidem Simonia in tribus præſertim caſibus locum habet: primò in venditione officiorum Eccleſiæ, quæ de ſe non ſunt ſpiritualia, vel vt notat Becan. ſunt minùs ſpiritualia; ideoque etiam à laicis exerceri poſſunt, vt officium œconomi, Vicedomini, Sacriſtæ, diſpenſatoris &c. *Quorum venditionem, & emptionem Vrban. & Concil. Calcedon. prohibuerunt, & Simoniacam eſſe dixerunt 1. q. 3. can. Saluator* non quòd ſit Simonia ex natura rei, ſed ex prohibitione Eccleſiæ. 2. in permutatione beneficiorum facta ſine auctoritate Superioris, in renunciatione reciproca, & in Simonia confidentiæ *ex cap. Quæſitum; & ex cap. cum olim de rerum permutatione;* vbi iubetur priuari ſuis beneficijs, qui propria auctoritate permutant, eò quòd incurrant Simoniæ labem; vt notant paſſim Doctores, ſecluſa autem lege Eccleſiaſtica non eſt Simonia, permutare ſpirituale cum ſpirituali, bene tamen cum temporali: 3. in venditione officiorum ſecundùm partem temporalem; vt ex communi teſtatur Becan. in cap. de Simonia, addens plures canones expreſsè huiuſmodi venditionem prohibere velut Simoniacam. Quare autem Eccleſia magìs prohibeat beneficiorum permutationes, & earum pacta, quàm aliarum rerum ſpiritualium eſt, quia in eis ratione reddituum eſt maius periculum Simonię iure diuino prohibitæ; purgatur tamen Simonia iure humano vetita, & tollitur in manibus Papæ, & per relationem ad Papam ſuſpenditur. Ex doctrina hactenus deducta inferuntur ſequentes regulæ ad dignoſcendam Simoniam.

Regula I. Simonia non committitur, dum occaſione rei ſpiritualis accipitur pecunia, ſeu res pretio æſtimabilis, non tanquàm pretium rei, ſed gratìs, vel titulo gratitudinis, liberalis doni, & etiam per modum ſuſtentationis.

Regula II. Nulla res ex ſpirituali, & corporali, ſeu temporali compoſita; ſicut illius principale ſit ſpirituale, cuiuſmodi ſunt Sacramenta, poteſt abſolutè vendi vt Sacramenta, quòd enim abſolutè tractatur, ſecundùm ſuum principale tractare cenſetur. Secùs autem ſi illius principale ſit corporale; dummodò non pluris vendatur ratione ſpiritualis: ſic calices, veſtes ſacræ &c.

Regula III. Stipendium ſuſtentationis exercentium ſpiritualia licitum eſt velle, & accipere; nec non in articulo neceſſi-

ceſſitatis paciſci; ſed quia hoc habet ſpeciem mali eſt iure poſitiuo prohibitum: ideoquè ſpiritualia priùs gratis exerceri debent, & poſtea laici Superiorum auctoritate cogi poſſunt ad dandum ea, quæ ex laudabili conſuetudine dari ſolent, etiamſi aliunde quis viuere poſſit. *Extra de Simon. cap. ad Apoſtolicam.*

Regula IV. Locare opera ſua ad exercitia ſpiritualia, quæ principaliter ſpiritualia ſunt, per ſe non eſt licitum; quia ſpiritualia locari, & conduci cenſentur, per accidens tamen licitum eſt illas locari, nempè ob libertatem, & alia temporalia eis adiuncta; quo pacto plures Sacerdotes locant operas ſuas ad officiandam aliquam Eccleſiam per annum, menſes &c.

Regula V. Licitum eſt locare operas ſuas in illis ſpiritualibus exercitijs, quæ principaliter corporalia ſunt, vt patet de officijs Vicarij, Sacriſtæ &c. Prælatus autem non poteſt vices ſuas ſub annuo cenſu locare, quia eſſet vendere officia ſpiritualia; eſtquè ei expreſsè in iure prohibitum.

Regula VI. Non eſt Simoniam dare pecuniam pro redimenda vexatione in re ſpirituali. *Ex cap. Dilectus I. eod. tit. dummodo conſtet de euidenti iniuſtitia.*

Regula VII. Licitum non eſt aliquid accipere pro ingreſſu, vel profeſſione Religionis, quia iſta ſunt quid ſpirituale; eſt tamen licitum aliquid recipere pro Religioſi ſuſtentatione, ſi Conuentus ſit pauper; immò credibile eſt, prout aiunt Doctores, quòd iam conſuetudine præſcriptum ſit, vt etiam à ditioribus Conuentibus accipiantur pecuniæ, vt ſcilicet per hoc creſcat numerus Religioſorum, & ſit amplior Dei cultus; idquè maximè locum habet, teſte experientia; in Monaſterijs Monialium. Hinc patet, quàm meritò à Summis Pontificibus ſint damnatæ ſequentes propoſitiones. *I. Dare temporale pro ſpirituali non eſt Simonia quando temporale non datur tanquàm pretium, ſed dumtaxat tanquàm motiuum conferendi, & efficiendi ſpirituale: vel etiam quando temporale ſit ſolùm gratuita compenſatio pro ſpirituali, aut è contra* eſt 45. inter damnatas ab Innoc. XI. *II. Et id quoque locum habet, etiamſi temporale ſit principale motiuum dandi ſpirituale; immò etiam ſi ſit finis ipſius rei ſpiritualis, ſic vt illud pluris æſtimetur, quàm res ſpiritualis.* Eſt 46. ab Innoc. XI. &c. *III. Non eſt contra iuſtitiam beneficia Eccleſiaſtica non conferre gratìs, quia collator conferens illa*

beneficia Eccleſiaſtica pecunia interueniente non exigit illam pro collatione beneficij, ſed veluti pro emolumento temporali; quod ſibi conferre non tenebatur. Eſt 22. inter damnatas ab Alex. VII.

Quæres. Quas pœnas incurrunt Simoniaci.

Reſp. ex Scoto in 4. d.25.q. 1. Simoniacus in Beneficio, ex quo ſibi conſtat, quod Simoniacè illud obtinuit, tenetur reſignare, & toto tempore, quo tenet, iniuſtè tenet; & ad reſtitutionem omnium, quæ percepit, tenetur: ſed cui facienda eſt reſtitutio: Si res ſpirituales ratione ſpiritualitatis vendantur, vt agnus Dei, calices &c reſtitutio facienda eſt ei, à quo pretium eſt acceptum: Si pretium acceptum ſit pro beneficio, aut alia re ſpirituali, non ſecuta collatione, pariter reſtituendum eſt ei, à quo eſt acceptum; cum deſit verus titulus ea retinendi: ſi autem res tradita ſit, Simonia vtrinque completa, probabiliùs eſt, vt Leſs. Lay. & alij volunt Eccleſiæ, & non danti; quia Eccleſia vtrumque punire intendit. Præterea ſola Simonia confidentiæ, & realis in Ordine, Beneficio Eccleſiaſtico, & Religionis ingreſſu, pœnas iuris ipſo facto inducit; etſi ob ingreſſum Religionis rarò incurratur, ob rationem ſuperiùs allatam. Quarè ob Simoniacam collationem, & ſuſceptionem Ordinum, etiam primæ tonſuræ incurritur excommunicatio, & ſuſpenſio Papalis, vt ex communi tradit Layman. Ob Simoniam autem realem in beneficio incurritur excommunicatio Papalis, & inſuper irrita eſt electio, præſentatio, confirmatio, & inſtitutio, & talis ſic beneficiatus, vt ſupra diximus cum Scoto, non facit fructus ſuos; etiamſi prouiſus fuerit à tertia perſona, & hoc ignorauerit; addunt tamen Leſs. Laym. & alij, niſi prouiſus contradixerit; vel niſi bona fide poſſederit beneficium per triennium; nec non efficitur inhabilis ad idem beneficium, nec per diſpenſationem Epiſcopi habilitari poteſt, ad alia autem beneficia obtinenda non redditur inhabilis; nec alijs beneficijs iure ipſo priuatur. Deniquè Simonia confidentiæ completa, dato, & accepto beneficio, licet accipiens promiſſionem viciſſim non impleuerit, inducit excommunicationem Papalem vtrique parti contrahenti, annullat reſignationem, & collationem beneficij, in quo eſt commiſſa, inhabilitat ad idem poſtea obtinendum, priuat omnibus beneficijs, & penſionibus ante obtentis, non tamen ante ſententiam latam, &

denique Beneficia ſic collata ſoli Pontifici reſeruantur Suarez, Leſs. & Layman.

DISPVTATIO V.

De Statu Religioſo.

QVÆSTIO I.

In quo conſiſtat natura ſtatus Religioſi; & an poſſit per contrarium vſum variari, vel auctoritate humana tolli.

NOt. Quòd *Status eſt immobilis vitæ conditio, qua quis alteri firmiter obſtringitur*; nam ſtatus importat permanentiam, & ſtabilitatem quandam. Huiuſmodi autem ſtatus eſt triplex; nempe Epiſcopalis, Religioſus, & Coniugalis; Epiſcopi namque obligantur ſuæ Eccleſiæ obſequio, Religioſi obſequio diuino, coniugati obſequio mutuo. Status Epiſcopi eſt perfectionis acquiſitæ; præſumitur enim, quòd Epiſcopus ſit perfectus, ſed ſtatus Religioſi eſt perfectionis acquirendæ. *Vndè Religio communiter definitur ſtatus hominum fidelium ad perfectionem caſtitate, paupertate, & obedientia tendentium; ab Eccleſia approbatus*; ac proindè Religioſus, ſeu Regularis propriè eſt ille, qui tria vota eſſentialia promittit in Religione approbata, nec ad eſſentiam Religionis requiruntur vota ſolennia; *prout conſtat de votis ſimplicibus à Religioſis Ieſuitis editis; ſuntquè veri Religioſi ex determinatione Gregorij XIII.* Quarè nomine Religioſi, ſeu Regularis abſque alio addito in iure can. & Bullis intelliguntur omnes prædicti, & etiam milites S. Iohan. Ieroſol. quia ſunt veri Religioſi, vt tradunt Rodriq. Nauar. notat tamen Rodriq. hos Milites comprehendi ſub nomine Religioſorum in fauorabilibus, non in pœnal.

Not. 2. Quòd Regulæ religioſorum contineret aliqua, quæ ſunt eſſentialia ſtatui religioſo, & quædam adiuncta ſtatui: eſſentialia ſunt ea, quæ pertinent ſubſtantialiter ad tria vota, vt Caſtitas, quæ non admittit declarationem; Obedientia, de cuius ſubſtantia eſt, quòd nil fiat, niſi vel tacita, vel expreſſa voluntate Superioris, & Paupertas, quæ eſt abdicatio dominij; quod autem in communi aliquid

 poſſi-

poſſideatur non eſt quid eſſentiale; alioquin ſoli Regulares S. Franciſci, viuentes in puritate regulæ eſſent veri Religioſi, quod patet, eſſe falſum; adiuncta verò vt ſunt Conſtitutiones: ſeu leges fundatoris, ſunt accidentalia.

Concl. ſtatus Religioſus conſiſtit eſſentialiter in tribus votis, qui quidem ſtatus poteſt tolli, & deſtrui omninò à Pontifice, & quoad accidentalia variari poteſt, ne dum Pontificia auctoritate, ſed etiam legitima conſuetudine: Prima pars conſtat ex dictis: Secunda pars ſimiliter remanet probata ex ijs, quæ de voti diſpenſatione dicta ſunt; Siquidem Pontifex ex Scoto Richard. Alenſi, & alijs poteſt tollere, diſpenſare in votis Religioſorum, eſtò non poſſit facere, quòd quis ſit verè Religioſus, & non obligetur ad illa tria vota: reſtat igitur probanda ſola tertia pars, nempe quòd per conſuetudinem abrogari, & variari poſſint adiuncta ſeu accidentalia Regulæ, quia de auctoritate Pontificis nulla poteſt eſſe dubitatio, cum de facto Minores conuentuales ſint diſpenſati à rigore paupertatis &c. Quicquid poteſt Princeps concedere, poteſt, & conſuetudo inducere *l. ſi quiſquam ff. de diuerſit. & temp. præſcrip.* Sed Papa multis Religionibus conceſſit plura priuilegia relaxantia paupertatem, & alias obſeruantias, ergo &c.

Confirm. Conſuetudo *tollit omnem legem, quæ non ſit ius naturale, vel diuinum, quæcumque illa ſit, ſiue Eccleſiaſtica, ſiue Ciuilis cap. licet ex quadam, de teſtibus,* & latè probat Sanchez de Matrim. l. 7. diſp. 4 n. 24. ſed regula continens iſta non eſſentialia votis, eſt lex humana à Fundatoribus Religionum facta, & à Pontifice approbata; ergo per conſuetudinem legitimam poteſt variari, & tolli: minor patet, quia, non eſt ius naturale, nec diuinum; ergo poſitiuum, & ſi eſſet diuinum, non confirmaretur à Pontifice; ita tenent Azor. lib. 13. cap. 11. q. 15 Moronus reſp. 2. Portel. v. Regula, & alij. Adde, quòd lex iurata tollitur per contrariam conſuetudinem, vt paſſim tradunt Doctores; ergo, & regula voto firmata poteſt conſuetudine tolli, eſt enim eiuſdem vis vinculum iuramenti, & voti, vt ſupra oſtenſum eſt.

Nec refert ſi dicatur, quòd introducentes conſuetudinem reportarent ex ſua malitia beneficium, nam prætérquamquod hoc haberet locum in omni conſuetudine, etiam legis humanæ, non regularis; tale beneficium reportant

tant non ex malitia, ſed à lege ſtatuente, quòd, poſitis requiſitis ad legitimam conſuetudinem, introducatur conſuetudo &c. Hinc rectè infertur, Regulam collapſam, vel mitigatam profitens non teneri illam ſeruare. vt obligabat in ſui initio. Infertur 2. Regulam collapſam profitens, etiamſi explicitè non intendat primæuæ ſe obligare, ſed tantùm implicitè, ad primæuam non tenetur, nec ad illam poteſt cogi, vt inter alios dicit Moronus.

QVÆSTIO II.

Vtrum Religioſus teneatur ad perfectionem tendere ſub mortali.

NOt. Quòd in antecedenti quæſtione dictum eſt; Religionem eſſe ſtatum hominum tendentium ad perfectionem per tria vota; igitur in præſenti quæritur, an teneatur ad talem perfectionē ſub mortali, & qualiter; quamuis enim quilibet Chriſtianus ratione profeſſionis in baptiſmate factæ teneatur ad perfectionem, ſibi reſpondentem, nempe, vt docet D. Bonau. in Compend. theol. verit. l. 5. c. 7. ad ſeruanda præcepta, ſine quibus non habetur charitas; non tamen ſicut Religioſus, qui ad perfectionem, qua omnia renunciantur, in profeſſione ſe obligauit, ac proindè etiam ad conſilia Euangelica tenetur, nedum ad præcepta, vt omnes fatentur.

I Concl. Religioſus ex vi ſuæ profeſſionis tenetur tendere ad perfectionem, non tamen ad omnem perfectionem tenetur quilibet, ſed iuxta ſuæ regulæ conditionem. Ita D. Bonau. lib. 1. de profectu Religioſi cap. 1. & in qq. ſup. regulam S. Franciſci D. Thom. q. 186. art. 2. Aſteſ. Corduba, Rodriq. & eſt communis ſententia. Prob. ex D. Bonau. Religiones ex Inſtitutoris mente, & Sedis Apoſtolicæ confirmatione inſtitutæ ſunt ſicut acies ordinatæ ad finem aliquem aſſequendum, adhibitis certis medijs; ergo illis tantùm inſiſtendum; alioquin non eſſet vllius Religioſi firmum virtutis exercitium. Itaque tenetur Religioſus tendere ad perfectionem primò per media eſſentialia, qualia ſunt præcepta legis diuinæ, trium votorum, & ſecundariò per conſilia Euangelica; prout regula præſcribit.

 II. Concl.

II. Concl. Religioſus non ſemper peccat mortaliter tranſgrediendo quodcumque eorum, quæ ſunt in regula: hæc pariter eſt communis, & prob. Religioſus non æqualiter obligatur ad obſeruandum omnia, quæ in regula continentur, ſed ſecundùm quod ibi traduntur. Siquidem in regulis Regularium quædam continentur per modum præcepti, & inhibitionis; quædam per modum ſtatuti rationabilis; & quædam per modum monitionis, & exhortationis, prout claré patet in noſtra regula Minorum; ergo Religioſus tranſgrediendo ea, quæ habent vim præcepti, peccat mortaliter; tranſgrediendo quæ ponuntur in regula per alium modum non peccat, quantùm eſt de virtute regulæ, mortaliter, niſi forte, vt ait Aſteſan. lib. 6. tit. 47. ratione exceſſus libidinis, vel contemptus, idque confirmatur *auctoritate Sum. Pontificum, qui declarando regulam noſtri Seraphici Patris dicunt, non obligari Fratres Minores per regulam, niſi ad ea, quæ in ipſa præceptoriè, vel inhibitoriè ſunt expreſſa formaliter, vel æquipollenter.*

III. Concl. Religioſus tenetur tendere ad perfectionem, & tunc cenſetur mortaliter peccare, quando, vt docent. D. Antonin. Angelus, Caiet. eſt contemptus conſiliorum, quibus peruenitur ad perfectionem; puta ſi nolit ſubijci, ſi tantum velit obſeruare, quæ ſub mortali obligant, & tantò magis, ſi per actum contrarium directè nolit perfectionem. ſi quis non tantùm intendat non eſſe ſollicitus in obſeruatione regulæ, ſed etiam nunquam ſeruare, etſi facilè poſſet, vel iuxta Cordub. in Reg. cap. 1. q. 3. cenſetur mortaliter peccare, quando contemnit, & tunc contemnit, vbi non æſtimat; ac proindè cum Religioſum contemnere perfectionem, qui non habet intentionem tendendi ad illam, etiamſi talis non peccet ex contemptu, ſed ex negligentia, & cupiditate. Idem ſentiunt præfati Doctores cum D. Thoma loc. cit. aſſerentes Religioſos eſſe mendaces, quoties à perfectione, quam profitentur, animum reuocant; vbi Caiet. & Nauar. Comment. 1. de regul. putant D. Thomam ſentire eſſe peccatum mortale. Adde cum Sanchez Buſemb. & alijs, Religioſum, qui frequenter, & ex conſuetudine violat regulam, peccare mortaliter: quia perturbat religioſam diſciplinam; tum quia iuxta plures eſt contemptus interpretatiuus, vel ſaltem probabiliſſimum eius periculum; tum quia tenetur Rlligioſus ita viuere ſub mortali,

tali, vt non ſit grauiter perniciosſus Religioni, inducendo alios malo exemplo ad regulæ laxitatem.

Arg. cont. 2. conc. Facere contra votum eſt mortale, ſed Religioſus voto profeſſionis adſtringitur ad regulam, & per conſequens ad omnia contenta in ea; ergo mortaliter peccat transgrediendo quodcumque contentorum in regula.

Reſp. conc. primam partem min. & diſting. 2 partem; ad omnia contenta in ea eodem modo, quo votis adſtringitur: neg. diuerſo modo, conc. min. Iam modo Religioſus non obligatur ad illa obſeruanda æqualiter, ſed diuerſimodè, prout ibi traduntur, nempe præcepta, vt præcepta, ſtatuta vt ſtatuta, & monita, vt monita. Inſtabis facere contra votum eſt mortale, ergo &c. Reſp. ex Aſteſano, hoc eſſe verum quando quis vouet aliquid, intendens ſe ad illud faciendum obligare ſimpliciter, hoc eſt obligatione neceſſitatis; ſecùs autem ſi obligetur per alium modum, quàm per præceptum, & inhibitionem.

QVÆSTIO III.

Quænam requiruntur ad valorem Profeſſionis Religioſæ.

NOt. Quòd Ius commune decernit, quaſdam perſonas non poſſe in religione profeſſionem facere: In primis profiteri non poſſunt Epiſcopi ſine expreſſa Papæ licentia; neque Clericus habens beneficium curatum abſquè licentia Epiſcopi, vt notat Portel. Nequè obligatus ad ratiocinia, ſeu ære alieno grauatus, nequè ſeruus, vel captiuus, nequè coniugatus per Matrimonium conſummatum. Item Hermaphroditus ob manifeſtum periculum circa ſexum virilem, vel fœmineum. Inſuper qui habet parentes in extrema neceſſitate conſtitutos; immò etiam in graui, ſi parentes non habeant vndè poſſint ſuſtentari, idquè patet lumine naturali, obſeruat autem Portel. cum Nauar. quòd ſi parentes ſint tantùm in neceſſitate graui, & nihilominus filius intret, & profiteatur, profeſſionem valere. Item illegitimi, Infames ex conſtit. Xiſti V. nempe qui facinora turpia patrarunt: & etiam omnes ij, quos ex proprijs ſtatutis quælibet Religio excludit; noſtra Min. excludit in-

 fa-

ſames, natos ex Iudæis, Saracænis, vel hæreticis &c.

Concl. Ad valorem profeſſionis expreſsæ, de qua hic agitur, tres conditiones neceſſariò exiguntur. Prima eſt qualitas, ſeu idoneitas vouentis, nempe, quòd *iuxta Trident. ſeſſ. 25. cap. 15. de Regul. expleuerit decimumſextum ætatis annum;* annum integrum cum habitu religioſo ſteterit in probatione, nullumquè habeat impedimentum, quod per ſtatuta à Pontifice confirmata in tali ordine cenſeatur eſſe ſubſtantiale: ita Rodriq. tom. 2. ſum. cap. 6. Azor. & alij: 2. conditio eſt conſenſus, & acceptatio expreſſa, vel tacita Prælati ordinis, per quam Religioni incorporari debet. Idquè ordinariè non tantum cum conſilio, ſed etiam cum conſenſu Capituli, aut maioris, aut principalioris partis ſecundùm cuiuſquè ordinis ſtatuta: 3. eſt, quòd profeſſio facta ſit ſpontè, & liberè, & non ex metu graui; qualis eſſet incarceratio, alimentorum ſubtractio, eò quòd in profeſſionem conſentire noluerit. Item metus reuerentialis cum importunitate precum, blanditiarum, imperij, ſæpiùs repetita, aut graui offenſione, aut longa, ac continuata indignatione conſanguineorum &c. hæc ſiquidem vel ſingula, vel ſimul iuncta, conſiderata conditione profitentis, & eiuſdem Superiorum, metum cadentem in virum conſtantem, ac proinde iniuſtum incutere poſſunt timorem, & proinde profeſſionem irritare. Cæterùm. Profeſſio ex defectu alicuius conditionis ex dictis, vel alterius ad profeſſionem neceſſariò requiſitæ (niſi eam poſtea tacitè, vel expreſsè ratificauerit) eſt inualida in foro conſcientiæ, & non eſt reuerà religioſus; ac proinde poteſt exire, vxorem ducere &c. Verùm profeſſio inualida ob defectum ætatis præſcriptæ à Trident. debet expreſsè ratificari in manibus Superioris in eodem Conuentu, vbi traxit annum probationis; alioquin redditur inualida, vt in facti contingentia ego ipſe vidi à S. Congregatione practicari in quodam noſtro Religioſo, qui extra conuentum ſui nouitiatus profeſſionem ratificauerat, & poſtea fuit per S. Congreg. abſolutus à ſtatu religioſo, declarando prædictam ratificationem ob nouas conſtitutiones Alex. VII. fuiſſe inualidam. Defectus autem profeſſionis *ex Trid. 25. de Regul. cap. 19. à Religioſo prætendente profeſſionem feciſſe per vim, aut metum ideoquè nullam, debet reclamari infra quinquennium à die profeſſionis, vt*

com-

communis tradit ſententia, eſtò Moronus Reſponſ. 82. velit quinquennium numerandum eſſe à die ſcientia. Notat tamen Rodriq. t. 3. q. 12. art. 16. & alij poſt ipſum, quòd, licèt Trident. decernat, non eſſe audiendum talem Religioſum, niſi reclamauerit intra quinquennium; attamen ſi allegauerit cauſas, ob quas non reclamauit intra dictum tempus, vel quia ignorauit, vel non potuit ob metum parentum viuentium, & quid ſimile, eſt audiendus, ſi cauſæ allegatæ ſint iuſtæ, & probentur, neque ad id probandum, ait Rodriq. ſufficiet ſuum iuramentum, quia non creditur profeſſo, etiam iuranti ſe feciſſe profeſſum ficto animo, nequè ratificaſſe profeſſionem, niſi acceſſerint coniecturæ probabiles, & probatæ: ita Rod. Portel. Sanchez, Diana p. 3. t. 2. reſ. 93. Barboſa in Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. & alij ſignanter Moronus, & Bordon.

Quæres. An fœmina, quæ fingens ſe eſſe hominem, profeſſa eſt in conuentu virorum, intendens ſe obligare ad Religionem, maneat verè profeſſa.

Reſp. Portel. cum D. Antonin. Angelo; Silueſtro & alijs affirmatiuè: quia talis fœmina emiſit vota eſſentialia, in quibus conſiſtit eſſentia Religionis, ad quam eſſentiam per accidens pertinet diſtinctio ſexus: & ita teſtatur Comitol. lib. 2. reſponſ. moral. reſpondiſſe in facti contingentia. Verùm eſt tamen talem fœminam ob ingreſſum in Conuentum virorum excommunicationem incurriſſe, vt ſubdit idem Portel. & caſu deprehenſo, reponi debet à Prælato in Conuentu Monialium cum Clauſura, quia talis excommunicatio, cum qua profeſſa eſt non annullat profeſſionem, vt docet Rodriq. cum ſententia communi Canoniſtarum, indicans valere profeſſionem excommunicati, etiam denuntiati.

QVÆSTIO III.

Vtrum Religioſi ſubditi teneantur obedire Prælatis in omnibus.

NOt. Quòd Obedientia alia eſt perfectionis, & ſupererogationis, & hæc ſe extendit ad omnia, quæ non ſunt contra Deum, & regulam ſuam, quia vt dicit. D. Bernard, *Perfecta obedientia finem neſcit;* alia eſt obedientia ſecundùm ne-

neceſſitatem; quæ habet modum, & menſuram ſecundùm voti emiſſi latitudinem. Inſuper, omnia, quæ à Superiore præcipiuntur, vel ſunt ſecundùm regulam; aut contra regulam, aut ſupra regulam; aut infra regulam.

I. Concl. Religioſi ſubditi non tenentur obedire in omnibus Prælatis: eſt D. Thomæ, D. Bernardi, D. Bonau. & ferè communis contra *Archid. cap. Qui iuſtus 12. q. 3. Abb. at. cap. ſuper te de Regal. & Præpoſ. cap. ad noſtram*. Prob. ex D Bern. de precepto cap. vbi ait: *Is, qui profitetur ſpondet quidem obedientiam, non tamen omnimodam, ſed determinatè ſecundùm regulam*.

Prob ex D. Bonau. in 2. d. 44 *Prælatus habet iuriſdictionem in ſubditum adæquatam correlatiuè ſponſioni editæ in profeſſione; at ſubditus non promiſit omne bonum, nec omnem regulam, ſed regulam hanc, vel illam, ac proindè bonum, quod eſt in ea; alioquin poſſet cogi à Superiore ad ſeruandas omnes alias regulas ſtrictiores, & altiores; vndè ait D. Bernard. Non præcipiat mihi Prælatus, quod non promiſi*; ergo &c. Neque nobis Minoritis obſtant verba, quæ habentur in regula D. Franciſci, nempè teneri Minoritas ad obediendum Superiori in omnibus, quæ non ſunt contra regulam, & Animam noſtram, *quia, vt ſapienter D. Bonauent. explicat, prædicta verba intelliguntur de obedientia perfectionis, non neceſſitatis;* alioquin ſequeretur, Superiorem poſſe nos obligare ad omnes regulas, & actiones perfectionis maioris, & maioris, quod eſt falſum.

II. Concl. Tenentur Religioſi obedire in his, quæ ſecundùm Regulam ſunt, ſiuè directè, ſiuè indirectè: ita D. Bonau. in cap. 1. Reg. Cord. & alij. Prob. Nam Religioſus promiſit obedire in his, quæ ſunt ſecundùm regulam, quorum aliqua pertinent ad regulam directè, & quædam indirectè; vt obſequia communitatis, & negotia Ordinis promouenda, ſine quibus obſeruari non poſſet regularis obſeruantia, & ea, quæ faciunt ad pleniorem regulæ obſeruantiam, vt bene diſcurrit Aſteſ. lib. 6. tit. 47. Similiter ſi præcipiat quæ ſunt infra regulam: vt corpus reficere, & huiuſmodi. Si autem præcipiat quæ ſunt contra regulam, vel in eis poteſt diſpenſare Prælatus, vel non; ſi manifeſtum, & euidens ſit non poſſe diſpenſare, ſubditus obedire non debet; ſi verò ſit certum, quòd poteſt, aut dubium, an poſſit, obedire tenetur 23. q. 1. *Quid culpatur; quia melior eſt conditio poſſidentis ideſt Superioris præcipientis*. Item ait Aſteſ. aut

præ-

præcipit in pœnam peccati commiſſi, & ſic tenetur: aut in augmentum meriti, vt recipere martyrium, rigoroſas, & difficiliores mortificationes, & huiuſmodi, ſic non tenetur; vel denique præcipit, quæ ſunt præter regulam, ſeu infra regulam, vt ſunt ea, quæ nec in regula continentur, nec ad illa quæ in ea continentur expediunt, vel ordinantur, qualia ſunt leuare feſtucam, & ſimilia, & ſic non tenetur obedire. Tandem ſic concludit Aſteſ. Alij dicunt communiùs, & veriùs, quòd nec in grauioribus, nec in leuioribus, quæ ſunt omninò præter regulam tenetur ſubditus obedire: Itaque tunc peccat mortaliter Religioſus contra votum obedientiæ, quoties contrauenit formali præcepto Superioris ſufficienter intimato, & fundato in ijs, quæ poteſt præcipere, & tunc cenſetur, quando ſub præcepto S. obedientiæ pręcipit; Secùs quando ſolùm mandat, & præcipit ſeruari ea, quæ ſpectant ad obſeruantiam diſciplinæ regularis abſque præcepto formali S. obedientiæ.

QVÆSTIO IV.

Ad quæ obligatur Religioſus ex vi votorum Paupertatis, & Caſtitatis.

NOt. Quòd *Paupertas religioſa eſt voluntaria abdicatio dominij proprietatis, nec non vſus independentis;* dominij ſiquidem bonorum temporalium; quia retinet Religioſus bonorum ſpiritualium dominium, puta honoris, famæ, & ſimilium; item ius eligendi, præſtandi, conferendi beneficium regulare &c. vt communiter tradunt Doctores; independentis ab arbitrio Superioris, quia Religioſus etiam profeſſus poteſt habere peculium dependens, & reuocabile ad nutum Superioris; non tamen repugnat voto paupertatis, quòd Religioſi (exceptis Minoritis ſimpliciter Minoritis) habeant bona in communi, etiam immobilia. Addunt Recentiorès in definitione allata; vel facultatem diſponendi, propter Religioſos Ieſuitas, qui poſt emiſſa vota retinent, & acquirere poſſunt dominium radicale bonorum temporalium, non tamen habent ius actuale de ijs pro ſuo arbitrio diſponendi, vel vtendi, in cuius abdicatione eſſentia Religioſæ paupertatis conſiſtit; vt videre licet apud Lay, lib. 4. tract. 5. c. 7.

I. Concl. Religioſus obligatur ex vi voti paupertatis abdicare à ſe nedum exterius, ſed etiam actu interno voluntatis omne dominium, facultatem, & vſum independentem, & ciuilem: Quare peccat mortaliter deliberata voluntate velle, deſiderare dominium proprietatis in bona temporalia, & tanto magis, ſi accipiat, retineat, aut conſumet rem notabilem independenter à voluntate Superioris, hoc eſt ſine eius conſenſu expreſſo, vel tacito: quæ autem ſit res notabilis, & ſufficiens ad mortale, non poteſt certa regula definiri, maximè, quia licèt omnes Religioſi profiteantur paupertatem, tamen quia paupertas habet ſuam latitudinem, ideoquè reſpectiuè ad paupertatem minùs, vel magìs rigoroſam menſuranda eſt res notabilis: hinc dicunt Doctores paſſim, ſumi debere proportionem ad rem notabilem furti, ſufficientem ad peccatum mortale; limitant tamen primò, quòd non intelligitur de rebus minimis comeſtibilibus, quia in his non præſumitur prudens Prælatus inuitus, ſicut nec Paterfamilias reſpectu ſuorum filiorum; limitant ſecundò quando actus expendendi, & retinendi &c. ſunt aliquo modo vniti, vel ratione temporis, vel loci, ſi enim ſint omninò diſparati non facient vnum peccatum graue: Cæterum conſenſus tacitus, & interpretatiuus Superioris non eſt leuiter ſupponendus in re graui, & quoties de explicito poteſt inquiri; vt ſi Superior non longè abeſt, & idem proportionaliter dicendum de donationibus, ſi non ſint donationes quaſi remuneratoriæ. Item peccat Religioſus, ſi quid ex rebus ſibi conceſſis in alium vſum expendat, aut culpabiliter amittat, vel deſtruatur, aut corrumpatur lata culpa: & hoc vltimum maximè locum habet in œconomis, miniſtratoribus, & officialibus, ad quos ſpectat res pro victu communitatis conſeruare: peccat inſuper, ſi quid abſcondat; ne ſit in libera diſpoſitione Superioris &c. Præterea ſubditus peccat, ſi bona ex quacumquè cauſa, aut titulo prouenientia in vſus vanos, turpes, illicitos expendat, etiam permittente Superiore; & ſimiliter peccat, ſi cum licentia eiuſdem ſuperflua, pretioſa, & ſtatum ſuum dedecentia penes ſe habeat: quia Prælatus eſt miniſtrator, & gubernator ſuorum Religioſorum, & bonorum Monaſterij, non dominus, ac proinde talem licentiam dare non valet.

II. Concl.

II. Concl. Religioſus peccat mortaliter peccato ſacrilegij quoties deliberato conſenſu admittit quemcumque actum venereum, ſiue internum, ſiue externum, quia *Caſtitas Religioſa eſt abſtinentia perpetua ab omnibus actibus venereis, ſeu voluptatibus carnalibus*; & licèt quod eſt in hac materia peccatum mortale ſecularibus, ſit etiam tale Religioſis, ſolùm ſuperaddendo iuri naturali ſolam circumſtantiam malitiæ Sacrilegij; nihilominus tenentur ſtrictiori vinculo Religioſi vitare venerea peccata, & occaſiones, immò & verba inhoneſta, & geſtus impudicos; fieri enim poteſt, vt talia in Religioſo ratione ſcandali ſint peccata mortalia; idquè tantò magis obligat Minoritas, quibus ſpecialiter demandatur in regula, ne habeant ſuſpecta conſortia mulierum.

Quæres. Quid de incorrigibilibus Religioſis, Apoſtatis, & eiectis. Reſp. ad 1. partem. *Quòd incorrigibilis iuxta ius canon. dicitur ille, qui ter conuictus, & punitus de tribus criminibus grauibus, & atrocibus, non eſt emendatus*. Incorrigibilis autem accipitur dupliciter, ſcilicet de iure, & de facto: incorrigibilis de facto eſt, qui licèt ter non fuerit conuictus, & punitus, tamen de facto, ideſt ſpectata illius natura, moribus, & conditionibus per longum tempus in criminibus, non iuridicè punitis, reputatur incorrigibilis, & vt talis eijci poteſt ab Ordine, vt tradit Rodriq. Portel. & alij. Incorrigibilis de iure eſt ille, qui ter conuictus, & punitus, non reſipiſcit, vt mox dicebamus de iure canon. Ad 2. part.

Reſp. quòd *Apoſtata à Religione eſt ille, qui cũ ſit verè Religioſus, deſerit Religionem, quam profeſſus eſt ſine tranſitu ad aliam cum animo non reuertendi ad ſuam*. Ita Nauar. l. 5. conſ. tit. de Ap. Vndè fugiens, ſi non ſit reuerà profeſſus, vel ſi habeat animum reuertendi, vel tranſeundi ad aliam Religionem, non eſt in rigore Apoſtata in foro interiori, reputatur tamen talis in foro externo, hoc tamen verum eſt, ſtando in iure communi, quia vnaquæque Religio habet circa id iura, & conſtitutiones particulares. Hinc infertur cum Rodriq. tom. 1. q. 30. art. 2. fugientem ad Prælatum Superiorem, quia inferior Prælatus vult illum grauare notabiliter iniuſtè, non eſſe apoſtatatam, quòd ſi iam grauatus fuit, non licèt ei fugere pro ſola querela facienda. Qui recipiunt Apoſtatas Camaldulenſes, & Minoritas ſunt excommunicati, vt dicit Rodriq. loc. cit. art. 8. Bona Apoſtatæ acquiſita ab illo

in Apoſtaſia, ſi reuerſus fuit ad Ordinem, pertinent ad ſuum Monaſterium, ſi vero moritur in Apoſtaſia extra Ordinem, ſunt Cameræ Apoſtolicæ. Reſp. ad 3. partem, quòd profeſſus ob culpam eiectus à Religione, manet Religioſus, ac proinde votis adſtrictus. Quarè eiectus ab Ordine, tenetur ad votum caſtitatis, & ad horas canonicas, etiamſi ſit Laicus, qui quantùm ad Horas canonicas non tenetur, ſed ad alia, quæ præſcribit ſua Regula. Item tenetur ad ieiunia Regulæ, ſi illa obligent ſub mortali, ratio quia illis culpa ſua non debet prodeſſe: non tamen tenentur ad obedientiam, neque ad paupertatem, vt docet Rodriq. & debet manere ſubditus Epiſcopo originis, non verò domicilij, contrarium tamen tenent Layman. Leſſ. & Molin, quoad paupertatem, dicentes rerum, quas acquirit, habere tantum vſum, & adminiſtrationem, non autem dominium.

DISPVTATIO VI.

De Virtutibus Iuſtitiæ annexis, nempe Pietate, Obſeruantia, Gratitudine &c. nec non de cæteris virtutibus Cardinalibus, nempe Fortitudine, & Temperantia.

QVÆSTIO I.

Quid ſint prædictæ virtutes, & qualiter obligent, ſcilicet Pietas, Obſeruantia, Gratitudo, & vindicatio.

NOt. Quòd in 1. Diſp. huius tract. q. 2. oſtendimus, virtutes iuſtitiæ annexas eſſe partes potentiales non ſubiectiuas; iuſtitiæ vndè non eſt opus hìc ea repetere, ſed ſufficit per concluſiones breuiter monſtrare earum naturam, & proprietates, atquè obligationes, ſunt autem nouem huiuſmodi virtutes, nempe Religio, Pœnitentia, Pietas, Obſeruantia, Gratitudo, Vindicatiua, Veracitas, ſeu Veritas, Amicitia, & Liberalitas; de Religione ſatìs ſuperiùs dictum eſt; ſit igitur.

I. Concl. Pietas *eſt virtus exhibens debitum obſequium Parentibus, & Patriæ.* Hæc ſiquidem virtus inclinat filios, & Ciues

ad

ad exhibendum debitum obſequium ſanguine iunctis, & Patriæ; & inſuper præſtare ſubſidium corporale, & ſpirituale, prout hic, & nunc ratio dictat, & neceſſitas poſtulat, ratio eſt, quia ſicut Parentes tenentur iure naturali alimenta præbere filijs, educare, eoſque inſtituere, vt etiam præcipit lex diuina, & ordinat lex ciuilis, ita correlatiuè tenentur filij tribuere Parentibus (nomine autem Parentum hic veniunt etiam conſanguinei, maximè aſcendentes) obſequium debitum, & ſubſidium corporale in graui neceſſitate. Hinc peccant filij grauiter ſi parentibus non ſubueniant in graui neceſſitate poſitis; item peccant ſi non obediant Parentibus in ijs, quæ ſunt neceſſaria ad bonam gubernationem domus, & multò magìs in ijs, quæ ſpectant ad ſalutem animæ, vt docet Alenſis p. 3. D. Bonau. & alij communiter. Inſuper peccant filij ſæpè irreuerentes erga Parentes durè, & aſperè verbis tractantes, etiam abſquè interno odio, & quidem mortaliter, vt docent Alenſis, Angel. & alij. Item peccant mortaliter, ſi ex animo deliberato Patrem, aut Matrem minantur, iniuriosè iactantes in eos verba execrabilia, maledictiones, & ſimilia, & multò magìs eos percutere etiam leuiter, quod eſt peccatum ſpeciale aperiendum in confeſſione: immò cenſent Nauar. Tolet. & Fernand. debere exprimi in confeſſione etiam odium ipſum internum ergà Parentes, etſi in externam actionem non prorumpant. Itaquè filij exhibere debent Parentibus amorem, obedientiam, & reuerentiam.

II. Concl. Obſeruantia *politica, ſeu ciuilis eſt virtus inclinans, & exhibens cultum debitum Superioribus tam politicis, quàm ſpiritualibus*. Ita communiter DD. vndè ait Cicero lib. 2. Rethor. quòd *obſeruantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur*, & ſic talis obſeruantia debetur Principibus gubernantibus ciuiliter à ſubditis; Ducibus exercitus à militibus; Prælatis à ſubditis; & Parentibus, nec non Magiſtris à Diſcipulis. Itaque ad obſeruantiam pertinet perſonis in dignitate conſtitutis exhibere honorem, & cultum obedientiæ, ac beneficientiæ. Item reuerentiam exhibere perſonis ob excellentiam ſcientiæ, & virtutis.

III. Concl. Gratitudo *eſt virtus inclinans ad beneficij accepti æſtimationem, & repenſionem*; vndè obiectum gratitudinis eſt

de

debitum alteri, à quo acceptum eſt beneficium: & officium illius eſt agnoſcere, æſtimare beneficium acceptum, & ſatagere, vt benefactori aliqualiter ſatisfiat reciproco beneficio, obſequio, cultu, & gratiarum actione. Quarè homo beneficium recompenſare debet ſtatim, quantum ad affectum, & gratiarum actionem, ſed tempus opportunum benefactori debet expectare quantùm ad effectum, quia vt dicit Seneca lib. 4. de Benefic. *qui feſtinat reſpondere, non habet animum grati hominis, ſed debitoris*. Habet autem gratitudo diuerſos gradus ſecundum ordinem eorum, quæ ad gratitudinem requiruntur, quorum primum eſt, quòd homo acceptum beneficium recognoſcat: 2. quòd laudes, & gratias agat: 3. quòd pro loco, & tempore iuxta facultatem ſuam retribuat.

IV. Concl. Ingratitudo *eſt vitium, quod opponitur virtuti gratitudinis per defectum*, & ex D. Thom. & Aſtenſi eſt ſemper peccatum veniale, vel mortale iuxtà materiam, & circumſtantias; ratio eſt; quia quod repugnat virtuti eſt vitium, & vitium eſt peccatum, ergo cum ingratitudo repugnet gratitudini, cuius debitum eſt honeſtatis, quam virtus requirit, eſt vitium, ac proinde peccatum: *vnde Apoſt. 2. ad Tim. cap. 3. enumerat ingratitudinem cum alijs peccatis dicens, ingrati, ſceleſti*. Et ſicut gratitudo habet ſuos gradus, ita ex oppoſito ingratitudo; & quidem primus gradus ingratitudinis eſt, vt homo beneficium non retribuat: 2. eſt, vt diſſimulet quaſi demonſtrando beneficium non accepiſſe: 3. eſt, quòd non recognoſcat, ſiue per obliuionem, ſiue quocumque alio modo, & quia in affirmatione oppoſita intelligitur negatiua, inquit Aſteſanus lib. 2. tit. 25. ideò ad primum ingratitudinis gradum pertinet, quòd aliquis retribuat mala pro bonis: & ad 2. quòd benefactorem vituperet; ad 3. quòd beneficium quaſi malefactum reputet, & ſubdit idem Aſteſan. cum D. Thom. 2. 2. q. 107. art. 3. quòd ingratitudo, quæ prouenit ex mortali habet perfectam ingratitudinis rationem; ingratitudo autem poteſt eſſe mortalis, vel propter interiorem contemptum, vel propter conditionem eius, quod ſubtrahitur, quod ex neceſſitate debetur beneficio, ſiue ſimpliciter, ſiue in aliquo caſu neceſſitatis: illa verò ingratitudo, quæ prouenit ex veniali, habet rationem ingratitudinis imperfectam. Et nota, quòd

in quolibet peccato eſt materialis ingratitudo ad Deum, quatenus nimirum homo aliquid facit, quod poteſt ad ingratitudinem pertinere, formaliter autem ingratitudo eſt quando actualiter beneficium contemnitur, & hoc eſt ſpeciale peccatum ex Scot. in 4. & D. Thom. de quo in tract. de Peccat.

Cęterùm de Vindicatione alibi dictum eſt; pertinet namq; iſta virtus ad iuſtitiam vindicatiuam; cuius adminiſtratio non competit priuatis perſonis, vt lex Euangelica oſtendit; ſed Perſonis auctoritate publica præditis: vnde *vindicatio eſt virtus, qua moderatè defendendo, & vlciſcendo propulſatur violentia, & iniuria, publica poteſtate, non intendendo malum iniuriantis, ſed eius emendationem, & cohibitionem, vel aliorum quietem ad iuſtitia conſeruationem, & Dei honorem;* cui virtuti opponuntur duo vitia, alterum per exceſſum; vt crudelitas, alterum per defectum; vt cum quis eſt nimis remiſſus in puniendo.

Quæres. An ingratis ſint beneficia ſubtrahenda.

Reſp. Si ex multiplicatione beneficiorum homo augeat ingratitudinem, & peior fit, à beneficijs ceſſari debet; ita D. Thom. vbi ſupra; ſecùs ſi, vt dicit Seneca, non reddidit, quia fortè non occurrit ei facultas, aut debita opportunitas reddendi: *Itaque hæc lex beneficijs eſt*, ait Seneca; *quòd alter ſtatim debet obliuiſci, ideſt non ſe iactare; alter eſſe memor accepti.*

QVÆSTIO II.

De Veritate; & Mendacio.

NOt. 1. Quòd Veritas ſumitur dupliciter; vno modo ſecundùm quod veritate dicitur aliquod verum, & ſic veritas non eſt habitus, ſed qualitas quædam intellectus, vel ſigni ad rem intellectam, vel ſignificatam, vel rei ad ſui ideam: alio modo dicitur veritas, qua aliquis dicit verum, & propriè nominatur Veracitas, & de hac hìc eſt ſermo; cui veracitati opponuntur Mendacium, Simulatio, ſiue Hypocriſis; Iactantia, & vitium ſibi oppoſitum, ſcilicet Ironia.

Not. 2. ex Scot. in 3. d. 38. q. 1. *Quòd Mendacium eſt falſa ſignificatio vocis cum intentione fallendi, vt habetur* 22. q. 2. *ex D. Au-*

Auguſt. qui pariter ſic deſcribit mentiri. *Ille mentitur, qui contra id, quod animo ſentit, loquitur voluntate fallendi*; vndè in mendacio duplex falſitas reperitur: altera materialis, quæ eſt falſum dictum: altera formalis, quæ eſt intentio fallendi, à qua proprie quis dicitur mendax; mentiri autem iuxta ethymologiam, eſt contra mentem ire, ideſt dicere, vel facere aliquid contra illud, quod eſt in conſcientia.

Not. 3. ex eodem Scot. loc. cit. §. 2. videndum; quòd licet diſtinguatur multiplex mendacium, ad propoſitum tamen ſufficit diſtinctio trimembris, nempe pernicioſum, officioſum, & iocoſum. Pernicioſum dicitur, quod eſt nocinum ex ſe, vel nocet cui mentior, vel de quo mentior, & ſi nocumentum eſt quantùm ad Religionem chriſtianam, puta circa fidem, vel mores, tunc eſt peccatum mortale; ſi quantum ad vitam corporalem, vel quantum ad alia boni temporalia, ſecundùm quod plùs, vel minus nocet, quod penſatur ex bono, cuius eſt ablatiuum, ſecundùm hoc penſatur grauius, & minus graue, & vniuerſaliter omne tale mendacium, ex deliberatione dictum, eſt peccatum mortale, ſaltem ex genere cuicumque; prohibetur enim ſimpliciter illo præcepto: *non dices contra proximum tuum falſum teſtimonium*. Mendacium officioſum eſt, quod nulli nocet, & alicui vtile eſt; ſemper autem eſt coniunctum cum nocumento ſpirituali proprio; nam *mendacium officioſum eſt locutio contra mentem cauſa vtilitatis propria, vel aliena*. Deniquè *iocoſum eſt locutio contra mentem cauſa voluptatis propria, vel aliena*, & proprie inquit Scot. mendacium iocoſum eſt quando aliquis iocando intendit decipere, ita quòd deceptus verè decipitur, non tamen in aliquo, in quo ſibi nocumentum magnum inferatur, in quo etiam iocantur illi, qui ſciunt ipſum decipi. Quarè aduertit Doctor, quòd *narrare fabulam, de qua omnes audientes ſciunt, quòd non eſt verum, nec narratur tanquam verum, non eſt mendacium, quia nec audiens decipitur, nec loquens intendit decipere, nec ſermo eſt de ſe deceptiuus*.

I. Concl. Veritas, ſeu propriè loquendo *Veracitas eſt virtus inclinans ad dicendum ſemper verum*. Ratio eſt, quia eo ipſo quòd quis verum dicit, facit actum bonum virtuoſum, & conformem veritati, quam habet in mente, ergo eſt virtus, tum quia mendacium quod veracitati opponitur, eſt vitium, ergo Veracitas eſt virtus: veracitatis autem tria ſunt

offi-

officia propria ; primum eſt procuratio conformitatis intellectus ad rem intellectam, vt ſit verum in cognoſcendo, ne concipiatur, & dicatur falſum: 2. eſt procuratio conformitatis verborum ad mentem, vt ſit verum in enunciando, ne committatur mendacium: 3. eſt procuratio conformitatis factorum ad dicta, & promiſſa, vt ſit verum in præſtando, & exequendo, ne committatur infidelitas.

II. Concl. Mentiri, ſeu mendacium eſt intrinſecè malum; ac proinde nunquam licet mentiri ob quodcumque detrimentum, vel bonum temporale, nec ob conſeruationem vitæ, immò nec ob bonum ſpirituale, quia non ſunt facienda mala, vt eueniant bona. Hæc eſt ſententia communis SS. PP. & Theologorum, & apertè habetur in S. Scrip. ac proindè eſt de fide contra Ioannem Caſſianum, qui, vt refert Caſtro lib. 10. contra hæreſes dicebat, licitum eſſe mentiri pro vita hominis ſaluanda, aut pro magno beneficio homini impendendo, & etiam humilitatis cauſa, vt videlicet virtutes ſuas mendacio contegat: contra quem errorem ſtat S. Scrip. pluribi prohibens omne mendacium, & ſignanter Sapien. 1. *Os, quod mentitur, occidit animam, & Eccleſiaſt. 7. Noli velle mentiri omne mendacium*, ergo omne genus mendacij prohibetur, ac proinde nunquam licet mentiri.

III. Concl. Mendacium pernicioſum ex genere eſt peccatum mortale, mendacium autem officioſum, nec non iocoſum ex ſuo genere eſt peccatum veniale. Eſt Scoti loc. cit. & prob. 1. pars. Illud mendacium eſt peccatum mortale ex genere, ſeu ſecundùm ſuam ſpeciem, quod eſt contra charitatem, vt eſt mendacium in doctrina Religionis, & nocumentum proximi, ſed mendacium pernicioſum eſt huiuſmodi, ergo mendacium pernicioſum ex ſuo genere eſt peccatum mortale, iuxta illud Pſal. *perdes omnes, qui loquuntur mendacium*. Prob. 2. pars. Mendacium officioſum, & iocoſum non ſunt contra charitatem, nec contra aliquid requiſitum ad ſalutem æternam, ergo ex ſuo genere eſt peccatum veniale; idque habet locum in quacumque perſona, etiam perfecta, vt in Prælatis, Epiſcopis, quia, vt arguit Scotus contra quoſdam putantes, mendacia officioſa, & iocoſa eſſe peccata mortalia in viris perfectis, nulla circumſtantia facit, quòd eſt veniale in vno, eſſe mortale in alio,

 niſi

niſi ille alius neceſſariò obligetur ad illud, ad quod non obligatur alter, ſed vir perfectus non obligauit ſe ad veritatem ſeruandam in verbis aliquo voto, vel iuramento pluſquàm quicumque Chriſtianus, igitur circumſtantia perſonæ, ex quo ipſa non eſt ſpecialiter obligata, non transfert mortale in veniale.

Arg. cont. 1. concl. primò ex Gene. c. 22. *Abraham dixit ſeruis ſuis ſe cum filio reuerſurum, & tamen ipſe intendebat illum occidere iuxta præceptum Domini*: ergo dicendo oppoſitum eius, quod habebat in mente, mentiebatur, ac proindè licet aliquando mentiri. Reſp. ex D. Bonau. & Scot. quòd licèt Patriarcha intenderet immolare Iſaac, credebat tamen illum miraculosè reſuſcitandum à Deo, & ſecum reuerſurum ad pueros iuxtà promiſſionem à Deo acceptam; in Iſaac vocabitur tibi ſemen.

Arg. 2. Geneſ. 42. *Dixit Ioſeph Fratribus ſuis; per ſalutem Pharaonis exploratores eſtis*, & tamen ſciebat oppoſitum eſſe verum. Idem etiam terrens Fratres ſuos de ſcypho inuento in ſacco Beniamin, dixit *ſe augurari in ſcypho*: cum tamen non eſſet augurator, quia non licuit augurari habentibus legem Dei, ergo &c. Reſp. Scot. Poteſt dici, quòd Ioſeph, cum eſſet perfectus ſeruator legis diuinæ, eius mendacium contra Fratres non fuit niſi iocoſum, quod patet ex euentu; in fine enim aperuit Fratribus veritatem, & interim, dum terruit eos, puniuit illos ob proditionem &c.

Arg. 3. Non eſt maius peccatum ſimulatio in verbis, quàm in factis, immò ſicut facta ſunt euidentiora ſigna, quàm verba, ita ſi eſt falſitas vtrobique, vituperabilior videtur eſſe falſitas facti, quia magis prætendit illud, quod eſt in anima, quam falſitas verbi, ſed mendacium, ſiue ſimulatio in facto non ponitur ſemper eſſe peccatum, ſicut patet in illo facto Dauid 1. Reg. 21. c. *Qui coram Achiſ ſimulabat ſe furere. Iehu etiam 4. Regum. Simulabat ſe colere Baal; cuius tamen cultores voluit deſtruere*; nec in illa ſimulatione vituperabatur, ſed magis laudabatur, quia videbatur habere Zelum Dei contra Baal. Reſp. Scotus, quòd aliquis poteſt ſimulare multipliciter; vno modo per aliqua ſigna probabilia, oſtendendo ſe habere aliqua bona, quæ non habet, vt per genuflexiones, & orationes poteſt oſtendere deuotionem ſibi ineſſe, quæ non ineſt; & talis ſimulatio eſt hypocriſis, & eſt pec-

eccatum;alio modo poteſt aliquis ſimulare mala non ineſ-
ſibi;& hoc dupliciter; vel oſtendendo ſigna oppoſita illis
alis; vel non oſtendendo ſigna, quæ communiter conſue-
erunt ſequi mala illa: primum iſtorum videtur pertinere
d hypocriſim; puta ſi aliquis luxurioſus audiens loqui de
ulieribus, ſpuat in ſignum caſtitatis, oſtendens ſe habe-
oppoſitum in corde: 2 non eſt aliquod malum, immò ſi
a poteſt eſſe laus in malo, eſt laudabile, quia vituperabi-
eſt prædicare peccatum proprium; eo modo, quo dici-
r de quibuſdam. *Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt,*
c abſconderunt: etſi enim malum ſit, eſſe malus interiùs in
rde, addere tamen malum ſignum exteriùs eſt addere ma-
m malo. ¶In indifferentibus tamen poteſt aliquis facere
iqua facta, quæ ex natura ſua ſunt ſigna alicuius; ſicut
dor fatigationis &c. & aliqua,quæ ex natura rei non ſunt
na, ſed ſcit ea concipi à circumſtantibus tanquàm ſigna
ut ſpumare, ita quòd ſaliua decurrat per barbam, ex na-
ra ſua non eſt ſignum inſanæ mentis, tamen poteſt ali-
is ſcire illud iudicari à circumſtantibus tanquam ſi-
um furiæ; puta, quia illa conſueuerunt eſſe ſigna furio-
rum in terra illa. Vniuerſaliter ergo de prima, & ſecun-
ſimulatione, dico quòd ſunt peccata, & frequenter mor-
ia, quia hypocriſis. Simulatio tertia, dummodo aliud
lum non concomitetur, eſt laudabilis; ita quòd homo
n oſtendat vnum malum, per aliud malum. In indiffe-
tibus ſimulatio prima; in aliquibus licèt eſſet fortè ma-
non tamen grauiter. Simulatio quinta, quæ eſt ſecun-
in indifferentibus, nullum peccatum eſt, & talis fuit ſi-
ulatio Dauid: ſimulationem verò Iehu non oportet ex-
ſare, quia pręter illam ſimulationem,quæ fortè poſſet ex-
ſari, adduxit mendacia, dicens, *Sacrificium mihi magnum*
Baal. tamen ex ratione ſua erat pernicioſum, non ſolùm
ia procuratiuum mortis illorum, ſed etiam prouocati-
m quantùm erat ex ſe ad cultum Baal. Et licèt ipſe com-
ndetur in quantùm deteſtabatur, & perſequebatur cul-
n Baal. vituperatur tamen, quia non receſſit à cultu Ie-
boam, nec fuit verus cultor Dei Iſrael. Hactenus Doct.
Quæres. Quid ſenſerit Scot. de reſtrictione mentali,
phibologia &c. Reſp. Doctor incidenter tangit ſimilem
teriam improbando reſponſionem aliquorum aſſeren-

 tium,

tium, quòd Iudith in nullo mentiebatur, quia verba illa exceſſiua, quæ dixit, non dixit Holoferni, ſed Deo, non tenebatur autem neceſſariò loqui extraneo ſecundùm intentionem recipientis, ſed poterat loqui ſecundùm propriam intentionem loquentis: loquendo tamen Prælato, cui tenetur bona fide loqui, & reſpondere, videtur, quòd oportet loquentem loqui, & reſpondere ad intentionem quærentis, ita quòd ſi ei reſpondendo dicat aliqua verba falſa, ſi dirigantur ad audientem, vera autem ſi dirigantur ad Deum, non loquitur veraciter, quia in caſu illo non licet alloqui Deo; improbando, inquam hanc opinionem, ſic ait. *Sed hoc poſito nihil videtur certum in humana loquela, nec aliquis videretur habere certitudinem de loquela proximi loquentis, ſaltem nullus videtur mentiri, quicquid dicat in ſecunda perſona, dum tamen illud poſſit verificari dirigendo in Deum*: & ſanè ſi admittatur promiſcuus vſus amphibologiæ; ſeu reſtrictionis mentalis, qui nil aliud eſt, vt inquit noſter Marchant. t. 2. tribun. quam ſentina fraudum, & deceptionum, diſſoluitur omnis Societas humana, nam ſermo, qui vitam socialem reſpicit, ex natura ſua duos fines habet, vnum immediatum, qui eſt manifeſtatio conceptus loquentis, alter eſt vtilitas aliqua ex illa manifeſtatione, vel loquenti, vel audienti proueniens, & ſic debito fine caret, & ad minùs eſt mendacium. Quare decipiuntur qui ad cauendum mendacium, vtuntur amphibologica, vel reſtrictione tacita, ſeu reſeruatione mentali. Hinc meritò Innoc. XI. ſequentes propoſitiones damnauit: Prima eſt. *Si quis vel ſolus, vel coram alijs ſiue interrogatus, ſiue propria ſpontè, ſiue recreationis cauſa, ſiue quocumque alio fine iuret ſe non feciſſe aliquid, quod reuerà fecit, intelligendo intra ſe aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam viam ab ea, in qua fecit, vel quoduis aliud additum verum, reuerà non mentitur, nec eſt periurus.* Eſt 26. in ordine. Secunda. *Cauſa iuſta vtendi his amphibologijs eſt, quoties id neceſſarium, aut vtile eſt ad ſalutem corporis, honoris, res familiares tuendas, vel ad quemlibet alium virtutis actum, ita ut veritatis occultatio cenſeatur tunc expediens, & ſtudioſa.* Eſt 27. in ordine.

QVÆ-

QVÆSTIO III.

De Fortitudine, & Temperantia.

NOt. Quòd Fortitudo dupliciter ſumi poteſt; vno mo-do ſecundùm quod dicit quandam firmitatem animi, t ſic eſt conditio cuiuslibet virtutis; quia vt dicit Ariſt. ib. 2. Eth. ad virtutem requiritur firmiter operari: alio nodo, ſecundùm quod dicit firmitatem animi in ſuſtinen-is, & repellendis grauibus periculis, & ſic eſt ſpecialis vir-us. Similiter Temperantia dupliciter accipi poteſt: pri-ò ſecundùm communitatem ſuæ ſignificationis, & ſic eſt irtus generalis; quia ſignificat quandam moderationem, uam ratio ponit in humanis operibus, & paſſionibus, quod ſt commune in omni morali virtute: 2. antonomaſticè, ecundùm quod refrœnat appetitum ab his, quæ maximè lliciunt ipſum, & in hoc ſenſu eſt ſpecialis virtus; vtpotè abens materiam ſpecialem, ſeu obiectum, de qua virtute 1 p. 2. diſputat. de peccatis in particulari aliqua dicta-ierunt.

I. Concl. Fortitudo in 2. ſenſu accepta eſt ſpecialis virtus oralis; quæ ſic breuiter definiri poteſt: *Eſt virtus dans ani-o firmitatem in periculis mortis, aliiſquè rebus terribilibus.* Vndè cit Ariſt. 3. Eth. quòd vera Fortitudo eſt, qua quis medio-iter timet, & audet ad hoc inclinatus ex habitu propter onum finem, qui eſt conſeruatio boni communis in peri-ilis mortis; & iuxta Theologos principalis actus fortitu-nis, eſt ſuſtinere martyrium ob Dei gloriam, & amorem, quo erit ſermo in p. 4. diſp. de Baptiſmo, quare qui ad erandum fortia mouentur non propter ipſum bonum-ionis, ſed quia vel ignorant magnitudinem periculi, vel ia ſperant ſe euaſuros propter experientiam, vel peri-m, vel ex ira, vel ex triſtitia, quam conantur depellere, l ob aſſequendum aliquod temporale commodum, non nt virtuosè Fortes, ſed potiùs vitiosè; quia hæc non eſt ra fortitudo, ſed apparens. Igitur obiectum formale-rtitudinis eſt ſuſtinere, & aggredi pericula, & terribilia bonum rationis. Fortitudo non habet partes ſubiecti-, ſed partes tantùm potentiales: & ſunt Fiducia, Magna-nitas, Securitas animi, Magnificentia, Patientia, Lon-

ganimitas, Perſeuerantia, & Conſtantia, habet etiam aliquo modo partes integrales, vt videre eſt apud D. Thom. & Aſteſanum lib. 2. ſummæ. & Rich.

II. Concl. Temperantia 2. modo accepta eſt virtus ſpecialis moralis; & definitur ſic. *Eſt virtus moderans vſum voluptatum circa delectabilia corporis ſecundùm ſenſum tactus in vſu cibi, & potus, & venereorum.* Partes autem temperantiæ aliæ ſunt integrales, vt Honeſtas, & Verecundia, aliæ ſubiectiuè, vt Abſtinentia Sobrietas, Caſtitas, quæ & pudicitia nominatur, & Virginitas; aliæ potentiales, quales ſunt Continentia Manſuetudo, Clementia, Modeſtia, Humilitas, Studioſitas, Eutropelia, Parcitas ſeu moderatio; de quibus omnibus latè agit noſter Aſteſanus lib. 2. & Gerardus de Odonis in Eth. vbi etiam agunt de vitijs oppoſitis, & Temperantiæ, & Fortitudini: hactenus de hoc 4. tractatu.

TRACTATVS QVINTVS DE INEFFABILI INCARNATIONIS MYSTERIO.

DISPVTATIO I.

De poſſibilitate, & congruentia, ſeu conuenientia, & cauſa Dominicæ Incarnationis.

QVÆSTIO I.

Vtrum poſſibile fuerit, naturam humanam vniri Verbo Diuino in vnitate ſuppoſiti.

NOt. 1. Quòd licèt alibi explicatum ſit iuxta mentem noſtri Doct. quid, & quotuplex ſit poſſibile, attamen non puto ſuperfluum, hìc iterum illud declarare. Igitur duplex eſt poſſibile, nempe logicum, & reale ex Scot. in 1. d. 2. q. 7. & d. 7. q. vn. §. ad quæſtionem. Poſſibile logicum ſic à Scoto deſcribitur, eſt modus compoſitionis formatæ ab intellectu illius quidem, cuius termini non includunt contradictionem, quo ſenſu dicitur poſſibilis hæc propoſitio: Deum filium poſſe produci, Deum eſſe Deum &c. Poſſibile reale eſt, quod accipitur ab aliqua potentia in re, ſicut à potentia inhærente alicui, vel terminata ad illum ſicut ad terminum. De vtraquè potentia hìc eſt ſermo. An videlicet poſſibile fuerit, poſſibilitate logica, & reali naturã humanam vniri Verbo D. &c.

Not. 2. quòd nomine naturæ humanæ hìc non venit natura communis; ſed natura humana indiuidua ſingularis, phyſicè compoſita ex corpore, & Anima rationali; non verò perſonata perſonalitate propria. Perſonalitas enim creata ex Scoto dicit negationem dependentiæ actualis ad aliud, vt ad ſuppoſitum illius naturæ, & etiam dependentiæ

tiæ aptitudinalis, quæ quantùm eſt de ſe, ſemper eſſet in actu; ſicut anima ſeparata ſemper dependeret ad corpus, quantùm eſt ex naturali aptitudine eius; non poteſt autem poni in natura creata negatio dependentiæ potentialis ad Verbum D. quia nulla eſt entitas creata, cui repugnet contradictoriè dependere ad Verbum. Nihilominùs negatio dependentiæ aptitudinalis ad Verbum, benè eſt in natura creata; nec tamen hæc independentia aptitudinalis ponit repugnantiam ad dependentiam actualem; quia natura creata eſt in perfecta potentia obedientiali ad dependentiam per actionem Agentis ſupernaturalis, & quando datur ſibi talis dependentia, perſonatur perſonalitate illa, ad quam dependet; quando autem non datur perſonatur in ſe iſta negatione formaliter, & non aliquo poſitiuo addito, vltra illam entitatem poſitiuam, quæ eſt hæc natura: ſi teneamus, prout teneant veriores Scotiſtæ, perſonalitatem creatam conſiſtere in negatiuo, non verò in poſitiuo ſuperaddito ipſi naturæ ſingulari.

Not. 3. quòd non ſunt idem vnio, & compoſitio; vnio ſiquidem in plus ſe habet, quàm compoſitio, vt docet D. Bonau. in 3. d. 1. art. 1. q. 1. Vnio enim dicit compoſitionem duorum in tertio, ſiue vniantur ad conſtitutionem tertij, ſiue non; compoſitio verò dicit coniunctionem aliquorum, ita quòd veniunt ad conſtitutionem tertij, & habent rationem partis, & finiti; id enim exigit compoſitio; & ideò compoſitio ſemper importat imperfectionem in componentibus, vnio verò non, vndè non valet dicere eſt vnio, ergo eſt compoſitio, bene tamen, eſt compoſitio, ergo eſt vnio. Itaquè licèt D. Verbum non poſſit alteri componi, poteſt tamen alteri vniri in vnitate ſuppoſiti, quæ dicitur vnio hypoſtatica, denominatione deſumpta ab hypoſtaſi, quòd latinè, idem ſonat, ac ſuppoſitum ſeu perſona: & talis vnio de materiali dicit naturam humanam verè, & realiter vnitam Verbo D. de formali verò eſt relatio extrinſecùs adueniens terminata ad Verbum D. & fundata in natura aſſumpta. Vndè non eſt dicenda relatio quaſi dependentis ad cauſam effectiuam, quia ſic omnis creatura eſſet Verbo vnita, tum quia talis relatio eſt communis toti Trinitati, neque eſt relatio quaſi effectus poſterioris ad priorem, quia Verbum non eſt effectum, eſt igitur

re-

relatio ſubſtentificati ad ſubſtentificans, ſeu quædam dependentia alicuius naturę poſterioris ſubſtentatæ ad priorem aliquam perſonam ſubſtentificantem.

Not. 4. Quòd laborant Theologi in explicando modo, quo fieri potuerit, vt Verbum D. factum fuerit ſubſtantialiter homo, quod antea non erat, abſque vlla prorſus mutatione in ſe facta. Antiquiores omnes, tam Thomiſtæ, quàm Scotiſtæ docuerunt; Verbum non fuiſſe mutatum in Incarnationę, quia vnio in ſola humanitate eſt intrinſecè, in Verbo autem extrinſecè, ideoquè non eſt in ſe ipſo mutatum, quia non acquiſiuit in ſe, ſeu recepit aliquod nouum abſolutum, vel reſpectiuum, ſed ſolam denominationem extrinſecam, vel relationem rationis ad humanitatem ſibi hypoſtaticè vnitam; quo modo loquendi ſignificare voluerunt, vt notant. Maſtrius, & Bellutus, & paſſim Recentiores, non quòd humanitas non ſit Verbo intimè coniuncta; ſed ſolùm quòd non fundet, & recipiat in ſe vnionem, quaſi quod hæc denominatio vniti in Verbo deſumatur ab aliqua vnionis forma in Verbo reperta. Verùm Recentiores contendunt id non ſufficere, ſed ſaluari debere D. perſonam eſſe intrinſecè humanitati vnitam, quod ita explicant. Nam licèt verum ſit vnionem in Verbo non ſubiectari, ſed tantùm ad illud terminari; non tamen ob id terminatur extrinſecè inſtar aliarum habitudinum, ſed terminatur intrinſecè, nempe in ratione intimæ coniunctionis ad conſtitutionem vnius compoſiti ſubſtantialis, cui tam perſona D. quàm natura humana eſt intrinſeca, ac proindè dici poteſt, perſonam D. non minùs intimè, & perfectè vniri humanitati, quàm humanitatem ipſi perſonæ, adeout tam intimè, & perfectè ſe habeat perſona D. in ratione terminandi, quàm humanitas in ratione ſubiectandi vnionem: qui poſterior explicandi modus non videtur differre à priori; ſi rectè, & ſanè examinetur.

Concl. Poſſibile fuit poſſibilitate, tum logica, tum reali, naturam humanam vniri Verbo D. in vnitate ſuppoſiti. Eſt de fide, prout conſtat ex S. Scriptura, & ſignanter ex illo Ioan. 1. *Verbum caro factum*; vbi per figuram Synecdochen (quę ponit partem pro toto) caro ſumitur pro homine; vndè Cyrillus Alex. in Scholijs de Incarnat. Vnigen. cap. 25. ait. *Quoties igitur audimus, carnem factum eſſe Verbum, hominem intelligi-*

ligimus ex Anima, & corpore factum. Si ergo de facto; Verbum caro factum eſt, poſſibile fuit hoc fieri, quia ab eſſe ad poſſe infertur legitima conſequentia.

Probat Scot. ratione poſſibilitatem ſic in 3. d. 1. q. 1. ſ. de 2. Si repugnaret Perſonæ D. terminare naturam humanam; vel repugnaret, vt Perſona D. eſt, vel vt hæc perſona: non primo modo, quia iſtud terminare dependentiam non infert aliquid repugnans Perſonæ D. quia nec compoſitionem, nec potentialitatem, nec limitationem. Non enim oportet, niſi quòd terminans iſtam dependentiam ſit in ſe aliquid independens, habens entitatem talem, qualis requiritur ad terminandam iſtam dependentiam; nec ſequitur aliqua compoſitio nec potentialitas; vt patet: nec infert dependentiam in Perſona D. quia non oportet eam realiter referri, ſed tantùm terminare dependentiam naturæ humanæ aſſumptæ relatæ ad eam. Nec ſecundo modo eſt aliqua repugnantia ex parte D. Perſonæ, vt hæc; puta, quòd hæc perſona vna aſſumit, & non alia, quia licet reſpectus conſequens naturam, vel terminare talem reſpectum ſit commune tribus, & ideò omnis cauſalitas reſpectu creaturæ conueniat tribus; non tamen oportet, quòd iſte reſpectus, qui non conſequitur entitatem quidditatiuam, ſed perſonalem, ſit communis tribus: nam omnis entitas perſonalis independens poteſt ſufficienter terminare iſtam dependentiam, talis eſt entitas propria cuiuſcumque perſonæ etiam, vt diſtinguitur ab alia, non quaſi ipſa contineat virtualiter aliquam perſonalitatem creatam, vt opinatur Varro Scoti magiſter, ſed ex hoc, quòd illa entitas perſonalis eſt independens, & in quantùm tale poteſt terminare alterius ad ipſum, quod natum eſt habere terminum talem; ergo Perſona D. vt independens poteſt ſufficienter terminare talem dependentiam naturæ creatæ ad ipſam.

Prob. Quòd nulla ſit repugnantia ex parte naturæ humanæ; etenim ſi eſſet aliqua repugnantia, maximè, quia nequit aſſumi natura humana, niſi exiſtens, & ſingularis, ac proindè niſi perſonata; cum ſingulare indiſpenſabiliter ſit perſonatum; ſed hæc ratio non cogit, quia ex dictis in Philoſophia ſatìs conſtat, poſſe ſeparari à ſingularitate perſonalitatem; ſiue ea conſiſtat in negatiuo, ſiue in poſitiuo, ergo non repugnat ex parte naturæ creatæ, quælibet namque

natu-

natura ſubſtantialis carere poteſt illa entitate, quæ non pertinet ad eius perfectionem neceſſariò, ſed perſonalitas naturæ humanæ eſt huiuſmodi, ergo &c.

Præterea. Nequit dari poſſibilitas terminandi dependentiam, niſi etiam in aliquo ſit poſſibilitas dependendi in genere perſonationis, ſed ex dictis remanet probatum ex parte perſonæ Verbi eſſe poſſibilitatem terminandi dependentiam naturæ, ergo etiam in natura debet ineſſe poſſibilitas dependendi.

Arg. 1. Actus purus non eſt vnibilis cum alio à ſe diſtincto, ſed Perſona D. eſt actus purus; ergo non eſt vnibilis cum aliena natura: maior patet. Si enim actus vniretur, iam non eſſet actus purus, quia diceret potentialitatem ad aliud, cum quo vniretur: ergo &c. Reſp. ex Scot. diſting. mai. Actus purus non eſt vnibilis cum altero per modum partis componentis; conc. mai. per modum termini infiniti ſupplentis vices alicuius termini creati, neg. mai.

Contra. Non poteſt perſona D. vniri humanitati, niſi cum ipſa conſtituat vnum per ſe, ſed vnum per ſe non conſtituitur ex pluribus, niſi vnum habeat rationem actus, alterum rationem potentiæ, ergo ſi Verbum D. vnitur humanitati, vt pars componens vnitur. Reſp. diſting. min. data maiori. Vnum per ſe, quod fit per compoſitionem, conc. min. quod fit per terminationem dependentiæ vnius ad alterum; neg. min. Quia hoc modo ſe habet Verbum D.

Contra. Illa vnio, quæ fieret per modum termini, ſuppleret vices perſonalitatis creatæ, quæ compoſitionem cum natura facit; ergo &c. Reſp. diſting. ant. ſuppleret vices perſonalitatis, quatenus eſt terminus vltimus, ratione cuius talis natura euadit incommunicabilis, conc. ant. quatenus eſt actus ipſam naturam afficiens, & perficiens per modum formæ, neg. ant. Etenim primum eſt de ratione formali, & ſpeciali perſonalitatis, non autem ſecundum, cum ſit commune perſonalitati, modis, & formis.

Arg. 2 Omnis dependentia eſt ad independens, & abſolutum, ſed perſona Verbi quatenus talis non eſt abſoluta, ergo natura nequit dependere à perſona Verbi quatenus perſona, ſed non vnitur perſonæ niſi dependeat à perſona, vt perſona, ergo non vnitur perſonæ. Reſp. ex Scot. Quòd ſi perſona D. eſt abſoluta, abſolutam terminat de-

dependentiam illius naturæ. Si autem eſt relatiua, docet Doctor, quòd etſi relatiuum in quantùm tale non poſſit terminare dependentiam cauſati ad cauſam, poteſt tamen terminare dependentiam, quæ eſt alterius rationis, illam videlicet, quæ eſt naturæ ad ſupplementum; in quantùm ſupplementum: ad terminandum enim illam dependentiam ſufficit, quecumquè entitas, quæ poteſt eſſe propria ratio ſupplementi, & talis ponitur hìc entitas relatiua. Ita Scot.

Arg. 3. Incarnare eſt agere, ergo incarnari eſt pati, ſed Verbum D. non patitur, ergo non incarnatur: prob. conſ. Quia omni actioni correſpondet aliqua propria paſſio; ergo ſi datur incarnatio actio, debet dari incarnatio paſſio.

Reſp. ex Scot. §. ad quartum. Quòd incarnationi actioni correſpondet aliqua paſſio, ex quo incarnatio eſt actio tranſiens, ſed iſta paſſio non ſignificatur per hoc, quod eſt incarnari, propriè loquendo, ſed per hoc, quod eſt vniri, vel aſſumi. Nam actio iſta, vt tranſit in obiectum, tranſit in naturam humanam, non in Verbum, & ideò illud, quod correſpondet ſibi ex parte naturæ humanæ eſt paſſio; licèt igitur vocaliter, & grammaticè incarnari videatur ſignificare paſſionem huius actionis, incarnare, tamen realiter ſignificatur per hoc, quod eſt vniri; & concedo, quòd natura aſſumpta patitur &c.

Arg. 4. Contraria nequeunt eſſe ſimul propter eorum repugnantiam, ſed natura creata, & increata plùs repugnant, quàm duo contraria, ergo nequeunt eſſe ſimul in eodem: mai. eſt Ariſt. 4. meta. cap. 9. vbi arguit, quòd ſi contraria eſſent ſimul in eodem, & contradictoria eſſent ſimul vera: min. patet, quia contraria ſunt in eodem genere, non ſic autem natura creata, & increata. Reſp. ex Scot. conc. mai. & neg. min. ratio eſt, quia licèt Natura D. & humana ſint magis diuerſa, quàm contraria, non tamen magìs repugnantia: exemplum. Superficies, & albedo magìs ſunt diuerſa, quàm album, & nigrum, & tamen ſuperficies poteſt eſſe alba, non tamen album poteſt eſſe formaliter nigrum, & è conuersò, propter eorum repugnantiam formalem.

Arg. vltimò. Verbum non eſt mutabile, ergo nec vnibile; conſ. prob. quia aliter ſe haberet nunc, quàm priùs, quia de non homine fieret homo. Nec valet dicere, Verbum

bum aliter ſe habere denominatione extrinſeca, non intrinſeca, quæ ſola arguit mutationem; non valet, inquam, quia Verbum intrinſecè vnitur naturæ humanæ, & intrinſecè dicitur homo; alioquin conueniremus cum Neſtorio, qui inter Verbum, & naturam humanam ponebat vnionem extrinſecam. Reſp. Verbum dici intrinſecè homini vnitum per veram, & realem terminationem naturæ humanæ, non verò quia aliquid in ſe recipiat, vt in 4. notabili explicatum fuit: ideò &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum intellectus creatus agnoſcere poſſit poſſibilitatem Incarnationis, & futuritionem; immò & eius exiſtentiam.

NOt. Quòd Incarnatio ſpectari poteſt, vel vt poſſibilis, vel vt futura, vel vt iam poſita in eſſe exiſtentiæ, & de omnibus his tribus præſens quæſtio agitatur: Quarè, cum alibi animaduerſum fuerit; quodnam ſit obiectum adæquatum intellectus; quid ſupernaturale, quoad ſubſtantiam, & quid quoad modum; immediatè ponuntur ſequentes concl.

I. Concl. Nullus intellectus creatus, ſiue humanus, ſiue angelicus poteſt ſolo lumine naturali Incarnationis poſſibilitatem, aut futuritionem agnoſcere; immò nec Incarnationem iam in eſſe exiſtentiæ poſitam. Hæc eſt communis. Prob. 1. pars. Entia ſupernaturalia ſecundùm ſubſtantiam non poſſunt naturæ viribus attingi, ſed Incarnatio eſt myſterium ſupernaturale ſecundùm ſubſtantiam, quod non continetur in aliquibus principijs, cauſis, vel effectibus naturalibus, ex quibus eius poſſibilitas deduci poſſit à priori, vel à poſteriori, ergo &c. Tum quia; ad hoc, vt illa poſſibilitas poſſet deduci, deberet euidenter cognoſcere potentiam obedientialem naturæ rationalis, ſecundùm omne id, ad quod illa potentia ſe ſe extendere poteſt; & pariter D. omnipotentiæ virtutem; ſed neutrum agnoſcere valet ſolo lumine naturali; ergo &c.

Accedit inſuper auctoritas S. Scrip. & ſignanter D. Paulus 1. ad Cor. cap. 2. vbi loquens de hoc myſterio dicit. *Eſſe*

Sapientiam in myſterio abſconditam, quam nemo Principum huius ſeculi cognouit; & ad Epheſ. 3. vocat illud: *inueſtigabiles diuitias Chriſti, & Sacramentum abſconditum à ſeculis in Deo*; & Iſai. 53. *Generationem eius quis enarrabit?* ergo intellectus creatus nec poſſibilitatem, nec futuritionem Incarnationis, quæ dependet omninò à D. Voluntate, lumine naturali vlla ratione cognoſcere potuit.

Prob. 3. pars concl. nempe intellectum creatum lumine naturali non poſſe cognoſcere Incarnationẽ exiſtentem iam factam. Incarnatio nec poteſt cognoſci intuitiuè conceptu proprio terminato ad eam prout eſt in ſe; quia cum ſit ſupernaturalis quoad ſubſtantiam, eſt etiam ſupernaturalis quoad cognoſcibilitatem; ac proinde tranſcendit captum naturalem intellectus creati, ſiue humani, ſiue angelici. Nec abſtractiuè, quia in primis cognoſci nequit euidentia intrinſeca ex cauſa, aut ex proprio effectu; cum exiſtentia Incarnationis in nulla cauſa naturali contineatur, ex qua poſſit à priori demonſtrari; nec ab effectu, quia non datur vllus effectus naturalis illius, ex quo poſſit oſtendi à poſteriori. Deinde nec oſtendi poteſt euidentia extrinſeca; quia nulla eſt creatura naturalis euidenter cognita, cum qua Incarnationis exiſtentia habeat neceſſariam connexionem, adeout ex ea poſſit euidenter extrinſecè cognoſci.

II. Concl. Intellectus humanus, ſuppoſita Fide, ac reuelatione diuina poteſt probabilibus rationibus, & exemplis oſtendere, & ſuadere Incarnationis myſterium. Huius conc. veritas apertè traditur à Sanctis Patribus, qui varijs exemplis, & ſimilitudinibus hoc ineffabile myſterium oſtendunt, ac declarant; quæ breuitatis gratia omitto, & affero illud ſolum exemplum Scoti de euidente reſpectu ſubiecti. Siquidem accidens poteſt comparari ad ſubiectum dupliciter. Primò per modum informantis, & hoc eſt imperfectionis tam in accidente, quàm in ſubiecto: 2. per modum ſubſtentificati ad ſubſtentificans; ſiue per modum poſterioris naturaliter ad prius, à quo dependet, non vt ab aliqua cauſa; ſi enim habet ſubiectum pro aliqua cauſa, habet illud pro cauſa materiali, & hoc eſt, vt informat ipſum; hæc autem habitudo importat imperfectionem. Sublatis igitur imperfectionibus ab hac vnione, erit ſatis idonea ad explicandum vnionem hanc hypoſtaticam.

Ete-

enim ſicut ſubiectum ſubſtentat accidens, & accidens à bjecto dependet; ita Verb.D. ſubſtentat naturam humam, & dependet ab eo in ratione terminationis: & ſicut cidens, & ſubiectum ſimul vnita vnum quoddam ſuppoum efficiunt, ita in hac vnione, licet ſint duæ naturæ, icum tamen ſuppoſitum habent, & deniquè ſicut accins aduenit ſubiecto iam exiſtenti, neque eſt de eſſentia ieċti, neque cum illo confunditur; ita humanitas vni Verbo æterno, nec eſt de ipſius eſſentia, neque fit vlla urarum confuſio, ſed vtraquè manet impermixta, & ſuo eſſe. Adde, quòd ſicut proprietates accidentis, & idens ipſum in concreto communicatur ſubiecto, ac eo enuntiantur, & è conuerſò; ita proprietates humanaturæ, & ipſa natura communicatur Verbo D. & de enuntiatur, & è conuerſò, vt in quæſt. de communicane idiomatum explicabitur.

rg. cont. 1. concl. 1. part. Ratio naturalis non iudicat denter Incarnationem eſſe impoſſibilem, ergo iudicare eſt illam eſſe poſſibilem: conſ. patet, quia inter contraoria, qualia ſunt poſſibile, & impoſſibile non datur ium. Reſp. neg. conſ. Ratio eſt, quia licèt à parte rei r Myſterium eſſe poſſibile, & impoſſibile non detur ium, poteſt tamen dari iudicium medium, hoc eſt ſuſſo, & negatio actus, quo iudicetur eſſe impoſſibile, & impoſſibile.

rg. 2. Angelus euidenter cognoſcit, Deum poſſe effiquidquid non implicat contradictionem; ergo poteſt ſcere poſſibilitatem Incarnationis, cum nullam dicat radictionem. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Aliud eſt ſcire, Deum poſſe, quod non dicit contradictio, aliud cognoſcere, hoc non dicere contradictionem; um enim pertinet ad principium vniuerſale; ſecun pertinet ad concluſionem particularem; Vndè Ans nequit cognoſcere ſubſiſtentiam Diuinam, eiuſquè municabilitatem per vnionem hypoſtaticam.

ices. Angelus poteſt cognoſcere ſubſiſtentiam crea quæ eſt ordinis naturalis; ergo ſaltem poteſt cogno Incarnationis exiſtentiam. Reſp. conc. ant. neg. Siquidem Angelus poſſet tantùm agnoſcere naturam nam abſquè propria ſubſiſtentia, non verò euiden-

ter inferre, ſubſtentari naturam humanam à Perſona D. ſed ad ſummum poſſet arguitiuè dubitare.

Arg. 3. Poſſunt ſolui, & de facto ſoluuntur à Theologis omnia argumenta Infidelium contra poſſibilitatem Incarnationis, ergo ſolo lumine naturali cognoſci poteſt, illam nullam inuoluere contradictionem ac proinde eam eſſe poſſibilem. Reſp. poſſe ſolui euidenter negatiuè, hoc eſt, negando principia, ex quibus inferuntur, & oſtendendo illationes ex illis principijs non conuincere; conc. poſitiuè ſolui poſſe, hoc eſt euidenter oſtendere, quòd principia illa ſint falſa neg. ant. Itaquè licèt cognoſcamus, ſaltem præſuppoſita Fide, argumenta infidelium contra poſſibilitatem huius Myſterij non eſſe demonſtratiua, ex nullo tamen principio naturaliter noto, ſeu cognito, poſſumus eorum falſitatem demonſtrare.

QVÆSTIO III.

Oſtenditur contra Hebræos, Meſſiam iam veniſſe.

NOt. 1. Quòd præſens quęſtio ſupponit ex conuenientia Iudęorum cum Chriſtianis, fuiſſe promiſſum à Deo in Sacris Scripturis aduentum cuiuſdam Hominis Iudæi, genere, & ſanctitate inſignis, qui ſaluaret populum ſuum: Hic autem vocatur Meſſias hebraicè, latinè vnctus, græcè Chriſtus; in quem, vt docent Theologi; & præſertim Scot. in 3 d. 25. q. 1. poſt Adæ peccatum omnes poſteri tenebantur credere, velut in Redemptorem, ſiue implicitè, ſiue explicitè; explicitè hoc eſt, quòd Meſſias Deus, & homo redimeret genus humanum, per hoc, quòd naſceretur de Virgine, & moreretur in Cruce. Implicitè, nempe, quòd Deus ordinaret aliquam viam redemptionis, ſiue hoc fiat per Filium ſuum Incarnatum, vel per Angelum, vel per Hominem purum; & hoc ſecundo modo, inquit Doctor, fuit neceſſarium credere pro omni ſtatu, & ab omnibus in Redemptorem: primo autem modo niſi ab habentibus legem Moſaycam, quia ipſi habuerunt fidem Redemptoris magis explicitè traditam in Prophetijs, & Pſalmis. Itaque cum Iudæi concedant poſſibilitatem, & negent factum,

nem-

nempe Chriſtum iam veniſſe; agendum eſt cum iſtis Teſtamenti veteris, & Rabbinorum auctoritatibus.

Not. 2 Quòd ad conuincendos Hebræos, oportet ſcire quæ ſint Scripturę ab eis receptæ: obſeruat Iohannes de Colonia Minorita in quæſt. magiſt. Scoti, quod Libri canonici à Iudæis recepti, tanquàm à Deo inſpirante ſcripti, numerantur viginti duo ſecundùm antiquam computationem, & ſecundùm modernam ſunt 24. quia lamentationes Hieremiæ, & liber Iudith ponuntur modò pro duobus. Diuiduntur autem hi libri canonici in legales; quales ſunt quinque libri Moyſis, & ponuntur in primo ordine apud Iudæos: octo in prophetales, nempe Ioſuè, Iudicum, Samuelis, ideſt primus, & ſecundus Regum, Malachim ideſt, tertius, & quartus Reg. Eſai. Hierem. Ezechiel. duodecim Prophetæ, & iſti dicuntur in ſecundo ordine. Decem dicuntur agiographi, ideſt Scriptura Sanctorum, & ſunt iſti nempe libri Pſal. Prouerb. Iob. Eccleſiaſtes. Cantica, Ruth, Lamentationes, Heſter, Daniel, & Eſdras, & iſti ſunt in 3. ordine.

Not. 3. quòd Libri recenſiti apud Iudæos ſunt multipliciter ſcripti. Vno modo purè hebraicè: alio modo ſermone chaldaico, ſed litteris hebraicis, litteræ enim hebraicæ, & chaldaicæ; vt aduertit idem Iohannes de Colonia non differunt in ſono, & virtute, ſed tantùm in figura. Nathan filius Ozielis ſcripſit vetus teſtamentum ſermone chaldaico, & ſcriptura hæc fuit tantæ auctoritatis apud Iudæos, quòd nullus auſus eſt ſibi contradicere, propter quod in libris notabilibus in lege eorum ſcribitur vna columna purè hebraicè; alia Scriptura chaldaica ab iſto ſcripta, & hac vtuntur quaſi expoſitione, quia quædam multò obſcure poſita in hebræo, purè in illo ponuntur, & clarè. Similiter translatio ſeptuaginta Interpretum apud Iudæos eſt multò authentica, quia de toto Populo fuerunt electi, tanquam peritiſſimi Viri in lingua hebraica, & græca, & tranſtulerunt de hebræo in græcum, non tantùm verbum ex verbo, ſed ſenſum ad ſenſum aliqua mutantes, aliqua ex induſtria occultantes, quæ poterant eſſe cauſa erroris Regi Ptolemæo. Inſuper liber Talmuth eſt apud Iudæos magnæ auctoritatis, & non differt à ſcripturis canonicis, niſi ſicut lex data Moyſi verbo, à lege data Moyſi ſcripta. Vndè ea, quę continentur in Talmuth, Moyſes non ſcripſit,

ſed tradidit Ioſue, & alijs Senioribus verbo, ſicut habuit à Deo, & alijs, quouſquè fuerunt ſcripta per Doctores. Pariter dicta Doctorum, qui gloſſauerunt vetus teſtamentum ſunt apud illos maioris auctoritatis, quàm apud nos ſint dicta Auguſt. & Hieron. quia Scriptura canonica præcipit, quòd in dubijs recurrant ad Sacerdotes, & Doctores, vt habetur Deuter. 17. vbi dicitur. *Non declinabis à verbis eorum ad dexteram, ſiue ad ſiniſtram*. Et licèt ea, quæ continentur in Talmuth, & dicta Doctorum hebraicorum ſint pro magna parte deprauata, & falſa, attamen per eos contra Iudæos poſſumus efficaciter arguere, ex eo quòd ſunt tantæ auctoritatis apud eos.

Not. 4. Quòd Iudæi vnum tantum Meſſiæ aduentum agnoſcunt; Theologi autem ex veteri Teſtamento duos eſſe Meſſiæ aduentus apertè oſtendunt. Oſtenditur ſiquidem primus aduentus in humilitate, & paupertate ad ſaluandum Zaccar. c. 9. *Ecce, Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator, & ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam*. Eſai. cap. 53. *Et quaſi abſconditus vultus eius, & deſpectus, vndè non reputauimus eum &c.* Secundus in maieſtate, & gloria ad iudicandum Eſai. cap. 3. *Dominus ad iudicandum veniet cum Senatoribus populi ſui, & principibus eius*. Daniel. 7. *Aſpiciebam ergo in viſione noctis; & ecce cum nubibus Cœli quaſi Filius hominis veniebat &c.* & alibi.

Concl. Iam venit Meſſias, ac proinde tranſactum eſt tempus primi aduentus. Ita docet Eccleſia Catholica, ita credunt omnes Chriſti fideles. Prob. igitur hæc veritas contra Iudæos, primò ex illo Geneſ. 49. de Iacob Patriarcha, dixit Iacob Filijs ſuis. *Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in diebus nouiſſimis*, & inter cætera Meſſiæ venturi arcanum patefecit, & vt eos cautiores redderet, etiam tempus eius aduentus oſtendit, dicens. *Non recedet ſceptrum de Iuda, & Scriba, ſiue legumdator de medio pedum eius, donec veniat Silo, ideſt Meſſias, & illi erit congregatio populorum*, ideſt gentium. Ita legitur textus hebræus, vt notat noſter Illuſtriſſimus Theodorus Epiſcopus Veglenſis in explicat. Symboli Apoſtolici; ad euitandas plures difficultates, inquit, quæ fiunt à modernis Iudæis contra hanc Scripturam iuxta noſtram verſionem, vt non intelligatur de Meſſia, ſed de aliquo alio. Verùm ſupradicta verba Patriarchæ ita leguntur in Targum, ſubdit idem Epiſcopus, ideſt in Chaldaica

transla-

tranſlatione Rabbi Ankelos. *Non pratibit auctor, vel factor poteſtatis, ſiue dominij regij de domo Iuda, & Scriba de filijs filiorum eius vſque in ſæculum quouſque veniat Meſſias cuius eſt Regnum. Et ei obedient, vel congregabuntur populi, ſiue nationes gentium ad eum.* Vnde ex hac Chaldaica traductione habemus, quòd illud verbum hebraicum Sceuet, quod virga, vel Sceptrum interpretatur ſignificat quoddam regium dominium. Illud autem verbum hebraicum Silo, ſignificat Meſſiam; quod etiam conſtat ex Bereſſith Kabba: vbi dicitur. *Donec veniat Silò, iſte eſt Meſſias: & ad eum congregabunt ſe gentes &c* hoc idem patet in Echa Rabbethi, ideſt in expoſitione planctus Ierem. ſuper illud Tren. cap. 1. vbi dicitur. *Quod eſt nomen Meſſiæ? Qui de domo Selà erant, dixerunt. Silò eſt nomen eius, ſicut dictum eſt Gen. cap. 49. Donec veniat Silò, ideſt Meſſias.* Ex his, & alijs locis habetur, quòd Silò eſt nomen Meſſiæ, & Sceuet ſignificat imperium & Sceptrum: hactenus Epiſcopus Veglenſis. Itaquè conſtat Iudæorum regnum, & iudiciariam poteſtatem finem habuiſſe in Herode Aſcalonita alienigena; ſub quo natus eſt Chriſtus. Prob. 2. ex reuelatione facta Danieli cap 9 cui dicit Angelus. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ ſunt ſuper populum tuum, & ſuper vrbem ſanctam tuam vt conſumetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas & adducatur iuſtitia ſempiterna, & impleatur viſio, & prophetia, & vngatur Sanctus Sanctorum.* Hebdomadæ in S. Scrip. dupliciter accipiuntur, primò pro ſpatio ſeptem dierum, & ſic accipitur leuit. 23. Secundò pro ſpatio ſeptem annorum, & ſic accipitur Leuitici 25. Numerabis tibi ſeptem hebdomadas annorum, ideſt ſepties ſepties, quæ ſimul faciunt 49. Iſtæ hebdomadæ etiam ſecundùm Rabbinos ſunt annorum, à quo autem anno incipienda ſit computatio iſtarum hebdomadarum, Angelus oſtendit dicens. *Ab exitu ſermonis, vt iterum ædificetur Hieruſalem vſque ad Chriſtum ducem:* quod multipliciter exponitur, nam aliqui dicunt, quòd incæpit ab anno primo Darij Regis Medi, quia illo tempore dixit Angelus iſta Danieli. Alij, quòd incœpit à 20. Anno Artaxerſis, quando nimirum idem Rex conceſſit, vt reædificaretur Hieruſalem, vt habetur Neem. 2. Alij, & meliùs, quòd incœpit à primo verbo ex reuelatione Domini procedente de reditu populi in Hieruſalem, & per conſequens reædificandi ibi templum

plum quod habetur Hierem. 29. vbi dicitur, *Cum cœperint impleri in Babilone 70. anni, viſitabo vos. & ſuſcitabo ſuper vos Verbum meum bonum, & reducam vos ad locum iſtum*, Hoc autem dictum fuit anno 4. Sedeciæ Regis, Menſe quinto, vt patet Ierem. 28. & ab iſto anno, vſquè ad annum paſſionis Chriſti fluxerunt 490. anni, qui faciunt ſeptuaginta hebdomadas annorum præcisè, vt deducit, & oſtendit Sapientiſſimus Nicolaus de Lira Daniel. cap. 9. & alij plures etiam ſecundùm omnes hiſtoriographos. Itaquè certiſſimè à pluribus ſæculis effluxerunt 70. hebdomadę, vndecumquè ſumatur computatio, & ſiue cenſeantur anni lunares, vt vult Iulius Africanus, & pauci alij, ſiue ſolares, vt habet vera, & communis doctrina. Vndè verè dixit Liranus cap. 9. Daniel. in fine. Non remanet Iudæis excuſatio ex diuerſitate computationum: cum tempus 70. hebdomadarum qualitercumquè computetur, iam per mille annos (adde tot alios centenos) tranſierit in præteritum, & amplius. Sola igitur obſtinatio malitioſa tenet eos in perfida expectatione Meſſiæ.

Conſtat igitur euidenter Sceptrum, & regiam poteſtatem Iudæorum iamdiù defeciſſe irrecuperabiliter, adeout non poſſet clariùs in aliqua gente, aut natione deficere. Ideoquè etiam Rabbi Dauid Kimhi hanc veritatem coactus eſt fateri, dum prophetiam Oſee. 3. verſu 4. fatetur, iam in Iudæis adimpleri, quando, inquit, nobis neque Rex eſt, neque Princeps ex Iſraele, nec vllum neque Dei veri, neque Idoli colendi inſtrumentum, ergo eſt euidentiſſimum, Meſſiam iam veniſſe, ſed de nullo eſt apparentia, vt infra oſtendetur niſi de Chriſto: ergo Ieſus ipſe eſt Meſſias.

Prob. 3. Ex Talmudiſtis antiquis. In libro Sanhedrin in cap. Helec habetur ſententia domus Eliæ. *Sex millia annorum erit mundus, & iterum deſtruetur. Duo millia inanitatis, ideſt ſine lege, duo millia legis, duo millia dierum Meſſiæ*: ita ibi &c. Si ergo Meſſias venturus erat in fine quatuor millium annorum mundi; etiam quintus milleſimus, & ſecundùm ipſos præterijt, & ſextus milleſimus præterierit per annos ſexcentos, & amplius, ac proinde Meſſias iam diù venit. Sanhedrin, vt obſeruat Fraſſen. erat Senatus D. auctoritate inſtitutus ex 70. Senioribus, vt legitur num. c. 12. in quibus reſidebat iudiciaria, & legislatiua auctoritas quos nos,

in-

ſinquit noſter Galatin. lib. 4. c. 5. appellare poſſumus Iudices ordinarios: dicebantur, quoque Meholcekim, id eſt ſcribę, ſiue legumlatores, & durauit Senatum hunc apud Hebræos etiam tempore captiuitatis Babylonicæ, quod ipſimet Iudæi fatentur in Paraphraſi chaldaica Cantici canticorum, vbi fit mentio illius Sanhedrin, quod erat in Babylone, qui Daniel. cap. 13. dicuntur Seniores Iudices, qui perſeuerauit vſquè ad Herodem Aſcalonitam, qui vt refert Ioſeph Heb. à Romanis Regnum accepit, vt latè oſtendit Frataen. tom. 3. tract. 1. diſp. 1. c. 66.

Nec dicant perfidi, & obſtinati Rabbini propter eorum peccata aduentum Meſſiæ retardari, & differri, quia talis reſponſio eſt euaſio, & gratìs excogitata. Poterat ſiquidem aduentus accellerari, ſed non retardari, vt ad hominem ſic probat Antiſtes Veglens. In eodem libro Sanhedrin cap. Helee ſic legitur. Dixit Rab. Alexander nomine R. Ioſuè, Filij R. leui. Scriptum eſt Iſaiæ cap. 60. Ego Deus in tempore ſuo accelerabo eum: ſi meruerint accelerabo eam, ſi non meruerint in tempore ſuo, ſupple, faciam eum (hic eſt ſermo de ſaluatione futura per aduentum Meſſiæ) vbi gloſſa inquit. Si fuerint boni ante tempus eius, ſin autem in tempore ſuo. Ex quo patet, quòd Meſſiæ aduentus non potuit differri; quia ſi boni erant acceleraſſet: ſi mali, in tempore ſuo veniſſet. Deniquè poſſet probari hæc veritas Catholica pluribus alijs Scripturis, vt Aggæi cap. 2. Malach. 3. Item ex pluribus Prophetijs de Natiuitate ex Virgine in Bethleem, de Præcurſore, de ingreſſu humili in Hieruſalem ſuper Aſinam, de miraculis, vita, & morte, ſed hæc ſatìs ſint.

QVÆSTIO IV.

Oſtenditur contra Iudæos, & quoſdam hæreticos Meſſiam in lege promiſſum fuiſſe verum Deum, & verum hominem.

NOt. Quòd cum ſatìs euidenter oſtenſum ſit in ſuperiori quæſt. ex Sacris Scripturis veteris teſtamenti Meſſiæ tempus eſſe præteritum, & conſequenter Meſſiam iam veniſſe; & Meſſiam eſſe Chriſtum, quia illud idem tempus,

quo natus eſt Chriſtus, fuit prædictum; in hac quæſtione opus eſt præſertim contra Iudæos oſtendere, Meſſiam in lege promiſſum eſſe verum Deum, Dei Filium, non per adoptionem, ſed naturalem Patri coæternum, & conſubſtantialem; eo quòd Iudæis (exceptis Prophetis) non erat reuelatum Myſterium SS. Trinitatis; & conſequenter ipſi credebant tantum in Deum; vndè putabant, Meſſiam venturum non fore Dei Filium, ſed purum hominem naſciturum, ſicut cæteri homines ex ſeminis commixtione. Hinc Iudæi audientes Chriſtum, facientem ſe Filium Dei; eum lapidare tentarunt, dicentes. *Quia tu homo cum ſis, facis te ipſum Deum*; quibus Chriſtus dixit. *Scrutamini Scripturas, quia ipſa ſunt quæ teſtimonium perhibent de me*. Itaque oportet prius monſtrare Iudæis ex S. Scrip. & interpretatione Rabbinorum, dari SS. Triadis myſterium; ideò ſit.

I. Concl. Cum vnitate Eſſentiæ D. ſtat pluralitas Perſonarum. Eſt de fide, vt probatum eſt in 1 p. tract. de Trin. Sed probanda nunc eſt contra Iudæos. Geneſ. cap. 1. dicitur. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram*. Hebraica vetuſtas habet. *Eloim, loco Dei*, Eloim autem, vt notat noſter Ioan. de Colonia cit. loc. eſt nomen plurale, & coniungitur verbo ſingularis numeri; ergo in Deo eſt aliqua pluralitas cum vnitate eſſentiæ.

Nec valet reſponſio Iudæorum dicentium, quòd Eloim dicitur de Deo vero, & non vero, de vero in ſingulari, de non vero in plurali. Non valet, inquit Doct. cit. quia Ioſue cap. vlt. habetur. Non poteritis ſeruire duobus, quia Dominus Sanctus ipſe: hæbraica vetuſtas habet, quia Eloim Sancti ipſi.

Item Iſai. cap. 54. *Dominabitur tui, qui fecit te, Dominus exercituum nomen eius*. Hæbraica vetuſtas habet. Dominatores tui factores tui: Thetragramaton nomen eius, ergo cum vnitate Eſſentiæ D. ſtat pluralitas Perſonarum.

Inſuper Eccleſ. cap. 2. *Quis eſt homo qui poſſit ſequi Regem factorem ſuum?* hebraica vetuſtas habet. Quis eſt homo, qui intret poſt Regem, qui iam fecerunt eum, ſcilicet hominem, gloſſa hebraica. Nec valet, ſi Iudæi dicunt, quòd nomen Eloim dicitur de vno ſolo, patet de ſuſcitatione Samuelis Reg. 1. c. 28. *Vidi inquit, mulier phitoniſſa Eloim aſcendentem de terra*; quia Samuel non ſurrexit ſolus, ſed Moyſes cum eo; quia timuit vocari ad diuinum iudicium, ideò rogauit

Moy-

Moyſen venire ſecum, vt eſſet ſibi teſtis, quòd integre ſeruaſſet legem ab eo ſcriptam. Mulier ergo, quæ ſolum Samuelem vocauerat videns alium dicit in plurali. *Vidi, inquit, Deos aſcendentes de terra.*

II. Concl. Chriſtus, ſeu Meſſias in lege promiſſus eſt verus Deus, & verus Homo. Eſt de Fide, & prob. ſic contra Iudæos Hierem. 25. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & ſuſcitabo Dauid germen iuſtum*; Ecce Chriſti Humanitas: & hoc eſt nomen, quod vocabunt eum Dominus iuſtus noſter: Ecce Chriſti Deitas. Hæc ſiquidem Scriptura intelligitur ſecundùm omnes expoſitores hebræos, vt notat Iohan. de Colonia, de Chriſto ad literam, & vbi nos habemus Dominus, hebræi habent Thetragrammaton, quod eſt proprijſſimum nomen Dei nulli alteri conueniens. Vndè Rabbi Moyſes in lib. directionis dicit, quòd omnia nomina diuina deriuata ſunt à diuinis operibus præter nomen Domini Thetragrammaton, quod eſt proprium altiſsimo Creatori.

Prob. & ex Eſaia cap. 9. *Paruulus natus eſt nobis, & filius datus eſt nobis, & factus eſt principatus ſuper humerum eius. & vocabitur nomen eius admirabilis, conſiliarius, Deus fortis, Pater futuri ſæculi, princeps pacis.* Quia paruulus, ecce vera humanitas. Quia nomen eius admirabilis &c. ecce vera Deitas: Nec dicant hebræi, quòd textus non dicit, vocabitur, ſed vocabit, & eſt ſenſus. Deus, qui eſt admirabilis &c. vocabit paruulum principem pacis. Falſa expoſitio: ait Iohan. Colon. quia ſeptuaginta ſic habent. *Vocabitur nomen eius &c.* Inſuper prob. per Micheam cap. 5. *Et tu Bethleem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te enim mihi egredietur, qui ſit Dominator in Iſrael, & egreſſio eius ab initio à diebus æternitatis.* Per exitum de Bethleem, Chriſti humanitas deſignatur, quia de ſemine Dauid, qui fuit de Bethleem. Per exitum æternitatis, æterna natiuitas, per quem ſemper à Patre naſcitur, & ſemper natus eſt. Et quòd hic textus intelligatur ad literam de Chriſto patet, quia vbi nos habemus Dominator, Chaldaica habet, Meſsias.

Denique prob. ex Zachar. cap. 9. *Exulta ſatìs filia Syon, iubila filia Hieruſalem; ecce Rex tuus veniet tibi iuſtus, & Saluator:* quibus verbis deſcribitur Chriſti Deitas: *Ipſe pauper, & aſcendens ſuper Aſinam*; ecce eius humanitas; quæ Scriptura non poteſt exponi, niſi de Meſſia ad literam ſecundùm Aucto-

res hebræos; ita Ioan. Colon. Cæterùm, quia Chriſtus erat Deus, & homo, dedecebat eum naſci, ſeu concipi hominis ſemine; ideoque ex Spiritu Sancto de puriſſimis ſanguinibus immaculatæ Virginis Meſſias conceptus eſt; prout in lege, & Prophetis multipliciter fuit prædictum; Afferam tantum illud Iſaiæ cap. 7. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel*; quo nomine ſignificatur etiam Diuinitas Filij B. Virginis, nam, Emmanuel, interpretatur nobiſcum Deus.

Prob. 2. concl. ſignanter contra hæreticos ex nouo Teſtamento, quod etiam ab ipſis recipitur. Ioan. c. 1. *Deus erat Verbum &c. & Verbum caro factum eſt &c.* cap. 8. *Antequàm Abraham fieret, ego ſum*. Cap. 20. *Ego, & Pater vnum ſumus*: & D. Paulus Epiſt. 1. cap. 5. *Hic eſt verus Deus*, & alibi ſæpiſſimè. Eandem veritatem tradunt Sancti Patres, Sacra Concilia, & Scholaſtici Theologi diſerte eam oſtendunt.

Prob. contra Manichæos, alioſquè hæreticos aſſerentes Verb. D. aſſumpſiſſe corpus phantaſticum; ac proinde tantùm apparenter fuiſſe hominem, natum, paſſum, reſuſcitatum &c. & contra Anabaptiſtas, negantes, Chriſtum habuiſſe veram carnem ex Virgine aſſumptam, ſed habuiſſe cœleſtem, & diuinam ex Patris eſſentia genitam, vt refert Bellar. lib. 3 de Chriſto cap. 1. & denique contra Arianos, qui putarunt in Chriſto non eſſe veram Animam; ſed Verbum (quod ſentiebant non eſſe Deum, ſed ſupremam creaturam) ei fuiſſe loco Animæ, prob. inquam, contra prædictos omnes, Meſſiam, ſeu Chriſtum eſſe etiam verum hominem: Et quidem primò; quia talis veritas catholica ſemper fuit in Eccleſia credita, in Symbolis fidei expreſſa, & in pluribus Concilijs definita: cui etiam conſentiunt Iudæi, quibus nihil certius fuit, quàm Meſſiam fore verum hominem ex ſemine Abrahæ, & femore Iacob, Filium Dauid, prout in Prophetis clarè continetur; & perſpicuè conſtat ex dictis paulò ſuperiùs.

Cæterùm; quia Manichæi vetus Teſtamentum non admittunt; prob. ex locis noui Teſtamenti. Io. c. 8. *Quæritis me interficere hominem &c*. D. Paul. ad Rom. cap. 5. *Si vnius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia vnius hominis Ieſu Chriſti in plures abundauit*: & alibi paſſim dicitur homo, & Filius hominis; quæ loca ſemper in ſenſu

pro-

proprio ſunt intellecta. Et meritò: Etenim ſi in rebus ad fidei fundamentum ſpectantibus Scriptura loqueretur ambigua, vel ſecundùm apparentiam, omnia eſſent incerta, falſiſquè interpretationibus expoſita: ita diſcurrit Herincx p. 4. diſp. 1. q. 3. qui pergens eandem veritatem oſtendere ſubdit. Deinde idem conuincit tota hiſtoria Eccleſiaſtica, in qua deſcribitur Chriſti Geneologia, Conceptio, Natiuitas ex Virgine, Vita in terris acta: Scribitur locutus fuiſſe, comediſſe, fleuiſſe, ambulaſſe, fatigatus fuiſſe, multa tormenta, mortemquè Crucis ſubijſſe. Ipſe etiam Chriſtus Matt. 26. de ſe ipſo ait. *Triſtis eſt Anima mea vſque ad mortem*, & Luc. 24 *Videte, quia Spiritus carnem, & oſſa non habent, ſicut me videtis habere &c.* ergo Chriſtus eſt etiam verus homo.

Adducunt Manichæi illud ad Philipp. 2. vbi dicitur. *Chriſtus in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus, vt homo*: ergo erat ſimilis homini, & non verus homo. Sed reſp. eos ignorantia malitioſa inuolui; quia Scriptura loquitur de ſimilitudine, non tantùm apparenti, ſed vera; nempe in ſpecie humana, prout intelligitur quod Gen. 5. dicitur. *Adam genuiſſe Filium ad imaginem, & ſimilitudinem ſuam.*

QVÆSTIO V.

Quomodo probari poſſit contra Paganos, ſeu Gentiles nedum poſſibilitas Dominicæ Incarnationis, ſed etiam eius exiſtentia.

NOt. 1. Quòd Gentiles negant omnimodè tam vetus, quàm nouum Teſtamentum, Patres, & Concilia. Quare oportet priùs, videre, & inueſtigare: An talis articulus Incarnationis ſit poſſibilis; & deinde: An ſit facta talis Incarnatio; multa enim ſunt Deo poſſibilia, quæ tamen nunquàm fient. Poſſibilitas autem alicuius noſtræ fidei articulus dupliciter poteſt demonſtrari, nempe euidenter poſitiuè, & euidenter negatiuè; quod etiam paulò ſuperiùs indicauimus. Etenim in tantùm Gentilis negat Incarnationem eſſe factam, quia ſupponit eam impoſſibilem; quòd ſi ſemel probauerimus, ipſam non eſſe impoſsibilem, Paganus non ita obſtinatè negabit, eſſe factam. Siquidem conſtat, Paganos negare noſtros articulos, quia reputant

eſſe

eſſe impoſsibiles; & certè de Incarnatione ita diſcurrere poſſunt. Quomodo Deus fieri poteſt homo; ſi Deus eſt immortalis, infinitus &c. homo autem mortalis, finitus &c.

Not. 2. Quòd Scot. 2. d. 1. q. 5. reſpondendo ad argumentum illud D. Thom. nempe. Quodlibet aliud à Deo factum eſſe ex tempore, eſt articulus fidei, ergo ad hoc non expedit fieri demonſtrationes; nec propter fideles, nec propter infideles, quia ſic euacuaretur meritum fidei &c. ait, quòd ſi ſint rationes aliquæ neceſſariæ pro creditis, non eſt periculoſum eas adducere, nec propter fideles, nec propter infideles; non quantùm ad fideles; ſi enim Doctores Catholici inquirentes veritatem creditorum per rationes, & nitentes intelligere, quod crediderunt, non per hoc intendebant deſtruere meritum fidei; immò Auguſt. & Anſel. crediderunt meritoriè laborare, vt intelligerent, quòd crediderunt, iuxta illud Iſai. 7. ſecundùm aliam tranſlationem. *Niſi credideritis non intelligetis*. Credentes enim inquirebant, vt intelligerent ea, quæ crediderunt per rationes. Nec periculoſum eſt quantùm ad infideles, ſi rationes neceſſariæ poſſent haberi; etſi non poſſunt haberi rationes neceſſariæ ad probandum eſſe factum, ideſt articulum fidei: Si tamen haberentur ad probandum poſsibilitatem facti, etiam vtile eſſet eas adducere contra infidelem, quia per hoc aliqualiter perſuaderetur, ne reſiſteret talibus creditis ſicut impoſsibilibus. Ex qua Scoti doctrina patet, vtile eſſe oſtendere per rationes, ſi quas habeamus, infidelibus noſtræ fidei articulorum poſsibilitatem.

I. Concl. Poſsibilitas Incarnationis oſtendi poteſt infidelibus euidenter negatiuè, non tamen euidenter poſitiuè. Eſt communis ſententia Theologorum. Prob. Illud recta ratione naturali, & prudentum arbitrio hoc modo poſſibile meritò iudicatur, quod à nemine argumentis contrarijs poteſt ſufficienter reſpui, & refelli, nec abſurdum, aut impoſſibile reputari, ſed Incarnatio Verbi D. ſic ſe habet, ergo meritò poſſibilis iudicari debet: mai. eſt manifeſta, ex eo, quòd natura ipſa docet, viros prudentes nihil debere ſine recta ratione affirmare, vel negare; ergo nec aliquid impoſſibile aſſerere, quando argumenta contraria probabiliter ſolui poſſunt: minor remanet probata ex dictis ſuperiùs, vbi oſtenſum fuit, non eſſe repugnantiam nec ex par-

te

te Verbi D. nec ex parte naturæ humanæ. Itaque licèt hoc Myſterium nequeat euidenter poſitiuè demonſtrari contra Paganos, probatur tamen euidenter negatiuè; oſtendendo omnia argumenta, quæ fiunt contra hunc articulum, eſſe euidenter ſolubilia, & de facto à Theologis ſolui, vt inter alios docuit noſter Mayronus in quæſt. quol.

II. Concl. Myſterium Incarnationis etiam de facto Paganis oſtendi, & ſuaderi poteſt. Et quidem primò per miracula; vt ſilentium falſorum Deorum oraculi poſt Chriſti aduentum impoſitum; cuius fit mentio apud Plutarchum, & alios. Item illa ſtupenda eclipſis, quæ præter ordinem naturæ in morte Chriſti accidit, cuius meminit Plegon Chronologus Ethnicus, Adriani Imperatoris libertus lib. 13. de temporibus, vt refert Origenes lib 2. contra Celſum, & Euſebius in Chronico, de quo etiam in Archiuis Romanorum factam fuiſſe mentionem aſſerit Tertul. in apologia aduersùs Gentes. 2. Suadetur ex teſtimonijs Sibyllarum; fuerunt enim primis ſeculis puellæ vaticinio Spiritu afflatæ, & futura præſagientes, quas Sibyllas dixerunt; vt videre eſt apud Theatrum humanum; idquè Diuina Prouidentia; cum enim etiam apud Gentiles eſſet Eccleſia vera, voluit Deus illis quoque reuelare Chriſti Myſteria, & quòd à Sibyllis, quæ erant gentiles, & veluti gentium prophetiſſæ prædicarentur, & clariùs, quàm à Prophetis; de quibus agunt D. Aug. lib. 18. de Ciuit. Dei, & Lactant. lib. 4. inſtit. cap. 6. & 15. qui inter cætera hæc Sibyllarum teſtimonia de Chriſti Natiuitate, & Paſſione refert. *Ipſa tuum ſtulta Deum non cognouiſti, ſed ſpinea coronaſti corona horridumquè fel miſcuiſti*. Item. *Et dabant Deo alapas*. Item lib. 8. Sybillinorum carminum fit mentio de annunciatione B. V. &c. *Accipe Virgo Deum gremio intemerata pudico*. Et de ligno Crucis. *O lignum felix, in quo Deus ipſe pependit*. Clemens lib. 6. Stromatum dicit, Apoſtolum hortatum gentiles fuiſſe ad lectionem Sibyllarum. Referuntur paſsim à Doctoribus etiam carmina Sibyllæ Erithreæ de Chriſto, quorum capitales litteræ faciunt hanc ſententiam *Ieſus Chriſtus Filius Dei Saluator, Crux*, & clauduntur hoc diſticho.

Vnus, & æternus Deus hic ſeruator, & idem.
Chriſtus pro nobis paſſus, quem carmina ſignant.

Quæ carmina videri poſſunt apud Auguſt. lib. 18. de

Ci-

Ciuit. cap. 23. Sed audiant Pagani etiam Suetonium in Veſpaſiano Tito teſtantem, quòd *fama erat in toto Oriente, Filium Dei venturum eſſe in Mundum, & oſtendendum ſignum in Cœlo Magis ſui aduentus*. Probari inſuper poteſt ex communibus nostris fidei; & ex ſpecialibus huius Myſterij, vt ſunt miracula, tum ab ipſo Chriſto, tum a Chriſtianis facta in confirmationem Diuinitatis ipſius, & deniquè quòd tum hoc myſterium, tum alia fuerint tanto ante tempore prænunciata per oracula Prophetarum, & Sibyllarum, ac tam manifeſtè impleta: quæ tamen conſtat non eſſe conficta a Chriſtianis, quorum ne nomen quidem adhuc erat auditum, & ſapienter oſtendit D. Aug. lib. 18. de Ciuit. cap. 46. & Theodoretus orat. 1. de Prouidentia.

QVÆSTIO VI.

Quomodo oſtendi poſſit Mahumetanis Chriſtum extitiſſe, & eſſe verum Dei filium.

NOt. Quòd Mahumetus fatetur, Euangelium Chriſti, & teſtamentum vetus eſſe verum Dei eloquium. Commendat Pſalterium, & alios Prohetas. Affirmat Chriſtum Prophetam maximum, tam gloria miraculorum, quam ſanctitatis præſtantia, toti Orbi conſpicuum. Eius Matrem Virginem concepiſſe, Virginem peperiſſe, & Virginem ſemper remanſiſſe. Chriſtum nullius labem incurriſſe, immò nec incurrere potuiſſe. Negat tamen à Iudæis fuiſſe Crucifixum, ſed quemdam ei ſimilem. Credit, quòd Deus tranſtulerit illum in Cœlum, & quòd in fine Mundi ſit apparituruṡ, & occiſurus Antichriſtum, & demum moriturus. Sed negat cum Ario, & Eunomio Chriſtum eſſe verum Deum, & Dei Filium, aſſerens cum Arianis Chriſtum nunquam Deum, nec Filium Dei ſe nominaſſe. Ita loquitur Alchoranus cap. 4. cui titulus eſt de menſa in fine, vbi inducit Deum cum Ieſu colloquentem. Itaquè Mahumetus fatetur Chriſtum extitiſſe; ſed negat eſſe Dei Filium; quo probato, probata remanebit Dominica Incarnatio.

Prob. igitur primò ad hominem. Chriſtus in ſententia Mahumeti eſt impeccabilis, ergo mentiri non poteſt, ſed Chriſtus dixit, ſe eſſe Filium Dei, ergo hoc verum eſt, alioquin

quin Chriſtus mentitus eſſet: ant. pat. ex dictis eorum in Alchorano cap. 2. de Familia Amrani, & cap. de Maria: Minor prob. Matt. 16. Petro dicenti. Tu es Chriſtus filij Dei viui. Chriſtus reſpondit. *Beatus es Simon Bar iona, quia caro, & Sanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in Cœlis*; ergo Chriſtus tanquam veritatem à Deo conteſtatam, Diuinitatem ſuam, & diuinam ſui filiationem aſſeruit. Item Ioan. cap. 22. de illo Cæco à natiuitate, quem ſanauit Ieſus, à quo tanquam Deum adorari voluit. *Tu credis (ait ei Chriſtus) in filium Dei? Reſpondit ille, & dixit; Quis eſt Domine, vt credam in eum? & dixit ei Ieſus. Et vidiſti, & qui loquitur tecum, ipſe eſt. At ille ait: credo Domine. Et procidens adorauit eum*; & alibi ſæpè.

Præterea ſi quæramus à Mahumeto, quare Chriſtus Crucifixus eſt à Iudæis? Vel ſaltem, vt conformiter ad eius ſententiam loquamur, quare Iudæi tentauerunt eum occidere? Certè ſi vult loqui conformiter ad ea, quæ totus mundus, Gentiles hiſtorici, Chriſtiani, & S. Scriptura, quam admittit, dicunt; reſpondere debet; Quia filium Dei ſe fecit. Ita Ioan. cap. 19. Reſponderunt Iudæi. Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia Filium Dei ſe fecit, & cap. 5. *Propterea quærebant eum Iudæi interficere, quia ſe Filium Dei faciebat, æqualem ſe faciens Deo*; ergo ſi Chriſtus ita clarè, ac apertè dixit, ſe Deum; & Chriſtus non poteſt mentiri, neceſſariò, & euidenter ſequitur, quòd ille Chriſtus, quem vos ò Mahumetani prædicatis magnum Prophetam, ex Matre Virgine ortum &c. ſit Filius Dei, ac proinde conſtat Verbi Dei incarnatio.

Dicent Mahumetani. Si Chriſtus eſt Deus, ſciret diem iudicij; ſed id ignorat, vt habetur Matt. cap. 24. *Neque filius hominis ſcit*, ergo &c. Quamplures reſponſiones afferuntur; ſed communis Patrum reſponſio eſt; quòd Chriſtus dixit neſcire, vt reuelaret curioſis, quales in hoc facto ſe oſtendebant Apoſtoli. Si replicent, quòd Chriſtus reprehendit vnum ex ſcribis, quia appellaſſet eum Magiſtrum bonum. *Quid me dicis bonum? nemo bonus niſi ſolus Deus*: ita Matt. cap. 19. ergo &c. Reſp. cum D. Baſilio, Ambroſio, & alijs Patribus. Quòd Chriſtus ad hominem arguit. Ille ſcriba opinabatur, Chriſtum eſſe purum hominem, ideoquè vocabat eum bonum. Redarguit eum Chriſtus: Cur me dicis

bo-

bonum, ſi ex alia parte me purum hominem cenſes? Si me dicis bonum crede etiam, quod ſim Deus. Quia nemo bonus (loquendo de bonitate eſſentiali, & imparticipata) niſi ſolus Deus; Cæterùm contra Mahumetanos militant etiam rationes aliquæ ſuperiùs allatæ contra Gentiles, & Hebræos.

QVÆSTIO VII.

Vtrum congruentiùs fuerit, naturam humanam potiùs, quàm angelicam à Verbo D. aſſumi.

NOt. Quòd congruum fuit, & decens D. Perſonam Incarnari, vt docent D. Bonau. in 3. d. 1. art. 2. q. 1. Alenſ. D. Thomas, & alij, quia hoc maximè pertinet ad manifeſtationem diuinæ bonitatis, ſapientiæ, iuſtitiæ, & potentiæ. Vndè dicit Damaſc. in principio tertij. Per Incarnationis myſterium monſtratur ſimul bonitas, & ſapientia, & iuſtitia, & potentia Dei, vel virtus. Bonitas quidem, quia non deſpexit proprij plaſmatis infirmitatem. Iuſtitia, quia homine victo non alium fecit vincere tyrannum, neque vi eripuit ex morte hominem, Sapientia, quia inuenit difficillimi decentiſſimam ſolutionem. Potentia denique, ſiue virtus infinita, quia nihil eſt maius, quàm Deum fieri hominem. Igitur ſuppoſita Incarnationis conuenientia quæritur. An fuerit congruentiùs naturam humanam potiùs, quam angelicam à Verbo D. aſſumi.

Concl. Congruentiùs fuit, naturam humanam potiùs, quàm angelicam aſſumi. Ita Alenſ. D. Bonau. quibus conſonant omnes Theologi. Prob ex D. Bonau. Ratio maioris congruentiæ, inquit Seraph. Doctor dupliciter accipitur, videlicet ſecundùm humanæ naturæ inſtitutionem, & ſecundùm eiuſdem reparationem. Ratione primi maior eſt congruentia in humana natura, quàm angelica, & hoc triplici de cauſa. Prima eſt propter perſonalem diſtinctionem, quæ quidem in humana reperitur ſecundùm originem, & non in angelica, & ideò magis congruebat, quòd Perſona Filij, quæ diſtinguitur à Perſona Patris ſecundùm originem eam naturam acciperet, in qua proprietatem filiationis retineret: 2. eſt propter maiorem Diuini Exem-

plaris repræſentationem, ratione cuius homo dicitur minor mundus. Anima enim rationalis non tantùm repræſentat Deum prout conſideratur in ſe, ſed in quantùm vnitur corpori, quod regit, & in quo toto habitat, ſicut Deus in maiori mundo; & hoc pluries dicit D. Aug. *quòd ratione maioris huius conformitatis, maior erat ratio vnibilitatis*. 3. eſt propter multiplicem hominis compoſitionem; quia enim homo compoſitus eſt ex natura corporali, & ſpirituali, & quodammodò communicat cum omni creatura, ſicut dicit D. Greg. hinc eſt, quòd cum humana natura aſſumitur, & deificatur, quodammodo omnis natura in ea exaltatur, dum in ſuo ſimili Deitati vnitur. Et hinc eſt, quòd aſſumptio humanæ naturæ plùs facit ad totius vniuerſi perfectionem, quàm angelicæ, & ideò maior eſt in ea congruitas ad vnionem, etiam ſecundùm ſuam inſtitutionem. Similiter, & ſecundùm reparationem maior congruitas in ea reperitur ad vnionem triplici de cauſa; nempe. Quia homo magis indigebat, & minùs indignus erat, & amplius ei proderat, vt Filius Dei aſſumeret naturam humanam. Magis indigebat, quia totus lapſus fuerat. Minus indignus erat, quia per alium corruerat. Plùs ei proderat, quia adhuc in malo obſtinatus non erat. Quoniam ergo D. miſericordia iſta tria penſat in beneficijs, quæ impendit, hinc eſt, quòd Deus, qui eſt diues in miſericordia, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos magìs aſſumpſit humanam naturam, quàm angelicam.

Arg. cont. concl. Deus Spritus eſt Ioan. c. 4. ergo creatura, quæ plus habet de ratione ſpiritualitatis, plus conuenit cum Deo; & quæ plus conuenit cum Deo plus eſt vnibilis in vnitatem perſonæ, ſed natura angelica eſt ſpiritualior humana. & plus conueniens cum Deo, ergo plus vnibilis in vnitate hypoſtatica. Reſp. ex D. Bonau. diſting. primum conſ. plus conuenit cum Deo natura angelica intenſiuè, conc. conſ. extenſiuè, neg. Homo namque, vt mox dicebatur, conuenit in ſpiritualitate ratione Animæ, & corpus ſuperadditum facit ad conformitatis maioritatem.

Arg. 2. Natura aſſumpta eo ipſo, quo aſſumpta eſt, exaltata eſt ſuper cæteras creaturas; ſed quantò creatura eſt excellentior, tantò eſt magìs idonea exaltari; ergo cum natura angelica ſit excellentior humana congruentiùs fuerit,

ipſam

ipſam aſſumere, quàm humanam. Reſp. conc. mai. & neg. min. Rationem dat Seraph. Doct. dicens, quòd etſi Angelus altior ſit natura, quàm homo, per gratiam tamen vnionis magis decuit hominem, quàm Angelum exaltari, & ad confutandam ſuperbiam luciferi, qui Deo voluit æquari; & ad commendandam gratiam Dei, vt appareat, quòd ſublimatio in gloria non ſit ex natura, ſed potiùs ex gratia diuina.

Quæres 1. Quare Chriſtus venerit in fine temporum potius, quàm in principio.

Reſp. cum D. Bonau. in 3. d. 1. art. 2. q. 4. ob quadruplicem cauſam Prima ob peccatum puniendum. In hoc enim manifeſtatur diuinæ vltionis ſeueritas, quæ tantos clamores ſuſtinuit, antequam vellet deſcendere, Adamo interim cum ſua poſteritate in limbo exulante à Paradiſo: 2. Propter morbum meliùs curandum, morbus enim ſpiritualis non curatur debitè niſi infirmus priùs eum cognoſcat, & pro curatione eius gratus exiſtat. Plus enim homo ęgrotat per ingratitudinem pro curatione, quàm per culpæ omiſſionem: & ideò debuit Deus beneficium Incarnationis differre, vt homo conuinceretur de impotentia, & ignorantia; tam in lege indita, ideſt naturæ, quàm ſcripta, vt ſic conuictus confugeret ad diuinam gratiam, & confugiens curaretur efficaciter: 3. propter ordinem vniuerſi ſeruandum, quia enim hoc erat plenum, & maximum beneficium differri debuit vſque ad plenitudinem dierum, iuxta illud Apoſt. *At vbi venit plenitudo &c.* 4. propter Incarnationis amplius commendandum; quod enim ampliùs differtur, & diutiùs deſideratur, pretioſius reputatur; & ideò beneficium Incarnationis, quod eſt inter Dei beneficia pretioſiſſimum priùs debuit eſſe deſideratum, & expectatum, quàm exhibitum.

Quæres 2. Cur magìs congruum fuit, Perſonam Verbi Incarnari, quàm aliam Perſonam Diuinam.

Reſp. ex D. Bon. in 3. d. 1. art. 2. q. 3. ob duplicem rationem. Primò quia Verb. D. eſt imago Patris; & Filius, & in quantùm eſt imago, quia homo aſſumptibilis erat ratione dignitatis imaginis, & ideò congruum ei fuit Incarnari, aſſumendo naturam humanam, quæ facta eſt ad imaginem Dei. In quantùm eſt Verbum conuenit ei vniri carni ſenſibili

ſibili ad manifeſtationem Patris; ſicut Verbum intelligibile copulatur voci ſenſibili ad manifeſtationem intentionis. In quantùm autem eſt filius magìs ei congruit, filium hominis fieri, quàm Patri, vel Spiritui S. & inſuper, quia Verbum D. eſt media perſona in Trinitate, ideò magìs decebat, vt mediator fieret inter Deum, & hominem, quàm alia perſona: 2. ex parte humanæ reparationis, quia enim homo peccauerat appetendo ſcientiam, & æqualitatem Dei; ideò conſequenter facta eſt reparatio per Filium, cui appropriatur ſcientia, & æqualitas: & etiam, quia reparatio facta eſt per obedientiam, & ſupplicationem mediatoris, Vndè magìs congruit, filium ſupplicare patrem, eiq; obedire. Poſtremò ſi conſideretur Incarnationis fructus, vel affectus magìs competebat Filio Incarnari, quia Incarnatio ordinata erat, vt ſimus Filij Dei; ſi ergo poſterius per illud habet reduci, quod eſt prius in eodem genere, congruum fuit, vt Filij Dei efficeremur per eum, qui eſt filius naturalis. Vnde D. Aug. lib. 3. de Trin. cap. 3. ait; *Vt homo ex Deo naſceretur, primò ex ipſis natus eſt Deus, oportuit enim, vt per eum efficeremur filij adoptiui, qui eſt filius naturalis*. Tum quia Perſona filij habet mitti à Patre, & Spiritus S. à Patre, & Filio; hinc eſt, quòd miſſio in carnem filio competebat; & miſſio Spiritus S. redemptione facta, fieret ab vtroquè ad manifeſtationem proceſſionum diuinarum. Hinc Apoſt. ad Gal. *Cum venerit plenitudo temporis miſit Deus Filium ſuum &c.* & poſt: *Vt adoptionem filiorum Dei &c.* & denique. *Quoniam autem eſtis Filij Dei, miſit Deus Filium ſuum in corda veſtra*.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum cauſa Filio Dei veniendi in Mundum fuerit humani generis reparatio; adeò vt ſi Adam non peccaſſet, Verbum D. non fuiſſet Incarnatum.

NOt. 1. Quòd ſenſus quæſt. eſt; An Deus de facto venerit in mundum ob redemptionem generis humani; tamquam cauſam motiuam, ſeu finalem adęquatam, adeò vt ſi Adam non peccaſſet, Verbum D. Incarnatum non fuiſſet. Ex quo conſtat; vt paſsim notant Scotis &c. quæſtionem procedere de facto, non verò de poſſibili. Nulli du-

bium eſt, Deum Incarnari potuiſſe, Adamo non peccante; loquendo de poſsibili; & inſuper quæſtionem procedere ex vi præſentis decreti iam conditi; non autem alterius, quod feciſſet, Adamo non peccante; hoc enim cognoſci non poſſet, inquit Maſtrius, niſi diuinando. Quare Patres, & Scripturæ de Incarnatione Verbi loquentes; ſemper de hoc Myſterio loquuntur ex vi decreti iam facti, quòd Deus ab æterno habuit de Incarnatione tali tempore facienda. Igitur quæritur. An tale decretum iam conditum, habeat cum peccato Adæ tantam connexionem, vt eo non peccante, Verbum D. non fuiſſet Incarnatum; in quo ſenſu nobilis, & vtiliſſima eſt quæſtio cum ſic quæratur primarium, & adæquatum Incarnationis motiuum.

Not. 2. quòd circa hanc quæſt. ſic explicatam referuntur tres opiniones. Prima eſt D. Thom. p.3. q.1. art. 3. & alibi, docentis; Deum decreuiſſe Incarnationem ob ſolam redemptionem generis humani; ita vt ſi Adam non peccaſſet, Verbum D. carnem non aſſumpſiſſet; quam ſententiam ampiectuntur omnes eius diſcipuli, & plures neutrales: 2. eſt Alenſ. p.3.q.1. memb.13. Alb. Mag. in 3.d.1.art.4. D. Bon. in 3.d.1.art.2.q.2. qui, licet priorē opinionem teneat, hanc tamen vocat rationabiliorem, his conceptis verbis, poſtquam pro vtraq; parte poſuerit rationes. *Quis autem horum modorum melior ſit, nouit ille, qui pro nobis Incarnatus eſt. Quis etiam horum alteri præponendus ſit, difficile eſt videre pro eo quod vterquè modus Catholicus eſt, & à viris Catholicis ſuſtinetur. Vterquè etiam modus excitat Animam ad deuotionem ſecundùm diuerſas conſiderationes. Videtur autem primus modus magis conſonare iudicio rationis; ſecundus tamen (ſicut apparet) plus conſonat Pietati Fidei:* hactenus Doctor Seraphicus, qui abſolutè citari ſolet pro oppoſita ſententia; quibus ſubſcribitur Scotus in 3. d.7. q.3. & diſt.9. q.vn. & cum eo Scotiſtæ omnes. Tertia ſententia, quæ mediam viam tenere videtur eſt Suarez, Hurtad. Granad. Auerſæ, & quorundam aliorum Recentiorum, qui, vt ſaluarent teſtimonia S. Scrip. & Patrum pro vtraq; parte militantium, ſunt opinati; ita Verbum ex vi præſentis Decreti Incarnatum, vt adhuc ceſſante peccato, & ſine redemptionis veniret, non quidem ex vi eiuſdem Decreti, ſed alterius, quod factum eſſet, data hypotheſi; & in hoc ſenſu explicant Patres aſſerentes, Adamo non peccante, Chriſtum non venturum.

Not.

Not. 3. pro fundamento noſtræ ſententiæ; quòd Incarnatio Verbi D. non fuit occaſionaliter præuiſa, ſed ſicut finis videbatur immediatè à Deo in nunc æternitatis; ita Chriſtus in natura humana cum ſit cæteris propinquior fini, priùs prædeſtinatus fuit. Vndè iuxta Scoti doctrinam de prædeſtinatione ponitur iſte ordo in præuiſione diuina. Primò Deus intellexit ſe ſub ratione ſummi boni. In 2. ſigno intellexit omnes creaturas poſſibiles, & futuras. In 3. ſigno prædeſtinauit hos ad gloriam, & gratiam, & circa alios habuit actum negatiuum non prædeſtinando. In 4. præuidit illos caſuros in Adam. In 5. præordinauit, ſiue prouidit de remedio. Itaquè Chriſtus in carne, ſicut & omnes electi priùs præuidebantur, & prædeſtinabantur ad gratiam, & gloriam, quàm præuideretur paſſio Chriſti, vt medicina contra lapsū; ſicut medicus priùs vult ſanitatem hominis, quàm ordinet de medicina ad ſanandum.

Concl. Etiamſi Adam non peccaſſet, adhuc Chriſtus Incarnatus fuiſſet, non quidem, vt Redemptor, ſed vt Glorificator. Eſt Scoti, & aliorum. Prob. primò ratione deſumpta ex Chriſti prædiſtinatione. Chriſtus eſt volitus, & prædeſtinatus à Deo ante pręſcientiam peccati Adæ; ergo prædeſtinatio Chriſti eſt independens à tali peccato, & eius remedio, ac proinde, ſi Adam non peccaſſet, adhuc Verbum D. Incarnatum fuiſſet: pat. conſ. quia priùs non poteſt pendere à poſteriori: ant. prob. Prædeſtinatio Chriſti fuit prior decreto producendi creaturas, & conſequenter decreto permittendi peccatum Adę; ergo prędeſtinatio Chriſti fuit volita à Deo ante permiſsionem, & præſcientiam peccati Adæ. Prob. ant. ex S. Scrip. D. Paulus ad Coloſs. 1. dicit. Quòd Chriſtus eſt primogenitus omnis creaturæ, non ordine executionis, vt cuilibet eſt manifeſtum, ſed intentionis, & cauſalitatis finalis. Nec dicant Thomiſtæ D. Paulum loqui de Chriſto ſecundùm Diuinitatem, quia ſecundùm hanc dicitur Vnigenitus, non Primogenitus, vt notauit inter alios D. Athanaſ. & Patres Concilij Epheſini; ergo ex Scriptura conſtat Chriſtum fuiſſe prædeſtinatum ante omnem creaturam, ac proindè ante peccati Adæ pręuiſionem.

Confirmatur totus hic diſcurſus ratione Scotica. Vniuerſaliter ordinatè volens prius videtur velle hoc, quod

eſt fini propinquius, & ita ſicut priùs vult gloriam alicui, quàm gratiam; ita etiam inter prædeſtinatos, quibus vult gloriam ordinate priùs videtur, velle gloriam illi, quem vult eſſe proximum fini; & ita huic Animæ Chriſti vult gloriam priùs, quàm alicui alteri velit gloriam, & priùs cuilibet alteri vult gratiam, & gloriam, quàm præuideat oppoſita iſtorum habituum, nempe gratiæ, & gloriæ, ideſt peccatum, & damnationem, ergo à primo priùs vult Animæ Chriſti gloriam, quàm præuideat Adam caſurum; quæ ratio ſic breuiter in forma reduci poteſt. Ordinatè volens prius intendit ea, quæ ſunt proximiora, ſed Deus ordinatiſſime vult, & Incarnatio eſt rerum omnium nobiliſſima, ac proinde propinquior Deo, veluti vltimo fini, ergo Incarnatio, ſeu prædeſtinatio priùs fuit à Deo volita, & intenta, quàm productio creaturarum, & tantò magis, quàm peccati præuiſio.

Tres reſponſiones à Thomiſtis afferuntur ad hoc argumentum ſoluendum, at breuitati intentus duas tantum affero; Prima eſt huiuſmodi. Decretum Incarnationis, & Chriſti prædeſtinationem eſſe quidem priorem in mente D. in genere cauſæ finalis, ideoque appellari primogenitum, & in Sap. c. 8. *Initium viarum Domini*, & Apoſtolum dicere 1. ad Corint. cap. 3. *Omnia veſtra ſunt, vos autem Chriſti, Chriſtus autem Dei*, eſſe tamen poſteriorem permiſſione, & præſcientia peccati originalis in genere cauſæ materialis, ſeu occaſionalis, quia ex tali peccato Deus ſumpſit occaſionem volendi Incarnationem, & prædeſtinandi Chriſtum, vt hominum Redemptorem, ſub qua ratione intendi nequit, niſi præuiſo homine, vt materia perficienda. Non enim repugnat, id, quod eſt priùs independens in vno genere cauſæ, eſſe poſterius, & dependens in alio, cum cauſæ ſint ſibi inuicem cauſæ; vt varijs exemplis confirmant Thomiſtæ præſertim in Philoſophia.

Reſponſio 2. procedit diſtinguendo principale ant. Chriſtus eſt volitus, & prædeſtinatus à Deo ante permiſſionem, & præſcientiam peccati Adæ. Si illa particula, ante, denotet prioritatem in omni genere cauſæ; neg. ant. Si denotet ſolùm prioritatem in genere finis qui, vel cuius gratia, conc. ant. & neg. conſ. Nihil enim vetat, Chriſtum in ordine intentionis priùs fuiſſe volitum, vt finem qui, ſeu cuius

gra-

gratia, quàm remedium peccati, ſeu humanum genus, vt redimendum, & poſterius in ratione finis cui, quia nimirum Incarnatio ordinatur ad redemptionem hominum, & cedit in bonum, & vtilitatem humanæ naturæ; idquè explicant exemplo Medici deſiderantis ſanitatem infirmo: ipſa enim infirmitas eſt prior ęgroto in ratione finis, qui, ſeu cuius gratia, æger verò, cui ſanitas deſideratur eſt prior in eodem genere cauſæ finalis in ratione finis cui. Inſuper cum Caietano Thomiſtæ reclamant contra ordinem poſitum à Scoto de D. Prouidentia, & cum eodem alium ordinem ſtatuunt, quo euertere nituntur fundamenta noſtræ ſententiæ. Igitur ſic diſcurrunt Thomiſtæ. Quæ pertinent ad ordinem naturæ priùs à Deo præuidentur, quàm ea, quæ ad ordinem gratiæ, vel vnionis hypoſtaticæ ſpectant; ideoquè peccata, cum ad ordinem naturæ pertineant, priùs à Deo fuerunt præuiſa, quàm vnio hypoſtatica. Hinc tres ordines rerum diſtinguunt cum ipſo Caiet. p. 3. q. 1. art. 3. nempe naturæ, gratiæ, & vnionis hypoſtaticæ; primus ſupponitur ſecundo, vt eius fundamentum; & ſimiliter ſecundum 3. vndè concludunt omnia, quæ pertinent ad ordinem naturæ, in quo continentur peccata priùs præuideri à Deo, quàm ea, quæ ad gratiæ ordinem pertinent; vndè ſequitur, Chriſtum fuiſſe primò prædeſtinatum, non verò quòd fuerit prædeſtinatus ante peccatum originale; prædeſtinatio namque, aiunt, ſpectat ad ordinem gratiæ, peccati verò permiſſio ad ordinem naturæ; ac proinde decretum permiſſionis peccati præcedit Chriſti prædeſtinationem.

Verùm huiuſmodi reſponſiones, nedum non euertunt Scoti fundamenta, ſed nec eius rationes ſufficienter ſoluunt. Non quidem prima, quia, vt Maſtrius cum Rada diſcurrit; nulla ratio cauſæ materialis fingi poteſt; eò quòd ſi peccatum occaſio Incarnationis fuit, potiùs ad cauſam finalem reuocanda erit hæc cauſalitas, quàm ad materialem; nam eſſe occaſionem nil aliud importare videtur, quàm Deum mouere ad peccati remedium, quod rationem finis habet. Repugnat ergo dicere, Incarnationem in ratione finis fuiſſe ſimpliciter priorem, peccatum verò præceſsiſſe in ratione occaſionis, cum etiam hoc ad rationem finis ſpectet.

Neque 2. reſponſio. Etenim ſi Incarnatio decerneretur tantùm ob ſolam remiſsionem peccati; conſequens eſſet; quòd

quòd illa non foret, niſi exiſteret peccatum; ac proindè haberet tantummodò exiſtentiam occaſione debendi peccatum; & ſic ſecundùm ſe, & abſolutè ordinaretur ad peccatum, ſed quod ſecundùm ſe, & abſolutè ordinatur ad aliud, ita quòd habeat tantùm exiſtentiam propter illam ordinationem, non ordinatur ſolùm ad finem cui, ſed etiam ad finem cuius gratia, ergo, ſi eſſet inordinata diſpoſitio, quod maius bonum referatur ad minùs, tamquam ad finem qui, conſequens eſſet, quòd minus rectè ordinaretur Incarnatio ad ſolam remiſsionem peccati. Minor patet. Quia id dicitur ordinari ad aliud tamquàm ad finem qui, ſaltem immediatum, quando ſolùm producitur ob aliud, nec vllam haberet exiſtentiam, ſi ita ad aliud non ordinaretur, ſic enim creaturæ dicuntur ordinari ad gloriam Dei, tamquàm ad finem qui, quia ob ſolam Dei gloriam creatæ ſunt.

Cæterùm quod attinet ad ordinem D. prouidentiæ à Caiet. excogitatum præter dicta in p. 1. diſp. de Prouidentia addendum præſertim cum Fabro in 3. & Maſtrio, quòd talis ordo eſt contrarius doctrinæ D. Thomæ docentis, prædeſtinationem cuiuſcumque ad gloriam eſſe independenter à meritis, ac proinde prædeſtinatio cuiuſcumque ad gloriam præcedit ex parte obiecti naturaliter præſcientiam peccati, ergo multò magis prædeſtinatio Animæ Chriſti; quæ eſt maioris excellentiæ Anima Adæ.

Præterea Mors prædeſtinati pertinet ad naturam; cum ſit naturæ defectus; attamen præſcientia mortis illius non antecedit electionem eiuſdem ad gratiam, & gloriam, maximè in ſententia Thomiſtarum, qui volunt prædeſtinationem fieri ante præuiſa merita. Similiter peccatum crucifigentium Chriſtum fuit grande peccatum, ac proindè ſecundùm Aduerſarios ſpectare debuit ordini naturæ, ergo ſi priùs fuit intentus ordo naturæ, quàm ordo gratiæ, ſequitur, quòd Deus priùs vidit peccatum crucifigentium Chriſtum, quàm ipſum Chriſtum, quod eſt abſurdum; quia cum Chriſtus ſit ſubiectum, circa quod verſari debebat illa actio peccaminoſa, non potuit hæc precognoſci, niſi tali ſubiecto præcognito; ergo rationes Scoti ſtant in ſuo robore, & ordo Caietani euaneſcit.

Prob. amplius auctoritate D. Anſelmi, qua vtitur ipſemet Scot. d. 7. §. poteſt igitur dici. Vbi probat homines

futuros eſſe beatos, etiamſi Angeli non peccaſſent, quia alias (inquit) gaudendum eſſet hominibus, quòd peccauerint Angeli, & generaliter concludit; *nullam Animam eſſe in Cœlo, quæ ſibi perſuadeat ſine peccato alterius illam non fuiſſe gloriam poſſeſſuram*, ergo ita de Anima Chriſti dicendum; quæ certè ſibi non perſuadet, nec nos credere debemus, illam non fore deificandam per vnionem, & ad gloriam eleuandam ſine peccato. Tum quia, Adamo non peccante, futura erat Eccleſia militans, ſed tunc non fuiſſet Acephala, ideſt ſine capite, ergo habuiſſet aliquod caput, non aliud niſi Chriſtum; quod patet ex dictis & ex illo ad Epheſ. 1. *Omnia ſubiecit ſub pedibus eius, & ipſum dedit caput* (hic enim loquitur de Chriſto) *ſupra omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius*: ergo à primo vſq; ad vltimum Chriſtus veniſſet in mundum, etſi Adam non peccaſſet; cum primarium, & principale motiuum Incarnationis quoad ſubſtantiam fuiſſet excellentia ipſa myſterij; hoc eſt, vt per illud exaltaretur natura humana in Chriſto, & ſimul manifeſtaretur ſumma Dei bonitas, & cætera Diuina attributa; Secundarium verò, & minùs principale redemptio generis humani.

Arg. 1. cont. concl. pluribus auctoritatibus; nempe S. Scrip. vt Lucæ cap. 19. *Venit filius hominis quærere, & ſaluum facere, quod perierat*; vt 1. ad Timot. c. 1. *Chriſtus Ieſus venit in mundum peccatores ſaluos facere*. Prob. ex SS. Concilijs, & ſignanter Epheſin. Nicen. Calcedonen. docentibus in Symbolo, prout canit Eccleſia. *Qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem*. Item *O fœlix culpa, quæ talem, ac tantum meruit habere Redemptorem*; & inſuper. *O verè neceſſarium Adæ peccatum*: quæ omnia apertè indicant cauſam finalem Incarnationis, & præciſam, qua poſita, ponitur, qua ſublata tollitur Incarnatio D. Verbi; Idem expreſsè fatentur omnes SS. Patres; ergo ſi Adam non peccaſſet, Verbum D. carnem humanam non aſſumpſiſſet.

Reſp. breuiter ex Scoto loc. cit. dicendo, omnes allatas auctoritates; & alias, quæ produci poſſunt loqui de facto, & ſtantibus rebus prout ſtant; non autem loquuntur in caſu, quòd Adam non peccaſſet. Itaquè Chriſtus non veniſſet, vt Redemptor, niſi homo cecidiſſet, ſed vt glorificator, de quo modo non ſunt locuti Patres. Immò Symbolum clarè fauet noſtræ ſententiæ; cum dicat. Qui propter nos

 ho-

homines; ideſt vt Glorificator, & deinde propter noſtram ſalutem, ideſt vt Redemptor; venit ergo primariò vt caput Eccleſiæ. Primus prædeſtinatorum primogenitus in multis fratribus; & ſecundariò ad noſtram ſalutem.

Arg. 2. Gloria, & exaltatio Chriſti fuit finis noſtræ redemptionis, ergo ſi Adam non peccaſſet non fuiſſet exaltatus; ac proinde in mundum non veniſſet. Reſp. diſting. ant. Gloria accidentalis, & ſecundaria, conc. ant. gloria eſſentialis, & primaria, neg. ant. Primaria dicitur illa, quæ immediatè obuenit Chriſto ex ipſa myſterij excellentia per vnionem hypoſtaticam, & veluti ſubſtantialis, de qua loquitur Apoſt. 1. ad Corint. 2. dum inquit loquimur Sapientiam &c. Secundaria verò, ac veluti accidentalis eſt, quæ Chriſto obuenit ob redemptionem noſtram, de qua pariter habet Apoſt. cum dixit. Factus eſt obediens &c.

Arg. 4. Si Verbum D. carnem aſſumpſiſſet, etiamſi Adam non peccaſſet; tunc vel veniſſet in carne paſſibili, vel impaſſibili, ſed neutro modo, ergo &c. Prob. Non in carne paſſibili, vt patet, quia ſtante innocentia, non fuiſſet paſſibilis: Non in carne impaſſibili, quia ſi ante prꝗuiſionem peccati decreuit aſſumere carnem impaſſibilem, ergo de facto ipſam aſſumpſiſſet, alioquin illud decretum fuiſſet ſuperfluum, & poneretur mutatio decretorum in D. voluntate, quod implicat. Prob. hæc ſequela; nam de facto venit in carne paſſibili, ſed non venit, niſi prout decreuit, ergo primum decretum de carne impaſſibili fuit vanum, & mutatum.

Reſp. Quòd ſi Adam non peccaſſet, veniſſet in carne impaſſibili extrinſecè, non quidem, quòd primum decretum fuerit de impaſſibilitate explicitè, quia ſolùm fuit terminatum ad ſubſtantiam incarnationis; & prædeſtinatum ad carnem abſolutè aſſumendam; attamen ex tali prædeſtinatione futurus erat impaſſibilis in ſua cauſa, quia abſque vllo decreto beatitudo Animæ redundaſſet in corpus. Nec tali pacto ſecundum decretum pugnat cum primo, quia in primo fuit prædeſtinatus impaſſibilis tantùm in cauſa, in ſecundo paſſibilis in ſe.

Si dicatur. Dari non poteſt, vel excogitari caro in medio quodam ſtatu, quæ non ſit nec paſſibilis, nec impaſſibilis, cum Deus decreuerit naturam ſingularem, compoſitam

ſitam ex Anima, & corpore aſſumere, ac proindè intrinſecè paſsibilem, quia intrinſecè corruptibilem.

Reſp. verum eſſe de paſsibilitate, & impaſsibilitate intrinſeca, non verò de paſsibilitate, & impaſsibilitate extrinſeca, de qua hic eſt ſermo: Satìs de hac celeberrima controuerſia; qui plura optat adeat noſtros Doctores: maximè Recentiores.

Quæres. An, ſi ſolum peccatum originale; vel ſola peccata actualia ſine originali extitiſſent, Chriſtus ex vi præſentis decreti veniſſet. Reſp. Quòd veniſſet quidem Chriſtus vi præſentis decreti ſolo exiſtente peccato originali; ſecus autem ſi ſola peccata actualia extitiſſent. Ita communiter Doctores. Prob. quia D. Paulus appellat Chriſtum ſecundum Adam, qui venit reſtaurare omnia, quæ primus Adam per ſuam tranſgreſsionem perdiderat; & ſic conformiter ad Apoſt. loquuntur SS. Patres. Vndè canit Eccleſia. *O verè neceſſarium Adæ &c.* Accedit ratio. Siquidem Deus decreuit Myſterium Incarnationis, vt totam naturam, quæ in Adamo perierat, recuperaret; ſed ſic eſt, quòd, etſi nullum aliud peccatum præter originale fuiſſet, tota natura eodem modo perijſſet; peccatum namque originale eſt infectio totius naturæ; ergo Chriſtus ex vi præſentis decreti veniſſet; Secùs autem eſt dicendum ſi ſola peccata mortalia actualia extitiſſent; cum peccatum actuale non inficiat naturam, ſed Perſonam illam tantùm, à qua tale peccatum committitur.

Confirmatur. Quia ſublato motiuo principali præſentis decreti, ſtare nequit præſens decretum; ſed primarium motiuum redemptionis noſtræ fuit peccati originalis remedium, vt patet ex dictis, ergo &c. Itaque venit Chriſtus ex vi præſentis decreti ad delendum peccatum originale, primò, & principaliter; ſecundariò, & conſequenter ad delenda peccata actualia.

QVÆSTIO IX.

Vtrum neceſſarium fuerit, Deum Incarnari.

NOt. Quòd præſens quæſtio moueri poteſt, vel de neceſſitate abſoluta, vel de neceſſitate ex ſuppoſitione

pec-

peccati; igitur in vtroque ſenſu erit reſolutio. Verùm priuſquàm ad reſolutionem veniamus, obſeruanda eſt ſingularis opinio Granados, qui in 1. p. tract. 2. diſp. 3. de voluntate Dei, putat Deum ſemper velle id, quod eſt optimum in his rebus, in quibus aſſignari poteſt optimum, cuiuſmodi ſunt, inquit, res omnes, in quibus non eſt progreſſus in infinitum, vt etiam notaui ex D. Bonau. in diſp. de potentia Dei: at in reliquis datur optimum; & huiuſmodi ſunt Incarnatio, & eius negatio, prædeſtinatio, & non prædeſtinatio; creatio mundi; & non creatio. In his ergo dicit Granados, Deum ſemper facere optimum; & addit, quòd ad hoc volendum, & faciendum neceſſitatur à ſua natiua bonitate, & propenſione, adeò vt moraliter non poſſit id non velle, licèt habeat potentiam phyſicam ad oppoſitum, quæ ſufficit, vt tunc Deus liberè velit, & operetur. Verùm hæc opinio meritò reijcitur ab omnibus Theologis, velut repugnans communi ſenſui Catholicorum, aſſerentium, Deum ad extra liberè agere, nec bonorum noſtrorum indigere, vt teſtatur Propheta.

I. Concl. Incarnatio nulla neceſſitate abſoluta, nec phyſica, nec morali fuit neceſſaria. Eſt conformis Patribus, & Theologis. Prob. prima pars. Incarnatio eſt actio Dei ad extra, ergo neceſſariò debet eſſe libera, alioquin Deus ageret ex neceſſitate naturæ, quod eſt contra fidem. Prob. 2. pars; nempe de neceſſitate morali. Libertas phyſica ſolùm, cum impotentia morali inuoluit imperfectionem in Deo; cum impotentia moralis, vt aduertit Lugo diſp. 2. ſect. 2. proueniat ex maxima difficultate circa aliquid phyſicè poſſibile, quod vincere difficile eſt, ergo &c. Tum quia ſola potentia phyſica cum impotentia morali communiter vocatur à Patribus, & Concilijs, vt notat Caſpenſis, non potentia ſimpliciter, ſed potiùs impotentia; quo ſenſu dicunt, hominem non poſſe vitare omnia venialia abſquè ſpecialiori auxilio gratiæ; cum tamen hæc non ſint phyſicè impoſſibilia, ſed ſolùm moraliter; ergo Deus nulla neceſſitate abſoluta, nec phyſica, nec morali eſt Incarnatus.

II. Concl. Poſito hominis lapſu non fuit ſimpliciter neceſſaria Incarnatio, ſed ſicut liberè omninò redemit, ita potuit Deus ſine remedio relinquere. Hæc patet; quia apertè traditur in S. Scrip. & SS. Patribus: Vndè Ioan. 3. dici-

citur. *Sic Deus dilexit mundum, vt Filium ſuum vnigenitum daret*. Et Apoſt ad Tit.3. *Qui ſecundùm ſuam miſeri ordiam ſaluos nos fecit*; & Sap. cap.2. *Quis tibi imputauerit ſi perierint nationes, quas tu feciſti?* Accedit etiam ratio. Nam Deus omnia ad extra operatur ſecundùm conſilium voluntatis ſuæ; & nihil perfectionis, vel imperfectionis ponitur in Deo propter ſalutem, & perditionem hominis, & cuiuſcumquè creaturæ; ergo nulla neceſſitate Deus mouetur ad hominem perditum recuperandum.

III. Concl. Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria, etiam poſito decreto de reparando humano genere. Hæc eſt apud omnes Theologos certiſſima. Prob. ſignanter ex illo Io. 4. *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium ſuum vnigenitum miſit Deus in mundum, vt viuamus per ipſum*; ſed opus charitatis non eſt opus neceſſitatis, ſed ſummæ liberalitatis; ergo Incarnatio non fuit ſimpliciter neceſſaria, etiam poſito decreto de genere humano redimendo. Hanc eandem veritatem perſpicuè docent SS. Patres; ſufficiat nobis audire D. Aug. pro omnibus, qui lib. de Agone Chriſti cap 11. ait, *Sunt ſtulti qui dicunt. Non poterat aliter ſapientia Dei homines liberare, niſi ſuſciperet hominem, & naſceretur ex fæmina, & à peccatoribus omnia illa pateretur*: ergo &c.

Arg. cont. 1. concl. Deus ſemper operatur quicquid eſt melius; nam de poſſibilibus agendum quod melius, alioquin, aut non poſſumus, aut neſcimus, aut nolumus. Vnde D. Aug. lib. 3. de lib. arb. relatus à Scot. in 3. d. 13. q. 2. §. quantum ad ſecundam queſtionem. *Quicquid tibi vera ratione melius occurrit, hoc ſcias, magìs Deum feciſſe, quàm non feciſſe*; Sed meliori ratione occurrit, Deum ſe communicare naturæ humanæ per vnionem hypoſtaticam, ergo &c.

Reſp. dinſting. mai. Deus ſemper operatur &c. id quod eſt melius ex parte rei volitæ neg. mai. ex parte modi volendi, nempe, vt velit meliori modo, quo poteſt, cum infinita bonitate, ſapientia, & prouidentia, vel infinitè bene, vt cum D. Thoma diximus in quæſt. de D. potentia, conc. mai. ex quo patet, quid ſit dicendum ad D. Aug. auctoritatem. Siquidem veriſſimum eſt, voluntatem D. vtpote ſummè bonam neceſſitari ad volendum, libertate tamen eſſentiali, ſemper ſummum bonum, quod eſt ipſemet Deus; at in ordine ad creaturas, non neceſſitatur ad volendum id,

quod eſt melius ex parte rei volitæ, ſed tantùm vult melius ex parte modi, quatenus, nec meliori ſapientia, prouidentia &c.

Arg. cont. 2. concl. Patres, & ſignanter D. Anſel. lib. cur Deus homo cap. 12. Athanaſius 6. de Incarnat. Verbi; & Cyrillus 8. Theſauri c. 7. docent, non decuiſſe opus Dei imperfectum manere, nec potuiſſe aliter perfici, quàm per Incarnationem, ergo &c. Reſp. Quòd SS Patres interpretandi ſunt ex ſuppoſitione D. ordinationis, & decreti, quo ſemel voluit hominem perfectè reparare condigna ſatisfactione.

Arg. 2. quod eſt indecens, & indignum D. bonitati, poteſt dici abſolutè indignum, ſed indecens erat D. bonitati, vt homines perirent ob Dæmonis fraudem; qui gloriaretur victoriam reportaſſe; ergo &c. Reſp. diſting. mai. quod eſt indecens contrariè, ideſt, quod eſt contrarium D. bonitati: conc. mai. quòd eſt indecens negatiuè tantùm, hoc eſt minùs bonum, minùs conueniens; neg. mai.

QVÆSTIO X.

Vtrum aliqua merita præceſſerint vnionem Verbi Incarnati.

NOt. quòd præſens quæſtio procedit de merito tam de condigno, quàm de congruo, quid autem ſit meritum de condigno, & de congruo ſatis explicatum eſt in tract. de Gratia diſp. de merito; Solùm hìc addo, quòd meritum de congruo dupliciter conſiderari poteſt, primò pro congruitate fundata in pura Dei miſericordia, ſinè aliquo iure, aut debito ex parte operantis. Secundò pro congruitate fundata in proportione amicitiæ, & in opere elicito in ſtatu gratiæ ab Amico; amicitia namquè cum ſit pars potentialis iuſtitiæ videtur fundare aliquod debitum, non quidem rigoroſum ſicut meritum de condigno, ſed ſecundùm quid, ità quòd deceat bonitatem, & ſapientiam præmiantis, vt tale præmium largiatur Amico.

Not. 2. quòd de triplici genere Perſonarum poteſt agitari quæſtio, nempe de Chriſto, de Immaculata Virgine, & de SS. Patribus; nomine autem SS. Patrum hìc intelliguntur

tur Viri illi Sancti, qui Christi aduentum præceſſerunt, ſiue legis naturæ, ſiue ſcriptæ quibus de futuro Meſſia facta fuerat ſpecialis à Deo reuelatio. An videlicet promeruerint Chriſtus, B. Virgo, & SS. Patres Incarnationis myſterium. Incarnatio autem ſpectari poteſt vel ſecundùm ſubſtantiam; quatenus nempe eſt vnio D. naturæ cum humana in vnitate ſuppoſiti: vel ſecundùm circumſtantias, ſeu rationes aliquas extrinſecas, quæ illam antecedunt, comitantur, vel ſubſequuntur; qualia ſunt v.g. Maternitas Virginis, tempus Incarnationis, beneficium videndi, & annuntiandi Chriſtum.

I. Concl. Chriſtus de facto non meruit per ſuas operationes ſubſtantiam Incarnationis, ſeu vnionem hypoſtaticam. Hæc videtur de fide, contra Neſtorium, Fauſt. & alios hæreticos dicentes, Chriſtum ſuam Incarnationem meruiſſe; eò quòd per aliquod tempus vnionem hypoſtaticam, natura humana præceſſerit; & certè quoad hanc partem concl. eſt de fide. Prob. auctoritate S Scripturæ, quæ pluribi Incarnationis ſubſtantiam in Dei miſericordiam, ac benignitatem refundit; vt ad Timot. 3. *Cum apparuerit benignitas &c. & Lucæ cap. 1. Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri viſitauit nos oriens ex alto.* Eandem veritatem docent SS. Patres. Vndè D. Aug. lib. de corrept. & gratia cap. 11. loquente ſpecialiter de Chriſto ait. *Ille homo quià egit ante, vt ad hanc excellentiam ineffabilem (ideſt vnionis hypoſtaticæ) perueniret? Nonne faciente, & ſuſcipiente Verbo, ipſe homo, ex quo eſſe cæpit Filius Dei, eſſe cæpit?* ergo Chriſtus, non meruit ſubſtantiam Incarnationis Prob. ratione. Actus ſecundus neceſſariò ſupponit primum; & effectus, ſeu operatio neceſſariò præſupponit ſaltem in aliquo inſtanti durationis realem ſuæ cauſæ exiſtentiam; ergo cum Chriſtus habuerit eſſe per vnionem hypoſtaticam; non potuit eiuſdem Incarnationis ſubſtantiam mereri.

Confirmatur. Etenim principium meriti non poteſt cadere ſub merito; ſed vnio hypoſtatica eſt principium omnis meriti, ergo non poteſt cadere ſub merito operis procedentis ab illo: minor eſt certa; maior patet ex doctrina D. Aug. Proſperi, Hilarij, & aliorum Patrum, & Conciliorum contra Pelagianos, docentium primam gratiam non cadere ſub merito, eò quòd omne meritum præcedat, tamquàm

quam eius principium. Qua ratione oſtenditur, Chriſtum nec per actus ſubſequentes vnionem hypoſtaticam, & à Verbo vt vnito humanitati procedentes potuit Incarnationem mereri nec de condigno, nec de congruo: etſi contra communem ſententiam oppoſitum teneat Suarez; & quidam alij

II. Concl. Immaculata Virgo meruit eſſe Mater Dei, non quidem de condigno, ſed de congruo. Hæc eſt communis. Prob. omnia merita B. Virginis procedebant ex gratia adoptionis, quæ vt ſic ſolùm reſpicit, & inclinatur ad obtinendam beatitudinem, non autem ad promerenda, quæ ſpectant ad vnionem hypoſtaticam, ad quam pertinet maternitas Dei, velut circumſtantia intrinſeca Incarnationis; ergo B. Virgo non meruit de condigno Dei maternitatem. Tum quia ad meritum de condigno præter excellentiam, & dignitatem operis, neceſſariò requiritur pactum, & promiſſio ex parte præmiantis; at non conſtat de vlla promiſſione, qua Dei Maternitas repromiſſa eſſet B. Virgini ſub conditione bonorum operum eiuſdem Virginis; ergo &c. Prob. 2. pars. Ex SS Patribus. D. Aug. de nat. & grat. cap. 36. *Concipere meruit, & parere eum, quem conſtat nullum habuiſſe peccatum* D. Ambroſ. lib. de Virginibus. *Digna fuit, ex qua Filius Dei naſceretur*, D. Petrus Damian. ſer. 2. de aſſump. *Singularis eius Sanctitas, & gratia hoc promeruit, quòd ſuſceptione Dei ſingulariter iudicata eſt digna*. Vnde de ea canit Eccleſia. *Vt dignum Filij tui habitaculum effici mereretur*; ergo &c. & rurſus. *Meruit portare Regem Cœlorum, & Dominum*; ſed non meruit B. Virgo de condigno, vt dictum eſt, ergo conſequens eſt, quòd meruerit de congruo.

III. Concl. Sancti Patres non meruerunt de congruo Incarnationem quoad ſubſtantiam, neque quantùm ad circumſtantias intrinſecas, ſed tantùm quoad circumſtantias extrinſecas, puta, temporis, loci, & propagatione ex eorum ſtirpe. Eſt Scoti in 4 diſt. 2. q. 1. vbi ait. In vniuerſis operibus Dei non fuit aliquod opus meræ gratiæ, niſi ſola Incarnatio Filij Dei, & hoc ſi ad illam nulla merita præceſſerunt. Subdit. Quòd vtique verum eſt in ordinatione Diuina de illa Incarnatione: quia ſi tempore conceptionis præceſſerunt aliqua merita Mariæ; tamen non erant bona abſolutè reſpectu Incarnationis, ſed fortè accelerationis, vt im-

impleretur illa Incarnatio præordinata. Benè ergo ait D. Aug. 12. de Trin. cap. 19. *In rebus per tempus actis, illa ſumma eſt gratia, quòd homo in vnitate Perſona vnitus eſt Deo.* Hinc conſtat ex Scoto, nec B. Virginem, nec Sanctòs Patres metuiſſe ipſam Incarnationem; ſed ſolummodò quaſdam circumſtantias extrinſecas. Et ne videretur admittere accelerationem, quæ diceret mutationem in Voluntate Dei explicat ſe his verbis; vt impleatur illa Incarnatio præordinata, ideſt, vt exhibeatur.

Prob. Quia hac ratione Abraham meruit, ſuppoſito, quòd Deus eſſet Incarnandus, vt ſumeret carnem ex ſemine ſuo, vt colligitur Gen 22. *Quia obediſti voci mea in ſemine tuo benedicentur omnes gentes*: hac ratione pariter meruerunt accelerationem. Daniel. 9. *Cum oraret Daniel, dixit ei Angelus. Exaudita eſt oratio mea, abbreniata ſunt hebdomada ſeptuaginta, vltra quas non differetur Chriſtus.* Et ſæpe in S. Scrip. proponuntur deſideria Sanctorum Patrum, & ex eadem conſtat, Deum exaudiſſe orationes illorum, vt narratur in Pſal. 11. *Propter miſeriam inopum, & gemitum pauperum nunc exurgam, dicit Dominus*: ergo SS. PP. meruerunt de congruo accelerationem Incarnationis; poſtulatio ſiquidem illa erat iuſta, & ipſi Dei amici per gratiam, ergo decens erat à Deo exaudiri huiuſmodi poſtulationem, ac proinde erat meritoria de congruo. Cæterùm diſputant Doctores. An Chriſtus de potentia abſoluta, ſeu humanitas Chriſti potuiſſet mereri Incarnationem per opera, quæ reali duratione ipſam præcederent. Similiter An SS. Patres de poſſibili potuiſſent mereri Incarnationem quoad ſubſtantiam, & deniquè. An B. Virgo de facto meruerit maternitatem Dei de condigno. Et quidem ad primam quæſtionem Scotiſtæ communiter reſpondent affirmatiuè; non enim apparet repugnantia, humanitatem ſi ante Incarnationem reali duratione extitiſſet, non potuiſſe de potentia Dei eleuari ad promerendam Incarnationem; Herincx tamen oppoſitum ſuſtinet cum pluribus alijs; qui obſeruat, Chriſtum de facto promeruiſſe replicationes ipſius vnionis hypoſtaticę in Euchariſtia, ſeu præſentias Euchariſticas, cum fuerit promeritus, vt poſſet inſtituere Sacramenta; ac proinde Euchariſtiam, in qua huiuſmodi replicationes inuoluuntur. Ad 2. reſp. non pauci Scotiſtę tam Patres, quàm B. Virginem, & etiam

An-

Angelos potuiſſe de potentia Dei Incatnationem promereri de condigno per bona opera à Deo acceptata, quæ fierent per gratiam à meritis Chriſti independentem. Ad 3. reſp. Gabriel, Poncius diſp. 38. q. 5. B. Virginem meruiſſe maternitatem de condigno. Verum huic ſententiæ contradicit Herincx inter alios, cui conſonat Fraſſ. tom. 3. tract. 1. diſp. 1. q. 3. (vt prætercam Lorcam, qui abſquè vllo fundamento, & contra communem ſenſum Patrum, & Theologorum in B. Virgine nec meritum de congruo admittit in ordine ad Maternitatem Dei) quia etſi nulla appareat implicantia, ſaltem ſi accedat diuina promiſſio, ſeu acceptatio; de facto tamen non eſt admittendum tale meritum de condigno, tum quia communiter Doctores illud non admittunt; tum quia nulla extat promiſſio; tum quia totum meritum condignum Deiparæ adequatè inſumebatur circa meritum gratiæ, & gloriæ iuxta legem ordinariam.

DISPVTATIO II.

De modo vnionis Verbi Incarnati; de Perſona aſſumente, & de natura aſſumpta, & aſſumptibili.

QVÆSTIO I.

Vtrum vnio hypoſtatica ſit modus ſubſtantialis.

NOt. 1. quòd aliquid eſt productum in humanitate diſtinctum ab ea, vt Verbo vniretur. Impoſſibile namquè eſt contradictoria verè de eodem enunciari, niſi ob aliquam mutationem; nempe, vel ob motum localem alicuius rei, vel ob varietatem temporis, vel ob deſtructionem, vel ob productionem alicuius entitatis; natura autem humana ex ſe indifferens eſt, quòd vniatur, vel non vniatur Verbo D. Vnde, vt dicatur vnita, vna ex prædictis mutationibus debet contingere; tres primæ non habent locum in humanitate; ergo quarta accidit illi, nempe productio alicuius entitatis, per quam habeat id, quod per ſe non habet, vt verè enunciari de ea poſſit. *Natura humana terminatur à Verbo, & non à Patre, & Filio.* Illud verò, quod producitur non eſt quid abſolutum in natura humana, quia debet ha-

habere reſpectum ad Perſonam Verbi, à qua ipſa terminatur; neque eſt quid accidentale, vt infra oſtendetur, igitur eſt quædam vnio, quæ eſt modus ſubſtantialis.

Not. 2. Quòd Scotiſtæ, vt inter alios obſeruat noſter Macedo in tom. 3. collat. 2. diff. 1. ſect. 4. non ſatìs inter ſe conueniunt in reſolutione præſentis quæſtionis. Nam quidam de mente Scoti tenent, vnionem hanc eſſe accidentalem. Ita Rada contr. 3. art. 6. concl. 5. ſ. Reſpondeo, & cum eo quamplures alij Scotiſtæ. At Herincx, Fraſſen, Caſtillo, Delgadillo Scotiſtæ Recentiores cum Scoto aſſerunt, talem vnionem eſſe ſubſtantialem; & Macedo relatus eleganter, & perſpicuè oſtendit, idem ſenſiſſe Scotum; & inter alios textus, quos in confirmationem Scoticæ ſententiæ affert, eſt ille, quem habet Doctor q. 1. ſ. 5. vbi ait, hanc vnionem, Deus eſt homo: licèt ſit de prædicato adueniente, contingente, & ſit per accidens, non tamen eſſe dicendam accidentalem, ſed ſubſtantialem. Vnio, inquit Scotus, extremorum non conceditur, quòd ſit eſſentialis, nec accidentalis, ſed ſubſtantialis, idquè probat auctoritate Sancti Damaſceni. Subdit autem Macedo. Scio Scotum agere de vnione prout vnit, & nectit duo extrema, ſubſtantialia naturæ humanæ, & ſuppoſiti diuini, non autem de ipſomet nexu formali vnionis, quo inter ſe vniuntur. Verùm conſequenter deduco, non debuiſſe Scotum admittere accidentalem vnionem formalem in illo compoſito ſubſtantiali, ne cogeretur dicere, vnionem ibi eſſe accidentalem, & fieri vnum per accidens. Itaquè ex Scoti mente colligitur, hanc vnionem non eſſe accidentalem, ſed ſubſtantialem: & in hoc ſenſu intelligitur Scotus etiam à nonnullis extra noſtram ſcholam; eſtò quidam Recentiores Doctorem non intelligentes non vereantur, eum perperam trahere ad errorem Neſtorij, vt notat etiam Caſpenſ. Vndè pro clariori notitia aduerte, quòd duplex eſt vnio ex Scoto, ſeu dupliciter accipi poteſt, ideſt effectiuè, & formaliter; primo modo nón diſtinguitur à reſpectibus extrinſecùs aduenientibus importatis per actionem, & paſſionem, & ſic ſpectant ad prædicament. actionis ſi ſit actiua, vel paſſionis ſi ſint paſſiua: 2. modo diſtinguuntur ab actione, & paſſione, & non ſpectant ad aliquod prædicam. determinatum; cum ſint tranſcendentalis reſpectus; ſed

eſt in illis prædicamentis, quorum eſt forma ab eis denominata formaliter.

Concl. Vnio hypoſtatica eſt purus modus ſubſtantialis de genere relationum extrinſecus aduenientium; & dicitur à Scoto relatio diſquiparantiæ. Ità Scot. in 3. d. 1. q. 1. & Scotiſtæ contra quoſdam opinantes eſſe modum ſubſtantialem abſolutum.

Prob. 1. pars nempe, quòd ſit modus. Modus eſt, qui per ſe ipſum eſſentialiter phyſicè quodammodo affigitur rei, cuius eſt modus, ſed vnio hypoſtatica eſſentialiter habet per ſe ipſam extremis affigi, ſicut quælibet vnio, ergo eſt modus. Prob. mai. & ſimul explicatur. Quia Philoſophi inter alias diuiſiones entis, diuidunt etiam ens in rem, & modum; res eſt, quæ habet ſufficientem entitatem, vt poſſit in rerum natura conſeruari ſine modo; at modus nequit ſine re, quam afficit, exiſtere, & conſeruari; ſiue modus ſit intrinſecus, ſiue extrinſecus; ita ſe habet ſubſiſtentia, ſeſſio, vnio &c. ergo vnio hæc, de qua agimus, cum non habeat talem entitatem, vt poſſit in rerum natura eſſe, vel conſeruari ſine extremis; quia eius eſſentia conſiſtit in eo, quòd eſt actu afficere humanitatem, & Verbum, propriè appellanda eſt modus.

Prob. 2. pars. Nempe, quòd ſit ſubſtantialis. Concil. Lateranenſ. in conſultatione 5. can. 6. ſub Martino I. ita dogmaticè docet. *Si quis ſecundùm Sanctos Patres non confitetur, Chriſtum ex duabus naturis ſubſtantialiter vnitis. Anathema ſit*: ergo talis vnio nequit dici accidentalis, ſed dicenda eſt ſubſtantialis: Hinc ſententia Durandi, dicentis, talem vnionem eſſe accidentalē omninò reijcienda eſt, & improbanda.

Prob. ratione. Vnio ſecundùm ſubſiſtentiam eſt ſubſtantialis, & non accidentalis: ergo vnio naturæ humanæ in ſuppoſito diuino eſt ſubſtantialis: ant. prob. Vnio ſecundùm ſubſiſtentiam non dicit qualemcumquè vnionem in perſona, comprehendendo etiam vnionem accidentium, quæ adueniunt perſonæ conſtitutæ, ſed importat illam vnionem, quæ eſt ad conſtituendam, & componendam ipſam perſonam; ſed compoſitio perſonæ eſt ſubſtantialis; ergo &c. Tum quia extrema ſunt ſubſtantialia, & quodammodo vniuntur in vno tertio, nempe in Perſona Verbi D. quæ eſt ſubſtantialis. Confirm. Etenim Chriſtus realiter, & for-

& formaliter eſt homo, ergo ſubſtantialiter, quia humanitas non inhæret ei accidentaliter; ſicut albedo inhæret parieti; ſed ſubſtantialiter, ergo vnio, per quam Chriſtus dicitur homo, formaliter eſt ſubſtantialis.

Prob. 3. pars; videlicet, quòd non ſit quid abſolutum; ſed relatio diſquiparantiæ, realis in natura humana, rationis, vel nulla, inquit Scotus in Verbo. Quocumque abſoluto intellecto in altero extremo non intelligitur perfecta ratio vnionis, quia vnio non intelligitur ad ſe; ergo ſiue concomitetur abſolutum in vno extremo, ſiue in duobus, cum non ſit nihil, ſaltem dicit vnio relationem; Etenim ſicut concipi nequit relatio niſi per ordinem ad id, cuius eſt relatio; ita nec poteſt concipi vnio, niſi per ordinem ad ea, quorum eſt vnio. Confirm. auctorit. D. Damaſc. lib. 3. cap. 3. ab eodem Scoto allata *Subſtantialem enim dicimus vnionem, ſcilicet veram, & non ſecundùm phantaſiam; ſubſtantialem autem, non vt duabus naturis perficientibus vnam compoſitam naturam*; ergo per Scot. vnio naturæ humanæ cum Verbo eſt ſubſtantialis.

II. Concl. Vnio hypoſtatica eſt modus quoad ſubſtantiam ſupernaturalis, & eſt quid creatum. Prob. Ens ſupernaturale quoad ſubſtantiam dicitur, quod ſecundùm ſuam rationem ſpecificam eſt indebitum omni ſubſtantiæ creatæ, & creabili, & accidentibus ipſi debitis, ſed talis eſt vnio hypoſtatica, ergo &c. Neque *Concil. Epheſinum Anathem. 2. & Synodus IV. in Epiſt. Sophronij oppoſitum ſenſerunt*, cum *appellant hanc vnionem naturalem*; non enim eam vocant naturalem, prout opponitur ſupernaturali, ſed vt opponitur apparenti, qualem ponebant Manichæi, & prout opponitur affectiuè, ſeu per gratiam accidentalem, qualem aſſerebat Neſtorius. Quòd autem ſit quid creatum patet. Quod enim incipit in tempore eſt quid creatum, ſed talis vnio incœpit tempore, quia in tempore Deus factus eſt homo, ergo eſt creata; Tum quia vnio ſeſe tenet ex parte corporis, Animæ, & humanitatis, ergo eſt quid creatum.

Arg. cont. concl. probando, quòd ſit accidentalis: Tunc vnio videtur accidentalis, quando extremis, quæ vniuntur, accidit vniri, ſed humanitati accidit vniri Diuinitati, & è contra, ergo vnio eorum eſt accidentalis.

Reſp. neg. mai. abſolutè poſitam; non enim eſt ſemper

 vera,

vera, quia materia accidit vniri formæ huic ſingulari, & tamen vnitur ei ſubſtantialiter. Quarè ſubſtantialis vnio attendi debet ex parte eius, in quo fit vnio; & tunc ſubſtantialis dicitur, quando vinculum eſt modus ſubſtantiæ, & id, quod ex vnione conſtituitur eſt ſubſtantia; ita in propoſito contingit, vt ſuperiùs oſtenſum eſt.

Arg. 2. Si hæc vnio eſt modus ſubſtantialis; vel eſt modus intrinſecus, vel extrinſecus; non intrinſecus, quia eſſet idem cum ipſa re, neque extrinſecus; quia eſſet accidens; quod non conceditur in veſtra ſententia, ergo non eſt modus ſubſtantialis. Reſp. quòd alij ſunt modi intrinſeci, alij extrinſeci; priores intimè afficiunt, & copulant inter ſe partes, quas vniunt, poſteriores ſuppoſita vnione, & vnitis partibus ad extra referre faciunt. Modi extrinſeci relatiui ſunt prædicamentales, & mera accidentia; modi autem intrinſeci relatiui reducuntur ad prædicamentum ſubſtantiæ. Quod clarè explicatur exemplo relationum tranſcendentalium, quæ cum reſpiciant, & referant res, quibus ſunt identificatæ, non ſunt tamen accidentia, nec realiter, ſed formaliter tantùm diſtinguuntur à ſubſtantijs, quæ referuntur, cum ſint intrinſecæ dependentiæ, qualis eſt relatio Creaturæ ad Deum. Vndè docet Scotus; quòd hæc vnio eſt relatio ordinis, ſiue dependentiæ &c. Quam dependentiam, dicit Lichetus, eſſe ſimilem dependentiæ eſſentiali Creaturæ ad Deum Creatorem; ac proinde ſicut hæc ſe habet ad Deum creantem, ita & illa ad perſonam ſuppoſitantem.

Arg. 3. Scot. videtur expreſsè contradicere veſtræ concluſioni, & præſertim in 4. d. 12. q. §. ad quæſt. ad 4. dub. vbi dicit; quòd omnis vnio abſoluti ad abſolutum eſt reſpectus extrinſecus, is autem talis reſpectus eſt illi, cui ineſt accidens per accidens; ergo &c. Reſp. cum Macedo: Nihil in hoc loco contra concl. concludi; quia illa verba, accidens per accidens non ſignificant reſpectus accidentales, qui natura ſua ſunt accidentia, ſed ſignificant aduenire ſeu accidere illis abſolutis, quæ à ſe non dependent, ac proinde talis reſpectus eſt illi accidens; non autem natura ſua eſt accidens: quam expoſitionem confirmat Macedo alio textu Scoti; qui habetur in 3. d. 7. q. 1. §. ſed de iſta. Naturam humanam poſſe aliquo modo dici accidere Verbo

inſtar accidentis in habitudine ad ſubſtantiam; quia iſta natura temporaliter aduenit Verbo perfecto in ſe naturaliter exiſtenti; Et ſupra §. 5. videndum, vocat prædicationes per accidens eas, in quibus vnum accidit alteri, ideſt non neceſſariò, & in fine loc. cit. docet, aliquid dandum huic vnioni, quod non ſit commune cum alijs: Secundùm diuerſitatem vnionis ab omni alia poteſt poni diuerſa ratio huius inhærentiæ ab omnibus alijs: Itaquè ex dictis patet, quòd mens Scoti ſtat pro vnione ſubſtantiali, & non accidentali.

Quæres. An vnio hypoſtatica ſit omnium maxima, & præſtantiſſima. Reſp. quodam ſenſu eſſe maximam, in alio, non. Nam ſi loquamur in ratione doni, vnio hypoſtatica abſolutè, & ſimpliciter nobilior, & præſtantior eſt omni alia vnione; vt paſſim docent Theologi, & tradit Scot. in 4. d. 49. q. 2. excedit ſiquidem etiam viſionem beatificam; quia, etſi vtrobiquè donum ſit maximum, modus tamen communicandi in Incarnatione eſt ſubſtantialis, in alijs autem eſt accidentalis; & adeò intimus, vt creatura eleuetur ad eſſe perſonale Diuinum, vocetur Deus, & adoretur latria; per gratiam autem, & per viſionem beatificam, quę ſunt accidentales communicatur Deus creaturæ per modum obiecti, aut per modum principij ſupernaturalis, aut ſecundùm quandam vnionem, vel præſentiam ex ſpeciali amicitia profectam; Vndè homo ſic Deo vnitus, ſolùm dicitur participare Deum, & eſſe filius eius adoptiuus; Verùm per vnionem hypoſtaticam humanitas aſſumpta ſanctificatur excellentiori modo, ideſt ſubſtantialiter eam deificat. In alio autem ſenſu non eſt omnium maxima. Etenim vnio materiæ, & formæ ſuperat vnionem hypoſtaticam, quatenus eſt inter res minùs diſtantes, ac magis proportionatas, & quatenus ex ea reſultat compoſitum magis propriè dictum, & ſic in ratione vnionis, quà vnionis non eſt maxima.

QVÆSTIO II.

Vtrum vnio Verbi Incarnati facta ſit in natura, vel in Perſona.

NOt. Quod Neſtorius Patriarcha Conſtant. (cui præter plures Græcos adhæſit aliquandiù B. Theodoretus, qui poſtea in Concil. Calcedon. act. 8. errorem ſuum retractauit) tempore Innocentij I. vt refert Hermex p. 3. diſp. 1. q. 4. docuit, in Chriſto eſſe duas perſonas, nempe Diuinam, & humanam, ſicut in ipſo ſunt duæ integræ naturæ. Vndè dicebat inter illas perſonas tantùm eſſe moralem, ſeu accidentalem vnionem, ex qua proinde non reſultaret quid vnum ſubſtantiale, ſed potiùs complexum accidentale, quod vno nomine appellatur Chriſtus. Coniunctionem autem illam explicabat per hoc. Primò, quòd perſona Verbi D. ſpeciali quadam ratione habitabat in perſona hominis, tanquàm in ſuo templo. Secundò, quòd Verbum, & ille homo erant inuicem amore coniunctiſſimi. Tertiò, Quòd perſona humana erat inſtrumentum, quo vtebatur Verbum Dei ad patranda miracula, & egregias operationes. Quartò, quòd Verbum iſti homini participauerit nomen, & dignitatem ſuam, vt vocaretur, coleretur, & adoraretur, tanquam Deus, & Dei filius, non propter ſeipſum, ſed propter Verbum coniunctum, ſicut adorantur Dei imagines. Quare dicebat, purum hominem eſſe ex Maria natum, quæ proinde dici non poteſt Deipara. Similiter paſſionem, mortem, & reſurrectionem ſoli iſti homini ex Virgine nato, nullatenus autem Deo cenſebat poſſe tribui.

Hunc errorem dum acriter impugnaret Eutiches Abbas cuiuſdam Monaſterij Conſtantinop. tempore Leonis I. lapſus eſt in extremè oppoſitum (cui adhæſit Dioſcorus Epiſcopus Alexandrinus) docens, quòd ſicut in Chriſto tantùm eſt vna perſona, ſic etiam ſit tantùm vna natura, ignorans, quomodo vnitas perſonæ neceſſariò aſſerenda cum pluralitate naturarum conſiſteret. Vndè ex diuina, & humana cenſuit eſſe factam vnam naturam; idquè conuerſionis Diuinitatis in carnem; vel vt alij putant, conuerſione humanitatis in Diuinitatem, vel vt alij explicant

ipſius

ipſius mentem, tranſmutatione vtriuſquè in tertiam naturam; vel mixtione, prout elementa tranſmutantur in corpus mixtum; vel compoſitione, prout ex materia, & forma fit compoſitum phyſicum. Ita refert Herincx loc. cit.

I. Concl. Vnio Verbi Incarnati non eſt facta in natura; ſeu ex duabus naturis, vt falsò aſſerebant præfati Hæretici Eutiches, & eius ſequaces; ſed in Chriſto fuerunt duæ naturæ integræ, & inconfuſæ. Hæc eſt de fide definita in Concil. Epheſ. & Lateranenſ. ſub Innoc. III. & in alijs.

Prob. Si in Chriſto hæ duæ naturæ non eſſent integræ, & inconfuſæ, Chriſtus non eſſet verus Deus, aut verus homo, quod eſt apertiſſimè contra S. Scripturas, quæ agentes de Chriſto non poſſunt verificari niſi ratione D. naturæ v. g. quòd ſit æqualis, & vnum cum Patre &c. Aliæ non niſi ratione naturæ humanæ v. g. quòd ſit minor Patre, natus ex Virgine, fatigatus &c. Eandem veritatem canit Eccleſia in Symbolo Athanaſij, & fatentur omnes Sancti Patres.

Prob. etiam improbando immediatè errorem Eutichinianorum, eò quia iuxta eorum ſententiam tota Trinitas deberet dici Incarnata; cum immutatio iſta affecerit immediatè ipſam Diuinitatem; & tamen non Pater, non Spiritus S. ſed Verbum caro factum eſt. Ioan. c. 1. ergo falſa, & hæretica eſt opinio eorum.

Prob. 2. Nam hæc opinio euidenter repugnat etiam in bona Philoſophia. Implicat vnam naturam tranſmutari in aliam; aut mixtione ex duabus naturis creatis fieri vnam; ergo potiori ratione implicat; Naturam Diuinam in humanam tranſmutari, & è conuersò; vel ex natura diuina, & humana mixtione fieri vnam; ſicut enim hoc eſt inintelligibile; ita eſt impoſſibile; cum naturæ rerum impoſſibile ſit, quòd huiuſmodi tranſmutatione, & mixtione in vnam coaleſcant; ac proinde cum Eccleſia Catholica fatendum eſt in Chriſto reperiri duas naturas diſtinctas, vnitas tamen modo ineffabili in vnitate perſonæ Diuinæ, quæ diuinam naturam intrinſecè, humanam verò extrinſecè loco propriæ perſonalitatis terminat, atque perficit.

II. Concl. Hæc vnio facta eſt in perſona, adeò vt duæ naturæ Chriſti poſt vnionem in vna tantum perſona, ſeu hypoſtaſi reperiantur. Eſt de fide determinata in Concil. Epheſino, & alijs Concilijs contra Neſtorium. *Si quis di-*

xerit Chriſtum Deiferum, & non verum Deum, anathema ſit. Et in Symbolo S. Athanaſij habetur. *Non duo tamen, ſed vnus eſt Chriſtus; Vnus autem non confuſione naturæ, ſed vnitate perſonæ.*

Prob. ratione ex D. Bonau. in 3. d. 5. art. 1. q. 1. & 2. Aſſumere naturam tria dicit, nempe actionem, relationem, & terminum. Primum competit perſonæ ratione naturæ, vltimum competit naturæ ratione perſonæ, medium verò communiter competit vtriquè. Ipſa namq; actionis actio perſonæ conuenit ratione naturæ, quia perſona agit virtute naturæ, vndè illa virtus, & operatio competunt cuilibet perſonæ; terminus verò aſſumptionis reſpicit ipſam perſonam propriè, & per ſe, ac proindè ad vnitatem perſonalem, & vnius ſolius perſonæ terminatur ipſa aſſumptionis actio, & vnionis relatio; idem probat Scot. in 3. d. 1. q. 1. art. 2. &c. Confirm. Quia ex ſententia Neſtorij ſequitur totam Trinitatem eſſe Incarnatam, cum vnio accidentalis conficta à Neſtorio, non magis reſpiciat Verbum, quàm Patrem, & Spiritum S. Tum quia ſequeretur, multos alios Sanctos fuiſſe à Deo aſſumptos, cum inter hos, & Deum ſimiles accidentales vniones interceſſerint; quæ omnia ſunt abſurda, & falſa.

Arg. cont. 1. concl. Io. 1. dicitur. *Verbum caro factum eſt*, ergo Verbum conuerſum eſt in carnem. Reſp. neg. conſ. Etenim, vt rectè ait Greg. lib. 9. Epiſt. 61. *Verbum carnem dicimus factum, non immutando, quod erat, ſed ſuſcipiendo* quod non erat.

Arg. 2. D. Athanaſ. in Symbolo dicit. *Nam ſicut Anima rationalis, & caro vnus eſt homo; ita Deus, & homo vnus eſt Chriſtus;* at Corpus, & Anima ita vniuntur, vt ex illis reſultet vna natura, ergo etiam ex vnione Diuinitatis, & humanitatis reſultat vna natura. Reſp. Similitudinem non conſiſtere in ratione compoſitionis, cum Corpus, & Anima ſint duę partes eſſentiales ad compoſitum vnum faciendum concurrentes; & ex oppoſito natura Diuina, & humana ſint completæ, nec ſe habeant, vel ſe habere poſſint, vt partes componentes. Itaquè in hoc conſiſtit allata ſimilitudo, quòd ſicut Corpus, & Anima conueniunt in vna perſona humana, ita humanitas, & Diuinitas vniuntur in vna perſona Diuina.

Arg. cont. 2. concl. Leo Papa Epiſt. 10. ad Flauianum

cap.

cap. 4. de Chriſto loquens ait. *Aliud coruſcat miraculis, aliud ſuccumbit iniurijs*, ſed vbi eſt aliud, & aliud ibi ſunt duæ perſonæ, ſeu ſuppoſita: ergo &c. Reſp. conc. mai. & neg. min. Quia licèt, vbi eſt alius, & alius adiectiuè ſint diuerſa ſuppoſita, quia nomen adiectiuum præcisè perſonam denotat, non tamen vbi eſt aliud, & aliud ſubſtantiuè, ſiquidem ſubſtantiua nomina primariò connotant perſonam: ita Fraſſen reſpondet. Itaquè tantùm voluit Leo, aliam eſſe naturam diuinam, aliam humanam; vndè notat Herincx quòd dicta propoſitio poſt longam controuerſiam fuit in Concil. Calcedonenſi admiſſa; & ſubdit, hoc poſſe dici ob diſtinctionem naturarum; quamuis alius maſculinè ſignificet diſtinctionem perſonarum.

Quæres. An Chriſtus dici poſſit abſquè errore compoſitus. Reſp. ex Scoto in 3. d. 6. quæſt. 6. perſona Chriſti dici poteſt impropriè compoſita ex duabus naturis inter ſe realiter diſtinctis ſubſiſtentibus in eadem hypoſtaſi, ſeu perſona Verbi D. Quare Doctor loc. cit. duo docet. Primum, quòd perſona Chriſti ſecundùm ſe eſt ſimpliciſſima, quia non eſt compoſita, nec ex materia, & forma, nec ex actu, & potentia, nec ex eſſentia, & exiſtentia, nec ex partibus integrantibus. Secundum, quòd perſona Chriſti poteſt dici impropriè compoſita, quia ſubſiſtit in duabus naturis, quarum vna dat ei primum eſſe, ideſt eſſe Dei, altera ſecundum eſſe, ideſt eſſe hominis, ergo poteſt dici, perſonam Chriſti eſſe impropriè compoſitam ob vnionem duarum naturarum, in quibus ſubſiſtit. Sed veriùs poteſt negari compoſitio, quia vna non perficit aliam, nec ex eis eſt aliqua natura tertia; & ſic eſt ſimpliciſſima ſecundùm ſe.

Confirm. ex Concil. Conſtantinop. II. collat. 8. can. 4. vbi definitur *Vnionem factam fuiſſe Chriſto ſecundùm compoſitionem, & ipſam Chriſti ſubſiſtentiam, ſeu hypoſtaſim eſſe compoſitam:* Et ſexta Synodus Conſtantinop. quæ eſt 3. act. 13. cap. 6. *Si quis non confitetur Chriſtum ex duabus naturis, ſiue vnam ſubſiſtentiam compoſitam, quod eſt Chriſtus ipſe, anathema ſit*; Vndè D. Damaſc. lib. 3. de Fide cap. 7. ait. *Perſona Verbi, quæ priùs ſimplex erat, facta eſt compoſita ex duabus naturis*; ſed Concilia, & Patres non ſunt intelligendi de compoſitione propriè dicta, ergo loquuntur de compoſitione impropriè dicta. Accedit inſuper ratio. Nam compoſitio nil aliud eſt, quàm

di-

diſtinctorum vnio, ſeu poſitio, ſed in perſona Chriſti eſt vnio perſonæ Verbi cum natura humana, quæ realiter diſtinguuntur; ergo in Chriſto eſt &c.

Dices. Compoſitio ex ſui natura præſefert imperfectionem, ergo non eſt admittenda in Chriſto. Reſp. diſting. ant. compoſitio propriè dicta, conc. impropriè dicta, neg. ant. In hac enim ineffabili vnione perſona D. non ſe habet velut pars, ſed eſt purus terminus in ſuſtentanda humanam naturam; neque vt actus actuans, ſed vt actus ſimpliciſſimus in ratione termini.

Quæres 2. Quinam ſit terminus actionis vnitiuæ humanitatis cum perſona Verbi D.

Reſp. Terminus totalis, ſeu adæquatus Incarnationis eſt Chriſtus Deus homo; terminus autem formalis eſt ipſa vnio hypoſtatica, & etiam quodam ſenſu humanitas Chriſti. Prima pars eſt de fide ex V. Synodo collat. 8. can. 4. vbi dicitur. *Incarnationem terminatam eſſe ad vnitatem Verbi D. ſecundùm compoſitionem ad carnem animatam anima rationali*. Idem patet ex alijs Concilijs. Ratio eſt. Quia terminus adæquatus vnitionis duorum extremorum eſt ille, qui ex tali vnitione reſultat; ergo terminus adæquatus, qui reſultat ex vnitione naturæ humanæ cum Verbo D. eſt Chriſtus, qua ratione etiam in generatione humana totus homo eſt terminus adæquatus, etſi præciſa illius ratio conſiſtat in vnitione Animæ cum Corpore. Prob. 2. pars. Nam terminus formalis actionis productiuæ quatenus talis, eſt id, quod per eam immediatè producitur, ſed per actionem incarnatiuam producitur ſola vnio hypoſtatica. ergo &c.

Prob. 3. pars. Etenim etſi humanitas Chriſti non producatur per Incarnationem, ſed tantùm vniatur perſonalitati Verbi; ſatis tamen attingitur, vt dici poſſit terminus formalis; ſicut generationis terminus formalis dicitur forma ſubſtantialis, quæ tamen poteſt generationi præexiſtere, & ſolùm per illam vniri materiæ. Potiùs autem humanitas dicitur terminus formalis, quia ipſa eſt, quæ dependet à perſonalitate Verbi, cum hæc illam quaſi ſuſtentet, & ſibi inexiſtere faciat; tum quia formæ conuenit ab altero dependere eiquè inexiſtere. Cæterùm alia conſideratione perſonalitas Verbi, vt volunt Thomiſtæ, & quidam Scotiſtæ, non incongruè dici poteſt terminus formalis; ipſa

enim

enim ſupplet officium perſonalitatis propriæ; ac proindè ſicut perſonalitas propria ſe habet reſpectu naturæ velut forma; ſic poteſt diſcurri de D. perſonalitate reſpectu humanitatis.

QVÆSTIO III.

Vtrum ratio formalis terminandi hanc vnionem ſit ſola Relatio perſonalis Verbi D.

NOt. Quòd in hac quæſtione ſunt tres opiniones. Prima eſt Durandi in 3. d. 1. q. 2. qui ponit in Chriſto duas vniones ad Verbum, vnam primariam ad aliquid abſolutum, & commune tribus perſonis, nempe ad ſubſtantiam abſolutam, & eſſentialem; alteram verò ſecundariam ad perſonalitatem Verbi. Primam requirit Durand. vt humanitas fiat ſubſiſtens (putat namque in Diuinis non dari ſubſiſtentiam, niſi abſolutam tribus perſonis communem) ſecundam verò, vt habeatur completè vnio perſonalis cum perſona Verbi. Verùm hæc opinio communiter reijcitur à Theologis; conſtat enim, quòd Verbum per id formaliter, & immediatè terminat naturam humanam, per quod formaliter terminat Diuinam; cum duæ naturæ in Chriſto vniantur in eodem termino; ſed Diuinam formaliter terminat per proprietatem relatiuam; ergo & humanam. Quarè per eandem rationem reijcitur opinio Capreoli in 3. d. 1. q. 1. Marſilij Soti, & Franciſci Victoria dicentium, Verbum terminare vnionem humanitatis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ, non præcisè ſumptæ, ſed modificatæ proprietate relatiua Verbi; ita quòd ſubſiſtentia abſoluta ſit ratio formalis terminandi; ipſa verò perſonalitas ſit conditio, ſine qua non; Nam iuxta hanc ſententiam perſona Verbi, vt à Patre, & Spiritu S. diſtincta, non poſſet dici terminare humanitatem, quòd eſt ſaltem erroneum; ſequela euidenter oſtenditur. Nam virtus creandi non eſt propria Filij, ſed illi communis, cum alijs perſonis, ac proinde non poteſt vt appropriata Filio, ſeu, vt modificata per relationem Filiationis, aliquid creare, niſi Pater, & Spiritus S. ſimul creent, ergo pariter cum ſubſiſtentia abſoluta ſit aliquod commune tribus perſonis, non poterit Filius

per

per talem ſubſiſtentiam, etiam vt ipſi appropriatam, & per relationem filiationis modificatam, terminare humanitatem, niſi pariter cæteræ perſonæ eam terminent.

Secunda opinio eſt Ocham in 3. q. 1. art. cui aliqualiter conſentit Gabriel diſt. 1. notabili 5. qui contendit, rationem terminandi eſſe proprietatem relatiuam, vel abſolutam, ſeu, vt ita dicam, totam entitatem Verbi, quæ vtramque rationem includit. Tertia denique eſt Alenſ. p. 3. q. 4. memb. 1. D. Bonau. in 3. d. 1. art. 1. q. 2. D. Thomæ p. 3. q. 3. art. 2. & Scoti diſt. 1. q. 5. qui docent ſequentem concluſionem.

Concl. Ratio formalis proxima, & immediata terminandi hanc vnionem eſt ſola relatio perſonalis Verbi D. etſi tota Trinitas effectiuè operata ſit Incarnationem. Prob. 1. ex Concil. Toletano ſexti, & vndecimi in confeſſione fidei his verbis. *Incarnationem Filij tota Trinitas operata eſt, quia inſeparabilia ſunt opera Trinitatis; ſolus tamen Filius formam ſerui accepit in ſingularitate Perſonæ, non in vnitate D. naturæ, in id, quod proprium eſt Filij, non quod Trinitati commune*; ergo ratio formalis terminandi eſt proprietas perſonalis Filij. Idem habet Synodus generalis act. 8. vbi ſub finem dicit; *Solum Verbum eſſe Incarnatum. Quia Pater, & Spiritus S. nihil in Incarnatione habent commune, niſi benigniſſimam Voluntatem*.

Prob. ratione Scoti. Si Relatio perſonalis non eſſet ratio formalis terminandi immediatè naturam aſſumptam; ergo eſſet talis ratio terminandi ſubſiſtentia abſoluta, ſed falſa eſt ſequela, ergo &c. Prob. falſitas. Si ratio formalis terminandi eſſet Diuina ſubſiſtentia abſoluta; ſequeretur, omnes tres perſonas Diuinas terminare vnionem naturæ humanæ, ac proindè dici poſſe incarnatas; quod eſt contra Fidem, & Conciliorum definitiones, ergo &c. ſequela antecedentis patet, quia illud formaliter terminat, in quo eſt ratio formalis terminandi, ſed ſubſiſtentia abſoluta, quæ eſt ratio per vos terminandi in tribus perſonis Diuinis reperitur, ergo omnes tres Perſonæ D. formaliter terminant; quod eſt contra Fidem.

Si dicatur, inquit Scot. quòd proprietas eſt ratio terminandi, vt conditio, ſine qua non. Contra hoc ſic arguit Scot. In quocumque eſt ratio formalis agendi, & priùs natura, quàm actio eius ſit elicita actu, vel terminus productus,

ctus, illud eſt ei ratio, & principium agendi: Si autem poſteriùs habet, non agit illo formaliter; ſimiliter nec ſimul natura, cum terminus habeatur: quia tunc Filius generaret ſe (& intelligitur, quòd ſicut ratio formalis formaliter terminat; ſic ſuppoſitum ſuppoſitiuè, ſi actu, actu; ſi aptitudine, aptitudine; ſi potentia, potentia) ſicut frequenter declaratum eſt in 1. d. 12. quomodo Pater, & Filius ſpirent Spiritum Sanctum, quia habent vim ſpiratiuam, & vterque priùs origine, quàm Spiritus S. ſpiretur; & propter hoc etiam tres perſonæ creant, ita quòd potentia creandi eſt cuilibet ratio creandi, quia quilibet habet eam priùs naturaliter, quàm creatura producatur: igitur à ſimili, illud, quod eſt ratio terminandi iſtam vnionem, erit habenti priùs ratio terminandi, & eſt præciſa. Priùs enim, quia terminus vnionis, & maximè iſtius, quæ eſt dependentia, non eſt ſimul natura cum vnione, immò nec cum fundamento: Si priùs naturaliter habeatur, quàm ipſa vnio terminetur, ſed certum eſt, quòd ipſa natura habetur à tribus naturaliter priùs, quàm iſta vnio facta ſit, ergo &c.

Arg. contra concl. Eo Verbum terminat vnionem, quo ſubſiſtit, ſed ſubſiſtit eſſentia per D. Aug. lib.7. de Trin. ergo eſſentia terminat. Reſp. conc. mai. & diſting. min. ſubſiſtit eſſentia, ſubſiſtentia abſoluta; conc. min. ſubſiſtentia relatiua, nego min. Vndè eo Verbum terminat, quo ſubſiſtit ſubſiſtentia relatiua.

Contra. Eo Verbum terminat humanitatem, quo dat eſſe ipſi humanitati; ſed dat eſſe abſolutum humanitati; & non relatiuum, ergo per abſolutum terminat, & non per ſubſiſtentiam relatiuam. Reſp. conc. mai. & neg. min. Nam Verbum D. tribuit humanitati ſubſiſtentiam ſuam relatiuam, non quidem in ratione relatiui, ſed in ratione ſubſiſtendi: vndè perſona Chriſti dici poſſet relatiua; quia talis perſona nil aliud eſt, quàm filiatio, quæ formaliter eſt relatio; etſi propria perſonalitas humanitatis ſit abſoluta.

Contra. Eo Verbum terminat, quo continet perfectionem ſuppoſiti creati, ſed ratione eſſentiæ continet perfectionem ſuppoſiti creati, ergo ratione eſſentiæ terminat; mai. patet; quia eo Verbum D. terminat, quo natura eſt in potentia obedientiali ad Deum ſub ratione efficientiæ;

quæ

quæ potentia obedientialis ſpectat ad eſſentiam, & non ad perſonam. Reſp. neg. aſſumptum; Siquidem Verbum D. terminat naturam humanam, non ex eo, quòd contineat, vel continere habeat virtualiter perfectiones perſonalitatis creatæ, vt in prima quæſt. diſp. 1. indicatum eſt; ſed ex hoc, inquit Scotus, quòd illa entitas perſonalis eſt independens. Neque ratio addita de potentia obedientiali eſt ad rem; quia aliud eſt terminare in ratione cauſæ efficientis, aliud eſt terminare in ratione ſuppoſiti.

Arg. 2. Natura D. communicatur Filio, non ei communicata paternitate, ergo à fortiori ſubſiſtentia communis, & abſoluta poterit immediatè vniri humanitati; non ei vnitis perſonalitatibus Patris, & Spiritus S. ergo ratio formalis terminandi poteſt eſſe eſſentia in ſententia Durandi, abſque eo, quòd tres perſonæ dicantur incarnatæ.

Reſp. neg. conſ. & ſimul paritatem; ratio autem diſcriminis eſt, quia inter perſonalitates Diuinas reperitur oppoſitio relatiua, ratione cuius non poſſunt communicari perſonæ ſibi oppoſitæ, licèt ei natura Diuina communicetur. Verùm inter humanitatem, & perſonalitatem Patris, vel Spiritus Sancti, nulla eſt oppoſitio relatiua, quæ impediat, quin vnita, & communicata humanitati ſubſiſtentia abſoluta, perſonalitates Patris, & Spiritus S. cum ea realiter identificatæ ei communicentur, & vniantur, ſaltem mediatè, & ſecundariò,

Arg. vltimò. Diuina natura iuxta ſenſum communem Patrum dicitur incarnata, & natura humana deificata; ſed hoc dici non poſſet, niſi natura humana eſſet terminata ad naturam Diuinam; ergo &c. minor patet, quia in tantùm homo denominatur Deus, in quantum eius natura terminatur à Deo; dicitur autem Deus ratione Deitatis: ergo &c. Reſp. Senſum communem SS. Patrum, aſſerentium, Diuinam naturam eſſe incarnatam &c. non eſſe Diuinam naturam terminare humanam immediatè; ſed indicare, & docere, ſolam vnionem ſubiectiuè in vno extremo, ideſt in natura humana, & terminatiuè in altero, nempè in Verbo ſufficere ad hoc, vt natura D. dicatur incarnata, & humana deificata: ad id autem, quod ſubditur, in tantùm homo denominatur Deus &c. dicimus, quòd homo denominatur Deus, non quia humanitas à Deitate

imme-

immediatè terminetur, ſed à Perſona, quæ eſt Deus, idquè ſufficit, vt homo dicatur Deus ob communicationem idiomatum, de quo infra.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Deus, ſeu natura D. vt communis tribus Perſonis Diuinis ratione ſubſiſtentiæ abſolutæ poſſit naturam humanam aſſumere.

NOt. 1. Quòd in hac quæſtione ſunt duæ opiniones. Prima eſt quorundam Antiquorum, denegantium ſubſiſtentiam abſolutam D. Eſſentiæ propriam, & tribus perſonis D. communem; quos ſequuntur plures Recentiores; & ſignanter Vaſquez, qui oppoſitam ſententiam adeò acriter criminatur, vt ferè in ſuſpicionem erroris adducat. At parcendum eſt genio Vaſquez ad cenſuras pronunciandas propenſi; etiam contra ſententias ab vniuerſa ſchola vel Scotiſtarum, vel Thomiſtarum rationabiliter traditas, & defenſas. Secunda igitur ſententia eſt tam Thomiſtarum, quàm Scotiſtarum; nec non Nominalium; docentium D. Eſſentiam, vt à perſonis præciſam poſſidere ſubſiſtentiam abſolutam communem tribus perſonis; ac proinde eſſe ens per ſe ſubſiſtens propria ſubſiſtentia. Et quidem Scot. id pluribi docet; & ſignanter in 1. d. 7. q. vn. §. contra iſtud, & in 3. d. 1. q. 2. § ad quæſt. vbi ait, quòd natura D. eſt de ſe hæc, & per ſe ſubſiſtens, licèt non incommunicabiliter.

Not. 2. Quòd ſicut aliquid dupliciter intelligi poteſt eſſe in alio (prout ſpectat ad præſens) nimirum vel eſſe in alio tamquam in ſubiecto, quod competit accidentibus; & formis ſubſtantialibus, eſtò diuerſimodè; vel eſſe in alio tamquàm in ſuppoſito; quod ſoli ſubſtantiæ indiuiduæ, & ſingulari competere poteſt; ita eſſe per ſe duobus modis ſumi poteſt, vel eſſe per ſe, prout opponitur eſſe in alio tamquàm in ſubiecto, vel eſſe per ſe, prout opponitur eſſe in alio tamquàm in ſuppoſito: Vnde, vt ad rem noſtram loquamur, certum eſt, eſſentiam D. non importare ſubſiſtentiam, prout excludit eſſe in alio tamquàm in ſuppoſito cum incommunicabilitate ſimpliciterè; quia ſic eſſet ſuppoſitum.

ſitum. Nihilominùs importat ſubſiſtentiam prout eſſe per ſe excludit eſſe in alio tam quàm in ſubiecto, & inſuper eſſe in alio tamquàm in ſuppoſito realiter diſtincto; qua ratione eſſentia D. etiam vt à ſuppoſitis proprijs præciſa dicitur incommunicabilis alieno ſuppoſito; quę incommunicabilitas naturæ creatæ à proprio ſuppoſito præciſæ conuenire non poteſt; quia per potentiam obedientialem alieno ſuppoſito eſt communicabilis; & hæc incommunicabilitas, vt notat Maſtrius cum Smiſing. rectè dici poteſt incommunicabilitas ſecum quid.

Concl. Natura D. vt præſcindit à perſonis, & ſubſiſtit ſubſiſtentia abſoluta poteſt terminare dependentiam naturæ creatæ. Eſt Scoti in 3. d. 1. q. 2. & præfatorum Doctorum. Prob. Quod eſt Deo ratio ſubſiſtendi in natura propria, poteſt illi eſſe ratio ſubſiſtendi in natura aliena; non enim alia de cauſa ſubſiſtentia relatiua Verbi eſt illi ratio ſubſiſtendi in natura creata, niſi quia ratione illius ſubſiſtit per ſe primò in natura D. infinita; ſed ſubſiſtentia abſoluta, vt oſtenſum eſt in p. 1. diſp. 3. q. 3. eſt illi ratio ſubſiſtendi in natura D. vt pręintelligitur pręciſa à Perſonis; ergo ratione illius poteſt ſubſiſtere in natura creata; ac proinde illam ſibi immediatè vniri. Vnde Scot. in hac quæſt. ait, videtur autem, quòd incommunicabilitas non ſit ratio propria terminandi iſtam dependentiam, ſed ſubſiſtentia ſingularis.

Confirmatur. Etenim ſicut dependentia humanitatis poteſt totaliter, & vltimatè terminari a perſona Verbi; ita vt per eam reddatur ſimpliciter incommunicabilis; ita terminari poterit à ſubſiſtentia abſoluta D. Eſſentiæ; adeo ut reddatur per eam incommunicabilis ſecundùm quid; hoc eſt, non poſſit exiſtere in alio ſuppoſito creato. Et quemadmodum priùs ratione concipimus reperiri ſubſiſtentiam aliquam, & incommunicabilitatem in eſſentia abſolutam, & deinde aduenire ſubſiſtentias perſonales præſeferentes incommunicabilitatem ſimpliciter; ſic pariter intelligere poſſumus naturam humanam eodem modo aſſumi, & terminari immediatè à ſubſiſtentia abſoluta, & mediatè, ſeu conſequenter à ſubſiſtentijs relatiuis D. Perſonarum.

Arg. cont. concl. Si eſſentia D. vt ſubſiſtens poſſet aſſumere

mere naturam humanam, aut illam aſſumeret in vnitate perſonæ, aut in vnitate naturæ; non primum, quia tunc ſupponitur, tres perſonas non terminare immediatè talem vnionem; neque ſecundum, quia natura humana in naturam D. tranſiret; & ſic ex vtraque fieret vna ſola natura, quod eſt manifeſtè impoſſibile; ergo &c.

Reſp. Talis natura neque ad vnitatem perſonæ, neque ad vnitatem naturæ vniretur, ſed vniretur vnitate vnionis ad naturam; remanente vnaquaquè natura in ſuo eſſe ſubſtantiali; non ſic autem permanerent naturæ, ſi vniretur humana in vnitatem naturæ D. ſed in vnam naturam tranſirent; quod contradictionem dicit.

Contra. Aſſumere naturam eſt ſubſtentare, & ſupplere perſonalitatem creatam, ergo nequit natura humana ſuſtentari ab eſſentia in vnitate vnionis. Reſp. diſting. ant. Aſſumere naturam ad ſubſiſtentiam incommunicabilem eſt ſupplere perſonalitatem creatam; conc. ad ſubſiſtentiam abſolutam naturæ D. nego ant. Tunc enim eſſet ſuſtentata ad eſſe per ſe, vt non poſſet eſſe in alio ſuppoſito à D. natura realiter diſtincto.

Arg. 2. Si natura humana aſſumeretur à natura D. talis natura aſſumpta eſſet ſine propria, & aliena perſonalitate; & ſic daretur homo in rerum natura, qui non eſſet perſona; quod videtur manifeſtum abſurdum. Reſp. Quòd talis natura eſſet mediatè in perſonis D. & immediatè eſſet hic homo ſubſiſtens ſubſiſtentia abſoluta; & mediatè eſſet Pater, & Filius, & Spiritus S. Cæterùm non apparet impoſſibile ſimpliciter, dari indiuiduum naturæ humanæ ſine propria, & aliena perſonalitate; ſi teneatur, quòd perſonalitas ſit quid poſitiuum realiter diſtinctum ab eſſentia ſingulari.

Arg. 3. Si in Deo eſſet tantùm vnica perſona; vt falsò opinantur Iudæi, & alij, non poſſet hic Deus aſſumere ad ſubſiſtentiam eſſentialem, quin etiam aſſumeret ad perſonalitatem; ergo &c. Reſp. neg. paritatem. Eò quia ſi per impoſſibile eſſet vna perſona tantùm; tunc eſſet omninò indiſtincta ab eſſentia; ac proinde non poſſet aſſumere ad vnionem naturæ immediatè, quin etiam aſſumeret immediatè ad vnitatem perſonæ; at de facto aliter res ſe habet, cum per relationes oppoſitas conſtituantur D. perſonæ,

quæ ab Eſſentia D. diſtinguuntur formaliter, & realiter à ſe inuicem.

Arg. 4. Ratio vnionis ſubſtantialis debet ordinari ad conſtituendum vnum ſubſtantiale, ſed natura creata cum natura D. non poteſt conſtituere vnum ſubſtantiale; ergo &c. Reſp. conc. mai. & diſt. min. natura humana non conſtitueret cum Diuina vnum ſubſtantiale vnitate identitatis; conc. quia naturæ remanerent impermixtæ, & diſtinctæ; vnum ſubſtantiale abſolutum; ideſt; hic Deus homo; neg. min.

Arg. 5. Quod vnitur alteri, prædicatur de illo, ſed natura humana non poteſt prædicari de natura D. ergo &c. min. patet. Quia natura humana vnita Verbo D. de eo verè enunciatur Verbum eſt homo. Minor prob. quia non poteſt dici: natura D. eſt natura humana; ergo &c.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. non poteſt prædicari in abſtracto; dicendo natura humana eſt natura D. conc. min. non poteſt prædicari in concreto, neg. min. Verè namque dici poſſet, *hic Deus ſubſiſtens eſt homo;* & è conuerſo; & inſuper vere diceretur *Pater, Filius, & Spiritus Sanctus ſunt homo; non quidem immediatè, ſed mediatè.*

QVÆSTIO V.

Vtrum vna Perſona D. poſſit aſſumere plures naturas humanas ſimul, & ſemel.

NOt. Quòd licèt in hac quæſtione non diſſentiant Scotiſtæ à Thomiſtis; cum vtriuſque Scholæ ſit eadem ſententia affirmatiua; nempe vnam perſonam poſſe ſimul, & ſemel aſſumere plures naturas; diſcordant tamen inter ſe Scotiſtæ ob quandam reſponſionem à Scoto datam illi moleſto argumento; videlicet. Si vna perſona aſſumeret plures naturas humanas, aut eſſet vnus homo, aut plures; non plures quia non plura ſuppoſita; non vnus, quia non vna tantùm natura; Reſponſio autem Scoti eſt iſta; poſtquam produxit reſponſiones D. Thomæ, & noſtri Richardi. Ideò dico tertio modo ſicut dictum eſt in p. d. 12. quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator; non tamen vnus ſpirans; ſed duo ſpirantes. Quoniam verò doctrina, quam

Scot. dat in loc. cit. eſt valde obſcura; hinc eſt, quòd Scotiſtæ non conueniunt, ſed alij trahunt Scot. in partem affirmantem, eſſe plures homines, alij in partem aſſerentem, in tali caſu eſſe vnum hominem tantùm; & dici vnum ſuppoſitum habens plures humanitates.

Not. 2. Quòd Scot. in p. diſt. cit. q. vn. §. iuxta quæſtionem iſtam; aſſignat duas rationes, quare Pater, & Filius ſint vnus ſpirator, & non plures; at breuitati intentus, ſolùm ſecundam rationem affero; quæ eſt huiuſmodi. *Quando adiectiuum conſtruitur cum ſubſtantiuo, illud ſubſtantiuum terminat ſufficienter dependentiam illius adiectiui; quando autem ſunt duo adiectiua, neutrum ſufficienter terminat dependentiam alterius, ſed oportet ab alio determinari.* Itaque adiectiuum determinat ſubſtantiuum, & ſubſtantiuum terminat adiectiuum, adiectiuum verò determinans aliud adiectiuum non ſufficienter terminatur ab illo, ſed reſpicit ſuppoſitum, Exemplum eſt de albedine, & quantitate, quæ terminantur à ſubiecto. Vndè ad rem noſtram natura humana, vt Lychet. colligit ex Scoto in 3. d. 7. q. 1. eſt terminus adiectiuus reſpectu D. perſonæ; ideoquè numerari non poteſt, niſi numeratis ſuppoſitis; alij verò, & ſignanter Macedo contendit naturam humanam, ſeu hominem indiuiduum eſſe terminum ſubſtantiuum. Ex quo fit, vt in duas partes oppoſitas abeant; ſit nihilominus.

Concl. Vna perſona D. poteſt ſimul, & ſemel aſſumere plures naturas. Eſt ſententia communis, & ſolùm eſt inter Doctores diſſidium, an in tali caſu dicendum eſſet, quòd forent vnus homo, vel plures; vt ſupra indicauimus.

Prob. ex Scoto. Non eſt repugnantia, neque ex parte naturæ aſſumendæ, neque ex parte perſonæ aſſumentis; non quidem reſpectu naturarum; actualis enim dependentia vnius naturæ non repugnat dependentiæ alterius naturæ; Neque ex parte Verbi; quia per hoc non ponerentur in eo, niſi plures relationes rationis, vel nulla relatio, ſed tantùm, quod ipſum terminet plures relationes reales ad ipſum; hoc autem non eſt impoſſibile; ſicut tota Trinitas terminat omnes relationes creaturarum, ergo &c.

Prob. 2. ab eod. Scoto. Alia natura potuit aſſumi, iſta non aſſumpta, ergo & modò poteſt. Prob. conſ. Quia nec potentia alterius naturę eſt reducta ad actum per hoc, quod

 hæc

hæc eſt aſſumpta;nec relatio ex parte Verbi aſſumentis habet iſtam naturam adæquatam ſibi in ratione terminati dependentis ad terminans independens, quia etſi vnum cauſatum non poſſet dependere totaliter ad plures cauſas totales; tamen benè poteſt vna cauſa totaliter terminare dependentias multorum cauſatorum; ergo &c.

Arg.cont.concl.Si vna perſona aſſumeret plures naturas, aut eſſet vnus homo, aut plures; non vnus, quia non vna natura tantùm; non plures, quia non plura ſuppoſita: prima conſ. prob. per oppoſitum; quia tres perſonæ ſunt vnus Deus. Secunda prob. per hoc, quòd habens plures ſcientias propter vnitatem ſuppoſiti; eſt vnus ſciens; ergo &c.

Reſp. Richard. quòd in tali caſu non eſſet vnus homo, nec plures.

Contra arguit Scot. Vnum, & multa ſunt oppoſita immediatè diuidentia ens; igitur à ſimili circa hoc ens, quod eſt homo, vnum, vel alterum eſt immediatè verum; vt ſi eſt homo, neceſſe eſt, quòd ſit vnus homo, vel plures, aliter non eſſet homo: probatur etiam hoc per vnum, & non vnum, quæ circa quodcumque includunt contradictionem, & non vnum in ente, & multa neceſſariò.

Reſp. D. Thomas, quod eſt vnus homo ab vnitate ſuppoſiti; ſicut vnus ſciens dicitur, licèt plures ſcientias habeat.

Sed contra hanc reſponſionem ſic arguit Scot. Quia tunc propter plurificationem ſoppoſitorum deberet plurificari tale concretum, & natura, & ita plures perſonæ D. eſſent plures Dij: Vel clariùs formari poteſt argumentum. Si pluralitas concretorum non infertur ex pluralitate formarum, ſed ſuppoſitorum, ſequitur, quòd in Trinitate erit verum dicere, tres perſonæ ſunt tres Dij, quia multiplicantur perſonæ. Reſp. denique Scot. de mente propria. Ideò dico tertio modo; ſicut dictum eſt in p. d. 12. quòd Pater, & Filius ſunt vnus ſpirator, non tamen vnus ſpirans, ſed duo ſpirantes. Hinc contentio inter Scotiſtas. At cenſeo dicendum breuiter cum Cauello; & alijs; quòd in tali hypotheſi eſſet tantùm vnus homo; quia vt notat de mente Scoti Scholiaſtes, ly homo eſt terminus adiectiuus reſpectu perſonæ Diuinæ, & ideò numerari nequit, niſi numeratis ſuppoſitis; etſi teneatur, quòd ſit terminus ſubſtantiuus, adhuc videtur dicendum, quòd ſit vnus homo, quia ad

mul-

multiplicationem concreti ſubſtantiui requiritur formæ, & ſuppoſiti multiplicatio; ac proinde iuxta doctrinam Scoti in loc. cit. tres perſonæ D. non ſunt tres Creatores.

Comprobatur etiam reſponſio ex quol. 1. ſ. de tertio; vbi inquit. Concretum non numeratur ad ſolam numerationem formæ, ſed oportet, quòd cum hoc ſit numeratio ſuppoſiti habentis formam, quæ doctrina eſt vera nedum de accidentalibus, ſed etiam de ſubſtantialibus; de primis patet ibidem; vbi ait, ſicut habens multas ſcientias eſt vnus ſciens: de ſubſtantialibus conſtat ex ijs, quæ Doctor docet in 3. d. 6. q. 1. ſ. ad argumenta. Dico, quòd etſi in Chriſto ſint duæ voluntates, non tamen duo volentes; quia concretum non numeratur abſque numeratione ſuppoſiti; ſicut patet de habente duas ſcientias, qui non dicitur duo ſcientes; ita in propoſito; habens plures humanitates, dicendus eſt vnus homo. Et in 3. diſt. 8. q. vn. ſ. ad argumenta clarè loquitur Doctor: Item in 3. d. 6. q. 2. negat, Chriſtum eſſe duo maſculinè, & neutraliter, ideſt duas naturas; ſed docet, debere dici, vnam ſubſtantiam, & vnum viuens ob vnitatem ſuppoſiti; ergo pari ratione ſi Verbum aſſumeret plures naturas, non eſſet plures homines, ſed vnus homo: ex quo patet mens Scoti.

Nihilominùs cenſet Macedo in tom. 3. collat. 1. Diff. 2. ſect. 4. Scotum oppoſitum docere; idque oſtendere nititur, & deducere ab inſtantia, quam facit Scotus contra reſponſionem D. Thomæ; & proximè attulimus; eſtque huiuſmodi. Quia tunc propter plurificationem ſuppoſitorum deberet plurificari tale concretum; & natura, & ita plures perſonæ D. eſſent plures Dij. Docet igitur Scotus, inquit Macedo, ex illa aſſumptione plurium naturarum, plures homines orituros, & arguit ab inconuenienti, quod ex ratione D. Thomæ ſequeretur; quam aſſignat p. 3. q. 3. art. 7. ex diametro oppoſitam ſolutioni, quàm dederat huiuſmodi argumento in 3. d. 1. q. 2. art. 5. ad 2. & 3. vbi ſic habet. Quamuis Ieſus, & Petrus eſſent vnum ſuppoſitum, tamen propter diuerſitatem naturarum dicerentur duo homines; ſed diuerſitas naturarum non impediret, quin de ſe inuicem prædicarentur &c. En quomodo D. Thomas eſt ſibi contrarius. Quare Macedo ſic animosè loquitur. Ego diſertè, & firmiter pronuncio cum Scoto, fore plures homi-

nes; & Caietanum, & Suarez, & Thomiſtas alios refuto hac ratione. Quando formæ ſubſtantiales multiplicantur in ſe, ac per ſe ſunt plures, ac diſtinctæ numero ſingulari, non debent regulari ab vnitate ſuppoſiti, ſed à concretione cum illo; itaut ſatis ſit ſubſtentari ab illo, vt maneant tot, quot erant in ſe; non autem eſt neceſſe, vt ſuppoſita in ſe ipſis ipſa multiplicentur. Patet, quia illę tres e.g. humanitates accipiunt ab vna illa perſona quicquid acciperent à tribus perſonis, ideſt ſubſtentationes, & terminationes tres, ergo manent ſufficienter conſtitutæ in eſſe concreto ad efficiendum totidem concreta, quot efficerent, ſi eſſent ſubſtentatæ, ac terminatæ à tribus perſonis: igitur tot erunt homines, quot fuerint humanitates. Hæc ratio, vt verum ingenuè fatear, adeò mihi probatur; vt in hanc Macedi ſententiam propendam, eò vel maximè, quòd mihi videtur Scoti menti, ac doctrinæ non difformis, immò ſatis conformis.

QVÆSTIO VI.

Vtrum vna, & eadem numero natura poſſit ſimul aſſumi à tribus perſonis Diuinis.

NOt. Quòd hìc loquimur de termino immediato, non autem mediato; oſtenſum eſt enim in ſuperiori quæſtione; naturam Diuinam poſſe ſua ſubſiſtentia abſoluta terminare dependentiam naturæ humanæ immediatè; quæ natura immediatè terminata eſſet mediatè in tribus perſonis D. ac proindè mediatè terminata à ſuppoſitis Diuinis. Quare quæſtio præſens procedit de termino immediato; nempe, An tres perſonæ poſſint ſimul, & ſemel terminare immediatè eandem numero naturam. Circa quam difficultatem eſt duplex opinio. Prima eſt D. Thomæ p. 3. q. 3. art. 6. Varronis Magiſtri Scoti, Alenſis, qui partem affirmatiuam tenent, & in hanc videtur inclinare etiam D. Bonau. etſi meo videri oppoſitum ſuſtineat reſpondendo rationibus aduerſis; quam ſententiam amplectuntur plures Recentiores, & ex Scotiſtis Baſſolius in 3. d. 1. q. 4. & Poncius, qui explicat, Scotum intelligendum eſſe de dependentia adæquata, ſecùs autem de inadæquata. Secunda eſt

Scoti,

Scoti, & Scotiſtarum; cui ſubſcribuntur nonnulli Recentiores; vt Lugo, Paſqualig. & alij: qui partem tuentur negatiuam.

Concl. Vna, & eadem numero natura non poteſt ſimul, & ſemel immediatè aſſumi a tribus perſonis D. Eſt Scot. in 3. d. 1. q. 2. Prob. 1. ex Anſelmo lib. 2. cur Deus homo cap. 9. Vbi ait. *Plures enim perſonæ nequeunt vnum, & eundem hominem aſſumere*, ergo nequit à tribus terminari immediatè. Nec valet reſpondere cum Caietano, & alijs Thomiſtis, Anſelmum eſſe locutum de natura humana perſonata, non autem de natura abſtracta à proprio ſuppoſito; non valet, inquam; quia natura perſonata etiam in ſententia Thomiſtarum nec ab vna ſola perſona aſſumi poteſt. Reſpondent alij, vt Suarez, Vaſquez, D. Anſel. negare ſolùm poſſe tres perſonas aſſumere vnam humanitatem in vnitate perſonæ; ita nimirum, quòd eſſent vna perſona. Sed quamuis hæc expoſitio, vt inter alios obſeruat Maſtrius, magis ad rem videatur, non tamen ſatisfacit; quia ibi diſputat Anſel. contra hæreticos aſſerentes, omnes tres perſonas incarnatas; vndè non rectè intuliſſet illam conſequentiam, ergo neceſſariò in vna tantùm perſona incarnatio fieri debet; ſic enim arguit: *plures perſonæ nequeunt vnum, & eundem hominem aſſumere in vnitatem perſonæ, quarè in vna perſona tantùm id fieri neceſſe eſt*; ita Anſelmus; quam conſequentiam non rectè deduxiſſet; potuiſſent namque illi hæretici reſpondere, quòd poſſet fieri à tribus perſonis eiuſdem naturæ aſſumptio, non ad vnitatem vnius perſonæ; ſed ad ſuas diſtinctas perſonalitates.

Prob. 2. ratione principali Scoti. In omni dependentia eſſentiali vnum dependens prȩcisè dependet ad vnum, quod totaliter terminat dependentiam eius; ergo vna natura nequit aſſumi à pluribus perſonis, quia à pluribus dependentia eſſentiali dependeret in ratione ſubſtentationis.

Prob. ant. Vnum dependens non dependet præcisè dependentia eſſentiali niſi ad vnum, quod totaliter terminat eius dependentiam; dependentia ſiquidem alicuius, ſi fuerit totaliter terminata ad vnum, ipſum non poteſt dependentia eiuſdem rationis ad illud dependere, ſed in iſta vnione eſt dependentia eſſentialis vnius naturæ; eamquè vna perſona totaliter terminat; ergo &c. maior patet ex ijs, quæ ha-

habentur in Philoſophia de impoſſibilitate dependentiæ vnius effectus à pluribus cauſis totalibus eiuſdem ordinis; minor autem non admittitur ab Aduerſarijs; ideò probatur. Effectus, qui eſſet à pluribus cauſis adæquatis ſimul penderet ab vnaquaque, quia ſine illa non poſſet eſſe; & non penderet, quia ſine illa poſſet eſſe, cum per aliam taliter cauſaretur, vt altera non cauſante reciperet eſſe: ergo à pari natura creata à pluribus perſonis D. ſimul aſſumpta ab vnaquaque penderet in ſubſiſtendo, quia ab illa haberet, quòd ſubſiſteret, & non penderet, quia ſine illa per alteram ſubſiſteret.

Reſp. communiter Thomiſtæ cum Capreolo, & Caiet. quòd licèt non poſſit vnum, & idem à duobus adæquatè dependere dependentia cauſali, quæ eſt dependentia ſtricta, poteſt tamen dependentia non cauſali, ſed purè terminatiua; qua dependentia ſtricta non eſt, vnum, & idem à duobus dependere adæquatè, adæquatione intenſiua, ſed adæquatione extenſiua: Vnum enim album adæquatione intenſiua ab vno albo relatione vnica ſimilitudinis terminatur; non tamen adæquatè extenſiuè, cum poſſit ex vi eiuſdem relationis ad plura alba terminari, prout de facto terminatur; & ſic remanet ſoluta ratio principalis.

Contra hanc reſponſionem ex Scoto arguitur. Perſonalitas creata ita terminat, & perſonat illam naturam, quòd, ſtante illa perſonalitate creata, non poteſt ab alia perſona ſiue creata, ſiue increata perſonari; etiam in ſententia Caietani; ergo totaliter intenſiuè, & extenſiuè natura illa perſonatur ab vna perſonalitate creata; alioquin poſſet ſimul ab aliqua alia perſona creata perſonari, quod cenſetur abſurdum etiam ſecundùm Aduerſarios. Cæterùm, exemplum de albo non eſt ſimile huic relationi eſſentiali. Sunt enim relatiua in duplici differentia; quædam habent ſolam rationem communem relationis ad correlatiuum, vt ſimile, vicinus, & huiuſmodi; ideò, deſtructo vno correlatiuo, ſi aliud correlatiuum remaneat, non deſtruitur. Quædam verò ſunt, quæ præter rationem communem relationis habent etiam dependentiam eſſentialem ad ſuum correlatiuum, vt ſeruus ad Dominum, ſcientia ad ſcibile, Filius ad Patrem; quia dependent eſſentialiter. Vndè talia relatiua habent ſolummodò dependentiam ad vnum correlatiuum,

& non ad plura;& illo deſtructo pereunt;vt patet de ſcientia, & ſcibili; cum igitur dependentia naturæ ad ſuppoſitum ſit eſſentialis; conſequens eſt, quòd non poſſit terminari niſi ab vno; quia ab illo eſſentialiter dependet in ratione terminationis, vt mox dicebamus de perſonalitate creata.

Prob. 2. Sancti Patres docent, Verbum aſſumpſiſſe naturam in athomo, non perſonam, quia perſona eſt inaſſumptibilis,etiam ex D. Thoma loc. cit. ab alia perſona,qui interpretatur locum D. Anſelmi de perſona. Nihilominus data ſententia Aduerſariorum, perſona Verbi potuiſſet aſſumere perſonam creatam, quia ſi natura creata poteſt habere triplicem perſonalitatem increatam, ergo multò magìs poterit habere perſonalitatem creatam, & increatam; & quamuis aliqui non cenſeant id eſse abſurdum, attamen non eſt aſserendum, quia eſt contra Sanctos Patres: conſ. eſt manifeſta; etenim non magìs repugnat ſimul eſse perſonalitatem creatam, & increatam in natura vna,quàm duas perſonalitates increatas, quarum vtraque perfectiùs ſupplet vices perſonalitatis creatæ; quàm perſonalitas creata præſtare poſset.

Prob. 3. ex Scoto. Eſſentia D. concluditur eſſe infinita, ex eo, quòd ipſa eadem poſſet eſſe in tribus perſonis, ergo etiam iſta natura eſſet infinita, ſeu illimitata, ſi poſſet eſſe in pluribus perſonis; conſ. patet, quia qua ratione poteſt eſſe in tribus,poſſet eſſe in infinitis.

Reſp. Thomiſtæ, quòd non ex hoc, quòd eſt vna in tribus, eſt infinita; ſed ex hoc, quòd eſt eadem eis; & ex tali identitate eſt infinita;natura autem creata, etſi eſſet in tribus; non tamen eſſet eadem eis, ſed aduentitia.

Contra. Sicut forma ſubſtantialis perficiens plura ſuppoſita, eſſet illimitata; ita accidens conſequens eadem ſuppoſita eſſet illimitatum;ergo ſicut Eſſentia D. quæ eſſentialiter eſt vna trium ſuppoſitorum, eſt infinita; ita natura humana eſſet infinita; licèt eſſet aduentitia. Confirmatur. Quia ita impoſſibile eſt, idem accidens eſſe in duobus ſubiectis; ſicut vnam formam eſſe in duabus materijs.

Arg. 1. cont. concl Eadem natura antequam aſſumeretur à Filio, aſſumptibilis erat à Patre; ergo, & modò; ant. patet, conſ. prob. Eadem natura erat aſſumptibilis à Patre per hoc, quòd fuit in potentia obedientiali ad perſonam Pa-

Patris; ſed per aſſumptionem eius à Filio illa non euacuatur, quia perſonalitas Filij non eſt eiuſdem rationis cum perſonalitate Patris. Reſp. conc. ant. & nego conſ. ad cuius prob. conc. mai. & diſt ing. min. non euacuatur in actu primo, conc. non euacuatur in actu ſecundo ob incompoſſibilitatem plurium ſuppoſitorum neg.

Arg. 2 Natura exiſtens in Verbo habet inclinationem ad proprium ſuppoſitum, quia illa eſt ſibi connaturalis; ergo habet inclinationem ad quodcumque, quod poteſt ſupplere vices proprij ſuppoſiti; tale autem eſt ſuppoſitum Patris, & Spiritus Sancti; ergo &c. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. eò quia ad aliena ſuppoſita eſt tantùm in potentia obedientiali; hoc eſt non dicit repugnantiam. Dato etiam, quòd haberet inclinationem ad ſuppoſita D. exinde tamen non ſequitur, poſſe ſimul aſſumi à tribus; ſed ſolùm diſiunctim.

Arg. 3. ex Varrone. Sicut prius poteſt eſſe ſine poſteriori abſque contradictione; ita poteſt manere idem plurificato poſteriori; ſed ſic eſt, quòd prior eſt ratio ſingularitatis in natura creata, quàm ratio perſonæ; ergo poteſt manere eadem indiuidua natura, licèt plurificentur perſonalitates extrinſecæ. Reſp. Scot. neg. mai. abſolutè ſumptam; quia non quodcumque prius poteſt manere indiſtinctum cum diſtinctione cuiuſcumque poſterioris; maximè quando diſtinctio poſterioris concludit in priori aliquid ſibi repugnans, ſi ſit idem.

Arg. 4. Diſtinctio relationis non eſt cauſa ſufficiens diſtinguendi abſolutum, ergo cum D. perſonæ ſint relatiuæ, non oportet propter hoc naturam ab ipſis aſſumptam diſtingui. Reſp. nego ant. & ratio eſt, quia licèt diſtinctio relatiua non cauſet diſtinctionem abſoluti fundantis relationem; poteſt tamen cauſare diſtinctionem abſoluti ſequentis naturaliter relationem, & dependentiam ab ea.

Arg. 5. Idem accidens poteſt eſſe in diuerſis ſubiectis; ergo eadem natura in duobus ſuppoſitis: conſ. prob. quia habitudo accidentis ad ſubiectum eſt ſimillima iſti dependentiæ, vt ſupra tactum fuit: ant. pariter prob. Poſſunt eſſe ſimul corpus glorioſum, & non glorioſum, ergo habent idem vbi; quod vbi eſt accidens locati. Quòd autem ſit idem vbi probatur; quia eſt idem locus; idem autem locus

cus habet vnam circumſcriptionem actiuam, igitur ſibi correſpondet vna circumſcriptio paſſiua, quæ eſt vbi.

Reſp. Scotus neg. aſſumptum de accidente, & ſubiectis. Ad probationem dicit, quòd ſunt duo vbi; & tamen ab vno loco circumſcribente. Et cum dicitur, quòd vnius loci erit vna circumſcriptio actiua; dicit Doctor, quòd ſi locus ſit aliquod abſolutum formaliter, in quo fundatur non actio, ſed relatio illa, quæ ſignificatur per modum actionis, vt circumſcriptio actio, duæ circumſcriptiones poſſunt fundari in eodem abſoluto ad duo corpora circumſcripta. Si autem locus dicat formaliter reſpectum ad locatum, & materialiter fundamentum, in quo fundatur iſte reſpectus; tunc eſt vnus locus propter vnitatem materialis, ſed duæ locationes formaliter, & vtroque modo commultiplicatur circumſcriptio actiua, & paſſiua: hęc Scotus.

Arg. 6. Idem corpus ex Scoto in 4. d. 10. q. 2. poteſt eſſe in pluribus locis, ergo & eadem natura in pluribus ſuppoſitis. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Ratio, quia eſſe in loco eſt relatio extrinſecùs adueniens inadæquata, quæ non tribuit corpori perfectionem vllam, nec dat eſſe aliquo modo corpori; ſicut natura humana recipit eſſe ſubſiſtens à ſuppoſitis; ac proindè poteſt multiplicari in eodem fundamento, ſicut idem fundamentum poteſt fundare plures relationes; natura verò humana ſecùs ſe habet in ordine ad ſuppoſitum; cum ab vno ſuppoſito adæquatè terminetur.

Quæres. An natura exiſtens in propria perſonalitate ſit aſſumptibilis à Deo, ſeu à D. perſona.

Reſp. Quamuis reſponſio huius dubij deduci poſſit ex dictis in proxima quæſtione; nihilominus; quia nonnulli Recentiores contendunt, nullam eſſe repugnantiam, naturam in propria perſonalitate exiſtentem aſſumi; idcirco non exiſtimaui ſuperfluum ſubnectere hoc particulare quæſitum. Dicendum igitur eſt cum communi ſententia, implicare, naturam exiſtentem in propria perſonalitate à Deo aſſumi. Ratio euidens, & conuincens deſumitur à Concilijs, & Sanctis Patribus; qui ex eo, quòd in Chriſto facta eſt vnio hypoſtatica inter perſonam D. & naturam humanam, diffiniunt, in Chriſto ſolùm eſſe D. perſonam, & non humanam; vnde tacitè docent, Myſterium Incarnationis, non potuiſſe conſtare; ſi natura humana retinuiſ-

nuiſſet propriam perſonalitatem; & conſequenter ſentiunt, vnionem naturæ in perſona aliena pugnare cum propria perſonalitate; aliàs non rectè inferrent, in Chriſto non dari niſi vnam perſonam; ergo ſi Patres rectè inferunt, humanitatem Chriſti caruiſſe propria ſubſiſtentia, eò quòd eſſet in perſona Verbi; manifeſtè volunt, impoſſibile eſſe naturam perſonatam propria ſubſiſtentia aſſumi à Deo. Alioquin non fuiſſet efficax contra hæreticos diſcurſus Conciliorum, & Patrum, qui ex vnione humanitatis cum Verbo demonſtratiuè deducunt carentiam propriæ ſubſiſtentiæ. Certè potuiſſent hæretici reſpondere faciliter, Deum nouo miraculo feciſſe, vt propriæ humanitatis ſubſiſtentia ſimul cum ſubſiſtentia Verbi maneret; vt nihil perfectionis naturalis eidem humanitati deeſſet.

Dices cum Aduerſarijs. Eadem natura humana in ſententia Thomiſtarum, & aliorum poteſt aſſumi à tribus D. perſonis; ergo poterit eadem natura poni perſonata propria perſonalitate, & aliena, ac proinde non dicit implicantiam &c. Reſp. hoc argumentum torquere Thomiſtas, & alios eiuſdem ſententiæ, qui, licèt nitantur reſpondere, attamen non adæquatam diſparitatis rationem aſſignant; vt ponderanti hanc reſponſionem patere poteſt. Etenim reſpondent neg. conſ. quia illi modi ſubſiſtendi in perſonis D. nullam inuoluunt repugnantiam inter ſe reſpectu naturæ exiſtentis in rerum natura, nempe per ſe, & in alio diſiunctiuè accepta, ideſt vnum, vel aliud; at copulatiuè ſumpta manifeſtam inuoluunt contradictionem: Quarè cum natura creata propria perſonalitate ſit per ſe, & cum aliena ſit in alio, ideò nullo modo poteſt eſſe ſimul cum propria perſonalitate, & cum aliena. Vndè cum in Diuinis ſuppoſitis non retineat propriam perſonalitatem, non repugnat, poſſe ſubſtentari à pluribus Diuinis ſuppoſitis. Cæterùm nos non torquet tale argumentum; neque aliud ſimile; ſi dicamus perſonalitatem creatam conſiſtere in negatiuo. Siquidem impoſſibile eſt habere negationem actualem communicabilitatis, & eſſe actualiter comunicatum; vel ob aliam rationem ſuperiùs indicatam.

QVÆ-

QVÆSTIO VII.

Vtrum perſona creata poſſit alienam naturam creatam hypoſtaticè ſubſtentare.

NOt. Quòd præſens quæſtio ſupponit, perſonam creatam conſtitui in eſſe perſonali per quid poſitiuum; certum eſt enim, quòd ſi teneatur conſtitui per negatiuum, non poſſe tribuere alteri naturæ eſſe ſubſiſtens, cum nequeat intelligi, quomodo valeat negatio vnius naturæ præſtare alteri illum effectum, qui ex ea neceſſariò ſequitur in natura, cuius eſt negatio. Hoc igitur ſuppoſito, reſpondet Scotus, quòd certum eſt, nullam naturam creatam poſſe ſubſtentare aliam naturam actiuè quia ad hoc tantùm eſt potentia obedientialis, quæ non ſubeſt creaturæ, ſed ſolummodo Diuinæ omnipotentiæ. An verò poſſit creatura terminatiuè ſubſtentare aliam perſonaliter, Deo actiuè per potentiam abſolutam perſonante, incertum reliquit ipſe Doctor. Quarè cum diſputet ad vtramlibet partem, tradendo modum defendendi vtramque, videtur problematicus. Verùm, quia vt docet Doctor, nihil eſt omnipotentiæ denegandum, quòd non inuoluat manifeſtam contradictionem, idcircò dicendum cum probabiliori ſententia id à Deo fieri poſſe.

Concl. Poteſt Deus de potentia abſoluta eleuare perſonam creatam ad terminandum alienam naturam, ac proindè eam ipſi hypoſtaticè vnire. Eſt Scoti in 3. d. 1. q. 4. & plurium Scotiſtarum; quam amplectuntur paſſim Recentiores. Prob. Nulla apparet implicantia &c. ergo poteſt à Deo fieri: prob. ant. Si eſset implicantia, vel ſe teneret ex parte perſonæ terminantis, vel ex parte naturæ aſsumptæ; non ex parte perſonæ creatæ, quia quælibet perſona, cum habeat vim terminandi, non apparet repugnantia, quin à Deo poſſit eleuari, etiam ad terminandam alienam naturam; neque ex parte naturæ aſsumptæ, quia quælibet natura per virtutem Dei poteſt ſeparari à propria ſubſiſtentia, ergo poterit Deus vnire talem naturam cum perſona creata aliena, non minùs, quàm cum increata perſona Verbi, quæ magis diſtat à compoſitione, & vnione, quàm quælibet natura creata, quod magis patebit ex ſolutione argumentorum,

Arg.

Arg. 1. Suppoſitum terminans naturam alienam debet eſſe independens, ſed ſuppoſitum creatum non eſt independens, ergo nequit naturam alienam terminare: min. pat. mai. prob. hac enim ratione probatum eſt, Verbum D. ideò terminare naturam humanam, quia eſt independens in ratione perſonæ; ergo ſuppoſitum terminans debet eſse independens. Reſp. diſt. mai. ſuppoſitum terminans &c. debet eſſe independens independentia omnimoda, & ſimpliciter; neg. mai. independentia ſecundùm quid, conc. mai. Nam vt dicit Scotus dependentiam aliquam terminat aliquid, vt ſubiectum dependentiam accidentis, quòd tamen non eſt omnino independens. Ad prob. dicimus, quòd licet Verbum D. ratione ſuæ independentiæ ſimpliciter terminet de facto naturam humanam, ex hoc tamen non ſequitur, quòd perſona creata non poſſit à Deo eleuari ad terminandam alienam naturam. Cæterùm ſi quis vellet oppoſitum ſuſtinere, poſſet dicere, vt etiam docet Scotus, quòd ad terminandam alienam naturam, requiritur in perſona terminante independentia ſimpliciter, & omnimoda.

Arg. 2. Quælibet creata ſubſiſtentia adæquatè reſpondet ſuæ propriæ naturæ; ergo non poteſt terminare alienam naturam. Reſp. neg. conſ. ratio eſt, quia etiam ſubſiſtentia diuina adæquatè reſpondet diuinæ naturæ, & tamen talis adæquatio non impedit, quin poſſit terminare alienam naturam. Vnde poteſt diſtingui ant. eſt adæquata intenſiue, conc. ant. extenſiuè, neg. ant.

Arg. 3. Si perſona creata poſſet terminare plures naturas, quàm vnam; ergo poſſet terminare Infinitas, ſeu non tot quin plures, ſed ad id requiritur virtus infinita; ergo non poteſt perſona creata terminare plures naturas.

Reſp. conc. ſequelam maioris, & neg. min. quia ad id ſufficit virtus extrinſeca Agentis infiniti operantis ſupra naturalem exigentiam ſubſiſtentiæ creatæ; ſicut materia prima ſecundum eandem entitatem, & perfectionem, qua terminat vnam formam ſubſtantialem, poteſt informari, & terminare plures, & non tot, quin plures, & plures.

Arg. 4. Perſonalitas creata eſt modus naturæ creatæ indiſtinctus realiter ab illa; hoc eſt, non poteſt ab illa ſeiungi, ſed modus vnius rei nequit eſſe terminus alterius, ſicut figura vnius corporis, & ſeſſio ita ſunt indiſtincta corpori, & ſe-

& ſedenti, vt non poſſint eſſe modus alterius rei; ergo &c.

Reſp. conc. mai. Non tamen ex indiſtinctione perſonalitatis creatæ à propria natura, recte infertur impoſſibilitas ad terminandum naturam alienam; Perſonalitas ſiquidem D. non diſtinguitur realiter à ſua natura; & tamen terminat naturam alienam. Nequè figura, & ſeſſio, quæ ſunt accidentia inſeparabilia ab ipſis rebus poſſunt comparari ſubſiſtentiæ ſubſtantialis in ratione terminandi; cum huiuſmodi accidentia per inhæſionem intrinſecè modificent, ſubſiſtentia autem non per inhæſionem, ſed per extrinſecam terminationem modificat alienam naturam.

QVÆSTIO VIII.

Vtrum quælibet natura irrationalis; tam animata, quàm inanimata ſit aſſumptibilis à Perſona D.

NOt. Quòd ſicut perſona D. aſſumpſit naturam humanam, vt de fide habetur; ſic potuiſſet aſſumere etiam naturam Angelicam; vt indicat Apoſt. ad Hebr. 2. vbi, vt ſingularem Dei charitatem erga homines oſtenderet, dixit. *Nuſquam Angelos apprehendit, ſed ſemen Abrahæ.* Quem locum de apprehenſione per vnionem hypoſtaticam communiter intelligunt Patres; vndè ſi natura Angelica non eſſet aſſumptibilis, non eſſet idonea D. Pauli argumentatio: Ita docet communis ſententia Theologorum, excepto Alberto Magno, qui in 3 d. 2. id negare videtur; hoc fundamento: quia ſubſiſtentia in natura Angelica non diſtinguitur ab illa; ac proindè cum natura non poſſit aſſumi cum perſonalitate, natura Angelica non eſt aſſumptibilis.

I. Concl. Quælibet natura irrationalis, tam animata, quàm inanimata eſt aſſumptibilis à perſona D. eſt communis. Prob. Nam in hoc myſterio; *tota ratio facti eſt potentia facientis* inquit D. Aug. ergo ex parte Dei non implicat, aſſumere quamcumque naturam ſubſtantialem; nec etiam repugnat ex parte naturæ irrationalis; quia ſi natura rationalis poteſt priuari ſuo termino intrinſeco; & terminari aliena ſubſiſtentia; cur non poterit natura irrationalis.

Neque obſtat; quòd natura irrationalis non ſit capax gratiæ, & ſanctitatis, eò quia ſi hæc ratio valeret, militaret

ſet etiam de corpore Chriſti; quod in triduo non fuiſſet capax vnionis hypoſtaticæ; cum non ſit capax talis ſanctificationis. Itaquè in tali euentu, illa natura irrationalis non eſſet capax veræ iuſtitiæ, & ſanctitatis; ac proinde non denominaretur formaliter ſancta, & iuſta; eſſet tamen ſancta ea ſanctitate; qua res etiam inanimatæ, quæ peculiari modo ſunt Dei; eò quòd in eius cultum ſint conſecratæ, ſanctæ dicuntur.

II. Concl. Poteſt Deus aſſumere quamlibet partem ſubſtantialem, ſiue vnitam cum alia, ſiue ſeparatam. Hæc pariter videtur ferè communis. Prob. Tales partes habent propriam ſubſiſtentiam ſaltem partialem, vt conſtat ex dictis in Philoſophia; ergo illæ partes ſiue in toto, ſiue extra totum exiſtant, poſſunt ſeorſim per D. ſubſiſtentiam terminari, & ſubſiſtere. Confirm. In triduo mortis Chriſti, Corpus, & Anima eius ſeorſim, & ſeparatim ſubſiſtebant ſubſiſtentia Verbi iuxta axioma illud theologicum; *Quod Chriſtus ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit*; ergo pari ratione aliæ naturæ incompletæ, ſeu partes poſſunt ſeorſim aſſumi, & terminari.

Verùm diſſentiunt Thomiſtæ in hac concluſione à communiori ſententia; Quia ſicut opinantur materiam non habere propriam exiſtentiam, ac proinde nec per D. potentiam poſſe ſine forma ſubſtantiali exiſtere; ita conſequenter tenent, non poſſe à Deo aſſumi immediatè materia prima. Quoad formam autem nobiſcum ſentiunt; quia cum Anima rationalis Chriſti fuerit in triduo Diuinitati hypoſtaticè vnita, conſequens eſt, quòd etiam quælibet alia forma ſubſtantialis, quæ minùs dependet à materia, quàm accidentia à ſubiecto, poſſit à perſona diuina aſſumi, & terminari in vnitate ſuppoſiti.

Arg. contra 1. concl. Repugnat D. perſonæ aſſumptio naturæ irrationalis ex indecentia; quia Deus diceretur, lupus, canis &c. ergo &c. Reſp. diſting. ant. ex indecentia negatiua; & comparatiua, ideſt minùs decens; quàm aſſumptio naturæ rationalis; conc. ant. ex indecentia poſitiua, & abſoluta, neg. ant. Vndè ſi non eſt indecens, Filium Dei, in noſtra carne naſci, laborare, cruciari, & mori, vocari maledictus, crucifixus &c. ita nec dici, lupus, canis &c.

Arg. 2. Implicat contradictionem idem eſſe ſimul perſonam,

nam, & non eſſe; ſed ſi natura irrationalis aſſumeretur, eſſet ſimul perſona, & non eſſet; eſſet quidem, quia haberet perſonalitatem Verbi, non eſſet, quia perſona eſt intellectualis, & rationalis naturæ indiuidua ſubſtantia; ergo natura irrationalis nequit ſine contradictione aſſumi.

Reſp. conc. mai. & neg. min. Nam, vt Scot. docet, vnio hypoſtatica non eſt nata eſſe perſonatio; niſi id, quod aſſumitur, ſit capax perſonari; quòd ſi non ſit capax perſonationis, aſſumitur, & terminatur tantùm in ratione ſuppoſiti, & non perſonæ; vt patet de corpore, & Anima Chriſti, quæ hypoſtaticè erant in triduo Verbo D. vnita, in ratione quidem ſuppoſitali, non perſonali.

Arg. 3. Natura irrationalis non poteſt eleuari ad operationem ſupernaturalem, ſeu ad viſionem beatificam, ergo nec poteſt eleuari ad eſſe ſupernaturale per vnionem hypoſtaticam: conſ. probatur ex Ariſt. 4. meta; vbi ait, quòd eſſe eſt propter operari; & cui eſt impoſſibilis operatio, ei eſt impoſſibile eſſe. Reſp. neg. conſ. cuius contrarium indubiè apparet de corpore Chriſti, quod vnitum fuit Diuinitati in triduo mortis; eſtò tunc corpus eſſet incapax tam per ſe, quàm per animam ab eo ſeparatam, amoris Dei &c. Ad Ariſt. dicendum, verum eſſe illud axioma de eſſe eſſentiæ, vel potentiæ, quia talis eſt actio, qualis eſt potentia, ſeu principium formale, vel radicale illius; non eſt autem verum de eſſe termini vltimi ſubſiſtentiæ, quale eſt ſuppoſitum, aliàs omnes operationes Chriſti eſſent ſupernaturales, & diuinæ; ſicut & illius ſuppoſitum, quod nemo dixerit.

Arg. 4. Cui nequit communicari maius, nec minus donari poteſt; ergo cum viſio beatifica ſit minus vnione hypoſtatica; ſi non poteſt ei communicari viſio, nec vnio hypoſtatica. Reſp. diſting. ant. Si minus, & maius ſint eiuſdem rationis: conc. ant. ſi diuerſæ rationis, vt eſt in propoſito; neg. ant.

Contra. Vnio hypoſtatica ſanctificat naturam aſſumptam, ergo eſt eiuſdem rationis; ac proinde ſi minus non poteſt communicari, nec maius. Reſp. negando ſuppoſitum; quia ſanctitas ſubſtantialis, quæ à ſuppoſito D. naturæ communicatur, non eſt eiuſdem rationis cum ſanctitate gratiæ, & viſionis beatificæ, vt infra patebit, dum agetur de Sanctitate Chriſti.

Vtrum accidentis natura poſſit aſſumi à Perſona D.

NOt. 1. Quòd non loquimur hic de accidentibus relatiuis, & de omnibus illis, quæ nequeunt per D. potentiam à ſubiecto ſeparari; ſed de accidentibus abſolutis, quibus non repugnat ſeparatio à proprio ſubiecto. Neque eſt ſermo de aſſumptione mediata; nam indubiè Verbum D. aſſumens naturam humanam, aſſumpſit pariter accidentia ad eius integritatem, & conſeruationem naturalem conuenientia; qua ratione Theologi docent; Verbum aſſumpſiſſe etiam omnes humanitatis defectus naturales; excepto peccato, & ignorantia. Difficultas igitur eſt, An accidens immediatè, & per ſe aſſumi, & terminari poſſit à perſona D. Negat noſter Baſſolius in 3. d. 2. q. 1. quem ſequitur Suarez, & quamplures Recentiores. Affirmat noſter Rubionus ibidem; cui conſentiunt plures Moderni, & ſignanter, ex Scotiſtis Herincx, Maſtrius, & Fraiſen.

Not. 2. ex Scoto in 3. d. 1. q. 1. quòd accidens duplicem habitudinem habet ad ſubiectum, nempe in ratione informantis, & in ratione terminati, & ſubſtentati; prima arguit imperfectionem, & in ſubiecto, & in accidente; ſecunda verò arguit imperfectionem tantum in accidente. Quare licèt accidens, vt docet Scot. quol. 19. art. 2. ob ſuam imperfectionem non poſſit habere per ſe ſuppoſitum; ac conſequenter non poſſit hypoſtaticè intrinſecè terminari; tamen exigit ſuppoſitum intrinſecum ſubſiſtentiæ; vt eius dependentia terminetur, & ſubſtentetur. Vndè non diceretur in ſe ſubſiſtere, vel per ſe exiſtere, ſed ſuſtentari à ſuppoſito diuino.

Concl. Natura accidentis aſſumi poteſt à perſona Diuina.

Prob. Accidentis dependentia terminari poteſt à D. perſona, ergo &c. Prob. ant. Nulla eſt repugnantia, neque ex parte accidentis, neque ex parte perſonæ Diuinæ; non quidem ex parte perſonæ D. vt patet; non enim eſt maior ratio quare poſſit terminare naturam ſubſtantialem, quàm accidentis naturam. Neque ex parte accidentis. Quia eius dependentia actualis à ſuo ſubiecto poteſt tolli, prout de facto ſine ea manent accidentia Euchariſtica; tum quia

eſt in perfecta potentia obedientiali, non minùs ac natura ſubſtantialis; tum denique quia, vt infra dicetur, non eſſet in perſona D. per modum inhærentis, ſed ſolùm per modum ſuſtentati, & terminati; ergo &c.

Arg. contra concl. Nihil eſt capax terminari modo oppoſito ſuæ entitati, ſed eſſe ſubſiſtens, & terminatum per ſubſiſtentiam diuinam eſt modus oppoſitus modo connaturali accidentis, qui eſt inhærentia; nec enim terminatur accidens niſi per ſubiectum, cui inhæret; ergo non poteſt aſſumi, & terminari: maior patet, quia id, quod terminat alienam entitatem ſupplet vices eius proprij termini; perſonæ autem diuinæ repugnat ſupplere vices ſubiecti.

Reſp. diſting. min. Modus ſubſiſtendi per ſe ea ratione, qua ſubſiſtentia per ſe ſubſiſtit eſt modus oppoſitus modo exiſtendi accidentis; conc. modus ſubſiſtendi non per ſe, ſed ratione ſuſtentationis, & terminantis, eſt modus oppoſitus exiſtentiæ accidentis neg. min. Itaque ſicut in ratione ſuſtentati dependet à ſuo proprio ſubiecto, ſecluſa quacumque imperfectione; ita accidens dependeret à perſona D. non veluti à ſubiecto, ſed à termino terminante, & ſuſtentante; & ſic accidens aſſumptum conſeruaretur abſque vllo ſubiecto.

Arg. 2. Si perſona D. aſſumeret accidens immediatè, puta albedinem, ſequeretur, quòd accidens in abſtracto, vel ſaltem in concreto prædicari poſſit de perſona D. tanquàm de ſubiecto; & eo modo enunciari de perſona D. in concreto. Deus eſt homo, ſed abſurdum eſt perſonam D. poſſe dici albedinem, vel albam; ergo &c, Reſp. neg. ſequelam mai. Ratio eſt, quia accidens nec in abſtracto, nec in concreto prædicari, vel enunciari poſſet de perſona D. non quidem in abſtracto; quia ſic nec natura in abſtracto enunciatur de Verbo, nec accidens ipſum de ſubiecto: Nec in concreto; quia nullum accidens ſic enunciatur de ſubiecto, niſi illi inſit per modum inhærentis, & informantis. Quare dici non poſſet perſona D. eſt alba; ſed habens albedinem per modum terminantis tantùm, & ſuſtentantis.

Vtrum naturam humanam vniri Deo hypoſtaticè, non tamen frui, includat contradictionem.

NOt. Quòd in hac quæſtione ſunt duæ opiniones: altera Henrici Gandauenſ. quol. 6. art. 6. D. Thomæ, & Thomiſtarum, altera Scoti in 3. d. 2. q. 1. Siquidem Thomiſtæ aſſerunt, has duas vniones, nempe hypoſtaticam, & beatificam eſſe adeò connexas, vt vna neceſſariò inuoluat alteram, ac proinde fieri nequeat; vt prima ſine ſecunda eſſe, & conſiſtere poſſit, fundamenta Thomiſtarum, & Henrici afferentur in parte argumentatiua. Scotiſtæ autem cum Scoto contrarium propugnant tanquàm probabilius, & verius; nempe fruitionem non eſſe ex natura ſua neceſſariò coniunctam cum vnione hypoſtatica, itaut non poſſit per Diuinam potentiam ſeparari; Etenim quamuis vnio hypoſtatica includat vnionem beatificam diſpoſitiuè, & ſecundùm legem Dei ordinariam; & ſanctificet, quoad actum primum formaliter, quatenus ly formaliter importat ſanctitatem ſubſtantialem; quæ conſiſtit in quodam excellenti, & ineffabili dignitatis collatione, & gratitudinis ipſius naturæ, quoad actum primum apud Deum; attamen non ſanctificat neceſſario quoad actum ſecundum, nempe quoad gratiam ſanctificantem, & vnionem beatificam.

Concl. Naturam humanam vniri Deo hypoſtaticè, & non frui non includit contradictionem. Prob. Prius poteſt eſſe ſine poſteriori, quando nulla eſt connexio neceſſaria ipſorum, vt alibi idem Doct. docet, ſed natura perſonabilis prius naturaliter perſonatur, quàm operetur, quando videlicet perſonatur in ſe, operatio namque eſt ſuppoſiti, ergo quando perſonatur in alio priùs etiam naturaliter perſonatur in eo, quàm operetur; ac proinde in natura humana Verbo vnita poteſt ab ea ſeparari operatio beatifica ab vnione hypoſtatica.

Diceret Henricus; quòd licèt prius natura ſit perſonatio; tamen in eodem inſtanti reali immutatur ab obiecto fruibili præſenti ád actum videndi, & voluntas ad actum fruendi; ergo cum intellectus, & voluntas ab obiecto præ-

ſenti immutentur ſequitur neceſſariò fruitio conſequens iſtam immutationem.

Contra arg. Scot. ducendo hanc rationem ad oppoſitum ſic. Natura nulla neceſſariò fruitur iſto obiecto, niſi quæ neceſſariò immutatur ab eo, vt præſente; ſed iſta anima non neceſſariò immutatur ab eo, tum quia nec ad actum intelligendi; quia obiectum iſtud non neceſſariò immutat aliquem intellectum niſi diuinum; nihil enim ad extra cauſat niſi voluntariè, & contingenter; tum quia voluntas ex puris naturalibus non neceſſariò fruitur fine; ſed nihil hìc ponitur naturæ ſuperadditum formaliter in voluntate per iſtam vnionem, ſed tantùm ponitur quædam dependentia ad Verbum; ergo &c.

Præterea. Ex vi vnionis ſolùm Verbum eſt præſens Animæ aſſumptæ; idquè ſecundùm eſſe perſonale, ergo ſi tali vnione ſit præſens in ratione obiecti immutantis; non plus habetur, niſi quòd ex vi vnionis ſolum Verbum immutet intellectum creatum, & non tota Trinitas, quod eſt falſum; quia opera Trinitatis ad extra ſunt indiuiſa.

Adde, quòd independentia vnius vnionis ab altera in hoc apparet, quòd poteſt fieri vnio hypoſtatica ad naturam irrationalem, & inſenſibilem; vt ſupra dictum eſt; ergo ex ſua ratione intrinſeca nulla eſt connexio neceſſaria inter eas; quandoquidem natura irrationalis, & inſenſibilis non eſt capax beatificæ viſionis.

Arg. contra concl. Vnio hypoſtatica eſt maior vnione, quæ eſt per habitum gloriæ, quia ex D. Aug. lib. 13. de Trin. *In rebus per tempus ortis ſumma gratia eſt, quòd Deus ſit homo*; ſed contradictio eſt naturam vnitam per habitum gloriæ non frui; ergo multò magis de iſta vnione. Confirmatur ex eodem Aug. loc. cit. cap. 9. vbi arguit per locum à minori ſic. *Si Filius Dei naturalis factus eſt Filius hominis; igitur magis credibile eſt, quòd Filius hominis naturalis ſit gratia Filius Dei*; Vndè ſi conſequentia tenet vniuerſaliter à minori, ergo in Chriſto poſito antecedente neceſſariò ponitur conſequens, ac proindè neceſſariò fruitur.

Reſp. ex Scoto diſting. mai. quoad actum primum vnio hypoſtatica &c. eſt maior, conc. quoad actum ſecundum nego. Immò, vt ſupra notauimus ex Doctore; neutra eſt maior altera, quia ſunt alteriùs rationis, & cum neutra in-

cludat aliam, poteſt vna eſſe ſine altera. Ad Aug. idem Doct. dicit, eſſe ſummam gratiam in iſta vnione, quia ſumma gratuita condeſcenſio Voluntatis D. quæ fuit principium aſſumptionis.

Ad confirmat. reſp. Doctor. Verùm eſt quidem, quòd minùs videtur, eſſe poſſibile Filium Dei eſſe realiter Filium hominis, quàm Filium hominis per gratiam poſſe eſſe Filium Dei; & ideo ſi hoc eſt poſſibile, multò magis, & iſtud: non tamen neceſſe eſt, quòd ſi Filius Dei eſt Filius hominis, quòd ille idem Filius hominis ſit Filius Dei per gratiam: fortè enim negaretur de eodem determinatè &c.

Contra. Si talis natura non neceſſariò frueretur, ergo poſſet peccare, ac proindè Deus diceretur peccare, & per conſequens damnati poſſe, quod Scotus ipſe fatetur, videri horrendum. Reſp. ex Scoto diſting. ſequelam de potentia ordinaria, neg. de potentia abſoluta; conc. Quæ reſponſio ſic ex Scoti doctrina declaratur. Dico, inquit Doctor, quòd ſicut habens lumen gloriæ, & charitatem conſummatam non poteſt peccare, non quia iſta formaliter repugnet peccato; ſicut nec actus primus repugnat oppoſito actus ſecundi contingenter cauſabilis; ſed quia de potentia ordinata Deus non poteſt non coagere ad actus ſecundos perpetuæ viſionis, & fruitionis, qui actus repugnant peccato; ſic Deus naturæ vnitæ ſibi perſonaliter non poteſt de potentia ordinata non dare ſummam gratiam, ſeu charitatem, & vlteriùs ſummam fruitionem, quæ excludit peccatum, & ſic ex hac vnione eſt impeccabilis, non formaliter, ſed virtualiter diſpoſitiuè diſpoſitione remota, licèt neceſſariò reſpectu Dei agentis; ſicut neceſſarium eſt, aliquem beatum non peccare.

Contra ex D. Anſel. lib. 2. cur Deus homo cap. 10. vbi ait. *Primus homo erat peccabilis, quia non erat Deus*; ergo ex illa vnione ſecundus homo, ex quo erat Deus erat impeccabilis; ergo erat impeccabilis tam de potentia ordinaria, quàm extraordinaria. Reſp. Scot. Quòd ſecundus homo, quia Deus, de congruo replebatur ſumma gratia, per quam eſſet impeccabilis; & hoc non decebat primum hominem quia non erat Deus; nempe repleri tanta gratia. Non igitur ex vi iſtius vnionis ponit Anſel. iſtam impeccabilitatem; niſi de congruo, quia illam concomitabatur plenitudo gratiæ.

QVÆ-

QVÆSTIO XI.

Vtrum in Chriſto differant eſſe exiſtentiæ Verbi ab eſſe exiſtentiæ naturæ humanæ; quòd idem eſt, ac dicere. An in Chriſto ſint duæ exiſtentiæ reales.

NOt. Quòd in hac quæſt. ſunt duæ opiniones; altera Thomiſtarum, altera Scotiſtarum. Prior aſſerit, eſſe tantùm vnam exiſtentiam in Chriſto. Fundamentum principale eorum eſt; quòd exiſtentia realiter diſtinguitur ab eſſentia, ac proindè poteſt reperiri eſſentia aliqua in rerum natura abſque actuali exiſtentia: Hinc opinantur Thomiſtæ; humanitatem Chriſti habuiſſe quidem propriam eſſentiam abſque propria exiſtentia; ſed exiſtere exiſtentia Verbi. Quod ita declarant apud D. Thom. p. 3. q. 17. art. 2. Caietanus, Medina, & alij. Etenim alio modo eſſe competit naturæ, alio modo competit ſuppoſito, & perſonæ, maximè quando diſtinguitur natura à Perſona; vt contingit in propoſito; natura ſiquidem humana in Chriſto diſtincta eſt à perſonalitate creata; vndè competit eſſe naturæ, vt quo, perſonæ verò vt quod: Hinc ſequitur, quòd perſona eſt primum, & immediatum ſuſceptiuum eſſe, & ipſa eſt, quæ habet immediatè eſse; habet tamen illud à natura tanquàm à principio quo; Quare ex hoc aliud ſequitur; nempe, quòd natura non poteſt ponere in actu ipſum eſſe, niſi adſit proprium, & immediatum ſuſceptiuum ipſius eſſe, quod eſt ipſa natura. Igitur ſi à natura auferatur perſona, neceſſariò aufertur quoque exiſtentia, quia ipſa natura, eſtò ſit principium eſſe, vt quo, attamen nequit ad actum deducere ipſum eſſe, niſi adſit perſona. Itaquè cum à natura humana auferatur perſona creata, neceſſariò aufertur eſſe, & exiſtentia ipſius naturæ, & perſonetur perſona Verbi, ſequitur quòd natura humana habeat exiſtentiam increatam, quia perſona increata naturæ creatæ adueniens gerit vicem perſonæ creatæ, ideoquè ſe habet vt quod, & natura creata vt quo, & quia perſona D. non poteſt recipere eſſe creatum, remanet, quòd natura creata non poſſit habere eſſe, & exiſtentiam creatam, ſed participat eſſe perſonæ increatum, non vt quod, quia hoc eſt proprium perſonæ, ſed vt quo. Igitur natura creata ex eo, quòd trahi-

tur ad perſonam increatam recipit ab ea exiſtentiam increatam; quia impeditur à perſonalitate increata, ne recipiat propriam exiſtentiam creatam.

Altera ſententia eſt Scoti in 3. d. 6. q. 1. & videtur communiter recepta extra noſtram ſcholam, ponentis in natura humana propriam exiſtentiam; quæ, cum ſit modus intrinſecus eius, & diſtinguatur formaliter, vel fortaſſe tantùm virtualiter à natura, nec per Dei potentiam poſſit à propria natura ſeparari, neceſſariò ſequitur, quamlibet naturam poſſidere propriam exiſtentiam, eo ipſo quòd ponitur in rerum natura. Quare Scotus diſtinguit triplex eſſe, nempe eſſe eſſentiæ, eſſe exiſtentiæ, & eſſe ſubſiſtentiæ; eſſe eſſentiæ eſt idem ac ipſa eſſentia; & ſolùm differt in modo concipiendi; vt homo, & humanitas; eſſe exiſtentiæ eſt eſse actuale, quod habet eſsentia poſita extra ſuas cauſas: eſse perſonale tandem, ſeu ſubſiſtentiæ eſt, quod de formali importat duplicem negationem &c.

Concl. In Chriſto natura aſsumpta habet propriam exiſtentiam realiter diſtinctam ab exiſtentia increata; ac proinde in Chriſto ſunt duæ exiſtentiæ, ſeu duo eſse exiſtentiæ, nempe Verbi D. & naturæ aſsumptæ. Hæc eſt Scoti, D. Bonau. Durand. Gabrielis Biel. & ex Recentioribus Suarez, Vaſquez, & quamplures alij eam ſequuntur.

Prob. 1. ex Scoto. Terminus generationis ex Ariſt. 5. phyſ. t. 7. eſt eſse exiſtentiæ, vel aliquid habens eſse exiſtentiæ, ſed Filius Dei teſte D. Damaſ. verè fuit temporaliter genitus ex Matre, ergo Filius Dei eſt terminus illius generationis, inquantum habet aliquod eſse exiſtentiæ, at non eſt terminus generationis, in quantùm habet eſse increatum, ergo eſt aliquod eſse exiſtentiæ creatum, ergo &c.

Reſp. Capreol. Caiet. & alij, neg. mai. quia, aiunt ipſi, terminus generationis eſt nouum eſse exiſtentiæ, vel antiquum eſse exiſtentiæ, nouo modò ſe habens; vndè in generatione temporali Chriſti terminus generationis non eſt aliquod eſſe temporale, ſed eſſe diuinum habens nouum modum eſſendi, nimirum vt ſubſiſtit in natura humana, & hac reſponſione prætendunt ſoluere adæquatè omnes Scoti rationes, ſeu obiectiones; Videlicet ſi dicatur Anima Chriſti fuit creata, & creatio terminatur ad exiſtentiam, non increatam, ergo creatam. Item ſi dicatur viuere in vi-

uentibus eſt eſſe; in Chriſto autem eſt alia vita ab increata; alioquin Chriſtus non fuiſſet verè mortuus.

Verùm huiuſmodi reſponſio Thomiſtarum non eſt argumentorum Scoti ſolutio, ſed potiùs euaſio, & effugium, ac doctrinæ Ariſt. eluſio; cum Ariſt. intendat oſtendere, quòd generatio eſt ſemper ad nouam entitatem, atque nouam exiſtentiam; non autem ad exiſtentiam antiquam nouo modo ſe habentem; hoc enim pacto generatio eſſet alteratio, & non generatio; quandoquidem etiam alteratio, & augmentatio ſint ad exiſtentiam antiquam nouo modo ſe habentem; immò ratione oſtenditur euidenter eius falſitas; Nam eſſe exiſtentiæ actualis eſt illud eſſe, per quod entitas realiter, & actu eſt in rerum natura, & extra ſuas cauſas; vndè implicat, quòd aliqua entitas ſit extra ſuam cauſam, & in rerum natura, & non ſit exiſtens, quia eſſet exiſtens, & non exiſtens; ergo cum terminus generationis ſit aliqua entitas extra ſuas cauſas poſita; neceſſe eſt quòd ſit exiſtens, ac proinde habeat propriam exiſtentiam.

Confirmatur. Fundamentum relationis naturaliter præcedit relationem, & ſecundùm eſſe actuale præcedit rationem relationis actualis, ſed incarnatio eſt vnio, ſeu relatio actualis, ergo fundamentum eius præceſſit ſecundùm eſſe actuale; at tale fundamentum fuit tota natura humana, ergo natura humana Chriſti habuit, & habet propriam exiſtentiam.

Inſuper improbatur ratio fundamentalis opinionis oppoſitæ. De iſta natura, vt eſt principium præcisè vt quo eſſendi ipſi perſonæ quæro; an ſit entitas realis extra nihil, & extra ſuas cauſas, vel non. Si ſecundum; ergo nequit dare eſſe vt quo realiter, quia nihil præſtare poteſt. Si primum, ergo omnis entitas realis extra ſuas cauſas neceſſariò habet exiſtentiam propriam, quæ nil aliud eſt, quàm eſse actuale ipſius entitatis, & ſic ruit fundamentum Aduerſariorum.

Arg. contra concl. Primum ſuſceptiuum exiſtentiæ eſt perſona, ſed perſona D. non poteſt ſuſcipere exiſtentiam creatam; ergo in Chriſto non eſt exiſtentia creata; maior patet ex Ariſt. in prædicam. cap. de ſubſtantia, vbi dicit, quòd prima ſubſtantia, ideſt, ſuppoſitum eſt primum ſubiectum, vnde ablatis primis ſubſtantijs nihil aliorum remanet.

manet. Reſp. neg. aſſumptum in maiori. Ad Ariſt. dicimus, non diſtinguere ſingulares à perſonis, & quia ſubſtantiæ ſingulares ſunt fundamentum ſubſtantiarum ſecundarum, ideſt generum, & ſpecierum, ideò rectè ait, deſtructis primis ſubſtantijs, nihil aliorum remanere. Hinc patet, quàm malè ex hoc inferatur, perſonam eſſe primum ſuſceptiuum &c.

Arg. 2. In 6. Synodo generali act. 11. in confeſſione Patriarchæ Ieroſolymitani ſic habetur. *In Verbo Dei, non in ſe ipſa, habet vnam exiſtentiam cum Verbo;* loquitur enim ibi de carne Chriſti; ergo caro Chriſti habuit vnicam exiſtentiam, ideſt increatam. Item D. Damaſ. lib. 3. Orthodoxæ fidei cap. 22. ait. *Humanitatem Chriſti exiſtere per exiſtentiam Verbi.*

Reſp. Quòd ſenſus verborum Concilij eſt, quòd caro Chriſti non habuit priùs durationem eſſe, quàm vniretur Verbo, ſed ſimul, & ſemel fuit genita, & vnita Verbo; & hoc intendit ibi contra hæreticos; loquitur ergo Concil. de eſſe ſubſiſtentiæ in Verbo; quod ſemper habuerunt, ne dum caro, ſed etiam Anima. Ad D. Damaſ. dicimus, quòd ſi hoc, ait, dubium enim eſt, intendit de eſſe ſubſiſtentiæ, non de exiſtentia, de qua hìc agitur.

QVÆSTIO XII.

Vtrum Chriſtus ſit aliqua duo.

NOt. Quòd in hac quæſt. eſt opinio D. Thomæ p. 3. q. 17. art. 1. dicentis, quòd neutrum eſt concedendum de Chriſto abſolutè; nec quòd ſit vnum ens; nec quòd ſit multa, ſed cum determinatione eſt vnum ens, ſecundùm quod homo, & eſt vnum ens ſecundùm quod Deus: quam quidem opinionem ſic impugnat Scot. in Report. in 3. diſt. 6. q. 2. Circa ens, idem, & diuerſum ſunt immediata, & vnum, & multa; ergo abſolutè Chriſtus eſt vnum ens, vel multa entia. Prætereà hic terminus numeralis denotat quid eſt per ſe numeratum ſufficienter, quia denotat ſubſtantiuum numerari; ergo non poteſt addere ſecundùm quod homo, vt dicatur Chriſtus vnus, vel duo. Vndè ſi dicatur iſte eſt vnus ſapiens, ſufficienter ponit ly vnus, ſignificatum ſuum circa ly iſte. Si autem dicatur eſt vnus

ſapiens non ſufficienter eſt dictum; igitur ſi dicatur Chriſtus eſt vnus, vel Chriſtus eſt duo ſufficienter declaratur, quid denotatur numerari, etſi non explicetur ſecundùm quod homo, vel ſecundùm quod Deus.

Concl. Abſolutè Chriſtus non eſt duo, neque maſculinè; neque neutraliter. Eſt Scoti, & Scotiſtarum loc. cit.& D. Bonau. diſt. 6. art. 1. q. 1. Prob. ex Scoto. Chriſtus abſolutè non eſt duo, nec maſculinè, nec neutraliter; non maſculinè, quia ſecundùm Damaſ. cap. 81. *Chriſtus eſt vnus*: Nequè neutraliter; quia Verbum aſſumpſit naturam; ideò Verbum non eſt ipſa natura, ſed eſt homo Chriſtus, ergo etſi habeat duas naturas; non tamen eſt duo; quia non eſt verum dicere. Chriſtus eſt natura humana; benè tamen Chriſtus habet duas naturas, Diuinam ſcilicet, & humanam. Prob. ex D. Bonau. Planum eſt, quòd illa, quorum vnum de altero prædicatur, inuicem non numerantur, quamuis formaliter, hoc eſt ſecundùm diuerſas formales eſſentias diſtinguantur; vt pote ſi dicatur Petrus eſt muſicus: Muſicus, & Petrus non ſunt duo; quamuis inter Petrum, & muſicam ſuam ſit diſtinctio. Si ergo hæc opinio dicit, quòd Deus eſt homo, & homo eſt Deus, non poteſt ſuſtineri, quòd ſint duo in Chriſto ſecundùm quod dicuntur concretiuè ad ſuppoſitum, & ideò concedendum eſt, opinionem eſſe falſam, & Auctores deceptos fuiſſe. Ratio autem deceptionis venit ex hoc; quòd non diſtinxerunt inter ſuppoſitum ſecundùm quod ſuppoſitum dicitur quòd ſubijcitur generi; & ſuppoſitum, quod dicitur illud, in quo ſubſtentificatur totum eſſe rei, cum tamen magna ſit differentia, ita D. Bonau.

Arg. cont. concl. ex Ariſt. 5. metaph. t. 12. habetur, quòd ad diſtinctionem ſpecie, ſequitur diſtinctio numero; ſed naturæ in Chriſto differunt ſpecie, ergo & numero, ergo &c. Reſp. ex Scot. concedendo, quòd duæ naturæ ſunt in Chriſto numero differentes; ſed ex hoc non ſequitur, quòd Chriſtus ſit duo numero, quia non eſt verum dicere, quòd Chriſtus eſt natura humana, eſtò ſit homo. Vndè licèt materia, & forma ſint in compoſito, non tamen eſt compoſitum materia, nec forma; nec homo anima, nec corpus; ſed bene Chriſtus habet plures naturas.

Arg. 2. Sicut duæ naturæ ſunt in Chriſto, ſic erit duo en-

tia; quia Chriſtus ſecundùm quod homo eſt aliquid, & ſecundùm quod Deus eſt aliquid, & non idem aliquid, ergò aliud quid. Reſp. ex Scoto in Report. Quòd iſta non fuit determinata antiquitus. *Chriſtus eſt aliquid ſecundùm quod homo: nunc autem eſt conceſſa, & approbata, extra de hæreticis cap. cum Chriſtus*. Vndè in forma ad arg. conc. quòd in Chriſto ſunt duæ naturæ; non tamen eſt aliqua duo, vt conſtat ex dictis; ac proinde negatur, Chriſtum eſſe duo entia; licèt poſſit latè loquendo concedi, quòd in Chriſto ſint duo entia; ſicut ſunt duæ naturæ. Cæterùm in Scoto videri licet doctrina de reduplicatiuis, non ſolùm in reſponſione ad hoc argumentum; ſed etiam in lib. 1. Priorum q. 35.

Arg. 3. ex D. Aug. qui ſic habet ad Fortunacianum. *Aliud eſt Filius Dei, aliud eſt Filius hominis*, ſed quod eſt aliud, & aliud, eſt duo; ergo &c. Reſp. Quòd talis prædicatio. Chriſtus eſt aliud, & aliud, eſt impropria; & ſecundùm D. Bon. debent exponi ſic: Chriſtus eſt aliud, & aliud, ideſt alterius, & alterius naturæ, & ex hoc non ſequitur, quod Chriſtus ſit duo, ſed ſolùm, quòd in Chriſto ſunt plura; quo ſenſu loquitur D. Auguſt.

Arg. ex D. Damaſ. cap. 83. *Totum ſignificatum eſt natura; Totus eſt ſignificatum perſona*; ergo cum duæ naturæ ſint in Chriſto, Chriſtus erit duo neutraliter. Confirmatur. Propter vnitatem naturæ tres perſonæ dicuntur vnum; etſi non vnus; ergo Chriſtus neutraliter poteſt dici aliqua duo.

Reſp. conc. eſſe in Chriſto duas naturas; ſeu quòd in Chriſto ſint duo neutraliter; ex hoc tamen non ſequitur, quòd Chriſtus ſit duo, cum neutrum illorum dicatur de Chriſto. Ad confirmationem negatur paritas. Etenim tres perſonę vocantur tres maſculinè, & vnum neutraliter, quia vnus Deus formaliter prædicatur de illis; at naturæ in Chriſto non prædicantur de ipſo Chriſto.

Arg. vltimò. *In Concilio Conſtantinop. act. 8. habetur, quòd Chriſtus eſt dua natura*; ergo &c. Reſp. Concilium loqui in ſenſu cauſali; non autem in ſenſu formali; qualis intenditur in argumento; & in hoc ſenſu formali huiuſmodi propoſitio fuit damnata in Concilio Conſtantienſi.

QVÆSTIO XIII.

Vtrum in Chriſto ſint reuerà duæ Filiationes reales.

NOt. Quòd in hac quæſtione ſunt duæ opiniones; altera eſt D. Thomæ p. 3. q. 25 art. 3. Alenſis p. 2. q. 10. memb. 3. D Bonau. in 3. art. 2. q. 2. Henrici, & aliorum antiquorum putantium, nullam relationem Filiationis realem ad Matrem dari in Chriſto, diſtinctam à D. relatione Filiationis ad Patrem; ſed per eandem relationem diuinam referri etiam ad Matrem; ac proinde denominari Filium Deiparæ per ſolam relationem realem maternitatis ad ipſum terminatam, quo modo Deus dicitur realiter Dominus per realem, & eſſentialem dependentiæ creaturæ ad ipſum Deum terminatam. Ratio fundamentalis ipſorum eſt, quia relatio Filiationis per ſe competit ſuppoſito, & non naturæ, tamquam ſubiecto; ac proinde denominat ſuppoſitum, & non naturam; natura enim non dicitur Filia; ſed in Chriſto eſt tantùm vnicum ſuppoſitum, & illud diuinum, quod eſt incapax nouæ relationis realis; ergo &c. Altera opinio eſt Scoti, & Scotiſtarum in 3. d. 8. q. vn. docentis, in Chriſto eſſe realem Filiationem realiter diſtinctam à Diuina ad Deiparam, in qua ſententia eſt etiam Richard. Amicus, Auerſa, & alij Recentiores.

Concl. In Chriſto alia eſt relatio Filiationis ad Patrem, & alia ad Matrem, & vtraque realis. Probat Scot. primam partem. *Nam Filiatio eſt habitudo producti naturaliter ſimilis producenti in natura intellectuali, vel ſenſitiua*; in hac autem deſcriptione nihil per ſe, & primò reſpicit ſuppoſitum, niſi ratione productionis paſſiuæ; omnia enim alia reſpiciunt naturam, vel in producto, vel in producente, ſed productio paſſiua plurificatur ad plurificationem naturarum actualiter exiſtentium acceptarum per ipſas productiones; ergo &c. Item ad duos terminos non poteſt eſſe eadem relatio; tunc enim relatio bis diceretur, quod eſt contra Philoſophum cap. ad aliquid. Prob. 2. pars; & quidem de Filiatione æterna patet, quòd ſit realis quia realiter eſt Filius æternus: de temporali autem ſic oſtenditur. Illa eſt relatio realis, quæ conſequitur extrema realia realiter diſtincta ex natura extremorum; ſed natura accepta à Maria, & à Pa-

tre

tre eſt alia, & alia; qui etſi Chriſtus fuiſſet purus homo, & non aſſumptus à Verbo non plus egiſſet Maria ad productionem Chriſti, quàm nunc fecit; ergo vtraque eſt relatio realis,

Præterea. Si Pater incarnatus fuiſſet ex Virgine; vt Verbum eſt incarnatum, fuiſſet realiter Filius Virginis, vt modò eſt Verbum teſte Fulgentio lib. de fide ad Petrum cap.2. ſed non potuiſſet nunc eſſe Filius Virginis per relationem Filiationis increatæ, quam non haberet, ergo per relationem Filiationis creatæ; quæ in ipſo reſultaret ratione humanitatis ſibi à Virgine communicatæ per maternam generationem, ergo & modò Filio non repugnat referri ad B. Virginem per relationem Filiationis creatæ.

Reſp. Thomiſtæ, quòd in tali euentu Pater non diceretur Filius Virginis per aliquam relationem ſibi inexiſtentem; ſed per ſolam relationem realem maternitatis exiſtentem in Virgine, & ad ipſum terminatam; vt modò ſe habet ad Filium. Verùm hæc Thomiſtarum reſponſio, vt argumentum ſoluat, prolabi non curat in ſententiam eorum qui non admittunt has relationes reales Maternitatis, & Filiationis: dum è medio tollere nititur veram, ac realem relationem Matris ad Filium, & è conuerſo; quod eſt apertè recedere à propria Schola. Amplius probatur concl. & ſimul improbando fundamentum contrariæ opinionis, ex Scoto ſic. Quando dicitur, quòd Filiatio eſt ſuppoſiti, aut intelligitur ſic; quòd ſit ſuppoſiti, non mediante natura, & fundamento, vel mediante fundamento. Si primo modo falſa eſt propoſitio; quia ſic Filius Dei non eſſet Filius Dei, quia Filiatio non eſt ſuppoſiti D. niſi mediante natura D. Si ſecundo modo, habetur propoſitum, quia fundamentum naturaliter præcedit relationem fundatam in ipſo. Et cum dicitur Filiatio eſt ita præcisè ſuppoſiti, quòd non poteſt natura dici Filia. Dico, quòd ex hoc non ſequitur quòd Filiatio inſit ſuppoſito ſine fundamento, quia etſi nulla relatio poſſet denominare fundamentum ſuum, ſed tantùm ſuppoſitum, adhuc non ineſſet ſuppoſito, niſi mediante fundamento, etſi albedo nullo modo poſſet dici ſimilis, nec etiam calor calefactiuus, adhuc habitudo immediatiùs eſſet in natura, vt in fundamento; quàm in ſuppoſito.

Inſu.

Inſuper. Si repugnaret Filiationi temporali fundari in natura humana in Chriſto, aut hoc eſſet vndè relatio, aut vndè relatio originis: non vndè relatio; quia ſi ſic, nulla relatio poſſet eſſe in natura humana in Chriſto, & per conſequens nec paſſio, nec crucifixio: Non vndè relatio originis, quia ſecundùm Damaſ. lib. 3. cap. 7. *Duæ ſunt generationes, & duæ natiuitates in Chriſto; noua, & æterna.*

Arg. 1. cont. concl. Si in Chriſto eſſent duæ Filiationes reales, ergo Chriſtus eſt duo Filij realiter, ſed conſequens eſt contra D. Auguſt. de fide ad Petrum; ergo &c.

Reſp. neg. ſequelam mai. quia non ſequitur ſunt duæ Filiationes, ergo duo Filij, ſicut non ſequitur. Duæ ſcientiæ, ergo duo ſcientes. Ratio eſt, quia ad multiplicationem abſtractorum non ſequitur multiplicatio concretorum, niſi multiplicentur ſuppoſita.

Arg. 2. Multiplicato termino, & non plurificato ſubiecto, non plurificatur relatio, ſed in Chriſto eſt tantùm vnum ſubiectum, ergo tantùm vnum accidens relatiuum: ant. patet, quia in quolibet Filio ſunt duo termini, alter ad Patrem, alter ad Matrem, ſed in Filio non ſunt duæ relationes, ergo relatio non multiplicatur, non multiplicatis terminis. Reſp. neg. ant. ad probat. dicitur, quòd in Filio eſt vna relatio, ſeu Filiatio totalis in ordine ad principium totale ipſius; ſunt tamen duæ relationes partiales; moriente namque Patre adhuc in Filio remanet relatio Filiationis ad Matrem.

Arg. 3. Relatio Filiationis conuenit per ſe ſuppoſito, & non naturæ tamquam proprio ſubiecto; alioquin ipſa quoque natura diceretur Filia, ac proinde humanitas aſſumpta diceretur Filia Virginis, quod non conceditur, ſed in Chriſto eſt vnicum ſuppoſitum, idquè diuinum incapax Filiationis temporalis: ergo &c. Reſp. diſting. mai. conuenit ſuppoſito, vt ſubiecto denominationis; conc. mai. vt ſubiecto inhæſionis, neg. quia ſic conuenit naturæ. Non igitur repugnat, idem ſuppoſitum D. denominari à relatione Filiationis temporalis; quæ nihil reale in eo ponit. Ex hoc tamen non ſequitur, quòd humanitas aſſumpta denominetur Filia Virginis; ſed ipſe Chriſtus, ſeu hic homo. Ratio eſt, quia denominationes fiunt in concreto; & in eo, quod ſe habet, vt quod; non autem in abſtracto; & in eo,

quod

quòd ſe habet vt quò. Neque eſt nouum, & ſingulare, quòd forma inſit naturæ, & denominet ſuppoſitum; immò ita res ſe habet, vt in pluribus.

Contra. Relatio Filiationis in Diuinis non eſt in natura, tamquam in ſubiecto inhæſionis, ſed in ſuppoſito, ergo etiam Filiatio Chriſti non inhæret naturæ; ac proinde cum non poſſit inhærere perſonæ, quæ eſt incapax, non datur in Chriſto Filiationis relatio temporalis. Reſp. neg. conſ. quia non eſt eadem paritas de Filiatione æterna, & temporali; nam Filiatio æterna conſtituit perſonam Verbi; ideoquè non poteſt recipi niſi in perſona; at Filiatio temporalis Chriſti præſupponit perſonam, ac proinde recipitur in natura tamquam in ſubiecto inhæſionis.

Arg. 4. Si in Chriſto eſſet Filiatio realis ad Matrem, abſque dubio in morte Chriſti deſijt cum humanitate; quæ eſt eius fundamentum; aut igitur in reſurrectionem illam habuit; aut non. Non primum, quia reſurrectio fuit alia acceptio eſſe, quàm generatio; ac proinde aliud eſſe acceptum; nec ſecundum, quia modò non eſſet Mariæ Filius, ſicut ante mortem. Reſp. conc. quòd ſimul cum humanitate deſijt relatio Filiationis ad Matrem; Verùm poſt reſurrectionem Chriſtus eſt Filius Mariæ eadem Filiatione; qua priùs; quia Filiatio fundatur ſuper naturam acceptam per generationem; vel ſuper eandem numero acceptam in reſurrectione. Quare cum ſit idem terminus, & idem fundamentum numero; ſequitur quòd redeat eadem relatio; ſicut rediret in alio Filio, ſi poſt mortem reſurgeret.

Quæres. An Chriſtus ſit Filius naturalis Deiparæ immaculatæ. Reſp. affirmatiuè. Quia Chriſtus ſecundùm humanitatem accepit à B. Virgine naturam conſimilem; quod exigitur ad hoc vt aliquis dicatur Filius naturalis alterius: & licèt modus concipiendi fuerit ſupernaturalis, vt ſuo loco oſtendetur; nihilominus natura per generationem Mariæ accepta eſt naturalis; ac proinde Chriſtus reuerà dicendus eſt Filius naturalis Mariæ. Quemadmodum etiam dicitur Filius naturalis Filiatione æterna, vt in tract. de Trin. dictum eſt.

QVÆ-

QVÆSTIO XIV.

Vtrum Natura humana fuerit aſſumpta per aliquod medium, ſeu quo ordine Verb. D. humanitatem, & eius partes aſſumpſerit.

NOt. 1. Quòd eſt Fidei dogma, D. Verb. aſſumpſiſſe verum, & phyſicum corpus, non phantaſticum, non imaginabile, vt ſomniarunt Manichæi, dicentes, aſſumpſiſſe corpus cœleſte, non terrenum; contra quos ſtat definitio fidei facta in multis Concilijs, præſertim in Nicæno, & Epheſino; *& habetur expreſsè in S. Scrip. Io. 1. & Verbum caro factum eſt: & Luca vlt. Palpate, & videte, quoniam ſpiritus carnem, & oſſa non habent, ſicut me videtis habere.* Eſt pariter de fide Verb. D. aſſumpſiſſe Animam rationalem; aſſumpſit ſiquidem naturam, quam in Adam plantauerat, ac proinde integram quoad omnes partes eſſentiales naturæ humanæ, & omnes partes ſubſtantialiter integrantes corpus humanum; vt oſtendit Chriſtus ſuis diſcipulis, dicens. Palpate, & videte &c.

Not. 2. Quòd per medium poſitum in titulo quæſtionis, vt aduertit idem Scot. poteſt intelligi tam medium intrinſecum, quàm extrinſecum; per medium autem intrinſecum intelligitur pars, vel partes, quæ ſunt aliquid totius; An videlicet pars aliqua fuerit media inter Verbum, & partem aliam, vel partes. Vel an pars, vel partes fuerint medium inter Verbum, & totum; Per medium autem extrinſecum intelligitur gratia; an videlicet gratia mediet inter naturam iſtam vnitam, & terminum vnionis. Inſuper ſicut inter agens, & effectum poteſt dupliciter poni medium, vel vt quod, & ſic ſe habet agens proximum inter agens remotum, & effectum: Vel vt quo, & ſic ſe habet forma agentis: ita inter recipiens, & receptum poteſt poni duplex medium; nempe quo, & quod; ſicut enim aliquid poteſt eſſe ratio alicui agendi; ita aliquid poteſt eſſe alicui ratio recipiendi.

Not. 3. Quòd partes duobus modis conſiderari, vel comparari poſſunt; nempe ad ſe inuicem; ſeu in ordine ad habitudinem, quæ ſeruant inter ſe, & ad humanitatem, ſeu in ordine ad earum vnionem, & totius humanitatis conſti-

tutionem: Prior comparatio ſit, dum quæritur; an Anima prius vnita ſit Verbo, quàm corpus: Secunda verò dum quæritur. An partes fuerint prius vnitæ Verbo, quàm toti; vel vice verſa. Hinc mouetur quæſtio. An per aſſumptionem totius, & per ſolam vnionem Verbi ad totam humanitatem (data hypotheſi, quòd illa ſit priùs aſſumpta, quàm partes) reſultauerit vnio cum partibus per quandam reſultantiam naturalem. Vel potius; An poſita vnione cum tota humanitate, priùs natura, quàm cum partibus fuerint neceſſariæ etiam ſpeciales vniones ipſius Verbi cum eiſdem partibus. Ratio autem huius difficultatis in eo fundatur, quòd ſi admittantur tres vniones, videntur multiplicari entia ſine neceſſitate; quia, cum partes ſint in toto formaliter, & intrinſecè, conſequens apparet, quòd ex vnione totius ad Verbum neceſſariò reſultet vnio partium ad Verbum: è diuersò ſi non admittantur tres illæ vniones ſequitur, quòd deſtructo toto, etiam pereant tres illæ vniones Verbi cum corpore, & Anima; & ſic deſtructa humanitate, prout euenit in triduo mortis; conſequens eſſet, vel, quòd Verbum non retinuiſſet vnionē cum corpore, & Anima; vel quòd opus fuiſſet nouas fieri vniones Verbi cum corpore, & Anima.

I. Concl. Partes non ſunt medium quod reſpectu aſſumptionis totius humanitatis, neque ordine intentionis, neque ordine executionis, ſed priùs natura ordine tam intentionis, quàm executionis fuit humanitas aſſumpta: Eſt Scoti in 3. d. 2. q. 2. & videtur communis contra Guillelmum Varronem; cuius opinio eſt. Quòd Anima primò eſt aſſumpta à Verbo, & in ſecundo inſtanti naturæ vnita eſt corpori, & per hoc in eodem inſtanti ſecundo Verbum vniuit ſibi corpus perſonaliter mediante Anima, quam primò ſibi vniuit, & de partibus comparatis ad totum dicit, quòd priùs ſunt aſſumptæ ordine executionis, ſed totum primò ordine intentionis.

Prob. 1. pars. In myſterio hoc primò intenta fuit aſſumptio humanitatis, quàm partium; quia id, quod primò intenditur in hoc myſterio eſt, quòd Verbum fiat homo; at fieri non poteſt homo niſi aſſumendo humanitatem conſtitutam ex corpore, & Anima; ergo ordine intentionis tota humanitas priùs aſſumitur, & deinde partes, quibus conſtat.

Prob.

Prob. 2. pars, quæ eſt contra Thomiſtas. Illud eſt priùs aſſumptibile à Verbo, vt medium quod, quod eſt in ſe primò perſonabile; ſed tota humanitas eſt priùs perſonabilis, quam partes; ergo &c. maior patet, quia ſubſiſtentia propria non debetur partibus, ſed toti humanitati, quę eſt completa natura; ergo ſubſiſtentia Verbi ſupplens perſonalitatem creatam in eodem inſtanti, tam temporis, quàm naturæ debuit ei dari. Minor prob. Quia licèt partes etiam vt vnitæ in toto habeant ſubſiſtentias partiales, non quidem per redundantiam; quia ſequeretur, quòd in triduo fuiſſent factæ nouæ vniones, cum tunc non fuerint Anima, & corpus vnita Verbo ratione totius; ſed per immediatam aſſumptionem ad Verbum; attamen ob id dici non poſſunt priùs natura aſſumptæ, quàm totum, quia partes non debebant priùs aſſumi, quàm inter ſe vnirentur, ſed in eodem ipſo inſtanti naturæ, in quo ſunt vnitæ, aut ſaltem in inſtanti naturæ immediatè ſequenti tota natura eſt aſſumpta, ergo priùs natura partes non fuerunt aſſumptæ, quàm fuerint vnitæ cum toto.

Cæterùm impugnatur ex Scoto opinio Varronis. Ex hac opinione videtur ſequi; quòd Chriſtus non ſit primò homo; quia aſſumptum primò non eſt natura humana, ſed pars tantùm. Inſuper Corpus natum eſt in ſe ſubſiſtere; & non præcisè ex hoc, quòd Anima ipſum informans ſubſiſtit in ſe; ergo non ſuppletur iſtud in corpore, niſi ipſum immediatè aſſumatur. Tum quia tunc in morte fuiſſet noua aſſumptio; quia tunc corpus fuit immediatè vnitum Verbo, & non per Animam; ergo &ç. Secunda pars opinionis eiuſdem Doctoris remanet ex dictis confutata.

II. Concl. Anima non eſt medium quod aſſumptionis, ſed tantùm medium quo; non quidem neceſſitatis, ſed congruentiæ. Eſt Scoti l. c. contra D. Bonau. Prob. 1. pars. Si Anima fuiſſet medium quod aſſumptionis corporis, neceſſe fuiſſet, quòd in inſtanti mortis Chriſti debuiſſet fieri noua corporis aſſumptio; quia illud in triduo fuit Verbo vnitum, non autem mediante Anima, à qua erat ſeparatum: ergo &c. Præterea Corpus natum eſt in ſe ſubſiſtere, non verò præcisè per Animam; ergo ex ſe poſtulat tam terminari per ſubſiſtentiam D. quàm ipſa Anima; ac proinde eodem inſtanti, tam corpus, quàm Anima fuerunt aſſumpta

 à Ver-

à Verbo, nec vnum debet dici medium quod in ordine ad aſſumptionem alterius. Prob. 2. pars; quæ ex dictis etiam patet. Planè, qua ratione Verbum D. potuit aſſumere quamlibet naturam corpoream etiam potuiſſet aſſumere corpus humanum, anima rationali non informatum; & ſic Anima non eſt medium quo aſſumptionis corporis neceſſitate naturæ, ſed congruentiæ tantùm: Siquidem congruum fuit, vt aſſumeretur Anima rationalis; ergo corpus informatum Anima rationali; ac proinde congruenter Anima fuit medium quo aſſumptionis corporis.

III. Concl. Gratia non eſt medium neceſſitatis, nec congruitatis ad aſſumptionem naturæ. Eſt Scoti l. c. contra D. Bonau. aſſerentem, in iſta vnione gratiam fuiſſe medium congruitatis. Prob. Natura, ſi non eſſet aſſumenda priùs naturaliter in ſe perſonaretur, quàm haberet gratiam; habitus enim eſt principium operandi, operari autem eſt ſuppoſiti, ergo etiam quando aſſumitur priùs naturaliter vnitur, quàm gratia detur Tum quia Chriſtus habuit plenitudinem gratiæ, quia vnigenitus Patris, & non è contra, ergo naturæ humanæ data eſt tanta gratiæ plenitudo quia ipſe homo Chriſtus erat vnigenitus Dei, ac proinde priùs erat natura ſubſiſtens in Verbo, quàm illa gratia ſibi data; Hinc deducitur, magìs congruum eſſe, quòd non detur gratia tanta, antequam aſſumatur, quia in illo priori erat mera creatura, igitur magìs congruum eſt, quòd perſonalitas ſit medium tantæ gratiæ, quàm quòd priùs detur ſibi talis gratia.

Arg. cont. 1. concl. Pars eſt prior toto via generationis, ergo & in aſſumptione priùs aſſumitur pars, quàm totum.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. licèt namque partes ſint priores toto in ſe, non tamen ſunt priores in comparatione ad perſonari.

Arg. 2. Illud eſt priùs altero, à quo non conuertitur ſubſiſtendi conſequentia; ſed ſequitur, aſſumpſit totum, ergo partem, & non è conuerſo, ergo &c. Reſp. ex Scoto conc. mai. ſecundùm conſequentiam; non autem ſecundùm cauſalitatem; vndè non ſequitur, ſunt priores ſecundùm conſequentiam; ergo ſecundùm cauſalitatem; valet enim dicere. Ignis, ergo calidum, & non è contra, & tamen à parte rei caliditas eſt igne poſterior.

Arg.

Arg. 3. Si aſſumpſiſſet totum primò, nempe humanitatem, aliquando dimiſiſſet quod ſemel aſſumpſit; nam in morte non habuit humanitatem totam aſſumptam; ſed conſequens videtur aduerſari axiomati theologico D. Damaſ. Quod ſemel aſſumpſit nunquàm dimiſit, ergo &c.

Reſp. diſting. ſequelam: Dimiſiſſet totum, ſeu naturam, quam aſſumpſit, quoad partes eſſentiales eius; neg. quoad aliquam entitatem, reſultantem ex partibus vnitis; conc. Quare D. Damaſcenus iuxta ſenſum Theologorum tantùm voluit; quòd partes eſſentiales aſſumptas nunquam dimiſit; quia, licèt in triduo non eſſent inter ſe vnitæ; erant tamen vnitæ Diuinitati in ratione, non quidem perſonæ, ſed hypoſtaſis, ſeu ſuppoſiti, vt etiam alibi dictum eſt.

Arg. cont. 2. concl. D. Damaſ. lib. 3. & Aug. lib. de agone Chriſtiano cap. 18. docent, Verbum aſſumpſiſſe carnem mediante Anima; ita enim loquitur D. Aug. *Incommutabilis veritas per ſpiritum Animam, & per animam corpus; & ſic demum totum hominem aſſumpſit*, ergo &c. Reſp. Quòd omnes auctoritates Sanctorum Patrum, quæ videntur tradere carnem fuiſſe aſſumptam mediante Anima explicandæ ſunt de medio quo; & non quod; prout in concluſione oſtenditur.

Arg. cont. 3. concl. Natura humana non poteſt vniri Verbo vnione beatifica ſine gratia vnionis, idquè quia tam ipſa vnio, quàm terminus vnionis excedit facultatem naturæ creatæ; ergo cum vnio hypoſtatica magis excedat facultatem naturalem, non poteſt fieri niſi mediante gratia. Reſp. neg. conſ. ſeu paritatem. Etenim vnio beatifica eſt per operationem; quæ non eſt Animæ poſſibilis, niſi habeat gratiam ſaltem ſecundùm leges ordinarias; quicquid ſit de potentia Dei abſoluta: At vnio eſt ad actum primum, ad quem non præſupponitur aliquod accidens in natura vnita, ſeu vnienda.

QVÆSTIO XV.

Vtrum vnio hypoſtatica præceſſerit corporis organizationem.

NOt. 1. ex Scoto in 3. d. 2. q. 3. §. quantùm ad ſecundum, quòd organizatio dupliciter ſumi poteſt, vno modo

do pro forma ſubſtantiali dante eſſe organicum; & hoc dupliciter: primò pro aliqua forma ſubſtantiali præcedenti formam intellectiuam ſecundùm vnam opinionem; ſecundò pro ſo a Anima intellectiua, quæ iuxta Thomiſtarum ſententiam dat eſſe organicum; aiunt enim, adueniente Anima rationali, omnes alias formas corrumpi; & Animam Immediatè informare materiam; & præſtare eſſe organicum. Vel ſecundo modo poteſt accipi organizatio pro tranſmutatione præcedente iſtam vltimam inductionem formæ organicæ diſponentis ad formam intellectiuam. Inſuper notat Scot. quòd duæ tranſmutationes præcedunt iſtam formam organicam, ſiue illius inductionem; prior eſt motus localis, quo materia defertur ad locum conuenientem generationi, nempe ad Matricem: poſterior eſt alteratio; qua materia in loco debito alteratur, & diſponitur ad formam corporis organici inducendam. Et iſtæ duæ tranſmutationes, inquit Lycher. vt comparantur agenti naturali, ſemper fiunt in tempore.

Not. 2. quòd de hac duplici mutatione ſunt duæ opiniones. Prima aſſerit, in partibus etherogeneis corporis organici eſſe alias, & alias formas ſubſtantiales, ſpecie diſtinctas ab inuicem, vt forma ſubſtantialis carnis differt ſpecie à forma ſubſtantiali epatis; oſſis &c. ac proinde ſecundùm hanc opinionem, quæ eſt etiam Scoti; vt rectè obſeruat noſter Aretin. in 4. d. 11. q. 3. quot ſunt formæ organicæ inducendæ ſpecie diſtinctæ, tot poſſunt præcedere tranſmutationes, quia ſecundùm illas formas ſunt multæ generationes; & quamlibet tranſmutationem via naturali ſemper præcedit alteratio. Secunda opinio putat, quòd in corpore organico, & in omnibus partibus organicis etherogenijs eſt tantùm vna forma ſubſtantialis præcedens Animam intellectiuam; & ita vnica tantùm alteratio præcedit inductionem huius formæ organicæ.

I. Concl. Organizatio primo modo ſumpta, nempe à qua corpus dicitur organizatum, quæ immediatè diſponit ad Animam intellectiuam non præcedit tempore animationem etiam in nobis. Eſt Scoti loc. cit. Prob. Quia ſi præcederet tempore hoc eſſet, vel ab agente naturali, vel ab Auctore naturæ; non ab agente naturali; cum intendat opus perfectum in generatione; neque ab Auctore naturæ;

cùm ipſe, ſecundùm leges naturæ præfixas producat ad poſitionem corporis organizati, veluti ad vltimam diſpoſitionem, Animam rationalem; ergo &c. Tum quia ſequeretur; quòd Pater non generaret hominem; nam completa eſſet tota eius actio priùs duratione, quàm eſſet anima; quod eſt manifeſtum abſurdum in philoſophia; ergo &c.

II. Concl. Si loquamur de organizatione ſecundo modo, dicendum eſt, quòd omnes inductiones formarum ſubſtantialium partialium, etiamſi multæ eſſent, in eodem inſtanti erant; ac proinde organizatio non præceſſit tempore Incarnationem; ſed omnes illæ formæ fuerunt ſimul in eodem inſtanti inductæ. Prob. à Scoto ſic. Pars, quæ aſſumebatur à Verbo nunquam præfuit in ſuppoſito proprio; ſed hoc contigiſſet, ſi prior tempore fuiſſet introducta vna, quàm alia, puta prius forma cordis, quàm forma capitis: Siquidem in eodem inſtanti, quo inducta fuiſſet forma cordis, ſtatim cor fuiſſet in ſe ſuppoſitatum; & ita Verbum aſſumpſiſſet aliquam partem priùs in ſe ſuppoſitatam.

Cæterùm ſi loquamur de tranſmutatione materiæ ad locum conuenientem generationi, & de alteratione præcedente generationem totius, vel generationem partium, dubium eſt, ſi iſtæ præceſſerunt tempore, vel ſi fuerunt in eodem inſtanti cum Incarnatione; vt dicit Scot. & probat, quòd ſi ponantur fuiſſe in tempore, magìs videtur poſſe ſaluari, Mariam cooperatam fuiſſe ad illos motus. Quòd ſi ponatur, totum fuiſſe in inſtanti; ita vt nullus ibi fuerit motus localis, neque mutatio cum ſucceſſione, magis ſaluatur, quòd in vltimo inſtanti conſenſus Virginis expreſſi fuit in vtero Virginis Verbum homo, & ante illud inſtans non videtur fuiſſe aliqua operatio ſpecialis ad Incarnationem; & in iſto, inquit Scot. videtur tota Incarnatio fuiſſe completa.

III. Concl. Ordine naturæ organizatio præcedit animationem, & animatio vnionem ad D. perſonam. Eſt Scoti in quæſt. cit. Prob. fundamentum relationis naturaliter præcedit relationem ex Ariſt. & D. Aug. de Trinit. cap. 7. Sed totalis natura eſt fundamentum illius vnionis, ergo entitas totalis naturæ naturaliter præcedit Incarnationem; & ſic pariter totius organizatio naturaliter præcedit animationem (& hoc maximè ſi teneatur opinio affirmans, or-

ganizationem eſſe, vel dicere formam vnam ſubſtantialem, vel plures ſubſtantiales formas partium etherogenearum, quæ ſunt in potentia ad Animam intellectiuam) Vel ſaltem organizatio erit ſimul cum animatione ſecundùm aliam opinionem, quæ tenet, Animam intellectiuam eſſe qua formaliter corpus eſt organicum; vt dicunt Thomiſtæ.

Arg. probando, quòd organizatio præceſſerit tempore Incarnationem contra poſitionem 2. concl. Corpus Chriſti erat generatum ex puriſſimis ſanguinibus Immaculatę Virginis ex Damaſ. lib. 3. cap. 2. ſed corpus generatum eſt denſius ſanguinibus, ex quibus generatur; ergo minorem locum occupat, ac proinde corporis formationem concomitatur neceſſariò motus localis, qui fieri nequit in inſtanti; ergo præceſſit organizatio tempore Incarnationem.

Reſp. conc. mai. & min. cum conſequentia; negatur autem quod ſubditur, nempe quòd neceſſariò motus localis concomitatur corporis formationem; poteſt ſiquidem per diuinam potentiam fieri in inſtanti, non ſucceſſiuè, vt naturaliter contingit.

Arg. 2. Natura aſſumpta formata ex ſanguinibus producta eſt per mutationem; ergo pars potentialis illius totius mutabatur ad formam eiuſdem totius, ergo potiùs fuit ſub priuatione oppoſita illi formæ; idquè priùs tempore, quia oppoſita priuatiuè non poſſunt ſimul tempore eſſe in eodem; ac proinde priùs tempore erat corpus non animatum, quàm animatum. Reſp. conc. ant. & primam conſ. ad ſecundam conſ. dicendum, quòd mutatio propriè dicta eſt inter priuationem, & formam, vt pat. ex 5. phyſ. non autem inter negationem, & formam. Vndè quando forma ſimul producitur cum ſuſceptiuo, non eſt propriè mutatio ad illam formam, quia ſuſceptiuum, non priùs fuit ſub priuatione, quàm ſub forma; ſed tantum eſt mutatio ad ſuſceptiuum: igitur cum anima intellectiua ſimul inducatur cum eſſe corporis etiam in nobis propriè non eſt mutatio corporis ad Animam, ſed tantùm ad eſſe corporis organici, & illius mutationis ſubiectum eſt materia, quæ præfuit ſub forma ſanguinis.

QVÆ-

QVÆSTIO XVI.

Vtrum Verbum D. aſſumpſerit hypoſtaticè omnes humani corporis partes, maximè ſanguinem, & alios humores.

NOt. 1. Quòd partes humanitatis aſſumptæ ſunt diuerſi generis: quędam enim ſunt phyſicè eſſentiales, vt corpus, & Anima, aliæ integrantes, quales ſunt caput, brachia, crura: & aliæ excrementitiæ, vt capilli vngues, & ea omnia, quæ tamquàm ſuperflua ad nutritionem, & corporis integritatem non conferunt. Præterea integrantium partium, quædam ſunt præcisè de integritate corporis humani, vt caput, oſſa, caro, & reliquæ: quædam ſunt tantùm de veritate, non autem de integritate, vt ſanguis, ſpiritus vitales, & alij humores, qui ideò dicuntur de veritate corporis, quia corpus humanum ſine illis, ſaltem ſine ſanguine, qui eſt baſis, & fundamentum vitæ, non poteſt conſiſtere. Quæritur ergo: An omnes illas partes Verbum D. hypoſtaticè ſibi vniuerit. Et quidem omnes conueniunt, Verbum D. reuerà aſſumpſiſſe omnes partes, quæ ſunt de integritate corporis, vt ſupra oſtenſum eſt; at grauis difficultas eſt de partibus ſpectantibus ad veritatem corporis, & vitam.

Not. 2. Quòd nonnulli cum Caiet. q. 53. art. 2. duplicem ſanguinē diſtinguunt in corpore humano; alterum nutrimentalem tantùm; & alterum naturalem, ſeu quem dicit, eſſe de veritate naturæ. Nutrimentalis, vt aiunt, eſt humor quidam ſanguineus parùm decoctus, & depuratus; qui veram ſanguinis naturam nondum habet, etſi in colore, & alijs accidentibus ſit ei ſimilis. Naturalis verò eſt, qui fit ex priori magis decocto virtute formatiuæ ſanguinis reſidente iuxta Galenum in Epate, vel iuxta Ariſt. in corde; Dicitur autem naturalis, quia, licèt ad totum animal nutriendum aliquo modo deſeruiat; tamen hoc munus non eſt ei adæquatum, ſed inſuper concurrit etiam ad naturalem integritatem, & vitam corporis; Item ſanguis, in ſententia Caiet. nutrimentalis non animatur forma viuificante corpus; naturalis verò animatur. Verùm hæc diſtinctio contra communem, vt rectè notat Herincx, eſt

excogitata ſine fundamento. Et certè ſi quid probet aliquem ſanguinem fuiſſe aſſumptum, probat generaliter de omni ſanguine, qui in corpore humanus eſt continuus, & homogeneus, ſeu abſquè ſubſtantiali differentia; prout & Philoſophi, & Medici tradunt. Et ſpecialiter omnis ſanguis pro nobis effuſus computato in pretio noſtræ redemptionis, & inter profluuium ſanguinis à Redemptore effuſi, modica gutta ſuffeciſſet (vt loquitur Clemens VI.) non exigua pars erat ſanguis ille nutrimentalis; ac inſuper omnis ille computatur inter partes humanitatis, & ponitur per conſecrationem ſub ſpeciebus vini vi verborum; & deniquè eundem honorem fideles exhiberent vtrilibet ſanguini ſine diſcrimine. Ita diſcurrit Herincx p.4. diſp.1. q.6.

Cæterùm quod attinet ad animationem reijcitur auctoritate D.Damaſc.48. docentis, Sanguines B.V. de quibus informabatur Corpus Chriſti, nunquam fuiſſe animatos anima alicuius hominis; cui ſententiæ negatiuæ de animatione conſonant tum Medici, tum Philoſophi; vndè Ariſt. lib. animalium cap. 3. ait, ſanguinem eſſe alimentum vltimum, & eſſe in venis tamquàm in vaſe; hinc cap. 10. negat, eſſe partem animalis; & lib. 3. de Anima t. 43. docet, alimentum eſſe alterius ſubſtantiæ à viuente; quia nutritio eſt ſubſtantialis conuerſio, quę non habet locum inter res eiuſdem formæ, ac proinde cum alimentum incipit informari anima viuentis, iam deſinit eſſe alimentum, & incipit eſſe pars; ergo cum ſanguis ſit alimentum, non informatur anima.

Not. 3. Quòd, licèt concordent Theologi in aſſerendò Verbum Diuinum aſſumpſiſſe ſanguinem; diſcordant tamen, an talis aſſumptio fuerit facta immediatè, vel mediante humanitate; adeò vt propriam habuerit ſubſiſtentiam; non verò ſubſiſtentiam Verbi. Durand. in 4. d. 10. q.1. Gabriel. in Canon. lect. 53. Abulenſis, Richard. Mayron. qui tamen, vt obſeruat Macedo, non negant abſolutè, ſed ſolùm dicunt, ſanguinem in triduo mortis Chriſti non fuiſſe vnitum Verbo: Nihilominus veniunt in ſententiam negatiuam; quia ſi ſemel ſanguis fuiſſet aſſumptus immediatè, in triduo mortis fuiſſet pariter vnitus Verbo D. quod enim ſemel aſſumpſit, nunquam dimiſit; & hanc partem negatiuam ex noſtris tenent Poncius, Vulpes, Fraſſen, & Herincx;

eamquè

eamquè ôlim propugnarunt B. Iacobus à Marchia; & Franciſcus à Ruuere Ordinis Minorum Generalis, tunc Cardinalis, poſtea Xiſtus IV. qui opuſculum de Sanguine Chriſti edidit, vbi latè oſtendit, & propugnat, hanc ſententiam negatiuam eſſe probabilem, vt infra patebit: At communis Doctorum opinio aſſerit, Sanguinem fuiſſe Verbo D. immediatè, & proximè vnitum; ex quibus nonnulli oppoſitam ſententiam notant erroris, aut ſaltem temeritatis; immò & hæreſis; ſed immeritò, inquit Herincx Epiſc. Iprenſis loc. cit. vt clarè monſtrabitur in proceſſu quæſtionis.

Concl. Non eſt certum certitudine fidei; ſanguinem Chriſti proximè, & immediatè fuiſſe vnitum Verbo Dei, maximè in triduo mortis; ac proinde dicere, ſanguinem Chriſti non fuiſſe immediatè, ſed mediatè tantùm D. Verbo vnitum, non eſt aſſertio erronea, nec temeraria; nec ſapit hæreſim; ſed eſt probabilis. Hæc eſt Eminentiſſ. Cardinalis Franciſci de Ruuere; qui poſtea Pontifex appellatus fuit Xiſtus IV. cum recenſitis Doctoribus; quibus conſonant VVadingus in Annalibus Minorum ad annum 1351. & ad annum 1464. ac duos ſequentes; & Hiqueus in Nitela Franciſcana; & plures alij Scotiſtæ. Prima pars conſtabit ex ſolutionibus argumentorum: 2. autem pars prob. doctrina deſumpta à præfato Cardinali in opuſculo de Sanguine Chriſti; & primò quidem ſic. Ea, quæ à ſola voluntate Diuina dependent, nobis ignota, ſeu immanifeſta ſunt, niſi in quantùm innoteſcunt, per Sanctorum auctoritatem; quibus clementiſſimus Deus voluntatem ſuam reuelare dignatus eſt; ſed vnio Deitatis cum ſanguine Chriſti effuſo, non habetur ex aliqua Sanctorum, ſeu S. Scrip. auctoritate; ergo talis vnio eſt omnibus immanifeſta; igitur neque pertinaciter aſſerenda; neque neganda. Patet conſ. maior enim eſt D. Thomæ p. 3. q. 1. art. 3. minor verò declaratur. Quia ſi Sanctorum aliquis vnionem talem intellexiſſet, ſiue poſuiſſet, potiſſimùm fuiſſent D. Damaſ. & Aug. à quibus accepimus inſeparabilitatem Deitatis à ſanguine in triduo effuſo, quòd tamen veroſimiliter feciſſent; ſi inſeparabilitas talis extitiſſet; quæ omnia, vt ſe clariùs offerant prædictorum Sanctorum dicta in medium adducemus. Siquidem Magiſt. ſent. d. 21. ſui tertij lib. affert nobis Aug. talia referentem. *Verbum*, inquit, *ex quo ſuſcepit hominem in Animam, & car-*

& carnem; nunquàm depoſuit Animam, vt eſſet Anima à Verbo ſeparata, ſed caro poſuit Animam, quoniam expirauit, qua redeunte ſurrexit; mors ergo ad tempus carnem, & Animam ſeparauit, ſed neutrum à Verbo Dei: hæc ille. Quibus verbis D. Aug. nullam de ſanguine facit mentionem; qui ſi in mortis triduo fuiſſet Diuinitati coniunctus, profectò hanc Aug. non reticuiſſet coniunctionem, quemadmodum neque eam obticuit, qua Deitas in triduo mortis fuit coniuncta Chriſti Animæ, nec non corpori ipſius exangui. Damaſ. quoque adhuc latiùs explicat; nam in 3. lib. ſuarum ſent. dum de ſeparationibus factis in triduo mortis Chriſti loqueretur; ait. *Etſi mortuus itaque fuerit, vt homo ſcilicet Chriſtus, & ſancta ipſius Anima ab incontaminato diuiſa eſt corpore; Deitas tamen inſeparabilis ab vtriſque permanſit, ab Anima, & corpore ideſt dico*; ergo Damaſ. videtur, docere ſanguinem non fuiſſe in triduo Deitati vnitum.

Reſp. Aduerſarij. Quòd locus ab auctoritate negatiuè iuxta Dialecticorum ſententiam non tenet, quemadmodum non ſequitur Auguſt. vel Damaſ. vel S. Codices hoc non dicunt, igitur hoc non eſt verum; & ad Damaſ. qui clarè videtur fauere noſtræ ſententiæ, dicunt; quòd S. Doctor dum in ſuo lib. ſent. loqueretur de vnione Deitatis cum Chriſti corpore viuo, nihil expreſsè locutus eſt de ſanguine, eò quia per corpus, & ſanguinem etiam intelligebat; ſic & in morte non expreſſit ſanguinem, per corpus Chriſti, etiam ſanguinem intelligendo, cum dixit, Deitatem in mortis triduo non fuiſſe à Chriſti corpore ſeparatam.

Verùm hæc vltima reſponſio (de prima namque reſponſione poſtea ſermo erit) eſt potiùs fuga, quàm ſolutio argumenti. Quis enim talia rationabiliter poteſt cogitare, inquit Sapientiſſimus Cardinalis. Quòd ſi per corpus viuum, & ſanguis implicitè intelligitur, profectò oppoſitum rationabiliter dicendum eſſe videtur; quia cum dico corpus viuum, dico & implicitè ſingula, quæ ad ipſius vitam neceſſariò exiguntur, de quorum numero eſt ſanguis; ſed cum de corpore mortuo, & exangui loquimur, de corpore ſolùm, & à ſanguine ſeparato facimus mentionem. De tali autem corpore mortuo, & exangui fuit locutus Damaſ. in præmiſſa ſua auctoritate, & ſanguinem ipſum ab vnione Deitatis ſemouit, dum dixit ab Anima, & corpore animato &c.

Iam

Iam modò contra primam reſponſionem arguamus; ſalua ſemper fraterna charitate; ait Religioſus Cardinalis. Quamuis locus ab auctoritate negatiuè non teneat in ſcientijs humanitùs acquiſitis, vt veri logici determinant; non tamen verum eſt in doctrina ſupernaturali, & à Deo reuelata, cuiuſmodi eſt Sacra Theologia; quod declarari poteſt ex dicto D. Dionyſ. qui in principio ſui libri de D. Nominibus ſic ait. *Non eſt audendum aliquid dicere, aut intelligere de ſuperna illa, ac ſupereſſentiali, & occulta Deitate præter ea, quæ ex Sacris eloquijs nobis diuinitus ſunt expreſſa; hæc ille.* Ex quibus apparet, hanc conſequentiam valere. Hoc non habetur in Scriptura Sacra, neque in libris Doctorum Sanctorum ab Eccleſia approbatis, igitur hoc non eſt tamquàm verum affirmandum, ſed potiùs tamquam dubium, aut falſum reſpuendum. Hoc idem confirmatur per illud Apoc. vltimo. *Si quis appoſuerit ad hoc, apponet ſuper illum Deus plagas ſcriptas in libro hoc; et ſi quis diminuerit &c.* & ex D. Aug. lib. 11. de Ciuit. Dei dicente ſic. *Hinc fidem habemus de his rebus, quas ignorare non expedit, nec per nos noſcere idonei ſumus.* Ex quibus colligitur, quòd ſolummodò his fidem debemus præſtare, quæ à Scrip. Sacrà nobis traduntur: proptereà benè ſequitur, Scriptura Sacra, neque Doctorum approbatorum aliquis tradunt hoc, igitur non eſt à fideli tamquam quid verum, & fidei aſſerendum. Replicant Aduerſarij, & dicunt, quòd hæc ratio noſtra procedit, dum arguitur per locum ab auctoritate negatiuè vniuerſali; vt puta. Iſtud non habetur, nec explicitè, nec implicitè in aliquo loco S. Scrip. neque ab aliquo Sanctorum Doctorum; igitur non eſt tamquàm certum, & verum à fideli tenendum; cum quo ſtat, vt aiunt, quòd locus ab auctoritate negatiuè non valeat, vt puta Auguſt. non expreſſit hoc, ergo non eſt tenendum.

Sed contra hanc reſponſionem arguitur. Si vnio talis continetur in Sacris Codicibus, aut explicitè in eis contineretur, vel implicitè; non primum; quia diuerſitas opinionum Theologorum contraria de hac vnione ſentientium, expreſsè nobis ſignificat, vnionem talem non fuiſſe in Sacris Codicibus expreſſam. Non ſecundum, quia Sancti Doctores, quorum labor, & exercitium fuit in explicando ſingula, quæ virtualiter, & implicitè in S. Scrip. continentur, tractantes de vnionibus Deitatis, quæ in mor-

tis triduo remanſerunt, & hanc affirmaſſent, quatenus tali ſanguini fuiſſet exhibita, ſeu exhiberetur, ſi quid eius remanſiſſet in terra, debita veneratio, quod tamen minimè fecerunt, vt ex Damaſ. & Aug. ſupra allegatis, qui de huiuſmodi vnionibus ex profeſſo tractarunt, liquidò conſtat. Immò D. Aug. in Epiſt. ad Coſentium ait. *Fides adſit, & nulla quæſtio remanebit; niſi fortè de ſanguine requirendum eſt, quia cum dixiſſet palpate, & videte, quia Spiritus oſſa, & carnem non habet; non addidit ſanguinem, non ergo & nos addamus inquirere quod ille non addidit dicere*: hæc Aug. Hinc nonnullis videtur, Auguſt. noluiſſe, vel ſaltem dubitaſſe, quòd ſanguis Chriſti in eius morte effuſi, in reaſſumptione ipſius fuerit reaſſumptus; ergo cum neque ex S. Scrip. nec ex Conciliorum vel Pontificum definitione, neque ex Sanctis Doctoribus conſtet, ſanguinem Chriſti in triduo fuiſſe Deitati vnitum; non eſt erroneum, non temerarium, probabiliter aſſerere; non fuiſſe vnitum; etſi præfati Doctores fateantur; opinionem oppoſitam eſſe probabiliorem, & communiorem.

Arg. cont. 1. partem concl. nempe quòd ſanguis non fuerit immediatè vnitus hypoſtaticè Deitati, ſeu Verbo D. Scrip. S. docet, pretioſum Sanguinem Agni Immaculati, qui pro nobis effuſus eſt, eſſe pretium noſtræ redemptionis Matth. 26. ad Heb. 9. Petri I. Ioan I. idquè non ſolùm quatenus ſuberat conditioni Perſonæ offerentis, ſed inſuper quatenus erat res oblata; quod verum non eſſet, ſi non fuerit vnitus immediatè Verbo, ergo &c.

Reſp. Quòd hæc ratio, vt aduertit Herincx cum Lugo, & alijs non conuincit. Solùm enim ex ea infertur, Perſonam, quæ ſanguinem fudit eſſe diuinam: nequè enim ſanguis redemit nos, quia ipſe Verbo vnitus, ſed quia à Perſona Verbi effuſus, cum non res oblata, ſed ipſe offerens conciliarit ſatisfactioni infinitum valorem. Ideoquè oblatio Pueri Ieſu in templo facta per Virginem Matrem, non habuit infinitum valorem, etſi foret rei infinitæ, E' contrà ſudore, & lacrymis pro nobis effuſis Chriſtus nobis meruit merito æqualis, ſeu infiniti, vt ita dicam, valoris. Quamuis pretium ſanguinis præcipuè inculcetur, tum quia in eius effuſione, ſeu paſſione debebat Chriſti meritum, & noſtra redemptio conſummari: tum quia in eo optimè relucet Chriſti amor, & ſatisfactio, vti & pœnalitas: ita Herincx.

Arg.

Arg. 2. ex Clement. VI. *Extrauag. Vnigenitus de pœnitentijs, & remiſs. vbi de ſanguine Chriſti pro nobis effuſo ait, quòd gutta ſanguinis modica propter vnionem ad Verbum pro redemptione totius humani generis ſuffeciſſet.* Vbi ſimpliciter dicitur, ſanguinem habuiſſe vnionem ad Verbum, quod ſimpliciter poſitum ſonat vnionem immediatam. Deinde hæc vnio dicitur eſſe ratio tanti valoris ſanguinis; ergo ſanguis fuit immediatè vnitus Verbo Diuino.

Reſp. Herincx. Nil certi ex verbis Pontificis concluditur, non ſolùm quia hæc omnia ſunt tantum obiter dicta à Pontifice in præfata Bulla reductionis Iubilæi ad annum quinquageſimum; ſed etiam quia verba poſſunt explicari hoc, vel ſimili modo, quòd nimirum modica gutta ſanguinis ſuffeciſſet propter vnionem ipſius illum effundentis; videlicet humanitatis cum Diuinitate. Sicq; datur proxima, & clara ratio à Pontifice intenta; cum alioquin gutta modica non ſuffeciſſet propter vnionem ipſius guttæ ad Verbum, ſed propter vnionem, quæ erat in humanitate, tamquam extremo vnionis, in Chriſto verò tamquam quid incluſum. Inſtant Aduerſarij, *eò quod ipſe Clemens VI.* (*prout refertur in Direct. Inquiſitorum part* 2. *q.* 10.) *mandauerit retractari quandam ſententiam vt hæreticam cuiuſdam Doctoris, nempe Fr. Franciſci Baiuli Guardiani Barcinonenſis, qui Barcinone publicè prædicauerat, in triduo mortis non fuiſſe ſanguinem Chriſti Verbo vnitum. Quam cenſuram à Pio II. confirmatam refert Silueſter Ord. Prædicatorum: & hinc irrepſit intolerabilis error, ait Herincx, in ſcriptis multorum Theologorum huic relationi fidentium, & occaſionem ſumentium notandi grauiſſima cenſura noſtram ſententiam.*

Verùm huius rei falſitas accuratè, & euidenter oſtenditur à Vvadingo in Annalibus Minorum ad annum 1351. & ad annum 1464. quibus controuerſia ſub Clemente VI. inchoata reuixit inter B. Iacobum à Marchia Ord. Minorum, verè alterum Thaumaturgum, & Fr. Iacobum Brixienſem Inquiſitorem Ord. Præd. & partes huius propugnante Dominico de Dominicis, illius verò Fr. Franciſco Ord. Minorum Generali, tunc Cardinali; poſtea Xiſto IV. quæſtioquè durauit donec Pius II. *Conſtit. quæ incipit. Ineffabilis ſummi, data Cal. Aug. anno* 1464 *declarauit, neutram opinionem eſſe hæreticam; & ſtrictiſſimè, lata excommunicatione, cauit, ne quis vtrimlibet aliter ſentientes damnet mortalis peccati, aut hæreſis,*

quoaduſ-

quoadusque quid tenendum ſit in hac dubietate Sedes Apoſtolica deſinierit. Videri poſſunt literæ eiuſdem Pij II. ad B. Iacobum, quas refert Vvadingus ad annum 1351. n. 16. & etiam Nitelam Franciſcanæ Religionis editam contra Bzouium Dominicanum à Folio 443. Itaque decipiuntur Doctores ſententiæ oppoſitæ &c.

Arg. 3. ex Trident. ſeſſ. 13. cap. 3. vbi ſanguinem ſimpliciter ſtatuit inter partes Chriſti Domini, ſeu humanitatis, ſed Verbum aſſumpſit immediatè omnes partes humanitatis. Quarè Lugo diſp. 14. ſect. 8. cenſet, oppoſitam ex hoc capite non euadere cenſuram, ſeu notam. Sed immeritò reſpondet Herincx vindicando noſtram ſententiam etiam ab hac cenſura Lugonis: poſſet enim dici, quòd ſanguis ſtatuatur inter partes Chriſti latè dictas; quæ pertinent ad veritatem tantùm corporis. Eſt enim pars quodammodo integrans, & conſeruans, ſiue animetur, ſiue non; prout etiam ante Tridentinum Philoſophi, & Theologi ſuppoſuerunt; ſicut & capilli cenſentur pars hominis ornans; non exprimit tamen Tridentinum ſanguinem vniri Diuinitati. Explicans enim ibidem, cur ipſa ponatur concomitanter ſub vtraque ſpecie dicit, id fieri propter admirabilem illam eius cum corpore, & Anima hypoſtaticam vnionem. Adeòquè etiam ſub ſpeciebus vini propter illius vnionem cum corpore, & Anima ponitur Diuinitas. Vbi tamen ſub corpore non comprehendi ſanguinem, indè patet, quod Trident. præmiſerit ſanguinem poni ſub ſpeciebus panis non vi verborum (prout vtique poneretur, ſi eſſet pars corporis, de quo ibi ſermo) ſed per concomitantiam. Mirum autem foret Trident. ſi intendiſſet communem ibi ſtabilire doctrinam, non potiùs dixiſſe, Diuinitatem ſub ſpecie vini adeſſe propter eius cum ſanguine hypoſtaticam vnionem.

Solent inſuper Aduerſarij allegare teſtimonia S. Scrip. Conciliorum, & Patrum aſſerentium, quòd Verbum aſſumpſerit carnem, & ſanguinem. Sed nihil aliud volunt, niſi ipſum aſſumpſiſſe veram humanitatem noſtræ ſimilem. Nam caro, & ſanguis, ait Herincx periphraſis eſt hominis, pertinetq; interdum ad naturam humanam miſerijs obnoxiam, vt rectè Sosbouth in illud ad Hebr. 2. *Quia ergo pueri communicarũt carni, & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem*.

Quo-

Quorum verborum ſenſus eſt, quia pueri, nimirum electi, aut redimendi erant homines, & quidem miſeri, multiſquè malis obnoxij, voluit ipſe quoque eſſe ſimilis homo. Quare etiam dicitur Filius Dei aſſumpſiſſe noſtras miſerias, quæ tamen non ſunt vnitæ hypoſtaticè Diuinitati.

Præterea opponunt; quòd *in VI. Synodo act. 16. fuit damnatus quidam Conſtantius hæreticus, eo quòd dixerat in Cruce carnem, & ſanguinem fuiſſe dimiſſa*; ergo &c. Reſp. fuiſſe damnatum, vt obſeruat idem Herincx; quia contendebat, Verbum in Cruce ſimul cum carne, & ſanguine dimiſiſſe pro ſemper naturam humanam; cum tamen iuxta fidem in reſurrectione carnem, & ſanguinem rediuiuus reaſumpſerit. Et quamuis fieret vis in voce ſanguinis rectè diceretur aſſumi, vel dimitti citrà vnionem immediatam ad Verbum.

Ex hactenùs deductis patet quid dicendum ſit de alijs humoribus, nempe de pituita, atra bili, & flaua bili, necnon de ſpiritibus vitalibus, & animalibus. Probabiliùs ſiquidem eſt, illos Verb. D. immediatè aſſumpſiſſe; cum hæc omnia pertineant ad integritatem corporis humani, & requirantur ad conuenientem eius ſtatum; ideoquè erunt etiam in corporibus glorioſis; pari ratione ſpiritus tum vitales, tum animales, eſtò citò euaneſcant; ſunt neceſſarij ad vitam, & operationes animalis; ergo &c. De dentibus, vnguibus, & capillis eſt aliqua difficultas; veriùs tamen apparet, Verbum aſſumpſiſse dentes, & vngues ſecundùm præcipuam ipſarum partem, nempe carni digitorum inhærentem; dentes ſiquidem, & vngues non minùs animantur, quàm oſsa, & etiam pertinent ad integritatem humanæ naturæ; dempta ea parte, quæ velut excrementitia reſecari ſolet. De Capillis quidam negant, quia non viuunt, & ſunt excrementitia; affirmant alij, quia verè viuunt, informantur anima, & futura ſunt in corporibus glorioſis. Deniquè de alijs ſubſtantijs medijs inter carnem, & ſanguinem, communis ſententia tenet, non fuiſse aſsumptos hypoſtaticè; prius enim, quàm cibus conuertatur in ſanguinem conuertitur in chilum, & deinde in rorem: idem dicendum de ſaliua, ſudore, & lachrymis, quia tantùm ſunt excrementitia, nec erunt in corporibus glorioſis.

Quæres. An aliquid ſanguinis Chriſti remanſerit in ter-

 ris.

ris. Reſp. affirmatiuè: & conſtat ex varijs hiſtorijs, & authenticis documentis quibus, vt ait noſter Herincx nil ſolidi poteſt opponi; ideoquè *Pius II. in Bulla ad Abbatem Xantonenſem declarat, hoc non repugnare veritati fidei, quidquid referatur Turrecremata exiſtimaſſe oppoſitum eſſe de fide*. Itaquè hoc ſuppoſito dicendum eſt, vt ſupra innuimus, ſanguinem in terra relictum non eſſe amplius Diuinitati vnitum. Nec obſtat axioma commune. *Quidquid Verbum ſemel aſſumpſit nunquam dimiſit*; hoc enim eſt intelligendum de partibus principalibus. Aliàs enim conſtat Verbum dimiſiſſe partes ſemel aſſumptas, quæ quotidiana pugna calidi naturalis, & humidi radicalis in Chriſto adhuc in terris agente conſumebantur. Idem de Chriſti præputio in circumciſione ablato, quod dicitur adhuc reſeruari, & publicè venerari in quadam terra dicta Calcata prope Vrbem.

DISPVTATIO IV.

De modo loquendi in hoc ineffabili Myſterio.

QVÆSTIO I.

Vtrum per communicationem Idiomatum, quæ ſunt Dei, de homine, & quæ ſunt hominis verè de Deo prædicentur.

NOt. 1. Quòd multùm refert, dum loquimur de fidei Myſterijs ordinatè loqui iuxta vim, & proprietatem ſermonis; nam, vt ait D. Hieron. *ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis; & ſicut corde credimus, ſic ore fit confeſſio ad ſalutem*; ac proinde oportet ſtudere, quòd in verbis ſit ille ſenſus, quem corde tenemus, quod nequit haberi, niſi verbis vtamur ſecundùm propriam ſignificationem, ſeu proprietatem ſermonis. Quarè cum facta ſit vnio naturarum in vnitate perſonæ, & conſequenter ex tali vnione reſultet Idiomatum communicatio, inueſtigari debet quid ſit huiuſmodi Idiomatum communicatio, & qualiter ea vti debemus in hoc ineffabili Myſterio. Igitur Idioma hic non accipitur pro ſermone, ſeu lingua cuiuſque nationis; quia ſic lingua Italorum communicaretur Hiſpanis &c. ſed accipitur

cipitur Idioma, quod eſt nomen græcum, & latinè ſonat proprietas alicuius rei; pro proprietatum,& attributorum communicatione duarum naturarum. Vndè ſic deſcribi poteſt. *Communicatio Idiomatum eſt prædicatio naturalium proprietatum duarum naturarum in concreto de ſe inuicem ſubſiſtentium in vnico ſuppoſito*;& ſic quæ ſunt Dei de homine,& quæ ſunt hominis verè de Deo prędicantur, vt ex infra dicendis patebit.

Not. 2. Quòd Hæretici, ſignanter Vbiquarij, ſiue Vbiquiſtæ contendunt, communicationem idiomatum non eſſe ſolùm ratione prædicationis, quia quæ ſunt hominis tribuuntur Deo, & è contra propter vnionem hypoſtaticam; ſed etiam quia proprietates, ſeu attributa naturæ D. v. g. omnipotentia, immenſitas, omniſcientia &c. realiter communicata ſint humanitati Chriſti, adeò vt ſit omnipotens, vbique præſens &c. ratione omnipotentiæ, immenſitatis &c. immediatè, & realiter illi communicatæ, ſicut communicata fuit ſubſiſtentia; ac proindè ſicut humanitas ſubſiſtit ſubſiſtentia diuina; ita pariter ſit vbique præſens immenſitate diuina; quod eſt hæreſis damnata: ideò ſit.

I. Concl. Communicatio Idiomatum non fit eò quòd attributa D. formaliter communicentur humanitati, & humana Diuinitati. Eſt contra Lutheranos, maximè Vbiquiſtas. Prob. ex doctrina Patrum, & Conciliorum conſtat, vtramque naturam, & vtriuſque naturæ proprietates eſſe in Chriſto inconfuſas, & impermixtas; ergo fieri non poteſt, vt communicatio ſomniata ab Hæreticis habeat locum in Myſterio Incarnationis; quia indè ſequeretur, vnam naturam conuerſam eſſe in aliam, & inſuper cum vnum attributum nequeat ſine alio communicari, ſequeretur, quòd omnia attributa fuiſſent ei communicata,& ſic purus actus, qui nulla ratione conuenire poteſt creaturæ compoſitæ, reperiretur in humanitate; ſic æternitas creaturæ in tempore productæ, quod eſt manifeſtè falſum.

Confirmatur ex S. Scrip. nam Matth. & Marci vltimo Angelus loquens mulieribus de Chriſto, quem quærebant, & qui reſurrexerat ait. *Non eſt hic*, & *Ioan.* 11. *Gaudeo propter vos, vt credatis, quia non eram ibi*; ergo ſomniant Vbiquiſtæ, putantes humanitatem Chriſti eſſe immenſam, ac proinde vbique. Eandem doctrinam expreſsè tradunt omnes Sancti Patres, atque Theologi.

II. Concl. Communicatio Idiomatum conſiſtit in prædicatione naturalium proprietatum duarum naturarum, nempe Diuinæ, & humanæ ratione vnius ſubſiſtentiæ, ſeu ſuppoſiti, in quo impermixtæ ſubſiſtunt. Eſt communis ſententia Theologorum; etſi aliqualiter diſcordent in reddenda ratione huius veritatis; ſed dicendum cum Scoto in 3. d. 2. q. 1. ad argum. principalia §. ad aliam; quòd talis prædicatio fundatur in illa propoſitione Ariſt. Quæ ſunt eadem vni tertio, ſunt eadem inter ſe; vndè Scot. loc. cit. ait. Sed cum ratio huius communicationis ſit, quòd ſuppoſitum recipit prædicationem in concreto illius naturæ, in quo ſubſiſtit; etſi ſubſiſteret in natura lapidis, non videtur ratio, quarè lapis non prædicaretur de eo, dicendo, Deus eſt lapis; ſicut modò dicitur, quòd Deus eſt homo, & æqualiter vtraque eſt vera, ita Doctor; vndè patet, ideò prædicata, quæ ſunt Dei, attribuuntur creatæ naturæ, & è conuerſo, quia natura diuina, & humana conueniunt in vnico, & eodem ſuppoſito. Vt autem huiuſmodi prædicationes rectè fiant, traduntur à Theologis ſequentes Regulæ.

Regula I. *Omnes illæ propoſitiones, in quibus ſignificatur, quòd natura D. ſit humana, vel è conuersò, ſunt falſæ, quia naturæ ſunt impermixtæ.*

Regula II. *Illæ propoſitiones, in quibus vna natura in abſtracto prædicatur de altera in abſtracto; vel vna in abſtracto prædicatur de altera in concreto, vel è contra, ſunt falſæ.* Vndè falſum eſt dicere Diuinitas eſt humanitas; ſimiliter Deus eſt humanitas; & homo eſt Deitas: ratio omnium horum eſt, quia prædicatio cum ſit quædam identitas, ſequitur vnionem; at naturæ abſtractæ præſcindunt ab vnione, ac proinde non retinent identitatem, nec prædicationem, & conſequenter nec proprietas vnius poteſt prædicari de proprietate alterius.

Regula III. *Huiuſmodi prædicationes ſunt veræ in concreto, dummodò non fiant cum reduplicatione. Vndè iſtæ ſunt falſæ Chriſtus vt homo eſt æternus; Chriſtus in quantùm Deus eſt mortuus.* Ratio eſt, quia reduplicatio ſignificat id, ſupra quod cadit, eſſe rationem formalem, cur prædicatum conueniat ſubiecto: at Diuina natura non eſt ratio vt Chriſto conueniant attributa humana; nec natura humana, cur illi attribuantur Diuina; ergo cum reduplicatione fieri nequeunt.

Regu-

Regula IV. *Communicatio Idiomatum non habet locum in prædicatis, quæ excludunt ſuppoſitalitatem diuinam, quale eſt hoc, v. g. purus homo. Nec etiam in prædicatis, quę conueniunt Verbo, aut Deitati, vel humanitati, prout prę ſcindit à ſuppoſito, Deus homo.* Vndè non rectè dicitur, Verbum eſſe aſſumptum; etſi aſſumpta ſit humanitas; nec humanitatem eſſe incarnatam; etſi incarnatum ſit Verbum; & multò minùs eo mediante tribuuntur alijs per communicationem Idiomatum.

Regula V. *Prędicata Diuinitatis non poſſunt Chriſto tribui denominatione accidentali; alioquin ſignificaretur ſuppoſitorum diſtinctio, & accidentalis inter vtrumque vnio. Vndè Concilium Epheſinum can. 5. damnat vocem Theoforos, ideſt Deifer; eò quòd ſignificet hominem in ſe ſubſiſtentem, qui ferat Deum.* Similiter vitandæ ſunt voces, Deificatus, Dominicus &c. niſi ſano ſenſu explicentur, intelligendo v. g. per hominem deificatum, humanitatem ſubſtantialiter vnitam Deitati in eadem perſona, & per hominem Dominicum Filium Domini, ideſt Patris æterni, cui ſpecialiter appropriatur eſſe Dominum.

Regula VI. *Communicatio Idiomatum non habet locum in prędicatis, quę exprimunt vnionem naturę ad perſonam, vt Deus ſubſiſtit in vtraque natura reſultans ex vnione, ergo & homo eſt ſubſiſtens in vtraque natura*; item Natura D. aſſumpſit naturam humanam, ergo natura D. aſſumpſit naturam Diuinam; ita Scot. & ratio eſt. Quia illa communicatio in prædicationibus fit propter vnionem, & ideo Deus non eſt factus Deus; etſi factus ſit homo. Similiter in prædicatis, quæ præcedunt vnionem non tenet communicatio Idiomatum. Vndè non valet dicere Deus eſt Incarnatus, ergo homo eſt Incarnatus; neque iſta. Hìc homo, qui eſt Deus, eſt prædeſtinatus, ergo & Deus eſt prædeſtinatus.

Regula vltima. *Communicatio Idiomatum nequit fieri per terminos negatiuos, & contradictorios, bene tamen per terminos affirmatiuos; & contrarios. Vndè non valet dicere. Chriſtus eſt immortalis, & non eſt immortalis; eſt æternus, & non eſt æternus*; quia per terminos negatiuos, & contradictorios tollitur omnino attributum, quod affirmatur. Sed rectè dicitur Chriſtus eſt mortalis, & mortalis, eſt æternus, & temporalis, eſt infinitus, & finitus &c.

Arg. cont. 1. concl. ab Hæreticis, & primò ex quibuſdam locis S. Scrip. quæ videntur ſignificare Chriſtum eſſe vbique

 ratio-

ratione ſuæ humanitatis. Sic Matth. 18. *Vbi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum?, & idem 28. Ecce ego vobiſcum ſum vſq; ad conſummationem ſeculi*. Epheſ. 4. *Qui deſcendit, ipſe eſt, qui aſcendit ſuper omnes cœlos, vt impleret omnia*: ergo &c. Reſp. ad primam; intelligi de præſentia per auctoritatem, & non per indiſtantiam localem; ita vt ſenſus ſit; quòd nihil in Concilijs in ſuo nomine congregatis, niſi ſua decernetur auctoritate. Ad 2. Chriſtum eſſe nobiſcum &c. per protectionem, & auxilium, non verò per localem præſentiam. Ad 3. vt impleret omnia, hoc eſt, vt omne genus hominum Spiritualibus bonis repleret, iuxta illud Pſal. 64. *Replebimur in bonis domus tuæ*. Vel vt adimpleret omnia, idest, vt ad effectum perduceret omnia, quæ de ſe ſcripta erant in lege, Prophetis, & Pſalmis.

Contra. Si perſona Verbi eſſet alicubi, vbi humanitas ab eo aſſumpta non ſit; iam Verbum eſt alicubi homo, & alicubi non eſt homo; conſ. eſt abſurdum, ergo & ant.

Reſp. ad ſequelam. Verbum eſt alicubi homo &c. ideſt exiſtit alicubi Verbum, vbi humanitas Verbi non exiſtit: conc. eſt alicubi homo, & alicubi non eſt homo; ideſt ibi eſt Verbum Incarnatum, vbi non eſt homo, neg.

Contra. Quandocumque duæ res ſunt ſibi inuicem vnitæ inſeparabiliter; vbicumq; vna illarum eſt, ibi debet eſſe, & altera, ſed perſonalitas Verbi, & humanitas aſſumpta à Verbo ſic ſe habent, & perſona Verbi eſt vbique locorum; ergo humanitas Chriſti eſt vbique.

Reſp. diſting. mai. Si ſint ſibi inuicem vnitæ adæquatè, & totaliter; conc. Si inadæquatè neg. mai. Nam in propoſito humanitas, & Verbum non vniuntur ad inuicem adæquatè; ſic Anima noſtra eſt vnita pedi inſeparabiliter; neque tamen ſequitur quòd vbicumque eſt Anima, ibi ſit pes; licèt vbi eſt pes ſit Anima; ſic à pari non eſt humanitas Chriſti, niſi vbi eſt Verbum, licèt alicubi exiſtat Verbi perſonalitas; vbi non eſt humanitas: idque ratione illimitationis eiuſdem Verbi D. & limitationis humanitatis.

Contra. Si humanitas Chriſti non eſt vbique, ergo moueri poteſt de loco in locum, ergo quando ſic mouetur, vel ſecum defert perſonam Verbi ſic vnitam, & tunc ſequitur, quòd Verbum mouetur localiter; quia quod ſic defertur localiter mouetur: vel non defert, & ſic deſinit eſſe ei vnita,

ta; quod eſt abſurdum. Reſp. humanitatem Chriſti poſſe moueri de loco ad locum, & quando ſic mouetur, non ſecum defert propriè perſonam Verbi; neque eam non defert; ſed ſemper eſt illi vnita, quocumq; in loco humanitas conſtituatur, vt etiam in nobis contingit; licèt enim Deus ſit nobis intimè præſens per ſuam immenſitatem, attamen quando mouemur localiter, Deum nobiſcum non deferimus, neque non deferentes eum deferimus, quia eſt vbiquè &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum hæc propoſitio ſit vera. Deus eſt homo.

NOt. 1. Quòd ſicut aliud eſt vniuocum prædicatum, & aliud vniuocè prædicari ſtrictè loquendo; nam album eſt vniuocum prædicatum de ligno, & lapide; propriè autem illud ſolùm dicitur vniuocè prædicari, cuius ratio includitur in ſubiecto quidditatiuè: ita aliud eſt prædicatum eſſe quid, & prædicari in quid. In omni enim genere eſt inuenire quid top. 1. nec tamen quodlibet cuiuſcumq; generis prædicatur in quid de quocumque, ſed tantùm de ſuo per ſe inferiori. Igitur cum nulla ſit vnio iſti ſimili, nullum eſt prædicatum ſimiliter dictum de ſubiecto: Siquidem, quod prædicatur eſt ſpecies tantùm; ſed quantùm eſt ex parte modi ſe habendi reſpectu ſubiecti, videtur habere habitudinem accidentis, quia temporale eſt ex parte modi ſe habendi reſpectu ſubiecti, & contingenter aduenit ſubiecto.

Not. 2. Quòd præfata propoſitio dici poteſt indefinita, & etiam determinata: determinata quidem, quia ly Deus ſupponit determinatè pro aliquo ſuppoſito diuino, quod eſt Verbum: Indeterminata verò, & indefinita, quia eſt de termino habente aliqualiter rationem communis nullo ſigno determinato, & adhuc propoſitio eſt vera, quia ad veritatem propoſitionis indefinitæ ſatis eſt, vt prædicatum verè conueniat vni ſuppoſito ſubiecti, quamuis ſupponat ſubiectum pro multis alijs; vt patet in hac propoſitione, homo eſt albus, quæ vt ſit vera, ſufficit, Petrum eſſe album, Quòd ſi dicatur, ergo per oppoſitum verificabitur iſta ne-

gatiua: Homo non eſt albus, ſi Paulus, & Franciſcus non eſt albus; non ſequitur, quia cum negatio ſit naturæ malignantis, quæ deſtruit quicquid poſt ſe inuenit, oporteret ad eius verificationem; quòd nullus homo eſſet albus; ita ad verificandam hanc propoſitionem, Deus non eſt homo, non ſatis eſt, quòd verificetur de Patre, & de Spiritu Sancto ſed requiritur quòd nulla perſona ſit Deus ratione talis negationis. Nihilominùs Rada putat, quòd de rigore ſermonis, quòd ly Deus ſupponat indefinitè, ſicut faciunt omnia nomina habentia ſub ſe ſingularia; ſed ex communi Theologorum conſenſu, & accommodatione ſupponit determinatè pro perſona Verbi, quia aliter iſta eſſet concedenda: Deus non eſt homo, at ſuperior doctrina eſt amplectenda ideò &c.

I. Concl. Hæc propoſitio Deus eſt homo, eſt vera, ſed non eſt immediata. Prob. ex Scot. in 3. d. 7. q. 1. Quandocumque prædicatum non conuenit communi niſi pro ratione alicuius ſuppoſiti illius communis, non conuenit ei primò, nec verè, niſi quia dicitur de aliquo inferiori; ſed præfata propoſitio eſt huiuſmodi; ergo &c. maior prob. Quando dico animal eſt riſibile, ly riſibile non conuenit animali, niſi quia conuenit homini; ergo hæc propoſitio. Animal eſt riſibile non eſt vera, niſi quia homo eſt riſibilis, & ita cauſa veritatis huius propoſitionis. Animal eſt riſibile, eſt quia homo eſt riſibilis. Quare, cum nomen Deus ſit commune ad tres perſonas; eſtò ſine ſui diuiſione, & de Deo non verificatur homo niſi ratione vnius ſuppoſiti ex tribus, nempe Verbi D. ſequitur, quòd hæc propoſitio, Deus eſt homo, eſt vera, quia Verbum eſt homo; ac proindè non eſt immediata, ſed mediata.

II. Concl. Hæc propoſitio. Verbum eſt homo; quæ eſt cauſa veritatis alterius propoſitionis, ideſt. Deus eſt homo, eſt contingens immediata, ad quam multa mediata ſequuntur. Prob. ex Scoto. Illa propoſitio eſt contingens, quæ non eſt nota ex terminis; talis eſt iſta, ergo &c. prob. maior. Illa propoſitio eſt nota ex terminis, cuius termini habent neceſſariam connexionem ad inuicem, ſed termini propoſitionis contingentis non habent talem connexionem, alioquin eſſet propoſitio neceſſaria, & non contingens, ergo &c. Vndè concludit Scot. quòd hæc propoſitio,

Ver-

Verbum eſt homo, eſt tantùm credita immediatè, aut ex aliquo credito oſtendenda: eſt quidem credita immediatè, quando eſt nobis reuelata immediatè, vel alicui, cui credimus, vt Euangeliſtis, vel quando cognoſcitur diſtinctè ex diſtincta cognitione extremorum, & vnionis. Eſt autem credita, quia oſtenſa ex aliquo credito; nam ſi credimus, quòd Verbum ſibi naturam humanam vniuit, & quòd verè ſubſiſtit in illa, & eſt illius ſuppoſitum, ſtatim poteſt inferri, quòd Verbum eſt homo; ſed creditum eſt, talem eſſe hanc vnionem, quòd per eam Verbum D. ſubſiſtit in natura humana, vt ſuppoſitum in natura; ergo per eam Verbum formaliter eſt homo: hinc D. Auguſt. lib. 1. de Trin. cap. 16. *Talis fuit*, inquit, *iſta aſſumptio, vt Deum hominem faceret, & hominem Deum.*

III. Concl. In hac propoſitione Deus eſt homo: hoc prædicatum homo non dicitur vniuocè de ſubiecto; ſed eſt vniuocum prædicatum. Prob. ex Scoto, & explicatur etiam ex dictis in primo notabili. Vniuocum prædicatum dicitur, cuius conceptus eſt in ſe vnus, & hoc modo album dictum de ligno, & lapide eſt prædicatum vniuocum; vniuocè autem prædicatur illud, cuius ratio includitur quidditatiuè in ratione ſubiecti, vt dicitur à logicis, & hoc modo denominatiuum non prædicatur vniuocè, quo ſenſu loquitur, Ariſt. in prædicamentis; ergo cum homo prædicetur, tam de Deo, quàm de nobis ſecundùm idem nomen, & eandem rationem eſt prædicatum vniuocum; at quia homo non conuenit eſſentialiter Deo, ſed accidentaliter logicè; & de Petro, & Paulo dicitur eſſentialiter, reſpectu vtriuſque non prædicatur vniuocè. Quarè non videntur rectè loqui nonnulli dicentes, hominem prædicari vniuocè de Deo; hoc fundamento, quia quando dicimus, Petrus eſt albus, leo eſt albus; eſtò Petrus, & leo non conueniant vniuocè in ſuppoſito, vel in natura ſpecifica, conueniunt tamen vniuocè. Verùm niſi ly vniuocè explicetur, quod idem ſit ac prædicatum vniuocum, nequit ſubſiſtere.

Arg. cont. 1. concl. finitum, & infinitum ſunt maximè diuerſa, ac proinde ad inuicem prædicari non valent, ſed Deus, & homo ſic ſe habent, ergo &c. prob. prima conſeq. Album, & nigrum non ita diſtant ſicut finitum, & infinitum,

tum; ſed album, & nigrum nequeunt prædicari ad inuicem, ergo multò minùs Deus, & homo.

Reſp. ex Scoto diſting. mai. ſunt maximè diuerſa conc. maximè repugnantia, neg. mai. non enim ſequitur ſunt maximè diuerſa, ergo maximè repugnantia.

Contra. Hæc eſt vera. Deus eſt humanatus, ergo hæc eſt falſa, Deus eſt homo. Antecedens admittitur à D. Damaſ. cap. 51. & Caſſiodoro ſuper illud Roman. 1. *Factus eſt ei &c.* Prob. conſ. Nam idem non prædicatur de eodem in abſtracto, & in concreto. Vndè ſi iſta eſt vera. Petrus eſt albus, hæc erit falſa. Petrus eſt albedo: eſt etiam Ariſt. 2. Top. cap. 3. vbi docens deſtruere problemata de accidente, inquit. Si illud, quod aſſignatur eſſe accidens, inſit in quid ſecundùm alium modum, & maximè ſecundùm modum generis, peccatum eſt, ideſt, ſi color prædicatur in quid de albedine, dicendo, albedo eſt color, non poteſt de ipſa prædicari in concreto, dicendo, albedo eſt colorata, ergo ſi Deus eſt humanatus, falſum erit, quòd Deus eſt homo. Reſp. ex Scoto. Quòd humanati non eſt proprium denominatiuum huius, quod eſt eſſe hominem; ſed denominatiuum eſt hominem fieri, & vniuerſaliter tale denominatiuum, quod ſignificat formam in fieri, dicitur de eo, de quo dicitur ipſa forma, & ſimili denominatione; idem enim eſt album, & fit album, ita idem eſt homo, & fit homo; ſed proprium denominatiuum hominis eſt hoc; ideſt, humanum, idquè non dicitur de Deo.

Contra. Ex conceſſis, humanatum eſt concretum huius, quod eſt hominem fieri, ſed humanatum dicitur de Verbo, ergo hominem fieri non dicitur de Verbo, quod eſt falſa; nam hæc propoſitio eſt vera. Deus fit homo; ergo iſta eſt falſa. Deus eſt humanatus: pat. conſ. quia abſtractum, & concretum non prædicantur de eodem.

Reſp. Baſſolius: Quòd propoſitio Ariſt. debet intelligi de vltimatè abſtractis, homo autem non eſt vltimatè abſtractum, ſed humanitas, quæ humanitas de Deo non prædicatur, ſed eius concretum, nempe homo, & ideò humanatum non eſt concretum de ly homo; ſed de hoc, quod eſt hominem fieri.

Arg. 2. Si Deus eſt homo, vel homo prædicatur de Deo ſecundum rationem generis, vel ſpeciei, vel differentiæ &c.

ſed

ſed nullum ex iſtis datur: ergo &c. Reſp. ex Scoto, quod hoc prædicatum homo participat aliquid de ratione ſpeciei, & aliquid de ratione accidentis in habitudine ad ſubiectum, quia iſta natura aduenit temporaliter Verbo æterno &c.

Quæres 1. An hæc propoſitio Deus eſt homo, ſit propria, & formalis. Reſp. affirmatiuè. Etenim conſtat ex S. Scriptura, & etiam ratione, quia attributa in concreto ſignificant naturam humanam, & eius propietates prædicari de Deo; quando enim prædicatum ineſt ſubiecto formaliter, vel ſaltem per modum formæ, ſeu per modum terminantis, qualiter ſe habet homo in ordine ad ſubiectum Deus, tunc propoſitio eſt formalis, & propria; & licèt hoc nomen Deus ex vi ſuæ primæ inſtitutionis ſignificet id, quod ſubſiſtit in natura diuina, attamen poſito Incarnationis Myſterio ex vſu loquendi Theologorum, non ſolùm ſignificat id, quod ſubſiſtit in natura D. ſed etiam quòd ſubſiſtit in natura humana.

Quæres 2. An hæc propoſitio, Deus eſt homo, ſit per ſe.

Reſp. ex Scoto loc. cit. Quòd eſt propoſitio per ſe metaphyſicè loquendo non tamen logicè: prima pars prob ſic à Doctore. Accidens metaphyſicum dicitur illud, quod alteri accidit, & ei vnitur per accidentalem vnionem, & inhærentiam ex 5. metaph. cap. de ente, & vno, ſed homo in hoc myſterio non accidit Deo, ergo metaphyſicè talis propoſitio non eſt per accidens, ſed per ſe; minor patet, quia humanitas eſt ſubſtantia, & vnitur ſubſtantialiter cum Diuinitate in eodem ſuppoſito, ergo &c. Prob. 2. pars. In propoſitione per ſe logicè prædicatum eſt de eſſentia ſubiecti, vel intrinſecè includit cauſam inhærentiæ ipſius prædicati, ſed non ſic ſe habet talis propoſitionis prædicatum, ergo &c. Tum quia prædicatum huiuſmodi poteſt adeſſe, & abeſſe à ſubiecto præter ſubiecti corruptionem; vt clarè conſtat.

Quare hęc propoſitio Chriſtus eſt homo, non eſt per accidens, nec omninò per ſe, cum propoſitio propriè per ſe exigat, quòd ſubiectum dicat vnum per ſe conceptum; at in hac propoſitione Chriſtus non dicit per ſe vnum conceptum in ſe, ſed potiùs dicit duo, ergo non eſt dicenda omninò per ſe. Vndè concludit Scot. Poteſt igitur dici, quòd

hæc

hæc non eſt omninò per accidens, quia ſubiectum includit prædicatum; nec omninò per ſe, quia ſubiectum non habet omninò per ſe vnum conceptum in ſe, & ſimiliter diceretur de iſta, homo albus eſt coloratus, quo loquendi modo vult inſinuare Scot. quòd licèt coloratum per ſe dicatur de albo, non tamen de homine albo, quia homo albus non eſt vnum per ſe; ità, eſtò Deus per ſe dicatur de Verbo, non tamen de Verbo homine, quia hoc totum non eſt vnum per ſe logicè.

Quæres 3. An iſtæ ſint veræ, Deus factus eſt homo, & homo factus eſt Deus. Reſp. ex Scoto. Prima propoſitio eſt vera: quod ſic Scot. in 3. d. 7. q. 2. declarat. Quando factio prædicat ſecundum adiacens, tunc dicit factionem ſimpliciter, vt dicendo, homo fit, ly fit prædicat ſecundum adiacens, & ſignificat quòd homo abſolutè, & ſimpliciter factus eſt: Quando autem prædicat tertium adiacens, tunc dicit factionem ſecundùm illud, quod ſpecificatur per tertium, vt dicendo: homo fit albus, non ſignificat hominem eſſe factum ſimpliciter, ſed ſecundùm quid. Hinc ita format rationem. Sicut verè dicitur illud fieri ſimpliciter, quod accipit eſſe ſimpliciter poſt non eſſe ſimpliciter; ita verè dicitur illud fieri tale, quod accipit eſſe tale, & priùs non erat tale, ſed Deus per actionem Trinitatis fit homo, & priùs non erat homo; ergo verè Deus factus eſt homo. Si dicas factio requirit mutationem eius, in quo eſt, & de quo dicitur, non autem termini, ſed Deus fit homo, ergo Deus mutatus eſt. Reſp. Scot. quòd maior eſt vera de Agente naturali, non verò de Agente ſupernaturali, de quo hìc eſt ſermo: quæ reſponſio patet ex dictis alibi.

Cæterum de ſecunda propoſitione eſt aliqua difficultas inter Theologos; immò idem Scot. in Report. 3. d. 7. q. 3. negat eſſe veram, & cum ipſo paſſim Recentiores. Ratio, quia Chriſtus homo non præextitit antequam fieret homo; modus enim iſte loquendi propriè indicat rem priùs eſſe, quàm per formam acquiſitam fieri talem, vel talem. Et Caſpenſis addit hanc rationem; quia in tali propoſitione homo eſt ſubiectum, & ſupponit pro ſuppoſito humano, cum ergo nulla Perſona naturæ humanæ facta ſit Deus; hinc eſt quòd non rectè dicitur. Homo factus eſt Deus, ſicut rectè dicitur Deus factus eſt homo, quia ly homo ſup-

ponit tantùm pro natura humana, & ly Deus ſupponit pro perſona Diuina; ideò &c. Nihilominus etſi huiuſmodi ſenſus ſit proprius, & congruus vt ait Herincx; dici tamen poteſt cum Scoto in ſcripto Oxionienſi (quod eſt principale, & ſemper intelligitur quando citatur ſine addito) ead. diſt. q. 2. iſtam propoſitionem adhuc recipere ſanum, & congruum ſenſum, licèt minùs proprium, dicendo. Homo per factionem, ſeu actionem Incarnatiuam eſt Deus, & iuxta hunc ſenſum non requiritur vt homo præſupponatur priuſquàm fiat Deus, neque ly homo ſupponit pro ſuppoſito, ſeu perſona, vt vult Caſpenſis. Vndè hunc loquendi modum vſurparunt poſt Ambroſium, Auguſtinus, lib. 1. de Trin. cap. 13. & Damaſ. lib. 3. de fide cap. 11.

Dices Damaſ. lib. 3. de fide cap. 2. & Patres Concilij Francfordienſ. negant hominem Deificatum; Item Cyrill. Alexand. aduersùs hæreticos Anthroporphitas c. 22. negat hominem factum Deum, ergo &c. Reſp. Quòd Patres loquuntur contra hæreticos illos, qui aſſerebant, humanam naturam poſt Incarnationem conuerſam fuiſſe in Deitatem, cum tamen naturæ Diuina, & humana permanſerint impermixtæ.

Quæres 4. An hæc ſit vera. Chriſtus fuit bis natus.

Reſp. Quòd nonnulli cenſent, non eſſe veram, quia terminus numeralis bis requirit interruptionem, & geminationem eiuſdem termini, cui opponitur, ſed ſic eſt, quòd natiuitas æterna ſemper durat; ergo quamuis in Chriſto fuerit duplex natiuitas, non tamen rectè dici poteſt bis natus. Verùm oppoſitum dicendum eſt cum D. Aug. de fide ad Petrum, vbi ait. *Vnigenitus Dei Filius primò, & ſecundò natus eſt, ſemel ex Patre, ſemel ex Matre*. Vndè cum Deus, & homo vnus ſit Chriſtus, & non vna, ſed alia, & alia natiuitate natus ſit, dici poteſt bis natus, ab æterno quidem ſecundùm Deitatem, in tempore ſecundùm humanitatem.

Quæres 5. An rectè dici poſſit, Eſſentia diuina eſt nata de Virgine. Ratio dubitandi eſt, quia ex Damaſ. lib. Orthodoxæ fidei, eſſentia D. eſt incarnata; ergo etiam poteſt dici nata. Nihilominùs reſpondetur, quòd neque ad intra, neque ad extra dici poteſt eſſentia nata abſque errore. Non quidem ad intra, quia generatio, & natiuitas dicit relationem realem, & ideò requirit diſtinctionem; natura au-

tem Diuina ad intra eſt communis tribus perſonis; ac proinde non poteſt dici nata, ſed ſolùm communicata. Neque ad extra dici poteſt nata de Virgine, quia cui competit natiuitas, competit proceſſio; at natura D. à nullo procedit. Vnaè benè poteſt dici incarnata, quia incarnatio denotat vnionem cum alio, & ideò poteſt ei competere, non verò natiuitas, quæ eſſentialiter dicit proceſſionem.

Quæres 6 An rectè dicatur Chriſtus incœpit eſſe, & Chriſtus deſijt eſſe. Reſp. Doctores paſſim docent, non rectè dici, niſi cum addito, ſecundùm humanitatem, vel quatenus homo; quia alioquin ſignificaretur, Chriſtum ſic incœpiſſe, & deſijſſe eſſe, adeò vt ante incœptionem, & poſt deſitionem nullum eſſe habuerit. Verùm Scot. in 3. d. 11. q. 3. cui conſonat Vaſquez, & alij huiuſmodi propoſitiones habere poſſunt rectum, & ſanum ſenſum; quia Chriſtus in rigore importat compoſitum ex natura humana, & diuina perſona, quod verè incœpit eſſe, cum de illo fuerit verum dicere; hoc compoſitum iam eſt, & antea hoc compoſitum non fuit. Similiter in morte deſijt eſſe, quia illud compoſitum, quod antea fuerat, tunc amplius non erat. Nec obſtat, quòd aliqua pars, nempe D. natura, & perſonalitas præfuerit, ac ſemper manſerit; ſicut non obſtat homini hodiè concepto; vt dicatur incipere, & mortuo; vt dicatur deſijſſe ex eò quòd materia præfuerit, & poſt mortem tam ipſa, quàm Anima manſerint. Quòd ſi ly Chriſtus accipiatur, vt connotet perſonam, ſeu ſuppoſitum; adhuc vera foret propoſitio, inquit Herincx, ſi per illam nil aliud ſignificaretur, quàm ſuppoſitum iſtud accepiſſe eſſe in tempore: ad huius enim verificationem ſufficit, quòd in tempore acceperit aliquod eſſe ſimpliciter, prout accepit eſſe humanum, quod eſt eſſe ſimpliciter; etſi ſecundarium iſtius ſuppoſiti. Inhærendo tamen rigori dialectico; ſubdit idem Herincx, videtur propoſitio, connotando ſuppoſitum, ſimpliciter falſa; vel ſaltem exponenda eſt ſano modo &c.

Quæres 7. An in triduo mortis verum eſſet dicere. Chriſtus eſt homo: Reſp. negatiuè theologicè, & realiter loquendo; vt rectè D. Bonau. in 3. d. 22. art. 1. q. 1. & Scot. ibidem; & alij communiter. Ratio; quia tunc non erat vnio Animæ cum corpore, ob cuius defectum, ſicut non

erat

erat homo actu, & realiter ante conceptionem; ſic neque tempore mortis; logicè tamen loquendo nonnulli præfatam propoſitionem admittunt, ſicut hanc. Ioannes eſt homo, etſi Ioannes ſit mortuus, ampliando videlicet extrema propoſitionis veluti neceſſariæ. Nihilominùs Scot. poſteriorem quidem logicè admittit, ſed priorem negat, veluti contingentem, ob complexionem contingentem, quæ innoluitur in ſignificato vocis, Chriſtus, ratione cuius contingens eſt, vnionem inter Deitatem, & humanitatem ſubſiſtere, & Deum eſſe hominem; ac proinde contingens pariter videtur, Chriſtum eſſe hominem, Quod Scot. confirmat, eò quia ex neceſſario non poſſit ſequi contingens; alioquin poſſet dari antecedens verum, conſequente falſo; hoc idem ſequeretur in propoſito; ſi præfata propoſitio foret neceſſaria, vt patet in hoc Syllogiſmo: Chriſtus eſt Deus, Chriſtus eſt homo, ergo Deus eſt homo. Idem ob ſimilem rationem cenſet Doctor de hac, homo albus eſt albus; quia nullo homine exiſtente, putat, eſſe falſam.

QVÆSTIO III.

Vtrum Chriſtus vt homo; ſeu ſecundùm humanitatem dici poſſit Filius Dei adoptiuus.

NOt. 1. Quòd de adoptione agunt legales ſignanter *in Inſtit. lib. 1. de adoptionibus Tit. 11. §. licèt autem*; vndè Adoptio ſic deſcribi poteſt etiam ad mentem Theologorum, & præſertim Scoti, qui ait, hoc vocabulum eſſe translatum à Iuriſtis ad Theologos. *Adoptio eſt gratuita quædam electio; ſeu acceptio perſonæ aliàs extraneæ ad hæreditatem*: Quare, vt quis dicatur propriè adoptatus exiguntur tres conditiones. Prima eſt extraneitas ex generatione naturali; ita vt adoptatus ſit extraneus adoptanti; hoc eſt non habeat ex ſe, & ex generatione ſua naturali gradum illum, ad quem aſſumitur, qui eſt gradus Filij, licèt ſit affinis, vel conſanguineus: 2. vt aſſumptio perſonæ ſit gratuita, quia ſi ſit aliquo titulo oneroſo, non erit adoptio, ſed venditio, vel alius contractus, & hæ duæ conditiones notantur etiam à Concilio Francfordienſi col. 4. vbi dicitur. *Adoptiuus non dicitur, qui eſt alienus, & adoptio non datur ex debito, ſed ex indulgentia*. 3. eſt

be-

bonum, ad quod Adoptatus præordinatur ex iſta gratia; ideſt hæreditas, ad quam habet ius ſuccedendi ex adoptione; requiritur tamen conſenſus ipſius adoptati; ſi habeat vſum rationis; quòd ſi ſit infans, fieri debet cum conſenſu Parentis, aut Tutoris, & ad hoc vt ſit legitima talis adoptatio exigitur auctoritas Principis, vt tradunt Iuriſperiti.

Not. 2. Quòd adoptio alia eſt diuina; alia humana; hæc iam remanet explicata; *illa eſt alienius naturæ intellectualis extraneæ in Dei Filium, ſeu in hæreditatem æternam, quæ eſt æterna beatitudo gratuita ipſius Dei aſſumptio;* & ſic gratuitò adoptauit Angelos, B. Virginem, primos Parentes, & adoptat homines. Valde tamen differt hæc adoptio ab humana; nam inter homines fit ſola denominatione extrinſeca; vndè adoptans non cauſat in adoptato aliquid, quo formaliter dicatur gratus; ſed eſt ſola voluntas adoptantis gratuita illum aſſumens; at Deus adoptat creaturam intellectualem, imprimendo in ea aliquam qualitatem, nempe gratiam, qua formaliter dicitur gratus, & habet ius ad hæreditatem æternam, iuxta illud Apoſt. ad Rom. c. 8. *Accepiſtis ſpiritum adoptionis Filiorum Dei &c.* 2. differunt, quia vnus homo adoptat alium ob indigentiam; quia non habet filios naturales, Deus autem ex ſua liberalitate, & miſericordia, & non ex indigentia: 3. differunt, quia inter homines, qui adoptatur habet ius ad hęreditatem adoptantis poſt mortem illius; at Deus adoptat Angelos, & homines, vt ſimul cum ipſo ſint beati, ac proinde adoptare conuenit Deo non metaphoricè, ſed propriè in ordine ad Angelos, & homines.

Not. 3. Quòd grauis contentio eſt inter Theologos circa præſentem quæſtionem. Nam quidam, & ſignanter Vaſquez aſſerit, hæreticum eſſe dicere, Chriſtum ſecundùm humanitatem eſſe filium Dei adoptiuum. Verùm decipitur Vaſquez, & nimis inconſideratè pronunciauit, hanc aſſertionem eſſe hæreticam, ex eo quòd contradicat Concilio Francfordienſi: vt autem error Vaſquez in tali cenſura ferenda apertè innoteſcat, oportet obſeruare, quòd fuit error Neſtorij, & iuxta aliquos etiam Elipardi Archiepiſcopi Toletani, & Felicis Epiſcopi Vrgelitani, qui diſtinguebant Chriſtum in duas perſonas, & conſequenter in duos Filios, & ſecundùm vnam, eſſe Filium Dei, & ſecundùm aliam, eſſe adoptiuum, & in hoc ſenſu fuit reprobata, &

damna-

damnata à Concilio Francford. vt rectè obſeruant Fraſſen, Herincx, Theodorus, Genari Epiſcop. Viglenſis, Cauellus Archiepiſc. Armachanus, & alij. Vndè Herincx ſic loquitur diſp. 1. q. 11. n. 114. Ex quibus, & multis alijs, quæ longum foret recenſere, poſt attentam ſingulorum ruminationem ſatis apertum mihi videtur, non de ſola voce adoptionis (quæ ſanè intellecta non excitaſſet tantas in Eccleſia turbas) ſed de ipſa pluralitate perſonarum palliata nomine adoptionis, ſcilicet puræ fuiſſe quæſtionem cum Felice, & Elipando, eoſquè fuiſſe Neſtorianos. Itaquè ad ſenſum iſtorum Hæreticorum Concilium, & Adrianus Papa docuerunt, Chriſtum quà hominem non eſſe ita adoptiuum, quin eadem perſona ſit Filius naturalis Dei: ita Herincx:

I. Concl. Dicere Chriſtum quà hominem eſſe Filium Dei adoptiuum, non eſt hæreticum, ſed eſt aſſertio probabilis.

Prob. Si talis aſſertio eſſet hæretica, maximè quia oppoſita eſſet definita in Concilio Francford. ſed hæc ratio non obſtat, ergo &c. Prob. min. Etenim quamplures Doctores primarij, vt Alenſis, Albert. Richard. Durand. & alij poſt illud Concilium ſenſerunt, eſſe probabile, quòd Chriſtus in quantum homo dici poſſet Filius Dei adoptiuus, nec vllus ex antiquis, vt aduertit Fraſſen. damnauit, vt hæreticam ſententiam Durandi aſſertiuè tribuendo adoptionem Chriſto, ergo &c. Inſuper Scotus in Report. inſinuat, probabiliter Chriſtum dici poſſe Filium Dei adoptiuum, quem ſequitur Baſſolius, Tartar. & Lychet. exponit, eum vt problematicum, & Aretinus tenet, hanc propoſitionem habere catholicum ſenſum, Rada pariter cenſet ſecundùm Scot. id eſſe probabile, & Gabiel, Almai, & Maior docent, humanitatem Chriſti eſſe adoptatam.

Cæterùm, quòd hæc aſſertio non ſit hæretica, audiamus Doctiſſimum Scholiaſt. Scot. qui ſic diſcurrit. Quia Concilium tantùm damnauit ſententiam Felicis, & Elipandi, quæ in re erat error Neſtorij, vt conſtat expreſsè ex Epiſt. Adriani I. & Epiſt. ipſius Concilij, & tenet Antonin. q. 2. hiſtor. 14. c. 1. Naucler. gener. 27. Franciſcus Feuardent. in addit. ad Caſtro contra hæreſes v. Chriſtus Sanderus 7. de viſ. Monarch. An. 772. Suarez citans hos, & alios. Error autem Neſtorij negabat, Chriſtum eſse Deum, ſolùm admittens vnionem per affectum inter naturam huma-

 nam,

nam, & Deum. Sed Theologi citati fatentur, Chriſtum eſse verum Filium Dei naturalem, & eundem eſse Filium Virginis, ergo definitio Concilij non damnat eos, licèt ſimul dicant, Chriſtum quà homo poſse dici filium adoptiuum.

Præterea Iren. lib. 3. c. 21. Maſtrius Victor lib. 1. cont. Candidum Arian. t. 5. Biblio PP. & Hilar. cit. à D. Thom. 3. p. q. 23. art. 4. tribuunt adoptionem Chriſto ſecundùm humanitatem, vt fatetur etiam ipſe Vaſquez cap. 15. dicens, eos impropriè loquutos. Sed hoc eius dictum ſufficere ipſi non debuit, vt ſententiam grauiſſimorum Theologorum, de quorum catholico ſenſu ipſi conſtitit, hæreticam diceret. Addo, non videri impropriam iſtam locutionem iſtorum Patrum, & Doctorum: primò, quia Chriſtus, quà homo non producitur à Deo naturaliter, ſed liberè: 2. non producitur actione potentiæ generatiuæ, magis quàm Spiritus S. 3. non producitur in ſimilitudinem naturæ ſpecificæ, vel genericæ cum generante: Sed oppoſita horum trium conueniunt generationi naturali, propriè loquendo; ergo &c. 4. & conſtat ex his definitio generationis naturalis, quam Doctores communiter admittunt, nempe, quòd *ſit productio viuentis à viuente in ſimilitudinem naturæ*, non conuenit generationi Chriſti quà homo, reſpectu Dei producentis. Quare omnia, quæ adducuntur in contrarium, probant, Chriſtum non eſſe Filium adoptiuum tantùm; ſeu eo modo, quo nos ſumus adoptiui, quod de fide eſt, quia ipſe eſt Filius Dei naturalis: Hactenùs Scholiaſtes. Præterquamquod addi poteſt cum Herincx, quòd nonnulli dubitent de auctoritate Concilij Francford. & conſequenter Epiſtolæ Adriani Sacroſyllabi, & Epiſt. Imperatoris; tum quòd Surium illud edidiſſe putent leui fundamento, cùm tot ſeculis delituerit, ignotum etiam illuſtribus Scholaſticis: tum propter affectatam ſtyli elegantiam: tum quia Sanctos Eugenium, Idelphonſum, & Iulianum Archiepiſcopos Toletanos, ab Eccleſia maximè æſtimatos, & pro Sanctis habitos, non leuiter notat, quaſi etiam nomina illorum eò vſque fuerint Eccleſiæ ignota: tum quia plures Theologi admittunt in eo damnatam eſſe adorationem imaginum, in II. Synodo Nicæna definitam; ergo &c.

II. Concl. Chriſtus vt homo non eſt abſolutè dicendus

Fi-

Filius Dei adoptiuus. Hæc eſt germana Scoti ſententia; qui in Report. ſic reſpondet ad quæſt. Dico igitur ad quæſtionem, quòd vel Sancti negarunt, Chriſtum eſſe Filium adoptiuum Dei propter hæreticos, qui ſolùm dixerunt eum Filium adoptiuum, & nullo modo naturalem; & ideo cum illis noluerunt Sancti communicare propter malum intellectum. Ideo dixerunt abſolutè, quòd non eſt Filius adoptiuus; ſicut dicit Damaſc. de B. Virgine contra hæreticos dicentem, quòd ipſa non eſt Chriſtotocon, quia noluit communicare cum eo, qui dixit, quòd tantùm fuit Filius Virginis ſecundùm naturam humanam; ſed quòd fuit Theotocos. De virtute tamen vocis poteſt Chriſtus dici Filius adoptiuus Dei; ſicut vnus alius homo, quia priùs natura habuit naturam, quàm ordinaretur ad hæreditatem, & ſic fuit ſufficienter extraneus.

Vel dico, ecce germana mens Scoti, nam ly Dico, ad differentiam poteſt dici; apertè demonſtrat propriam, & aſſertiuam ſententiam, quòd pro tanto dicunt Sancti, quòd Chriſtus non eſt Filius adoptiuus Dei; ſi debeat ſuſtineri de virtute vocis, quia ille, qui debet eſſe Filius adoptiuus alicuius, oportet, quòd ſic generetur, quòd ſua generatio non requirat concomitanter de congruo, quòd habeat ius hæreditandi. Et ideò B. Virgo poteſt dici adoptari, quia ſua generatio non requirit concomitanter de congruo, quòd habeat ius hæreditandi: ſed generatio Chriſti hominis naturaliter requirit eum concomitanter habere ius hæreditandi, quia hoc requirit vnio perſonalis, & de congruo; immò magìs de congruo, quàm paſſio exhibita pro alijs: Sed ſi aliquis haberet concomitanter paſſionem Chriſti ſibi applicatam, de congruo concomitanter haberet ius hæreditandi; igitur magìs generatio naturæ humanæ vnita Verbo. Hactenùs Doctor: Vndè clarè conſtat, Scot. aſſertiuè tenere, Chriſtum non eſſe Filium adoptiuum, vt aduertit etiam Cauellus in Schol. vbi ait. *Quare Vaſquez dicens, eum videri tenere ſententiam Elipandi damnatam, nec verè loquitur, nec didicit benè à Paulo illud. Modeſtia veſtra nota ſit omnibus hominibus.*

Cæterùm hæc concluſio comprobari poteſt auctoritatibus Concilij Francford. Adriani Papæ; & Sanctorum Patrum, quæ videri poſſunt apud Modernos Doctores; ideò

&c. ſufficiat vna, vel altera. D. Ambroſ. ſuper illud ad Rom. 1. *Qui prædeſtinatus eſt &c. legi, & relegi Scripturas, & nunquàm Chriſtum Filium Dei adoptiuum inueni*. & gloſſa in Epiſt. ad Philip. *Chriſtus, inquam, homo aſſumpſit nomen Dei, non per gratiam adoptionis, ſed per gratiam vnionis*.

Arg. cont. 2. concl. Ireneus lib. 1. aduerſùs hæreſes cap. 21. ita diſertè pronunciat. *Propter hoc enim Verbum Dei homo, & qui Filius Dei, Filius hominis factus eſt; mixtus homo Verbo Dei, vt adoptionem percipiens fiat Filius Dei*, & Marius Victorinus lib. 1. contra Candidum Arianum ſic habet. *Nos adoptione Filij, ille natura; etiam & adoptione quadam Filius, & Chriſtus, ſed ſecundùm carnem*: ergo &c. Reſp. Quòd Sancti Patres impropriè adoptionem vſurpant, non verò ſecundùm ſtrictam ſignificationem.

Arg. 2. *Chriſtus prædeſtinatus eſt Filius Dei ad Rom.* 1. ſed prædeſtinare, eſt adoptare; nam prædeſtinare eſt ad hæreditatem adoptare; ergo Chriſtus reuerà eſt Filius Dei adoptiuus. Reſp. neg. min. Etenim plura requiruntur ad adoptionem, quàm ad prædeſtinationem; vt Scot. indicat in reſponſione ad hoc argumentum. Siquidem requiritur ad adoptionem, quòd adoptatus ſit extraneus, non quòd Filius adoptatus ſit primò inimicus in ſe, neque in parentibus, immò magìs iuuat ad hoc amicitia parentum præcedens, & Filij; ſed ſolùm extraneus pro tanto, inquit Scot. quia priùs, non habet ius ſuccedendi hæreditariè: ad prædeſtinationem verò ſolùm exigitur, quòd aliquis eligatur ad gloriam; ſiuè interim ille ſit extraneus, ſiue non. Vndè prædeſtinare eſt adoptare, quando natura prædeſtinati habet extraneitatem ſufficientem ad adoptionem: at Chriſtus non habet extraneitatem ſufficientem ad adoptionem, cum ius ad hæreditatem fundetur in eius naturali filiatione.

Arg. 3. Eſt dignitas in homine, quòd ſit Filius Dei adoptiuus; ergo tribuenda eſt etiam Chriſto dignitas adoptionis. Reſp. diſting. ant. Eſt dignitas arguens aliquam imperfectionem; conc. eſt dignitas ſine imperfectione; neg. ant. ideoquè non eſt in Chriſto admittenda, quia, vt ait Scot. eſt dignitas ſupplens indignitatem.

Arg. 3. In Chriſto manet natura grata, ſicut in alio Filio; ergo pari ratione dicetur Filius adoptiuus, ſicut alij Filij.

Confirmatur. Quia, ſicut manent naturæ, ita proprie-

tates

tates naturarum, ergo cum adoptari ſit proprietas naturæ habentis gratiam, videtur, quòd hoc poſſit dici de Chriſto ratione naturæ humanæ; ſicut etiam poteſt dici de eo, quòd eſt Filius naturalis ratione naturæ diuinæ.

Reſp. Scot. in Report. Quòd eſſe Filium Dei adoptiuum non eſt ratione naturæ, ſed naturæ gratæ; dico, quòd ratione naturæ, quæ requiritur concomitanter ex generatione naturali ſua, quòd habeat ius hæreditandi. Ad confirmationem reſpondet ſic in ſcripto Oxionienſi Concedo, quòd de Chriſto dicitur proprietas conſequens humanam naturam (eſt enim naturalis Filius Mariæ, eſt etiam iuſtus, & gratus Deo) ſed eſſe adoptatum non dicit naturæ creatæ proprietatem, ſecundùm quam Chriſtus nunquam fuit extraneus ab hæreditate paterna, ſed naturæ deprauatæ.

Contra arguit Doctor. Iſta negatio extraneitatis in Chriſto non eſt niſi propter gratiam habitualem Chriſti; quia propter illam ſolam habet ius in hæreditate æterna, non autem per ſolam vnionem perſonalem; quia, ſi illa fuiſſet ſine gratia habituali, poſſet Chriſtus ſecundùm naturam humanam non habere ius in hæreditate illa; ſed ſi iſta gratia habitualis fuiſſet collata illi naturæ in primo inſtanti, exiſtenti tamen in proprio ſuppoſito, illud ſuppoſitum verè diceretur Filius adoptiuus; ergo & modò non negabitur propter extraneitatem; quia modò eſt illa carentia iuris ad illam hæreditatem, quæ tunc fuiſſet: Scotus non reſpondet, ſed ait reſponſionem quære: vndè.

Reſp. cum Additionario; quòd negatio extraneitatis in Chriſto non eſt ob gratiam habitualem, quam in ſecundo inſtanti habuit; ſed eſt propter diſpoſitionem neceſſariò inſequentem generationem talem humanæ naturæ de congruo, & hoc ex vi vnionis illius naturæ ad Verbum; quæ diſpoſitio non fuiſſet conſecuta talem naturam in ſuppoſito proprio, vt ſupra ſatìs explicatum manet.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Chriſtus ſecundùm humanitatem, ſeu vt homo, dici poſſit Filius Dei naturalis.

NOt. 1. Quòd hæc quæſtio deſumitur ex quæſt. præcedenti, in qua cum communi Theologorum ſententia ſtabilitum eſt, quòd Chriſtus abſolutè non eſt dicendus Filius Dei adoptiuus: Hinc meritò quæritur; an ſit Filius Dei naturalis; ſtante quòd non ſit Filius adoptiuus: Titulus autem quæſtionis: An Chriſtus in quantùm homo ſit Filius Dei naturalis poteſt duobus modis intelligi; primò vt illa particula, in quantùm homo, reduplicet hypoſtaſim, ſeu ſumatur ratione Perſonæ, & ſenſus ſit. Chriſtus quatenus eſt ſuppoſitum humanæ naturæ eſt Filius Dei naturalis, & in hoc ſenſu non mouetur quæſtio, quia ſic indubiè eſt Filius Dei naturalis, alio modo poteſt intelligi, vt ly in quantùm homo, reduplicet humanitatem, & ſumatur ratione naturæ, vt ſenſus ſit, Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt Filius Dei naturalis, ſic enim accepta, vt bene explicat Maſtrius, facit hunc ſenſum; quòd ratione humanitatis Chriſto competat eſſe Filium Dei naturalem, & in hoc ſenſu procedit quæſtio.

Not. 2. Quòd circa hanc quæſtionem in hoc ſenſu explicatam, & acceptam ſunt tres ſententiæ relatæ à Maſtrio, duæ extremæ, & tertia veluti media. Prima, quæ eſt communis apud Recentiores, affirmat, Chriſtum vt hominem eſſe Filium Dei naturalem; quod tamen non eodem modo declarant: quidam enim aſſerunt, Chriſtum ſolùm eſſe Filium naturalem ratione proprietatis perſonalis, ſeu relatione ad primam Trinitatis Perſonam, & ſic vt homo eſt Filius naturalis ſolius æterni Patris, & pro hac citantur Alenſ. D. Bonau. Maior Richard. & nonnulli Recentiores, inter quos ex noſtris eſt Gallus, & Vulpes. E contra verò alij contendunt, Chriſtum vt hominem eſſe, ac dici debere Filium Dei naturalem, non quidem ſumendo hanc denominationem ex ipſa Filiatione diuina Verbi, ſed ex vnione hypoſtatica humanitatis ad Verbum; vndè aſſerunt, Chriſtum ſecundùm humanitatem dici Filium naturalem, non ratione Filiationis æternæ, ſed ratione ſanctificatio-

nis

nis per Diuinitatem, atque ita non eſſe Filium ſolius Patris æterni, ſed totius Trinitatis. Ita Suarez, Vaſquez, Tannerus, Becanus, Bonacina, & alij 2. ſententia negat, Chriſtum vt hominem eſſe Filium Dei naturalem, & conſequenter nec Patris, nec totius Trinitatis, quæ ſententia communior eſt apud Antiquiores, pro qua citantur ex Iunioribus Lorca, Curiel, Morandus, & ex noſtris Faber, Centinus, & alij: 3. tandem ſententia veluti media diſtinguit de triplici filio, nempe adoptiuo, naturali, & proprio. Primus eſt extraneus, quia adoptatus: 2. eſt, qui naturaliter à Patre deſcendit: 3. eſt, qui non eſt naturaliter genitus, nec eſt extraneus, ly proprius dicit negationem extraneitatis; qua diſtinctione præmiſſa, reſpondent ad quæſtionem; Chriſtum, vt hominem eſſe Dei Filium, non naturalem, ſed proprium: ita Bemal. & ex noſtris P. Bellutus diſp. 9. q. 1. art. 3. Maſtrius diſp. 2. q. 5. & alij Recentiores: obſeruat autem Maſt. quòd hæc quæſtio magna ex parte ſit potiùs de nomine, quàm de re: ſit igitur.

Concl. Chriſtus vt homo non eſt Filius Dei naturalis, ſed proprius. Eſt Doctorum tertiæ ſent. & videtur conformis doctrinæ Scoti. Prob. 1. pars. *Filius naturalis eſt ille, qui oritur viuens à viuente naturaliter principio vitæ coniuncto in ſimilitudinem naturæ intellectualis ex Scoto in 3. d. 8. q. vn. & in 1. d. 13. q. vn. ad* 1. & patet ex definitione generationis viuentium; ſed Chriſtus vt homo, etſi procedat a Deo viuente, non tamen naturaliter, ſed liberè; nec à principio vitæ coniuncto &c. ergo Chriſtus vt homo non poteſt dici Filius naturalis Dei: niſi quis minùs propriè, vel largè loquendo contendat; inquit Herincx, Chriſtum poſſe vocari Filium naturalem Dei, quatenus homo eſt, ſeu quatenus includit humanitatem, & perſonalitatem Filij Dei; quæ filiatio naturalis largè ſumpta fundatur in vnione hypoſtatica; & ſolùm per quandam analogiam ad veram filiationem naturalem. Prob. 2. pars, nempe, quòd Chriſtus ſit Filius Dei proprius. Etenim certum eſt, Chriſtum etiam vt hominem eſſe Filium Dei, & quidem ſpecialiori modo, quàm cæteri homines; Vndè Lucæ cap. 1. dicitur. *Quod naſcetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei; & Matth. 3. Hic eſt Filius meus dilectus;* quibus in locis ſermo eſt de Chriſto ſecundùm humanitatem; nam ſecundùm hanc natus eſt in tempore, non ſecun-

dùm Diuinitatem; ergo cum ex deductis nequeat dici Filius adoptiuus, neque naturalis, reſtat, vt dici debeat Filius Dei proprius; quia ex eo quòd ſit Filius non extraneus, & non alienus, directè ſequitur, quòd ſit proprius. Tum quia ſic appellari ſolet à Scripturis, & à Sanctis Patribus; vt ad Rom. 8. *Qui proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*; quæ verba certè dicuntur de Christo, vt homine, quia ſecundùm humanitatem pro nobis traditus eſt, & Concil. Francford. in Epiſt. ad Epiſcopos Hiſpaniæ habet ſic. *Hic eſt Filius meus dilectus, meus dixit, addiditquè dilectus, vt intelligeretur proprius eſſe Filius; ſicut Apoſt. dixit. Proprio Filio &c.*

Quare P. Bellutus apud Maſtrium cenſet, hanc Chriſti filiationem propriè fundari in gratia habituali, non in vnione hypoſtatica; quia ſi Verbum aſſumpſiſſet naturam peccatricem: quod in noſtra ſententia fieri potuit à Deo de potentia abſoluta; tunc vt homo talem non habuiſſet filiationem; proprietatē verò huius filiationis fundari in vnione hypoſtatica; in tantùm enim eſt Filius proprius, non alienus, vel extraneus, quia ante infuſionem gratiæ habebat diſpoſitionem de congruo ad illā, ratione vnionis hypoſtaticę.

Arg. cont. 1. part. concl. forma, aut quaſi forma exiſtens in ſubiecto apto tribuit illi ſuum formalem effectum; ſed effectus formalis filiationis Dei eſt reddere Filium naturalem, & humanitas eſt quaſi ſubiectum ad hoc aptum, ergo Chriſtus vt homo ratione filiationis æternæ eſt Filius naturalis Dei. Reſp. neg. min. quoad 2. partem, quia Filiatio D. non facit humanitatem Chriſti ab æterno generatam, nec in tempore ſpecialiter ortam à Patre æterno. Itaquè ſolum remanet, quòd impropriè, & lato modo dici poſſit Filius naturalis; vt ſupra indicauimus.

Arg. 2. Chriſtus, vt homo non eſt Filius Dei adoptiuus; ergo naturalis: conſ. patet. Quia in omni Schola non niſi hoc duplex filiationis genus agnoſcitur, & præſertim à Iuriſperitis, qui Filium proprium cum naturali confundunt, ergo &c. Reſp. neg. conſ. Hæc ſiquidem Filiatio propria non eſt gratìs excogitata, ſed fundamentum habet in Sac. Scrip. & SS.PP. vt ſupra oſtenſum eſt. Nec refert, quòd hoc filiationis genus ſit Iuriſtis ignotum; ſufficit enim quod innoteſcat Theologis, ad quos ſpectat proprietas ſermonis circa Incarnationis myſterium.

Quæ-

Quæres. An Chriſtus rectè dici poſſit Filius Spiritus S.

Reſp. Patres, & Scholaſtici antiquiores negant, Chriſtum dici poſſe Filium Spiritus S. & quidem D. Aug. relatus à Nicolao de Niſe ſic habet. *Quis dicere audeat, Chriſtum eſſe Filium Spiritus S.* D. Bonau. docet, quòd licèt humana natura in Chriſto ſit facta à tota Trinitate, ratione cuius factionis dicitur Deus Pater creaturarum; tamen non admittitur iſta locutio. Chriſtus eſt Filius Trinitatis; quia appropinquat errori Arrij, qui poſuit, Chriſtum eſſe puram creaturam. In hoc igitur eſt differentia inter Chriſtum, & alios homines; quia Trinitas fecit ſimpliciter alios homines ſecundùm omnem ſui naturam, Chriſtum autem non ſimpliciter ſecundùm omnem ſui naturam fecit. D. Thomas pariter ait, quòd tota ratio Paternitatis in Patre non eſt productio Filij ad eſſe, ſed oportet, quòd conueniant in natura, cum ergo Spiritus S. non conueniat cum Chriſto in natura humana, ſecundùm quam Spiritus S. ipſum produxerat; ideò dici non poteſt, Pater Chriſti, nec Chriſtus Filius eius, & licèt de alijs hominibus concedatur, quòd ſint Filij Spiritus S. per gratiam, tamen hoc in Chriſto, ait Nicol. de Niſe, non habet locum, propter vnionem, quæ non tantùm facit illum hominem eſſe Filium Dei per gratiam, ſed Filium Dei per naturam, & denique Scot. in 3. d. 10. q. vn. probat, Chriſtum hominem non eſſe Filium Dei adoptiuum, quia tunc eſſet Filius Trinitatis, quia tota Trinitas adoptat, & ſic eſſet Filius ſui ipſius, quod pro abſurdo habet; ergo nec dici debet Filius Spiritus S. Quæ doctrina comprobatur auctoritate *Concilij Toletani II. quod in confeſſione fidei expreſsè tradit, Chriſtum nullo modo Spiritus S. Filium credi, aut intelligi poſſet.* Nihilominus nonnulli Recentiores, & ſignanter Bernal. diſp. 66. Maſtrius, & Bellutus non habent pro inconuenienti, quòd Chriſtus dicatur Filius ſui ipſius, totius Trinitatis, & Spiritus Sancti; ſicut enim, inquit Maſtrius, optimè dicitur, Chriſtus vt homo eſt minor ſe ipſo vt Deo; ita etiam vt homo dicatur Filius ſui ipſius vt Dei, & reſpondens ad Patres, & ad Concilium, dicit, eos loqui de paternitate humano modo; ſcilicet per ſeminis commixtionem: Cæterùm hæc doctrina diſplicet Caſpenſi, & meritò, eò quòd aduerſatur communi ſententiæ Sanctorum Patrum Scholaſticorum, & ipſius Concilij

Tole-

Toletani, docentis nullo modo Chriſtum Spiritus S. Filium credi, vel intelligi poſſe.

QVÆSTIO V.

Vtrum Chriſtus poſſit dici creatura; vel ſaltem Chriſtus ſecundùm quod homo dici poſſit creatura.

NOt. 1. Quòd Scot. in 3.d.11.q.1. & 2. Examinat vtramque propoſitionem in titulo quæſtionis poſitam, & de prima videtur docere quòd abſolutè prolata de rigore ſermonis, non ſit vera, & de ſecunda ait eſſe veram, ſi prædicatum ſumatur ſpecificatiuè, ſeu diſtractiuè, dicendo Chriſtus eſt creatura ſecundùm humanitatem, vt in proceſſu quæſtionis patebit. Eſt tamen diſſidium inter Scotiſtas, nam quidam contendunt, hanc propoſitionem abſolutè ptolatam eſſe veram, & in rigore ſermonis eſſe admittendam; ita Maſtrius, Bellutus, & alij etiam de mente Scoti, alij autem, vt Lichetus, Aretinus, & Rada, talem propoſitionem abſolutè prolatam non eſſe veram; immò nec cum addito: & Cauellus in Scholio notat, hanc quæſtionem eſſe potiùs de nomine, & Doctorem putare probabilem opinionem Guilelmi Varronis; etſi eam impugnet Maſtrius pariter cenſet, eſſe quæſtionem purè nominalem, & de ſolo modo loquendi, conſtat namque Chriſtum quoad perſonalitatem Verbi, & naturam D. nullo modo eſſe creatum, & è contra conſtat naturam humanam eſſe creatam; ſi creatio ſumatur latè, quatenus nomen creaturæ ſignificat quamcumque rem in tempore productam, etiam interueniente concurſu cauſæ ſecundæ, & reſpectu ad non eſſe præcedens, quo ſenſu, omne ens extra Deum dicitur creatura, & ſecundùm hanc latam creaturæ ſignificationem mouetur quæſtio; quæ quidem quæſtio paucis expediri poſſet, ſi Scotiſtis primæ ſententiæ aſſentiremur: verùm, quia Scotus ſingularem doctrinam, dignam ſuo ſapientiſſimo ingenio tradit; idcircò ad ingenij exercitationem procedam iuxta doctrinam, quam ipſe Doctor in his quæſtionibus diſputandis, tradit.

Not. 2. Quòd in hac quæſtione ſunt tres opiniones; prima eſt D. Thomæ p. 3. q. 16. art. 11. & D. Bonau. in 3. d. 11. aſſe-

aſſerentium, Chriſtum non eſſe creaturam, licèt natura humana in Chriſto ſit creatura: Ratio, quia non fit communicatio idiomatum, vbi eſt manifeſta repugnantia. ſed hìc eſt manifeſta repugnantia; quia creatura incipit eſſe, Verbum non incipit eſſe; igitur quantùm ad illud non eſt communicatio idiomatum. Alia etiam ratio ponitur, & eſt. Quia illa, quæ important negationem non prædicantur de ſe mutuò propter vnionem naturæ ad Verbum; quia ſi quantum ad hoc eſſet communicatio idiomatum, cum ex priuatiuis ſequatur contradictio, ſi prædicantur priuatiua de Chriſto, contradictoria prædicabuntur; huiuſmodi ſunt creatura, & æternum, ergo &c. At non placent Scoto hæ rationes; & ideò vtramquè improbat, & primò primam rationem ſic. Non plus repugnat eſſe æternum, & temporale, quàm quòd creatura ſit creator, vel quòd temporale habeat actionem æternam; ſed Auguſt. loquens de Chriſto dicit. *Ipſe eſt creator; iſte Puer creauit Stellas; idem vult Damaſ. cap.* 50. *nempe, quòd creatura eſt creator*; ergo &c. Item non magis repugnat Chriſto eſſe poſt non eſſe, quàm non eſſe poſt eſſe, ſed Chriſtus Filius Dei fuit vere mortuus; igitur poſt eſſe habuit non eſſe, ergo pari ratione potuit eſſe poſt non eſſe.

Cont. 2. rationem. Hæc ratio non valet, quia, ſi intelligatur, quòd illa, quæ important negationem, ita quòd abſolutè ſit contradictorium alterius, illa non pertinent ad communicationem idiomatum, hoc eſt verum; ſed nihil ad propoſitum, quia ſic non importat creatura reſpectu Chriſti. Si tamen intelligatur de negatione importata per priuationem, aſſumptum eſt falſum, quia ſecundùm Damaſ. cap. 50. *Chriſtus eſt paſſibilis, & impaſſibilis*, & non ſequitur eſt impaſſibilis, igitur non eſt paſſibilis; quia in aliqua materia tenet gratia formæ. Tamen quando non eſt ibi niſi vna natura in ſuppoſito, tenet gratia materiæ, & ſimiliter gratia formæ tenet vbi ſunt duæ naturæ in illo, de quo dicitur vnum priuatiuè oppoſitorum. Vndè non ſequitur; iſte eſt cæcus, igitur non eſt videns, niſi gratia materiæ, quia non habet niſi vnam naturam, cuius eſt vna viſio. Si enim haberet duas naturas, quarum eſſent duæ viſiones, non ſequeretur, niſi quòd ſolùm non eſſet videns ſecundùm illam naturam, ſecundùm quam eſt cæcus; ideò non ſequitur.

tur. Si Chriſtus eſt creatura; igitur non eſt Creator; niſi ſignificatum huius vocabuli, creatura, eſſet illud non eſſe Creatorem: Secunda opinio eſt Guilelmi Varronis, docentis, quòd creatura eſt quoddam commune denominatiuum, ſicut cauſatum, & ſe extendit ad omne cauſatum; & Chriſtus poteſt dici creatura. Hoc patet per auctoritates Sanctorum. Damaſcen. cap. 50. dicit, *Quòd Chriſtus eſt creatus, & increatus, & cap. 91. dicit, quòd Chriſtus dicitur creatura*. D. Aug. ait *Voluit eſſe creatura, qui eſt Creator*. Et D. Hieron. ſuper Epiſt. ad Epheſ. ita loquitur. *Proclamamus non eſſe periculum Chriſtum non eſſe creaturam*. Sancti tamen negarunt, Chriſtum eſſe creaturam propter hoc, quòd noluerunt communicare cum hæreticis Arianis (cuius periculum certè iam euanuit in Eccleſia, & Scholis) qui Chriſtum dicebant eſſe creaturam, intelligendo etiam, quatenus erat Verbum Dei; ſeu perſona ſecunda Trinitatis: quam Ariani dicebant ſimiliter eſſe creaturam Patris, hunc ſolùm aſſerentes eſſe verè, & ſubſtantialiter Deum.

I. Concl. Hæc propoſitio Chriſtus eſt creatura abſolutè prolata de virtute ſermonis non videtur vera. Eſt Scoti, quam ſic probat. Illud dicitur creatura, quod à Deo accipit primum eſſe poſt non eſſe; hoc autem primum eſſe eſt duplex, vel totale, & adæquatum, vt eſt tertia entitas ex partibus reſultans, vel eſſe partiale primæ partis, ſeu principale illius totius, ſed Chiſtus nullo horum modorum accepit eſſe poſt non eſſe, non quidem eſſe primum primitate totalitatis, eò quòd ex natura, & Verbo non reſultat aliquod tertium, cum naturæ permanſerint impermixtæ, neque accepit eſſe partiale, vt eſſe Verbi, quia hoc eſt æternum, ergo &c. Deinde hac alia ratione probat. Illud denominatiuum, quod natum eſt denominare multa, vt totum, & partes, accidens, & ſubiectum, non denominant totum per partem, nec ſubiectum per accidens, ſed indifferenter vtrumque denominat, & non vnum ratione alterius; vt v. g. Petrus non dicitur vnus vnitate accidentis, puta albedinis; ita quòd ſi albedo ſit vna, Petrus ſit vnus, etſi ſint plures albedines, Petrus ſit plures, ſed creatura eſt quoddam denominatiuum, quod generaliter natum eſt denominare tam ſuppoſitum, quàm naturam; ergo non denominabit ſuppoſitum per naturam, niſi ſuppoſito conueniat

ſub

ſub propria ratione, ſed ſuppoſito Verbi omninò repugnat eſſe creatura; ergo eſto conueniat naturæ, non poteſt dici de ſuppoſito ratione naturæ.

II. Concl. Hæc propoſitio Chriſtus ſecundùm quod homo reduplicatiuè eſt creatura, eſt falſa, eſt tamen vera diſtractiuè, ideſt ſecundùm humanitatem. Eſt Scoti, eamque ſic probat. Dico, quòd quando propoſitio affirmatiua eſt falſa ex repugnantia terminorum, nunquam verificabitur per determinationem non auferentem illam repugnantiam; ſed in quantum additum termino non diminuit ipſum; igitur non aufert, quin ſignificet quod priùs; igitur ſi hæc eſt falſa, Chriſtus eſt creatura, iſta erit falſa, Chriſtus ſecundùm quod homo eſt creatura, tamen ſi aliquid addatur extremo, quod diſtrahit ipſum, licèt priùs fuerit repugnantia virtualis, poteſt propoſitio eſſe vera, vt ſi dicatur Æthiops eſt albus; hic eſt repugnantia virtualis; tamen ſic dicendo, eſt albus ſecundùm dentes; additur determinatio diminuens prædicatum reſpectu totius, non autem reſpectu partis. Itaque vult Doctor, hanc propoſitionem eſſe veram ſumendo ly ſecundùm quod non reduplicatiuè, ſed ſpecificatiuè; ita tamen vt ſpecificet, & diminuat, ſeu diſtrahat prædicatum notando creationem ſecundùm quid, & eius ſenſus ſit, Chriſtus eſt creatura ſecundùm humanitatem; ſicut dicitur Æthiops eſt albus ſecundùm dentes; ſic enim intellecta propoſitio determinat creationem ad ſolam humanitatem.

III. Concl. Hæc propoſitio Chriſtus eſt creatura, abſolutè prolata eſt vera etiam ad mentem Scoti. Hæc deducitur ex ijs, quæ habet Doct. qui, vt ſupra aduertimus, allata opinione Varronis, ait, cui non placet hæc opinio &c. igitur tenere hanc opinionem non eſt contra mentem Scoti, & inſuper idem Doctor reſpondendo ad quæſtionem dicit; non eſſe veram de rigore ſermonis; non autem negat, eſſe veram, ſi ſanè intelligatur.

Confirmatur. Etenim Scotus in 3. d. 11. q. 3. diſtinguens ſenſum illius propoſitionis: Chriſtus incipit eſſe, ait, poſſe intelligi vel de primo eſſe, vel de quocumque eſſe ſimpliciter, & ſubdit, ſi primo modo, iſta propoſitio eſt falſa; ſicut illa, Chriſtus eſt creatura; ergo de mente Scoti idem iudicium eſt faciendum de vtraque propoſitione; concedit au-

tem

tem Scot. hanc eſſe veram: Chriſtus incipit eſſe; ergo & altera eſt vera.

Itaque breuiter, & compendioſè dicendum eſt cum communi ſententia Theologorum, & Patrum; quòd Chriſtus non poteſt dici creatura, ſi hoc nomine intelligatur quid productum ex nihilo ſecundùm ſe totum, aliàs eſſet pura creatura; vox enim creatura non eſt idem de virtute ſermonis, ac pura creatura. Quarè vox creatura, etiam rectè idem ſignificat, quod factura, nempe rem à Deo factam, ſeu productam: Et in hoc ſenſu Chriſtus rectè dicitur creatura, non ſolùm cum addito, in quantùm homo, ſed etiam ſimpliciter. Tum quia ſic loquuti ſunt Patres, vt Auguſt. Ambroſ. Leo &c. Tum quia humanitas Chriſti eſt creata, & creatura; ergo ſimiliter Chriſtus; ſicut ipſe ratione humanitatis, ſimpliciter dicitur crucifixus, mortuus &c. Tum denique quia hoc compoſitum Chriſtus eſt verè productum, ideſt ſecundùm humanitatem, & vnionem humanitatis cum Verbo. Vndè ſicut ſimpliciter Chriſtus dici poteſt productus, vtì in paſſione deſtructus, ſeu mortuus; ſic etiam ſimpliciter dici poteſt creatus, ſeu creatura.

Cæterum ad rationes Scoti dici poteſt cum Maſtrio; Doctorem non adducere præfatas rationes velut neceſſarias, ſed vt probabiles; & quidem de prima conſtat. Non enim eſt de ratione creaturæ, vt accipiat eſſe poſt non eſſe, loquendo de ordine temporis, vel naturæ poſitiuo; quia ipſemet Scot. concedit in 2. d. 1. q. 3. dari poſſe creaturam ab æterno. De ſecunda pariter patet; quia ſi vigeret; probaret etiam has propoſitiones admittendas non eſſe. Chriſtus eſt corruptibilis, Chriſtus eſt materialis ratione humanæ naturæ; quia etiam huiuſmodi prædicata indifferenter denominant ſuppoſitum humanum, & naturam; cum illis extra ratione formali conueniat non minùs, quàm denominatio creaturæ, ſicut ergo non obſtante hac ratione ab omnibus conceduntur vt veræ propoſitiones mox allatæ, ita idem iudicium erit de iſta: Chriſtus eſt creatura: Quare ratio concludit ſolùm, quòd eſſe creaturam non poteſt de Chriſto ſimpliciter dici, tamquàm prædicatum, quod ipſi immediatè competat, ſicut competeret ſuppoſito humano, quod indubiè verum eſt, quia non competit ipſi, niſi mediante humanitate.

Quæ-

Quæres. An poſſit dici. Chriſtus, quatenus homo, eſt prædeſtinatus; immò an etiam ſine addito dici poſſit abſolutè, Chriſtus eſt prædeſtinatus.

Reſp. Prima propoſitio ab omnibus paſſim conceditur; eò quia Chriſtus in quantùm homo ab æterno eſt à Deo dilectus, & ordinatus ad perfectiſſima dona gratiæ, & gloriæ, quæ illi vt homini ab æterno ordinata ſunt, ergo propriè dici poteſt prædeſtinatus, & multò magis, quàm alij homines. Verùm ſecunda propoſitio patitur aliquam difficultatem; vndè ex noſtris eam negat Centinus diſp 10. cap. 9. quia prædeſtinatio reſpicit Perſonam, ſed Perſona Chriſti non poteſt dici prædeſtinata, ergo &c Hac tamen ratione non obſtante Scot. in 3. d. 7. q. 3. §. Reſpondeo, eam concedit, & cum eo Scotiſtæ paſſim, & Recentiores, vt notat Maſtrius, & ratio eſt, quia Chriſtus ſignificat D. ſuppoſitum in duabus naturis, nempe diuina, & humana ſubſiſtens; ſed huic ſuppoſito, vt ſubſiſtenti in humana natura verè competit prædeſtinari; ac proinde rectè, abſolutè pronunciari poteſt, Chriſtus eſt prædeſtinatus; Etenim licèt Verbo D. ſimpliciter non competat prædeſtinari, tamen quia à prædicato trahitur ſubiectum ad ſupponendum non pro Verbo D. ſimpliciter, ſed vt ſubſiſtenti in natura humana, ideoquè ei competere poteſt, prædeſtinari, iuxta regulam traditam de alijs prædicatis: Fauent huic doctrinæ Scripturæ, Patres, & Concilia. Apoſtolus ſiquidem ad Corint. 1. c. 2. de Chriſto loquens ait. *Loquimur Dei ſapientiam, quam prædeſtinauit Deus ante ſecula in gloriam noſtram*. Concil. Tolet. II. *Per hoc, quòd de Maria V. natus eſt, & prædeſtinatus eſſe credendus eſt;* ac etiam loquitur D. Auguſt. tract. 105. in Iohannem.

Dices. Si Chriſtus ratione humanitatis tantùm dicitur prædeſtinatus, ergo non poteſt ſimpliciter, & abſquè addito dici prædeſtinatus: conſ. prob. Nam, quando prædicatum natum eſt conuenire tantùm ſecundùm partem, non determinat ſubiectum abſolutè, nec ſic de eo prædicatur, ſi ineſt ſecundùm partem tantùm; vndè non valet dicere Æthiops eſt albus ſecundùm dentes, ergo Æthiops eſt albus abſolutè loquendo, quia albedo conuenit ei ſecundùm partem tantùm, non ſecundùm totum.

Reſp. ex Scoto in 3. d. 11. q. 2. neg. conſ. ad cuius proba-

tionem dicimus neg. paritatem; quia eſſe album abſolutè non dicitur de aliquo, niſi ſit album ſecundùm aliquam partem principalem; immò, & ſecundùm plures partes; at humanitas in Chriſto eſt pars principalis, eſtò non principalior. Itaquè verum eſt, quòd quando prædicatum natum eſt conuenire ſecundùm totum, & partem non determinat ſubiectum abſolutè, & ſic ſe habet exemplum allatum; ſecus autem, quando prædicatum natum eſt conuenire ſubiecto ſecundùm partem tantùm: Vndè Petrus dicitur abſolutè criſpus, etiamſi criſpus ſit ſecundùm caput tantùm, vel capillos, quia prædicatum non poteſt conuenire ſubiecto, niſi ſecundùm partem tantùm; vt docet Doct. d. 11, q. 1. ad. 1.

QVÆSTIO VI.

Vtrum Chriſtus ſecundùm humanitatem dici poſſit, quòd ſit propriè Dei ſeruus, & Patri ſubiectus.

NOt. 1. quòd ſi ſeruitus, & ſubiectio accipiantur lato modo videntur idem ſignificare, & importare; at ſi rigoroſo, & proprio modo accipiantur eſt aliquod diſcrimen inter ſubiectionem, & ſeruitutem; ſubiectio ſiquidem dicit ordinem, & relationem ad præceptum Superioris, cui debet obedire; ſeruitus autem dicit ordinem ad dominium alterius; ita vt non ſit ſui iuris. *Igitur ille dicitur ſubiectus alicui, qui debet obedire præcepto illius; ille autem dicitur ſeruus alterius, qui non ſolùm debet illi obedire, ſed etiam totus eſt ſub dominio, & poteſtate illius ita vt non ſit ſui iuris*, ſed pro clariori notitia; obſeruandum eſt, quòd huiuſmodi ſeruitus propriè dicta attendi poteſt, vel in ordine ad Deum; vel in ordine ad creaturam; primo modo ex Scoto in 4. d. 36. q. vn. dicitur ſeruitus naturalis, qua creaturæ omnes ſunt ſeruæ Dei, & hæc fundatur in eſſentiali dependentia creaturarum à Deo iure creationis, ac conſeruationis; adeò vt implicet eximi à tali dominio; ideoquè neque Deus id de ſua potentia abſoluta diſponere poteſt: 2. modo dicitur ſeruitus legalis, quia, vt ait Doctor, non eſt inducta à natura, ſed à lege humana poſitiua; talis ſiquidem ſeruitus contrahitur, vel iure belli, vel emptione, vel natiuitate, vel iuſta Iudicis condemna-

demna-

demnatione. Ex quo deducit Scotus, ſeruitutem primi generis eſſe veriorem, & magis propriam, vtpote ex natura rei ortum ducentem; alteram verò non ita propriam, ſed per analogiam ad illam, & imitationem; quatenus, ſicut Deus de creatura poteſt ad libitum diſponere; ita proportionabiliter Dominus humanus poteſt ad libitum de ſeruo diſponere, tamquam de re omninò, & neceſſariò ſuæ poteſtati ſubiecta; de qua ſeruitute in tract. de iuſt. & iure diſtinctiùs locuti ſumus. Eſt inſuper ſeruitus peccati, de qua hìc non eſt ſermo.

Not.2. Quòd tres ſunt conditiones Seruitutis legalis. Prima, vt ſeruus obediat, ſeu teneatur obedire ſuo Domino. Secunda, vt non ſit ſui iuris; Tertia, vt cum Domino, nec in bonis, nec in honore, nec in ſede communicet; ideſt ſeruus non habeat ius ad hæreditatem, nec ad honorem. Prima, & ſecunda etiam Chriſto conuenire poſſunt, quia factus eſt obediens vſque ad mortem ex Apoſt. ad Philip. 2. at tertia nequit conuenire Chriſto, quatenus natura humana vnita eſt perſonæ D. quia Chriſtus eſt Dei Filius, & conſequenter ius habet ad hæreditatem Patris. Quare non rectè diſcurrit Vaſquez, applicando ſeruituti naturali omnes tres conditiones, inferendo poſtea, Chriſtum ſecundùm humanitatem non eſſe Dei ſeruum, nec ſeruitute legali, nec naturali, Nobiſcum autem ſentit Suarez dicens ad rationem ſerui, ſeu per vocem ſerui ſolùm ſignificari eam naturam, quæ eſt ſub poteſtate alterius, qui poteſt pro ſuo libito vti tali natura.

I. Concl. Chriſtus non eſt Dei ſeruus ſeruitute legali, ſeu politica ſecundùm humanitatem: Eſt conformis doctrinæ Scoti. Prob. Chriſtus ſecundùm humanitatem eſt Filius Dei naturalis, ſeu proprius, ergo nequit dici ſeruus ſtricto modo, ideſt legaliter, & politicè.

Confirmatur. Nam Chriſtus habet ius ad hæreditatem Patris; ſed ſeruus non habet huiuſmodi ius; teſte D. Chryſoſt. homil. 13. in Epiſt. ad hebr. Non enim Miniſtri eſt ſedere, ſed ſtare; at Chriſtus ſedet ad dexteram Dei Patris; ergo non eſt ſeruus.

Comprobatur etiam auctoritate SS. Patrum aſſerentium, Chriſtum vt hominem ex eo, quòd eſt Filius Dei proprius ratione hypoſtaticæ vnionis, non eſſe dicendum ſeruum a

quod eſt intelligendum de ſeruitute legali, & ſignanter D. Damaſ. lib. 3. de fide cap. 20. ſic loquitur de Chriſto vt homine. *Sanè ſeruilis ordinis eſſet caro, niſi Verbo copulata eſſet; at eum ſemel, & perſonaliter vnita ſit, quonam pacto in ſeruilem claſſem redigetur?* Et hæc quidem fuit mens Concilij Francford. vt inter alios notant Maſtrius, & Fraſſen, nempe excludere ſeruitutem mancipij, ſeu legalem ingenuitati oppoſitam; *Eſt autem ingenuus, vt tradit Inſtit. ciuil. lib. 1. de Ingenuis tit. 4. qui ſtatim vt natus eſt, liber eſt*; prout libertas opponitur ſeruituti legali, & eam ſeruitutem damnat, quæ ab eodem ſubiecto excludit participationem eiuſdem honoris, & excellentiæ cum Deo, cum qua honoris, & excellentiæ participatione non ſtat conditio vilis ſeruitutis ingenuitatem excludentis. Quòd autem hæc fuerit mens Adriani Pontificis, & Concilij, ex eo deprehenditur, quia tota, & vnica ratio adducta, cur Chriſtus neque vt homo dicendus ſit ſeruus; eſt, quia eadem eſt perſona Dei, & hominis in Chriſto, quæ perſonæ vnitas, inquit Concilium, adoptionis, & ſeruitutis tollit iniuriam; nam ſi Deus verus eſt, qui de Virgine natus eſt; quomodo tunc adoptiuus eſſet, vel ſeruus? Deducitur inſuper ex errore damnato Elipandi, & Felicis; qui aſſerebant Chriſtum, vt hominem eſſe ſeruum; ex eo quòd dicebant, eundem Chriſtum non natura; ſed adoptione eſſe Filium Dei; vt in quæſt. de Chriſti adoptione oſtenſum eſt.

II. Concl. Chriſtus ſecundùm humanam naturam dici poteſt ſeruus ſeruitute naturali. Ita communis Theologorum ſententia, Prob. primò ex S. Scrip. veteris Teſtam. vbi Chriſtus pluries appellatur ſeruus, & ſignanter Iſai. 42. *Ecce ſeruus meus, ſuſcipiam eum*, & 51. *Ecce intelliget ſeruus meus*. Ezech. 34. *Suſcitabo ſuper eas paſtorem vnum meum Dauid*; & Zacchar. 3. *Adducam ſeruum meum Orientem*; quæ quidem loca de Chriſto eſſe intelligenda docent Theologi omnes; & in nouo Teſtam. ſufficiat vnica auctoritas D. Pauli ad Philip. cap. 2. *Hoc enim ſentite in vobis*; ſcribebat Apoſt. *quod, & in Chriſto Ieſu; qui cum in forma Dei eſſet, non rapinam arbitratus eſt eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens*. Prob. ratione. Seruus ſeruitute naturali propriè dicitur, viuens intellectuale, quod vere, & ſimpliciter eſt alterius, ſed ſic ſe habet Chriſtus quatenus homo; ergo

verè,

verè, & propriè eſt ſeruus Dei: maior patet ex Ariſt.lib.1. Polit. cap. 3 vbi ait. Quicumque enim ſui ipſius non eſt ſecundùm naturam, ſed alterius, homo autem eſt, hic natura eſt ſeruus: Minor ex dictis conſtat. Etenim Deus, ita eſt abſolutus Dominus Chriſti ſecundùm humanitatem; ſicut cuiuſcumque alterius creaturæ, humanæ, vel angelicæ; ergo Chriſtus ſecundùm humanam naturam ita propriè eſt Dei ſeruus, ſiue quæuis alia natura Angelica, vel humana.

Arg. Chriſtus, vt ſupra dictum eſt cum communi ſententia, dici non poteſt Filius adoptiuus; ergo neque ſeruus; ſed Chriſtus ex eo, quòd ſit Filius naturalis, ſeu proprius non poteſt dici adoptiuus, ergo multò minùs ſeruus; quia magis alienum eſt à Filiatione naturali eſſe ſeruum, quàm eſſe Filium adoptiuum. Reſp. neg. conſ. primam: quia ratio, ob quam non poteſt Chriſtus dici Filius adoptiuus, eſt, quia repugnat ſuppoſito D. in quacumque natura; nam eſſe Filium adoptiuum ſignificat eſſe extraneum, & non naturalem; at eſſe ſeruum ſeruitute naturali, non autem politica non repugnat ſuppoſito D. ſecundùm naturam humanam; ſicut ſecundùm eandem non repugnat, quòd Chriſtus dicatur mortuus, quod magìs alienum eſt à D. ſuppoſito, quàm eſſe ſeruum.

Hinc rectè infertur, Chriſtum fuiſſe verè ſubiectum Patri æterno, quia creatura eſt ſubiecta Creatori, & Chriſtus eſt creatura ſecundùm humanitatem; ergo &c. vndè ad Philip. 2 dicitur de eo. *Factus obediens vſquè ad mortem;* qui autem obedit, eſt ſubiectus. Immò Chriſtus; quatenus homo fuit ſubiectus, & ſeruus ſui ipſius, quatenus Deus eſt; teſte D. Aug. lib. 1. de Trin. cap 7. ſic docente. *Veritas oſtendit ſecundùm iſtum modum, quo ſcilicet Pater maior eſt Chriſto, ſecundùm humanam naturam, etiam ſe ipſo minorem Filium:* & Doctor Angelicus p. 3. q. 20. art. 1. dicit, quòd *Chriſtus erat ſubiectus Patri triplici modo; nempe ratione bonitatis, ſeruitutis, & obedientiæ, & art. 2. ait, Chriſtum eſſe ſibi ſubiectum ſecundùm humanitatem.*

DISPVTATIO V.

De Scientia Chriſti.

QVÆSTIO I.

Vtrum Chriſtus præter Scientiam diuinam habuerit Scientiam creatam.

NOt. 1. Quòd præſens quæſtio ſupponit tamquam certum de fide; quòd in Anima Chriſti ſit intellectus creatus; id enim conſtat ex ijs, quæ definita ſunt in Concilijs de duabus naturis Chriſti; dum enim definitur, duas eſſe naturas in Chriſto, intelliguntur perfectæ, & cum proprietatibus, quæ vtramque naturam neceſſariò conſequuntur; eſt ſiquidem à natura intellectuali, ſiue increata, ſiue creata inſeparabilis, ac proinde indentificata facultas intellectiua. Vndè in Concilio Calcedonenſi actione 5. in confeſſione fidei dicitur. *Verbum D. aſſumpſiſſe Animam rationalem, perfectam ſalua omni eius proprietate, & in omnibus nobis ſimilem abſquè peccato.* Cum ergo intellectus creatus ſit proprietas Animæ rationalis euidenter conſtat, quòd in Anima Chriſti ſit intellectus creatus.

Not. 2. Quòd ſcientia creata, alia eſt beatifica, & eſt, qua Beatus cognoſcit in D. Eſſentia res creatas; Alia infuſa, & eſt, quam ipſe Deus infundit imprimendo intellectui creato ſpecies repræſentatiuas rerum creatarum; hæc autem diſtinguitur in ſcientiam infuſam per ſe, & in ſcientiam infuſam per accidens; prior eſt, quæ viribus naturæ nullo modo poteſt adipiſci: poſterior eſt, quæ, etiamſi infundatur à Deo, poſſet tamen labore, & ſtudio comparari, talis fuit ſcientia infuſa Adæ à principio ſuæ conſtitutionis. Alia eſt ſcientia acquiſita, & dicitur ea, quæ proprio ſtudio, & labore acquiritur. Alia denique eſt ſcientia experimentalis, quæ tamen non diſtinguitur ab acquiſita; cum proprio labore, & ſtudio acquiratur; licèt aliquod diſcrimen ſit inter acquiſitam experimentalem, & non experimentalem, vt ex infra dicendis patebit.

Not. 3. Quòd, omiſſis illis hæreticis; qui Chriſto mentem humanam, ac proinde creatam cognitionem, & ſcien-

tiam denegabant, quidam Catholici Doctores aſſeruerunt, Chriſti intellectum creatum non alia cognitione omnia nouiſſe, quàm diuina, & increata; & hanc ſententiam nonnullis placuiſſe refert D. Bonau. in 3. d. 14. q. 1. art. 1. quam inter alios docuit quidam Iohannes à Ripa; immò pro ipſa aſſerenda diù pugnauit Hugo Victorinus in tract. de Sapientia Chriſti Domini cap. 16. vbi ait; Indubitanter dicendum eſt, quòd alia Sapientia, quàm Diuina, non fuit in Chriſto, ſed in Deo per naturam, in Anima Chriſti per gratiam. Verùm vnanimi conſenſu reclamant Theologi, affirmantes tamquam dogma fidei; quòd in Chriſto ſicut eſt duplex intellectus: ita duplex ſcientia, ideſt diuina, & creata, ſeu humana. Quicquid dicat, & contendat Ægidius à Præſentatione lib. 4. de beatitudine q. 1. art. 2. nempe, de potentia ſaltem abſoluta Dei; intellectum humanum Chriſti omnia agnoſcere poſſe per ſcientiam increatam, & quòd in hoc ſenſu nulla ratione conuincenti demonſtrari poſſet, ſententiam Hugonis contradictionem implicare.

I. Concl. Anima Chriſti, ſeu intellectus eius nec de potentia abſoluta potuit fieri intelligens per ſcientiam diuinam, & increatam: Eſt communis ſententia Theologorum. Prob. *ex Epiſt. Agathonis Papæ, in qua oſtendit, in Chriſto non poſſe eſſe operationem vtriuſque naturæ;* quia impoſſibile eſt propriam operationem vnius naturæ fieri operationem alterius. Vndè in *Synodo VI Eccleſia definiuit contra hæreticos Monothelitas omnia in Chriſto fuiſſe duplicia, & actiones eius duplices*. Prob. ratione. Intellectio eſt actio vitalis reſpectu intelligentis; ſed impoſſibile apparet, quòd ſcientia increata ſit actio vitalis Animæ Chriſti; ergo impoſſibile eſt etiam de potentia Dei abſoluta, quòd Anima Chriſti fiat intelligens per ſcientiam increatam.

Confirm. Etenim cum ſcientia ſit actus vitalis intelligentis, vel eſt ipſa ſubſtantialis vita intelligentis per modum actionis ſignificata; vel eſt vera actio vitalis vitaliter procedens ab intelligente; ſed ſic eſt, quòd ſcientia Animæ Chriſti non poteſt eſſe ipſa ſubſtantialis vita intelligentis per modum actionis ſignificata, quia hoc ſoli Deo conuenit; cum, quicquid eſt in Deo, Deus ſit; ergo eſt actio vitalis vitaliter procedens ab intelligente; at omnis actio vi-

talis creaturæ eſt creata; ergo ſcientia Animæ Chriſti non poteſt eſſe D. ſed debet eſſe creata.

Præterea. Si Intellectus Animæ Chriſti per vnionem cognitionis intellectus D. poſſet fieri intelligens; ſequeretur, quòd etiam voluntas fieri poſſet libera, & volens per volitionem, & voluntatem increatam, quod eſt manifeſtè falſum; ergo &c.

II. Concl. Anima Chriſti verè habuit ſcientiam creatam. Hæc eſt de fide determinata in pluribus Concilijs. Prob. ex Epiſt. Agathonis Papæ Synodi Romanæ, quæ in VI. Synodo Actione 4. refertur; & in 8. ſuſcipitur, vbi ſic habetur. *Confitemur in Chriſto omnia duplicia, quæ ad naturas pertinent, duas naturas eius prædicamus, & vnamquamquè proprietates naturales habere confitemur: Diuinam omnia, quæ Diuina, humanam omnia, quæ humana ſunt, abſquè vllo peccato:* ergo &c.

Prob. etiam ex S. Scrip. Iſai. 11. *Requieſcet ſuper eum Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Sapientiæ, & conſilij.* Ioan. 8. *Chriſtum ſcire Patrem, & mandata eius ſeruare:* & cap. 17. *Sciens Ieſus, quia venit hora eius; vt tranſeat ex hoc mundo;* ergo ſi Chriſtus ſciebat, & ſeruabat mandata Patris, & horam mortis, ſciebat per ſcientiam creatam. Prob. ratione. Chriſtus eſt verus, & perfectus homo; ſed humanitas ſine intellectione creata non eſt perfecta; ergo &c. maior eſt de fide, minor prob. Quia omne, quod caret ſuo fine, imperfectum eſt; ſed natura humana, quatenus intellectiua eſt propter intellectionem creatam, omnis enim potentia eſt propter ſuam operationem, alioquin eſſet fruſtranea; ergo ſine illa eſſet imperfecta. Confirm. Nam Chriſtus orauit Patrem, ſed oratio eſt actio intellectus intelligentis, & ſcientis neceſſitatem, pro cuius liberatione orauit; at non orabat vt Deus, benè tamen vt homo; ergo cognoſcebat neceſſitatem, pro qua orabat vt homo; ergo illa ſcientia erat humana.

Arg. cont. 1. concl. Ideò Chriſtus non habuit ſubſiſtentiam creatam, quia per increatam ſufficienter ſubſiſtebat; ſed etiam per ſcientiam increatam agnoſcebat omnia; ergo &c. Reſp. neg. paritatem, & ratio eſt; quia ſi eſſent duo ſuppoſita, nempe humanum, & Diuinum non eſſet facta vnio hypoſtatica; at huiuſmodi inconueniens non accidit in potentijs intellectiuis, quandoquidem tam humana, quàm Diuina conueniens eſt, vt habeant ſuas operationes.

Arg.

Arg. 2. Non fuit inconueniens, quòd potentia generatiua Chriſti non haberet ſuam debitam operationem; ergo nec eſt inconueniens, potentiam intellectiuam non habere ſuam debitam operationem.

Reſp. Friuolam eſſe paritatem; Potentia ſiquidem generatiua etiam in multis hominibus non habet ſuam debitam operationem, & tamen non ſolùm non ſunt imperfecti; ſed ſunt perfecti, immò perfectiores; quia talis potentia potiùs dedecet quoad actum ſecundum. Quarè cum Chriſtus aſſumpſerit omnes facultates, & earum actus, qui conducebant ad finem redemptionis, non erat opus aſſumere potentiam generationis; quæ aliqualem deformitatem præſefert quoad exercitium.

Arg. cont. 2. concl. Ad veram, & perfectam cognitionem non aliud requiritur, quàm vt Anima habeat ſcientiam, & ſapientiam actualiter intimè ſibi vnitam, ſed Anima Chriſti habet intimè ſibi vnitam ſapientiam Diuinam; ergo ſapientia Diuina omnia intelligit.

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Anima Chriſti habet ſibi vnitam &c. per modum formæ ipſam afficientis, & perficientis in ratione facultatis intellectiuæ, neg. min. per modum termini hypoſtatici eam terminantis, conc. min.

Arg. 2. Non minùs Diuinitas vniri poteſt intellectui creato in ratione actualis intellectionis, qua intelligat, quàm eidem intellectui vniri in ratione ſpeciei intelligibilis, aut in ratione ſubſiſtentiæ; ſed tam D. Eſſentia, quàm ſubſiſtentia Verbi his modis vniuntur intellectui humano; ergo etiam Eſſentia D. poteſt vniri intellectui creato in ratione intellectionis actualis, qua intelligat.

Reſp. neg. mai. paritas enim in hoc admitti nequit; quia ſpecies intelligibilis eſt extrinſeca intellectui, intellectio autem eſt intrinſecus, & proprius effectus formalis ipſius intellectus, ac proinde fieri non poteſt, vt ſapientia D. afficiat ſub hac formalitate Animæ intellectum.

QVÆSTIO II.

Vtrum Anima Chriſti per ſcientiam beatam cognouerit in Verbo ſeu in Eſſentia Diuina omnia poſſibilia, & futura.

NOt. 1. Quòd duplex ſtatus Chriſti diſtingui poteſt; alius ante mortem, & reſurrectionem ſuam; alius verò poſt mortem, & ipſius reſurrectionem. De poſteriori certum, & indubitatum eſt, Chriſtum habuiſſe viſionem beatificam, & D. eſſentiæ intuitiuam cognitionem; cum id habeatur expreſsè in S. Scrip. & ſignanter ad Heb. 1. vbi Apoſt. ait. *Sedet ad dexteram maieſtatis in excelſis, tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hereditauit*; Angeli autem vident eſſentiam D. ac proinde potiori iure Chriſtus vidit, & videt, atque fruitur Eſſentia Diuina. Nec de priori eſt ambigendum; cum ex Sacra Scriptura Patres, & Theologi id tradant. Et quidem Ioan. 1. dicitur. *Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus Filius, qui eſt in ſinu Patris, ipſe enarrauit*, quaſi diceret, prout expendit Herincx diſp. 2. de perfect. Chriſti q. 1. Ipſe ergo venit, & enarrauit ſicut vidit, & ſicut enarrauit per humanitatem, dum hic viueret, ſic etiam per illam tunc vidit: & cap. 3. Chriſtus de ſe ipſo ait. *Quod ſcimus, loquimur, & quod vidimus, teſtamur, nemo aſcendit* (quod eſt præteritum, vt notat idem Doctor ex Græco) *in Cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo Filius hominis, qui eſt de cœlo*. Tunc autem nec dum aſcenderat in Cœlum corpore, adeoquè loquitur de aſcenſu mentis per viſionem beatam. Et cap. 12. *Vbi ego ſum, illic & miniſter meus erit*, ideſt in gloria. Et certè hoc exigebat connaturaliter vnio hypoſtatica; nec erat ratio cur humanitati Chriſti in hac vita non concederetur, quandoquidem non obſtaret fini redemptionis; ſicut gloria, & impaſſibilitas corporis obſtitiſſet paſſioni. Itaque Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis fuit verè beatus.

Not. 2. Quòd Chriſtus ab initio ſuæ conceptionis habuit rerum omnium notitiam, iuxta ſententiam SS. Patrum, & Theologorum; itquè euidenter colligitur ex Io. 1. *Vidimus, ait, gloriam eius, quaſi vnigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis*, contra Hæreticos, vt Lutherum, & alios, quos refert Bellarm. lib. 4. de Chriſto cap. 1. negantes, Chriſtum ſciuiſſe

uiſſe omnia; ſed more cæterorum paulatim didiciſſe, quæ priùs ignorabat. Itaque conſtans eſt ſententia Theologorum, Chriſtum omnia nouiſſe, ſed non conueniunt de modo, ſeu medio; quo omnia nouit in D. Eſſentia. D. Thomas p. 1. quæſt. 12. art. 8. & 3. p. q. 10. art. 2. docet, Animam Chriſti non videre omnia, quæ Verbum videt, quia ſic illum comprehenderet; videt tamen omnia exiſtentia, ſeu cognoſcibilia ſcientia viſionis in Verbo: eo fundamento; quòd quantò cauſa perfectius videtur, tanto plures eſſe effectus, poſſunt videri, & è contra; ſicut etiam patet de principio, & concluſione; ergo potens videre omnes effectus in cauſa prima, poteſt ipſam comprehendere; at nullus creatus intellectus ſecundum, ergo nec primum poteſt.

Quam opinionem ſic impugnat Scot. Reſpectu Dei eſſe infinitum intenſiuè priùs eſt, quàm eſſe, in quo infinita poſſibilia relucent; ſed cognoſcens ipſum ſub ratione infinitatis intenſiuè, qualiter cognoſcit Beatus, non ob id comprehendit illud, ergo multò minus cognoſcens infinitum extenſiuè, hoc eſt infinita poſſibilia, quæ relucent in eo, illum non comprehendit: min. patet, quia ſolus ille intellectus comprehendit aliquid intelligibile, cuius eſt tanta perfectio in intellectiuitate, quanta eſt perfectio intelligibilis in intelligibilitate; vt dictum eſt in 1. p. q. de Incomprehenſibilitate Dei.

Præterea. Cognoſcens vnum effectum in Verbo, non comprehendit illum, nec Verbum vt eſt cauſa illius, ergo quotcumque effectus cognoſcat, nullum eorum comprehendet, nec Verbum vt eſt cauſa alicuius eorum; nam videns vnum cauſatum, non propter hoc comprehendit cauſam, vt cauſa huius effectus perfectè, neque videns effectum ſecundum plus videt de cauſa, in quantùm eſt cauſa primi effectus; cum iſta ſint diſparata, ergo non propter hoc, quòd videt omnes comprehendit cauſam in quantùm cauſa. Præterea. Illud exemplum de concluſione, & principio accipit falſum; inquit Scot. Cauſa enim in quantùm cauſa nullam perfectionem accipit à cauſato, quia naturaliter eſt prior eo, ergo principij cognitio, vt eſt cauſa cognitionis concluſionis, nullo modo perficitur per cognitionem concluſionis. Quod confirmatur ex Ariſt. poſt. 1. vbi vult, quòd oportet maximè cognoſcere de ſubiecto,

quid

quid eſt; quia in ratione, & quidditate ſubiecti virtualiter includitur tota ratio ſcientiæ, nec per ipſam demonſtrationem acquiritur aliquo modo de ſubiecto. Quid eſt: immò totaliter præſupponitur; ſed tantùm per demonſtrationem acquiritur cognitio paſſionum inhærentium ſibi; & ita de concluſione reſpectu principij; ergo &c.

D. Bonau. 3. d. 14. & Henricus exiſtimant; Animam Chriſti poſſe videre omnia in Verbo habitualiter, non actualiter, per habitum ſibi concreatum, quo mediante, tamquam ratione cognoſcendi videat in Verbo. Sed iſte habitus improbatur à Scoto in 2. d. 3. q. 10. cuius rationes attuli in quæſtione 3. de intellectu Angeli. Non enim dari poteſt vnus talis habitus, quo poſſent videri omnia; quæ videntur in Verbo; niſi eſſet vnum obiectum adæquatum habitui, in quo omnia viſa, eminenter continerentur, & tunc iſte habitus eſſet reſpectu Verbi; quod pariter reijcitur à Scoto, arguendo contra tertiam opinionem; ponentem; Animam Chriſti omnia videre actualiter, non per proprias, & diſtinctas viſiones, ſed quòd illa viſio ſit vna formaliter, & multæ virtualiter, & habet vnum obiectum adæquatum, vt Eſſentia D. & infinita ſecundaria; contra quam militat eadem ratio; quia illa vna viſio deberet eminenter continere omnes illas viſiones proprias, quas ponit alia opinio; dicens; Verb. D. videre omnia actualiter actu elicito; ita quòd habeat Anima Chriſti propriam viſionem cuiuslibet obiecti viſi; ac proinde videat actu infinita; quod tamen inquit Scotus in Report. negatur communiter: Igitur ſit iuxta mentem Scoti.

Concl. Anima Chriſti cognoſcit omnia poſſibilia, & futura in Verbo habitualiter; non quidem in ſenſu Henrici ponentis habitum ſupernaturalem omnia tam poſſibilia, quàm futura repræſentans, ſed habitualiter, hoc eſt in actu primo; quia in hoc, quod videt Verbum formaliter; videt omnia alia habitualiter in eo, quatenus Verb. D. paratum eſt omnia repræſentare, & propter iſtam præſentialitatem, & quia Anima Chriſti eſt in potentia proxima, vt poſſit exire in actum ſecundum, dicuntur omnia ſibi habitualiter nota; non tamen actualiter, quia nequit omnia ſimul, nec vno, nec diuerſis actibus cognoſcere. Hæc eſt germana Scoti ſententia in 3. d. 14. q. 11. vbi licèt videatur, quodam-

modo

modo approbare opinionem; aſſerentem, Animam Chriſti videre actualiter omnia, attamen in Repor. abſolutè improbat illam opinionem, & hanc aſſerit; & quòd hæc ſit eius mens, oſtendit inter alios Scholiaſtes ex ijs, quæ habet in 4. d. 1. q. 1. vbi ait, quòd intellectio infinita non poteſt eſſe plurium diſparatarum, & in 1. d. 6. & in 2. d. 1. q. 6. docet, obiecta eſſe diſtinctiua, & identificatiua notitiarum, quod falſum eſſet, ſi vna poſſet eſſe diuerſorum obiectorum ideoquè hunc dicendi modum paſſim amplectuntur Scotiſtæ, & in hoc ſenſu locutum fuiſſe D. Bonau. cenſent Herincx, & Maſtrius.

Prob. & declaratur concluſio ex Scoto. Etenim aliter ſe habet Deus in oſtendendis obiectis in Verbo Animæ Chriſti, aliter verò cæteris Beatis; quia licèt reſpectu omnium Beatorum ſit ſpeculum voluntarium, hoc tamen intereſt inter Animam Chriſti, & cæteros Beatos, quòd cuilibet Beato eſt ſpeculum voluntarium determinata repræſentans ſecundùm merita illorum, vel ſecundùm ſpeciale beneplacitum Dei, vltra quæ non poteſt Beatus ordinatè velle alia videre; vndè ſemper finita repræſentat in actu primo alijs Beatis ab Anima Chriſti; At huic eſt ſpeculum voluntarium repræſentans omnia in actu primo, quamuis non omnia in actu ſecundo propter defectum intellectus finiti, Vndè per conuerſionem intellectus Animæ Chriſti ex imperio voluntatis ad quodcumque, quod Verbum videt, poteſt illud videre, & ita ratio habet ſuum obiectum primum, vt Verbum; ergo ſimul obijciuntur omnia, ſed non intellectui aliarum Animarum.

Cæterùm, quòd huiuſmodi modus cognoſcendi omnia in Verbo ſit Chriſti Animæ conueniens; teſtatur Apoſt. ad Coloſs. 2. dicens de Chriſtò: *in quo ſunt omnes theſauri ſcientiæ, & ſapientiæ Dei*; Quod intelligendum eſt, aut in actu primo, aut in actu ſecundo: Non quidem in actu ſecundo, quia intellectus finitus nequit infinita ſimul intelligere; ergo in actu primo, ac proinde habitualiter.

Confirmatur. Anima Chriſti tot in Verbo videt, quot vult illi Deus oſtendere; ſed ſic eſt quòd Deus vult ei omnia oſtendere; etſi alijs Beatis quædam determinata oſtendat; ergo Anima Chriſti omnia habitualiter ex obiecto: maior pat. min. prob. Quilibet Beatus ſecundùm omnium ſenten-

tiam

tiam videt omnia, quæ ad proprium ſtatum pertinent beatificum; ſed ad ſtatum beatificum Animæ Chriſti ſpectant præſertim omnia, quæ Deus videt ſcientia viſionis, quia eſt Caput. & Iudex omnium, ergo &c.

Arg. 1. contra concl. Beatus in viſione beatifica, qua videt Verb. non patitur ſucceſſionem in intelligendo; vt etiam docet D. Aug. lib. 14. de Trin. vbi ait; *In patria non erunt volubiles cogitationes*; ergo dicendum eſt, Animam Chriſti videre omnia actu, quæ habitu videt in Verbo: alioquin felicitas non eſſet ſecundùm actum, ſed ſecundùm habitum; quod etiam Ariſt. lib. 3. Ethic. negat.

Confirmatur, quia ſi ille actus primus reduceretur ſucceſſiuè ad actum ſecundum, cognoſcendo nunc hæc obiecta, nunc illa; tunc in viſione Animæ Chriſti, ac beatitudine poſſet eſſe varietas; ac proinde nunc beatior, quàm antea. Reſp. diſting. ant. quoad obiectum primarium, conc. ant. quoad obiectum ſecundarium, neg. ant. & in hoc ſenſu locutus eſt D. Aug. & etiam Ariſt. de beatitudine ſibi nota. Ad confirmationem dicitur, illam variationem eſſe accidentalem, quia circa obiecta ſecundaria, non verò eſſentialem.

Arg. 2. Anima Chriſti poteſt videre per vos habitualiter omnia illo vnico actu beatifico; ergo & actualiter. Prob. conſ. Viſio eſt actus ſecundus, & vltimus; & actuat potentiam formaliter; ac proinde ſi actu eſt, non ſolùm poteſt habere actum formalem ſibi adæquatum; ſed etiam illum habet neceſſariò; ergo ſi actus viſionis eſt omnium etiam poſſibilium, de facto illa omnia actu attingit, quia hic eſt effectus formalis inſeparabilis ab illo actu.

Reſp. neg. conſ. & diſting. ant. probationis, de actu viſionis circa obiectum primarium verum eſt; ſecùs autem circa obiecta ſecundaria, quæ non includuntur neceſſariò, & formaliter in actu primo; ſed ea videt, quatenus Verbum D. paratum eſt omnia illi repræſentare; & in hoc ſenſu, inquit Scotus, eſſe Animæ Chriſti omnia habitualiter nota; vndè poteſt ipſa per actum illum viſionis in ſe non variatum eſſentialiter quodlibet obiectum intueri per varios attingentiæ reſpectus ſibi additos, & immediatè à Deo cauſatos; non enim ex vi ſua dicitur omnium illorum, quæ videt repræſentatiua, ſed in virtute talium reſpectuum attingentiæ.

Arg.

Arg. 3. Si Anima Chriſti in Verbo videret omnia, quæ Verbum videt, videret infinita, hoc autem eſt impoſſibile, ergo & illud, ex quo ſequitur. Minor prob. Quia videre infinita, vt videt Verbum, eſt æquare perfectionem viſionis Verbi, & inſuper argueret infinitam capacitatem, & virtutem in potentia, quod eſt abſurdum; ergo &c.

Reſp. conc. mai. nempe Animam Chriſti cognoſcere infinita eo modo, quo Scotus explicat, nec id eſt, aut impoſſibile, vel abſurdum; cum nec repugnet virtuti intellectus, nec indè ſequatur infinita perfectio, quæ repugnet creaturæ, ſed tantum terminatio ad obiecta infinita repræſentata, vel repræſentabilia in Verbo tamquam in ſpeculo. Adde, quòd nullum inconueniens eſt, quòd videat infinita obiecta ſaltem ſynchategorematicè.

Arg. 4. Si Anima Chriſti videret omnia, quæ videt Verbum, non poſſet ab Angelo illuminari; ſed omninò poteſt illuminari, quia Angeli ſunt ſuperiores natura Animæ Chriſti; ergo &c. Reſp. neg. min. Quia falſum eſt, Angelos illuminare Chriſtum, cum Angeli à Chriſto illuminentur; nequè hic attenditur natura, ſed vnio hypoſtatica, ratione cuius ſumma ſcientia, & gratia Anima Chriſti eſt condecorata, vt infra oſtendetur de beatitudine, tum quia Chriſtus eſt caput Angelorum, igitur Angelos illuminat, non illum Angeli illuminant.

Arg. 5. Hæc Scoti ſententia non habet fundamentum in ſacris litteris, ac proinde non eſt admittenda; immò videtur repugnare S. Scripturæ; cum Animæ Chriſti tribuat attributum omniſcientiæ proprium Dei; ergo &c. Reſp. cum Macedo in hac quæſt. non deeſſe Patres, qui faueant ſententiæ noſtræ. Satìs erit allegare Magiſtrum in diſt. 14. vbi ſic. *Dicimus, Animam Chriſti per ſapientiam ſili gratìs datam in Verbo Dei cui vnita eſt, quòd etiam perfectè intelligit, omnia ſcire, quæ Deus* & infra: *Dona ergo Spiritus Sancti ſine menſura habuit, ergo, & ſapientiam. Omnia ergo ſciuit Anima illa: Si enim quædam ſciuit, quædam non, tunc non ſine menſura ſcientiam habuit; ſed ſine menſura ſcientiam habuit, ſcit ergo omnia.* D. Fulgent. pariter in quodam ſermone plura habet, quæ comprobant noſtram ſententiam, vtens auctoritate Apoſt. dicentis. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ abſconditi.* Igitur non caret noſtra ſententia Patrum auctoritatibus nec non Sacris Scripturis.

Arg.

Arg. Hæretici, imprudenter aſſerentes, Chriſtum habuiſſe ignorantiam multorum, vt diei iudicij & in pueritia multa ignoraſſe, quia proficiebat ætate, & ſapientia ergo non omnia nouit in Verbo, quæ Deus cognoſcit ſcientia viſionis. Reſp. prætermiſſis multis ſolutionibus, quòd ideò dicitur, Chriſtum neſcire diem Iudicij, quia noluit id Diſcipulis reuelare, quibus non erat expediens: non igitur ignorabat Chriſtus, ſed noluit reuelare; & hac ratione ſolemus dicere, nos neſcire, quod non poſſumus, vel non expedit reuelare. Nequè obeſt, quod ſubditur, niſi ſolus Pater, nam illa particula, ſolus, non excludit alias Perſonas eiuſdem naturæ cum Patre: ita Caſpenſis: Quòd ſi etiam concedatur, aliquid Chriſtum non ſciuiſſe, non ob id dici poteſt ignorans, ſed neſciens; ideſt negatio ſcientiæ, alia enim eſt ignorantia priuatiua, alia prauæ diſpoſitionis, alia negatiua, quæ propriè dicitur neſcientia, quæ & in Angelis reperitur.

QVÆSTIO III.

Vtrum præter ſcientiam beatificam Chriſtus habuerit ſcientiam infuſam, qua res in proprio genere cognoſceret.

NOt. 1. Quòd inter ſcientiam beatam, & ſcientiam in proprio genere diſcrimen eſt, non quidem penes obiecta cognita, nam eadem obiecta, quæ cognoſcuntur in Eſſentia D. poſſunt etiam cognoſci in genere proprio, ſed diſtinguuntur penes diuerſa media, quia medium cognitionis ſcientiæ beatificæ eſt ipſa D. eſſentia, quatenus repræſentatiua rerum, quas eminenter, & virtualiter continet. Medium autem ſcientiæ infuſæ ſunt ſpecies intelligibiles à Deo infuſæ, quæ non aliter ac ſpecies ſtudio acquiſitæ recognoſcendas repræſentant. Hinc cognitio beatifica habet pro immediato obiecto quod, ipſam Eſſentiam D. & pro ſecundario ipſas creaturas, quæ videntur in Eſſentia D. at cognitio infuſa, ſeu etiam acquiſita habet pro obiecto quod ipſas creaturas per ſe, & non in alio viſas, intuitiuè, vel abſtractiuè.

Not. 2. Quòd D. Thomas 3. p. q. 11. art. 6. tenet, vt refert

Scot.

Scot. præſertim in Report. d. 14. q. 3. & paſſim explicant Scotiſtæ, Animam Chriſti nouiſſe omnia ſcientia infuſa, non tamen acquiſita; ſed in hac profecit, ad cuius intelligentiam, docet Doct. Angelicus, quòd duplex eſt notitia in genere proprio, quædam infuſa, quædam acquiſita. Anima Chriſti non habuit notitiam acquiſitam omnium in genere proprio; habuit tamen omnium notitiam infuſam, quia Deus concreauit ſibi tantam gratiam, quantam potuit creare; igitur pari ratione notitiam; vt habetur Iſa j. *Egredietur virga &c. & ſubditur Spiritus ſcientiæ &c.* & ſaltem habuit habitualem omnium, hoc eſt in actu primo; non autem habuit notitiam omnium acquiſitam, quia ipſe habuit intellectum poſſibilem, & agentem, & notitiam principiorum in actu primo, in quo virtualiter continentur concluſiones. Igitur potuit acquirere ſcientiam nouam in genere proprio.

Sed contra iſtum Doctorem; inquit Scotus, eſt, quia ipſemet tenet, quòd duo accidentia, differentia ſolo numero non poſſunt ſimul eſſe in eodem; ſed cognitio infuſa, & acquiſita in genere proprio ſunt eiuſdem ſpeciei; ergo &c. Quia licèt cognitio in Verbo, & cognitio in genere proprio differant ſpecie, non tamen cognitio infuſa, & acquiſita, quando vtraque eſt in genere proprio, quia cognitio in genere proprio rerum, & in Verbo differunt formaliter ratione obiecti formalis, quamquàm idem ſit obiectum materiale. Sed quælibet cognitio in genere proprio, ſiue ſit infuſa, ſiue ſit acquiſita eſt obiecti formalis vnius, quia eſt eius ſub ratione propria. Nec variatur effectus ſpecie propter diuerſa agentia; quia ſpecies eædem numero, quæ nunc cauſantur ab obiecto, poſſent fuiſſe immediatè creatæ à Deo; igitur cognitio in genere proprio infuſa, & acquiſita eiuſdem obiecti non differunt ſpecie, quia diuerſitas cauſæ efficientis ſpecie non arguit diuerſitatem effectuum ſpecie, quod declarat D. Aug. lib. 3. de Trin. 6. de genitis per propagationem, & putrefactionem, quæ dicit eſſe poſſe eiuſdem ſpeciei. Idem vult Ambroſ. de Incarnatione.

Iam modò impugnat Doctor Subt. concluſionem in ſe. Eiuſdem obiecti, & ſub eadem ratione formali non ſimul duæ cognitiones perfectæ, quia alia ſuperflueret, ſed cognitio in genere proprio infuſa, & acquiſita ſunt eiuſdem obie-

obiecti,& ſub eadem ratione formali obiecti,ergo &c. Item, quod dicitur, quòd poteſt nouam notitiam acquirere quia habet intellectum agentem, & poſſibilem, non concludit; quia augumentatiua potentia fuit in Adam, quando fuit in ſummo aucto eſſe. Sic Sancti habent,& poſſibilem, & agentem: nec poſita cauſa, quæ quantùm eſt ex ſe poſſit in effectum, oportet, quòd cauſet effectum; quia poteſt præueniri à cauſa fortiori, dante terminum,in quem poſſet,ſi non eſſet præuenta; igitur non oportet, quòd cauſa cauſet terminum, niſi careat termino. Sic ſi Anima Chriſti habuit notitiam omnium, non potuit vlteriùs aliquid acquirere; nec propter hoc ibi fruſtra ponebatur intellectus agens, & poſſibilis, quia ſunt de perfectione Animæ intellectiuæ.

Reſp. Caiet. & Capreolus p. 3. q. 9. art. 4. Scotum errare ex falſo ſuppoſito; Siquidem putat, quòd ſcientia infuſa, & acquiſita ſint eiuſdem ſpeciei, & D. Thomam idem ſentire, quod tamen falſum eſt, quia ſcientia infuſa,& acquiſita ſunt diuerſarum ſpecierum, & diſtinguuntur non ſolùm penes cauſas efficientes; ſed etiam penes obiecta;quod Caiet. latè declarat apud Fauentinum in hac quæſtione, diſp. 36. qui notat,hanc quæſtionem pendere ex alia diſputata in materia de Angelorum cognitione, in quibus Thomiſtæ ponunt ſpecies quaſdam vniuerſales, & vniuerſaliores iuxta minorem, vel maiorem perfectionem Angelorum; quæ quidem ſpecies diuinitus infuſæ in ſententia Thomiſtarum ſunt altioris ordinis;ac proinde diſtinguuntur ſpecie àb acquiſitis; ideoquè non oportet hìc ea repetere; ſed ſatìs eſt reijcere reſponſionem Thomiſtarum;dicendo, illos in reſponſione allata aſſumere falſum; vt optimè inter alios oſtendit Fauentinus allegatus. Etenim quamuis quibuſdam appareânt friuolæ Scoti conſequentiæ; reuera tamen ſunt legitimæ, & conuincentes; nam Doctor non illas infert, ex eo quòd Chriſtus haberet ſcientiam infuſam per ſe, & ſcientiam acquiſitam, ac infuſam per accidens, ſed ex eo quòd Chriſtus cognoſceret omnia per ſcientiam infuſam; hoc ſuppoſito, & inſuper quòd non poſſit dari ſcientia per ſe infuſa de aliquibus rebus, quas cognoſcit Chriſtus per ſcientiam acquiſitam ſequuntur euidenter duo illa, quæ infert Scotus contra D. Thom. quia ſcientia infuſa, qua cognoſceret. Omne totum eſt maius ſua parte, eſſet

eſſet eiuſdem rationis cum acquiſita, qua id cognoſceret.

Concl. Præter ſcientiam beatam eſt etiam admittenda in intellectu Animæ Chriſti ſcientia infuſa. Eſt communis ſententia Theologorum, & ipſius Scoti; qui arguendo contra D. Thomam; vt rectè obſeruant Poncius, Fauent. Macedo, & alij Scotiſtæ; non impugnat abſolutè, ſcientiam infuſam dari, & eſſe in Anima Chriſti; ſed contendit, ſcientiam infuſam, & acquiſitam non poſſe eſſe reſpectu eorundem obiectorum, maximè ſi ſint ambæ perfectæ; ſicut perfectiſſimæ in Anima Chriſti poni debent, vndè in Report. in d. q. ſ. Dico igitur ad quæſtionem n. 6. ſic concludit. Habuit igitur iſta Anima, ſupple Chriſti, per infuſionem notitiam quidditatum per ſpecies ſibi concreatas; & infra reſpondendo ad tacitam obiectionem ait. Dico, quòd probabile eſt, quòd nullorum ſingularium habuit notitiam infuſam, potuit enim acquirere cum occurrerent ſufficienter. Vel ſi habuit, habuit aliquorum, & aliquorum non. Ratio poteſt eſſe: quædam erant nobiliora, & illorum notitiam habuit infuſam; non ignobilium; quare perperam Medina p. 3. q. 9. art. 6. cenſurat, Scotum negaſſe ſcientiam per ſe infuſam in Anima Chriſti; Quòd ſi etiam id negaſſet; adhuc cenſura Medinæ eſſet ex ſuo capite, ait Scholiaſtes; cum Durand. Almainus, Richardus, Gabriel, Alenſis, & D. Bonau vt obſeruat idem Scholiaſtes, admittentes infuſam, videntur tantùm loqui de infuſa per accidens.

Probari poſſet concluſio auctoritatibus ſuperiùs allatis; & præſertim ex D. Paulo ad Coloſſenſes 2. *In quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ, & ſcientiæ Dei;* ſcientia autem infuſa eſt nobiliſſima portio ſcientiæ ſupernaturalis, quæ deſignatur ab Apoſt. nomine ſcientiæ Dei. Vndè Ioan. 7. *Mirantibus Iudæis, ac dicentibus. Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit: reſpondit Ieſus. Mea doctrina non eſt mea, ſed eius, qui miſit me;* indicans à Patre fuiſſe ſibi inditam.

Prob. ratione. Sicut ſe habet gratia ad voluntatem, ſic ſcientia ad intellectum; ſed in Chriſto fuit plenitudo gratiæ, ergo, & ſcientiæ plenitudo: non eſſet autem plenitudo ſcientiæ, niſi eſſet aliqua infuſa, ergo &c.

Præterea. Si non eſſet admittenda talis ſcientia infuſa in Chriſto, maximè, quia pugnat cum ſcientia beata; quam Chriſtus habet, vel ſaltem quia data ſcientia beata, fru-

ſtra daretur ſcientia infuſa, ſed neutrum dici debet, ergo &c. Prob. min. Non quidem primum, quia ex D. Aug. Cognitio creaturæ in ſemetipſa eſt veſpera, in Deo eſt manè; ſed ex eodem Aug. in Geneſim ad litteram cap. 4. *In cæleſti Patria ſimul eſt manè, & veſpere*: ergo in Chriſto vtpote beato ſimul eſt manè, & veſpere. Nequè ſecundum, quia data ſcientia beata, adhuc dari poteſt, & datur ſcientia infuſa, non ad cognoſcendum ſimpliciter, ſed ad cognoſcendum diſtinctis medijs: ſed ſic eſt, quòd, data cognitione alicuius per vnum medium, non eſt fruſtra cognitio eiuſdem per aliud medium; ſicut patet de Terra, cuius rotunditas ſemel probata per medium phyſicum; non id fruſtra probatur per medium Mathematicum; ergo data ſcientia beata in Anima Chriſti, qua videt res in Verbo per Verbum ipſum; velut per vnum medium, non datur fruſtra ſcientia infuſa; qua res eaſdem cognoſcat per ſpecies infuſas, tamquam per aliud medium.

Arg. 1. cont. concl. Scientia, & opinio non poſſunt ſimul eſſe in eodem intellectu; ergo multò minùs ſcientia beata; & infuſa: ant. patet ex Ariſt. 1. Poſteriorum: conſ. prob. Plus inuicem diſtant ratio increata, & creata, quàm duæ rationes creatæ, ſed ſcientia beata habetur per medium increatum; infuſa per medium creatum, ergo &c. Reſp. neg. conſ. ad probationem diſting. mai. plus diſtant &c. quàm opinio, & ſcientia, in ratione entis conc. mai. in ratione ſcientifica; neg. mai. quia vtraquè ſcientia facit aſſenſum firmiſſimum; ſecùs autem opinio, & ſcientia.

Contra. Præſente cognitione perfecta excluditur omnis cognitio imperfecta, ſed ſcientia infuſa comparata ad beatam eſt imperfecta, ergo &c. Prob. ant. Nam minus lumen excluditur per maius; ergo lumen ſcientiæ infuſæ, excluditur per lumen ſcientiæ beatæ, quod eſt eo longè maius. Reſp. diſting. mai. Cognitio abſolutè imperfecta excluditur per perfectam; conc. mai. cognitio, quæ ſolùm eſt imperfecta comparatè; & non opponitur ex ſe perfectioni; neg. Talis ſiquidem eſt ſcientia infuſa in ordine ad ſcientiam beatam. Ad probat. maioris dicendum; maiorem eſſe veram; ſi vtrumque lumen maius, & minus ſint eiuſdem ordinis; qualiter eſt lumen Solis, & Stellarum; falſam autem, quando iſta lumina ſint diuerſi ordinis; vt

eſt

eſt in propoſito: nam beata ſpectat ad ordinem gloriæ; ac proinde ad ſtatum comprehenſoris; infuſa verò ad ordinem gratiæ; & ad ſtatum Viatoris.

Arg. 2. Vna, & eadem potentia non poteſt elicere ſimul duas actiones; ergo nec intellectus poteſt habere duas cognitiones, quarũ vna ſit beatifica; alia infuſa. Reſp. diſting. Non poteſt habere duas operationes adæquatas; conc. mai. inadæquatas, neg. mai. Iam modò cognitio beatifica, & cognitio infuſa non ſunt adæquatæ; ſed inadæquatæ, cum haberi poſſint circa idem obiectum per diuerſum lumen, & vna ſubordinatur alteri, tamquam minùs perfecta perfectiori.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Chriſtus per ſcientiam infuſam nouerit myſteria Diuina, myſteria gratiæ, ſecreta cordium, & futura etiam contingentia.

NOt. 1. quod per myſteria diuina intelliguntur ea, quæ ſpectant immediatè ad Deum; vt Deum eſſe vnum, & trinum, vnio hypoſtatica &c. attributa D. & per myſteria gratiæ intelligenda veniunt entia, quæ per ſe ſunt ſupernaturalia quoad eſſe rei; non verò in eſſe obiecti; cuius ſenſus eſt, quòd licèt ſecundùm ſe phyſicè, & realiter conſiderati ſint ſupernaturales; vtpotè à ſolo Deo producibiles, & nulli ſubſtantiæ debiti; tamen conſiderati, vt habent virtutem motiuam, aut terminatiuam cognitionis, quæ de ipſis haberetur, non ſunt ſupernaturales; Quare cum intellectus creatus habeat pro ſuo obiecto adæquato totum ens; poteſt intellectus Angelicus, vel Animæ ſeparatæ omne ens finitum cognoſcere, quod non dicit ordinem actualem, vel aptitudinalem ad aliquod infinitum, vt etiam notatum fuit in quæſt. 6. diſp. 3. de cognitione Angelorum; & ſic habitus ſupernaturales, quales ſunt Fides, Spes, Charitas; & pariter actus ſupernaturales poſſunt ab intellectu creato cognoſci quoad eius phyſicam entitatem.

Not. 2. quòd Chriſtus poteſt videre futura contingentia in Verbo non minùs; quàm exiſtentia; vt omnes fatentur. Deinde poterat videre eadem futura propter reuelationem diuinam, quæ ipſi eſſet euidens; & licèt huiuſmodi reuela-

tio videatur ſuperflua, tamen non implicat: deniquè in ſe ipſis. Siquidem Anima Chriſti cognoſcit per ſcientiam infuſam ea omnia, quæ per proprias ſpecies ſunt in ſe ipſis repræſentabilia; futura autem contingentia ſunt repræſentabilia per ſuas ſpecies; quodlibet namquè ens ſub ratione, qua eſt ens, eſt intelligibile, ſed futuritio, & contingentia ſunt reuerà aliquid, & conſequenter ens, ac proinde ſunt intelligibilia. Et licèt futura contingentia in ſe conſiderata, & vt ſpectantur in ſua cauſa, quæ prout conſideratur in actu primo, indifferens eſt ad effectum ponendum, vel non ponendum ſint indeterminata, tamen habent eſſe determinatum in decreto diuino, non pro tempore, quo dicitur futurum contingenter, ſed pro tempore, quo Deus liberè decreuit, vt illud futurum contingens exiſtat; & ſic futurum habet determinatum eſſe, ac proinde ſecundùm tale eſſe per ſpeciem eſt repræſentabile.

I. Concl. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam cognouit myſteria diuina, puta Deum vt vnum, & trinum &c. Hæc eſt conformis doctrinæ Scoti, docentis in 2. d. 3. q. 9. poſſibilem eſſe ſpeciem repræſentatiuam D. Eſſentiæ; de cuius poſſibilitate egimus in diſput. de cognitione Angelorum. Prob. nihilominus de Anima Chriſti. Intellectus Animæ Chriſti præcisè ſpectatus ſecundùm ſtatum viatoris ea debuit noſſe, quæ maximè conducebant ad illius Animę perfectionem; & delicias, ſalua vnione hypoſtatica, & debitis eius circumſtantijs, ſed talis cognitio diuinorum myſteriorum maximè conducebant ad Animæ Chriſti perfectionem; nec vlla ratione pugnabat cum eius vnione hypoſtatica; ergo &c. Minor conſtat. Nam ſi perfectio ſit, & quædam animi voluptas nouiſſe veritatem aliquam naturalem per ſcientiam infuſam, multò maior erit noſſe veritatem ſummam, nempe Deum, ac diuina eius myſteria.

Confirm. Etenim Doctor in 4. q. 3. & in 2. d. 3. q. 9. docet, quòd ſi Beatus non continuaret viſionem beatificam, poſſet habere in memoria actum recordationis ſuæ viſionis beatificæ; ſicut cenſetur habuiſſe D. Paulum; qui iuxta D. Aug. Scotum, & alios tranſeunter fuit admiſſus viſioni beatificæ: ergo ſi poſſibilis eſt huiuſmodi ſpecies D. Eſſentiæ, ſicut oſtendunt Scotiſtæ, probabiliùs dicendum eſt, Animam Chriſti per ſcientiam infuſam agnouiſſe D. myſteria,

ria, vel per ſpeciem impreſſam repræſentantem Deum vnum, & trinum abſtractiuè.

II. Concl. Intellectus Animæ Chriſti per ſcientiam infuſam nouit omnia entia, quæ per ſe ſunt ſupernaturalia, qualia ſunt virtutes theologicæ, gratia, lumen gloriæ, viſio beatifica &c. Eſt communis. Prob. Veroſimilius eſt, Animam Chriſti habuiſſe cognitionem infuſam Myſteriorum Diuinorum; ergo veroſimiliùs eſt, etiam habuiſſe talem ſcientiam myſteriorum gratiæ, quæ ſunt finita, & limitata quoad entitatem; immò ſecundùm hanc rationem potuiſſent etiam viribus naturæ intelligi, vt oſtenſum eſt ſuo loco de cognitione Angelorum; ergo etiam quoad ſupernaturalitatem reſpectus, quem ex diuina ordinatione præſeferunt, fuerunt ab Anima Chriſti cognita.

Confirmatur. Etenim Chriſtus decorari debuit cognitione eorum, quæ maximè conferebant ad illius Animæ decus, ſed talis eſt cognitio entium ſupernaturalium; vt patet ex dictis, ergo &c.

III. Concl. Anima Chriſti per ſcientiam infuſam nouit cogitationes cordium; & futura contingentia libera, tam abſoluta, quàm conditionata: Eſt Scoti, & paſſim Scotiſtarum; licèt quoad futura contingentia non ſatìs conueniant. Prob. concl. quoad primam partem auctoritate S. Scrip. Nam Matt. 9. dicitur. *Cum vidiſſet Ieſus cogitationes eorum dixit, vt quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* & cap. 12. *Ieſus autem ſciens cogitationes*, & alibi ſępè in S. Scrip. fit mentio de Chriſti cognitione quoad ſecreta cordium.

Prob. ratione. Talis ſcientia ſecretorum cordis humani triplici de cauſa tribuenda eſt Chriſto. Primò, quia ipſe erat Iudex non ſolùm hominis exterioris, ſed etiam interioris: 2. quia erat Doctor, & Magiſter à Deo hominibus miſſus; ac proinde ſcire debuit, & quæ ſpectant ad actus internos in ordine ad vitam æternam, & quæ ſpectant ad actus externos, vt prouideret de medijs, & remedijs ad finem vltimum conducentibus. Deniquè, quia habebat ſupremum dominium in omnes hominis actiones; erat enim caput, & vt tale influere debebat in animas hominum, tamquam caput in membra, & conſequenter debuit noſſe omnia, & ſingula, quæ ſubſunt eius dominio; ergo Chriſtus quatenus Iudex Doctor, & Dominus debuit noſſe humani

cordis cogitationes. Prob. 2. pars; nempe quòd Chriſtus nouit futura. Sic enim teſtatur S. Scrip. Matt. 2. 6. quando Chriſtus in nocte paſſionis dixit Petro: *Antequam Gallus cantet, ter me negabis: & Luca 29. Videns Ciuitatem fleuit ſuper illam dicens; Quia ſi cognouiſſes, & tu, & quidem in hac die, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita &c.* Accedit inſuper ratio. Sanè iſta pertinebant ad perfectionem prudentiæ Chriſti; qui velut vir vndequaque prudentiſſimus, non ſolùm debebat præſentia intueri; ſed & præteritorum reminiſci, & futura præuidere; & quantò eminet prudentia, tantò perfectiùs, & eò plura præterita, & futura debet cognoſcere; ergo &c.

Prob. 3. pars; nempe quòd Chriſtus cognouerit futura contingentia, vt contingentia ſunt; ſeu quatenus pendent à libera voluntate hominis; non ſolùm, quæ reuerà erant extitura, ſed etiam quæ conditionatè eſſent ventura. Et quidem de primis patet, idest de futuris contingentibus certò extituris in aliqua temporis differentia; nam Matt. 26. ait Petro. *Antequam Gallus cantet, ter me negabis*; ſed illa trina negatio erat futurum contingens, omninò liberè pendens à libertate Petri; quod tamen euenit, ergo Chriſtus huiuſmodi futura contingentia nouit.

Cæterùm, quòd etiam nouerit futura conditionatè contingentia, clarè patet ex illo vaticinio; Bethſaidæ, & Corozaim; ait enim Lucæ c. 10. *Væ tibi Corozaim; væ tibi Bethſaida, quia ſi in Tyro, & Sydone factæ fuiſſent virtutes, quæ factæ ſunt in vobis, olim in cilicio, & cinere ſedentes pœnitentiam &c.*

Prob. ratione. Debuit ſiquidem Anima Chriſti agnoſcere ea, quæ ſpectant ad ſuum ſtatum, & miniſterium, ſed aliqua ex futuris conditionatè liberè contingentibus poſſunt ſpectare ad ſtatum, & miniſterium eius: illa namque Tyriorum, & Sydoniorum conuerſio ſpectabat ad confirmationem prædicationis ſui Euangelij, & ad conuincendam ſingularem duritiem, & obſtinationem eorum, quibus annunciabat Euangelium; ergo conueniens fuit, Animam Chriſti noſſe futura conditionatè contingentia.

Qualiter autem Chriſtus intellexerit, ſeu nouerit prædicta futura contingentia, etiam conditionata, Scotus de hoc non ita clarè locutus eſt, vt eius mens deprehendi poſſit. Hinc eſt, quòd Scotiſtæ inter ſe contendunt etiam de

men-

mente Doctoris; & quidem Gallus in 3. d. 14. q. 3. diſp. 1. putat, Scotum velle, Animam Chriſti per ſpecies infuſas cognouiſſe prædicta futura contingentia, in qua opinione ſunt etiam Vulpes, & Poncius in ſupplemento ad Lycheti Coment. in 3. d. 14. q. 4. At Maſtrius cum multis alijs negat; idquè nititur oſtendere ex Scoto in 2. d. 3. q. 11. ſ. reſpondeo; vbi contra D. Thom. docet, Angelum non poſſe cognoſcere futurum contingens per ſpecies vniuerſales; immò nec per ſpecies ſimpliciter, & proprias; quia ſpecies deſeruiunt tantùm ad ſimplicem extremorum apprehenſionem, non verò ad iudicium ferendum. Quapropter, inquit Fraſſen; ad hoc, vt intellectus Animæ Chriſti ferre potuerit de hac propoſitione, qua Petro alloquens dixit. *Ter me negabis*, præter ſpecies repræſentantes Petrum, & negationem, neceſſarium fuit aliquod medium coniungens hæc extrema: illud autem fuit reuelatio quædam, & manifeſtatio per lumen aliquod.

Verum huic reſolutioni Fraſſen videtur Maſtrius contradicere; ſic enim poſt longam contentionem cum Gallo concludit. Potuit itaque Deus cauſare in intellectu Chriſti conceptum repræſentantem hoc totum complexum futurum. Antichriſtus erit; quo etiam modo loquebatur Prophetis, & potuit hæc reuelatio habere euidentiam, & certitudinem in ſcientia beata, quam Chriſtus habebat in Verbo. Vndè non eſt neceſſe ponere aliud lumen diſtinctum in Chriſto, ſicut ponitur in Prophetis, ex quo talis reuelatio certitudinem haberet, ac euidentiam ex atteſtante. Siquidem in Chriſto tale lumen eſſet omninò ſuperfluum, cum adſit lumen beatificæ viſionis. Quòd ſi hanc reuelationem velit quis vocare ſcientiam infuſam, & quòd hac ratione Chriſtus per ſcientiam infuſam futura contingentia, certò, ac determinatè cognouerit, erit quæſtio de nomine; nam de re conſtabit, talem certitudinem, ac determinationem cognitionis ex vi ſpeciei infuſæ non haberi, ſed ex teſtimonio reuelantis, & euidentia in atteſtante. Vndè non ſequitur, quòd huiuſmodi ſcientia ſit fides, quia eſt cognitio euidens in ſupernaturali claritate, & euidentia, orta ex ipſomet lumine talis ſcientiæ, in qua certitudo iudicij, & aſſenſus eius fundatur; ſecùs autem ſe habet fides, cum ſit cognitio obſcura nitens ſolùm teſtimonio reuelantis;

tis; & hoc modo Chriſtum per ſcientiam infuſam futura contingentia cognouiſſe, & actus liberos futuros declarant Baſſolius, Faber, Bellutus, Aretinus, Rada, & alij Scotiſtæ paſſim. Hæc Maſtrius tom. 3. diſp. 5. de intellectu, & volunt. Chriſti quæſt. 2. art. 1. n. 44. & num. 45. vbi ſubdit hanc inſtantiam.

Dices. Ens futurum, vt futurum, eſt ens verum, ergo vt ſic fuit cognoſcibile in proprio genere, atque ideò ab Anima Chriſti ſic cognitum per propriam ſpeciem; cui ſic reſpondet. Ens futurum vt futurum, ſicut non eſt actu ens, ſed tantùm potentialiter; ita actu in ſe non eſt cognoſcibile, niſi abſtractiue ſub ratione poſſibilis; ſub ratione verò futuritionis non eſt cognoſcibile niſi in determinatione D. voluntatis, à qua accipit futuritionem; quare ens futurum eſt vtique cognoſcibile in ſe, & in proprio genere, vt eſt ens; non tamen ſub reduplicatione futuritionis; quia futuritio ſupra eius poſſibilitatem aliud non dicit; niſi denominationem à decreto D. Voluntatis ſibi obuenientem.

Nihilominùs Gallus exiſtimat, non repugnare, quòd Deus imprimat ſpecies, quæ ſine ordine ad atteſtationem; ſed ex ſe ipſis repræſentent complexum aliquod, modò cum hac conditione materiali, modò cum illa; quod videtur comprobari à Poncio loc. cit. hac ratione. Si Deus communicaret alicui hodie eas ſpecies ipſas, quibus actu determinaretur cras ad cognoſcendum, quòd aliqua ſubſtantia exiſteret actu, is hodie cognoſceret, quòd illa ſubſtantia exiſteret cras, quia illæ ſpecies determinarent ad cognitionem exiſtentiæ pro duratione ſibi correſpondenti, qualis eſſet duratio craſtina: Et Gallus exemplificat de recordatione præteritorum, de diuinis reuelationibus Prophetis factis de aduentu Chriſti, in quibus omnibus ſpecies incomplexorum, vel ex atteſtante inter ſe connexæ, vel alio modo futurum complexum cum conditionibus exiſtentiæ, & futuritionis certò cognoſcitur. Item de locutione Angelorum, quæ ex Scoto poteſt fieri per impreſſionem ſpecierum, quibus omnibus reſpondet Maſtrius n. 43. quam reſponſionem breuitatis gratia omitto.

Arg. cont. 2. concl. Gratia ſanctificans, & lumen gloriæ ſunt entia ſupernaturalia; ergo non poſſunt cognoſci per ſcientiam infuſam: patet conſ. Quia gratia eſt participatio

quæ-

quædam D. Eſſentiæ, quia per eam teſte D. Petro Epiſt. 2. *Maxima, & pretioſa nobis promiſſa donauit, vt per hæc efficiamur Diuinæ conſortes naturæ*: lumen pariter gloriæ excedit quodlibet aliud lumen, ac proinde per aliud lumen inferius, quale eſt ſcientia infuſa videri nequit.

Reſp. neg. conſ. Ratio eſt, quia gratia eſt participatio D. Eſſentiæ per imitationem tantùm; ſimiliter lumen gloriæ, eſtò ſit maius quolibet alio lumine, attamen per lumen inferius cognoſci poteſt; cum per ipſum lumen Deus cognoſcatur intuitiuè, qui tamen infinitè excedit lumen gloriæ, quod eſt finitum, & creatum.

Arg. cont. 3. concl. nempe, quòd non cognoſcat intellectus Animæ Chriſti ſecreta cordium nec contingentia; Chriſtus cognoſcit ſecreta cordium, & futura contingentia per ſcientiam beatificam; ergo ſuperfluum eſt admittere in eo etiam ſcientiam, qua iſta cognoſcat.

Reſp. neg. conſ. Ratio eſt, quia perfectius, & nobilius eſt pluribus medijs, ac modis aliquid noſſe, quando illa cognitionis multiplicitas non officit nobiliori cognitioni, vt contingit in propoſito; nam ſcientia infuſa non officit beatæ, immò maximè conducit ad illuſtrandam ipſius Animam.

Arg. 2. Chriſto non eſt attribuenda perfectio niſi illa intellectui creato cenſeatur debita ſecundùm ordinem naturæ, vel gratiæ; ſed talis cognitio ſecretorum cordis, & futurorum contingentium vllo modo eſt debita intellectui creato, ergo &c. Reſp. diſting. min. Talis cognitio non eſt debita communi ordini gratiæ, conc. extraordinario, & altiſſimo ordini gratiæ; qualis eſt ordo Animæ Chriſti; neg. min. nam Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ ſecundùm Animam fuit ſublimatus ad ordinem gratiæ altiſſimum.

Arg. 3. præſertim de cognitione futurorum contingentium futura contingentia non poſſunt cognoſci ab intellectu Chriſti; niſi vel in ſua cauſa, vel in teſtimonio Dei dicentis, ſeu atteſtantis, & reuelantis ea, ſicut reuelauit Prophetis, vel in decreto D. Voluntatis determinantis eorum futuritionem; quo pacto Beati; immò & ipſe Deus futura contingentia noſcit; vel denique in ſe ipſis immediatè; nempe ſi cognitio Animæ Chriſti terminaretur immediatè ad ipſa futura ſecundùm ſe, & non mediante aliquo obiecto

prius

prius cognito; ſed neutro ex his quatuor modis potuit futura contingentia cognoſcere; ergo &c. minor pat. Quia non in ſua cauſa, cum ſit indifferens ad illa producenda. Non ex atteſtante; quia quod agnoſcitur ex teſtimonio Dei reuelantis, cognoſcitur ſolùm per medium extrinſecum; cognitio autem per medium extrinſecum non eſt ſcientifica; vt viſum eſt in tract. de fide. Non tertio modo; quia obiecta aliter cognoſci debent per ſcientiam infuſam, & per beatam. Non denique quarto modo, quia futura contingentia non ſunt repræſentabilia in ſe ipſis per aliquam ſpeciem creatam; quod enim non habet eſſe determinatum, non eſt repræſentabile per propriam ſpeciem; ergo &c.

Reſp. Fraſſen neg. min. Nam reuerà contingentia ſunt in ſe ipſis cognoſcibilia per ſpeciem repræſentatiuam illorum; vt docere videtur Scot. in 3. d. 14. q. 3. vbi de Chriſto loquens ait. Poteſt dici, quòd hæc Anima nouit habitualiter, & abſtractiuè aliqua ſingularia per proprias ſpecies infuſas, & aliquas non nouit habitualiter; quibus verbis concedit, Chriſti intellectum habuiſſe cognitionem quorundam ſingularium contingentium; ibi enim non loquitur de ſingularibus neceſſarijs, ſed contingentibus, nam ita ſubdit. Poteſt tamen cognoſcere illa habitualiter; ſi illa fiant in exiſtentia reali; ergo non loquitur de ſingularibus poſſibilibus, aut exiſtentibus neceſſarijs, ſed etiam de contingentibus: hactenus Fraſſen tom. 3. tract. 1. diſp. 2. art. 2. ſect. 3. q. 3. Cæterùm cui non placet hæc ſententia, poteſt tenere oppoſitam cum præfatis Doctoribus, iuxta doctrinam paulò ſuperiùs traditam; & p. 2. diſp. 3. q. 2. de intellectu Angeli.

Quæres 1. An ſcientia Animæ Chriſti fuerit actualis, vel habitualis. Reſp. fuit actualis, & habitualis. Habitualis quidem, quia ſcientia, quæ infunditur per modum formæ permanentis eſt habitualis; ergo cum ſcientia Chriſti fuerit à Deo ei indita per modum formæ permanentis eſt habitualis, alioquin ſi fuiſſet per modum formę tranſeuntis inſita, Chriſtus non potuiſſet ea vti quando ſibi placebat, & pro libito; Erat etiam actualis, quia Chriſtus tali ſcientia vtebatur, at vſus dicit actualitatem: ergo erat actualis.

Quæres 2. An ſcientia Chriſti fuerit diſcurſiua.

Reſp.

Reſp. Recentiores vnanimi conſenſu ſentiunt, non fuiſſe diſcurſiuam, ideſt per modum compoſitionis, & diſcurſus, ſed ſolùm per modum ſimplicis apprehenſionis, & intuitus, qualiter etiam Angeli intelligunt. Verùm dicendum cum Scoto in 3. d. 14. q. 3. potuiſſe Chriſtum vti ſcientia infuſa per diſcurſum; cui conſonant diſcipuli, & quidam Recentiores. Ratio eſt, quia diſcurſus propriè dictus in hoc conſiſtit, vt ſit cognitio vnius rei orta ex cognitione alterius, ſed Chriſtus ita diſcurrere potuit, nam ex cognitione cauſæ potuit cognoſcere effectum; puta quòd homo eſt riſibilis, quia eſt rationalis, ergo potuit habere cognitionem effectus ortam ex cognitione cauſæ. Nec releuat reſponſio Recentiorum dicentium, ad diſcurſum exigi proceſſum à noto ad ignotum, ac proinde in Chriſto talis proceſſus admitti non debet, alioquin in eo fuiſſet aliqua ignorantia. Non releuat, inquam, quia, licèt ad diſcurſum requiratur cognitio concluſionis, ad quam proceditur, eſſe cauſatam à cognitione præmiſſarum, ac proinde eſſe actum ab ea diſtinctum, non tamen ex natura ſua poſtulat, quòd per ipſum aliquid de nouo cognoſcatur, quod antea eſſet ignotum ex Scoto loc. cit. ſed quandoquè facit præhabita vti cognitione, e. g. ponatur, quòd quis cognoſcat iſtam per experientiam. Omnis homo eſt riſibilis, tunc diſcurſus à præmiſſis ad hanc concluſionem, non facit illam cognoſcere abſolutè, ſed facit illam cognoſcere ſic; nimirum tamquàm effectum per cauſam, vel facit vti priori notitia, quam habuit de hac concluſione, ſufficit igitur ad diſcurſum, vt concluſio inferatur per aliam, nec eſt neceſſe, vt ignotum inferatur ex notiori; ergo potuit Chriſtus ita diſcurrere ad concluſiones, quarum priùs habuit cognitionem abſtractiuam in ſe ipſis. Tum quia Anima Chriſti erat rationalis, ac proinde ratiocinatiua, ſicut noſtra; ergo potuit vti habitu ſcientifico ſibi infuſo ad ratiocinandum, & diſcurrendum: conſ. patet, quia anima poteſt vti pro libito cognitione ſibi inexiſtente; maximè quando illa ordinatur ad perficiendam, & complendam illius actiuitatem; qualiter Animæ Chriſti data fuit, & talis modus eſt Animæ connaturalis; ergo Anima Chriſti per ſcientiam infuſam potuit ratiocinari. Tum quia etiam Beatus ex Scoto, licet videat in Verbo creaturas, diſcurrere tamen poteſt à natu-

tu-

tura ad proprietates, immò videns Deum in ſe, poteſt ex effectibus creatis, quos ſimul cognoſcit, deducere cognitionem abſtractiuam illius. Itaquè breuiter dici poteſt, quòd ſcientia infuſa Chriſti non fuit collatiua, & diſcurſiua quoad acquiſitionem, ſed tantùm quoad vſum, quod non obſcurè colligitur ex S. Scrip. nam Matt. 12. Chriſtus probat, ſe non eijcere Dæmonia in Principe Dęmoniorum, & Matt. 22. vbi agit de nuptijs; Lucæ 20. vbi de Reſurrectione mortuorum; ergo ſcientia Chriſti erat diſcurſiua quoad vſum.

Quæres 3. An Chriſtus vti potuerit hac ſcientia infuſa ſine conuerſione ad phantaſmata.

Reſp. Chriſtus potuit cognoſcere per ſcientiam infuſam obiecta ſine conuerſione ad phantaſmata,& potuit vt viator pro ſuo arbitrio vti phantaſmate. Primæ partis ratio eſt, quia, ſi ſcientia Chriſti eſſet alligata ſenſibus, duo ſequerentur abſurda. Primum,quòd Chriſtus nihil intelligere potuiſſet in pueritia; ſecundum,quòd non potuiſſet mereri; vndè Scot. in 3. d. 14. q. 3. in fine, & alibi docet,Chriſtum ab initio potuiſſe per voluntatem operari, & mereri; ſicut de facto operatus eſt,& meritus,iuxta Apoſt. ad Hebr. 10. vbi aſſerit, *Chriſtum ſtatim in hunc mundum ingredientem, ſe in ſacrificium Patri æterno obtuliſſe; ac in ea voluntate nos ſanctificatos fuiſſe;* ergo ab initio potuit hac ſcientia vti abſque conuerſione ad phantaſmata; cum tunc ætatem idoneam non haberet ad illa efformanda. Prob. conſ. Quia Chriſtus non poterat mereri per ſcientiam beatam, cum eſſet comprehenſor; nec talis ſcientia ſecundùm communem ordinem eſſet regula actus meritorij,qui neceſſariò libertatem requirit in merente. Præterea ſpecies infuſæ non dependent per ſe à phantaſia, ſicut ſpecies ącquiſitæ; ergo Chriſtus potuit illis vti independenter à phantaſia; hinc patet,quàm leue ſit fundamentum Durandi oppoſitum aſſerentis. Ratio ſecundæ partis eſt. Sanè poterat Chriſtus cognoſcere obiecta naturalia per illam ſcientiam; at obiecta naturalia, & materialia cognoſcuntur medijs phantaſmatibus; ergo Chriſtus, vt viator,potuit illa cognoſcere per conuerſionem ad phantaſmata.

Confirmatur. Quia Chriſtus multa cognouit medijs ſenſibus; at ſic agnoſcere eſt cognoſcere medijs phantaſmatibus,

bus, ac intellectu agente; ergo Chriſtus quoad vſum huius ſcientiæ potuit cognoſcere per conuerſionem ad phantaſmata, maximè quando cognoſcebat corporea, vel ſpiritualia per corporea, etſi tali conuerſione ad phantaſmata non indiguerit, quia ſpecies infuſæ, vt diximus, non ſunt neceſſariò alligatæ ſenſibus: Vndè minùs rectè diſcurrit Vaſquez diſp. 52. cap. 2. dum negat, potuiſſe Chriſtum vti ſcientia infuſa conuertendo ſe ad phantaſmata; eo fundamento, quòd hæc ſcientia non fuerit ſenſuum miniſterio acquiſita, & quòd ſcientia Chriſti ſit inſtar ſcientiæ Angelorum, & hæc ratio nullius eſt momenti; ideo &c.

Quæres 4. An ſcientia infuſa Chriſti fuerit perfectior, & maior Angelorum ſcientia.

Reſp. Quod quæſitum non reuocat in dubium ſcientiam Chriſti beatam, an videlicet fuerit perfectior; quia indubitatum eſt apud Theologos; ſcientiam beatam Chriſti fuiſſe longè præſtantiorem ſcientia Angelorum; tum quia Chriſtus eſt primogenitus, & Caput omnium electorum, ac proinde etiam Angelorum; tum quia ratione vnionis hypoſtaticæ habuit ſummam gratiam, & lumen multò excellentius; quo perfectiùs videt in Verbo creaturas, & plures, quàm cæteri beati, vt liquidò patet ex dictis. Igitur dubitatur tantùm de ſcientia infuſa. Et quidem Thomiſtæ; vt refert Maſtrius, volunt, ſcientiam Chriſti, quantùm ad numerum obiectorum fuiſſe maiorem, & præſtantiorem ſcientia infuſa Angelorum, nec non quoad certitudinem, & claritatem cognitionis, quia perfectius lumen habuit ad intelligendum, quàm Angeli; eſſe autem imperfectiorem quoad modum cognoſcendi, quia intellectus humanus eſt naturæ imperfectioris angelico, & conſequenter, quia ſpecies ſunt naturis commenſuratæ; ac proinde ſpecies Animæ erunt imperfectiores angelicis. Verùm dicendum cum Scot. in 3. d. 14. q. 4. ſpecies infuſas Animæ Chriſti fuiſſe perfectiores ſpeciebus angelicis; ac proinde ex parte ſpecierum fuiſſe in Chriſto ſcientiam præſtantiorem angelica. Idquè ſic ex Doct. prob. Nam ſicut poſſibile fuit, Animam Chriſti habere ſummam gratiam, ita poſſibile fuit, habere perfectiſſimas ſpecies intelligibiles: Sed quod eſt poſſibile non eſt denegandum Animæ Chriſti; ergo &c. Nec valet ratio Thomiſtarum, dicentium, ſpecies commen-

ſurari debere, eò quia ſi ſpecies ſunt diſtribuendæ Angelis, & Animæ Chriſti ſecundùm naturarum proportionem, pari ratione actualis cognitio, & lumen, vt debita ſeruetur proportio, quod tamen negant Thomiſtæ. Tum quia non apparet maior ratio de ſpeciebus, ac de gratia, & gloria; ſicut igitur non fuit collata Chriſto gratia, & gloria ad menſuram naturæ inferioris Angelicæ; ita nec ſpecies intelligibiles ob eandem rationem, nempe ob vnionem cum Verbo; ergo, ſicut Anima Chriſti fuit ornata ſumma gratia, & gloria, ita ornari debuit intellectus eius perfectioribus ſpeciebus, quàm ſint ſpecies Angelis donatæ.

Quæres 5. An hæc ſcientia infuſa in Anima Chriſti importet habitum à ſpeciebus diſtinctum.

Reſp. Si per habitum infuſum intelligatur habitus aliquis ſcientificus, præter ſpecies intelligibiles; nulla apparet ratio illum ponendi, cum per tales ſpecies infuſas intellectus ſufficienter conſtituatur in actu primo ad eliciendum actum ſecundum cognitionis: At ſi per habitum infuſum, intelligatur aliqua qualitas, qua mediante eleuetur intellectus ad eliciendum actum cognitionis ſupernaturalis; in hoc ſenſu admittitur paſſim ab vtraquè Schola; nec non à pluribus Recentioribus. Ratio eſt, quia Chriſtus per ſcientiam infuſam cognoſcebat obiecta ſupernaturalia actu cognitionis ſupernaturalis, ſed ad talem cognitionis ſupernaturalis actum eliciendum non ſolùm eſt neceſſaria ſpecies ſe tenens ex parte obiecti, ſed requiritur etiam ſpecialis eleuatio ipſius potentiæ, vtpotè ex parte ſui inſufficiens ad huiuſmodi actum eliciendum, ſicut ad actum fidei eliciendum ponitur de facto in noſtro intellectu habitus fidei; Verum quia non omnes ſpecies infuſæ ſunt in ordine ad obiecta ſupernaturalia, ſed etiam in ordine ad obiecta naturalia, ideoque cenſet Maſtrius, allatam rationem non ſufficienter probare; Vndè ſubdit, meliùs, & vniuerſalius probari per hanc rationem. Intellectui Chriſti concedendum eſt totum id, quod perfectionem dicit in intellectu creato, ſed ad eius perfectionem pertinet habere vim actiuam adiuuantem intellectum ad perfectè operandum circa quælibet obiecta, & huiuſmodi ſunt habitus, naturales quidem circa obiecta naturalia, ſupernaturales verò circa obiecta ſupernaturalia; ergo &c.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum præter Scientiã beatam, & infuſam ſit admittenda in Anima Chriſti etiam Scientia acquiſita.

NOt. 1. Quòd conueniunt Theologi, Chriſtum habuiſſe ſcientiam humanam, ideſt Animæ connaturalem, perfectio namque gratiæ non excludit naturæ perfectionem; & hæc dicitur acquiſita, quæ eſt propria Viatoris, & communiter dici ſolet experimentalis, in qua Chriſtus profeciſſe narratur. Lucæ cap. 2. *Puer Ieſus proficiebat ætate, & ſapientia apud Deum, & homines*; neque hæc auctoritas exponenda eſt, inquit Scot. q. 3. §. ad argumenta vt tantum profecerit ſecundùm apparentiam; quia iuxta Aug. 83. q. q. 9. contra Appollinaniſtas, *Euangeliſta narrant hiſtoriam, & ideò verba eorum vera ſunt, vt exprimuntur; non ſic de alijs ſermonibus tropicis S. Scrip. idquè declarat etiam auctoritas D. Ambroſij in Epiſt. ad Hebræos; quia verè in eo aliquis ſenſus profecit*. Deinde id clarè colligitur ex ipſo contextu dicente, Chriſtum profeciſſe apud Deum, & homines: Si apud Deum, ergo verè profecit, & non tantùm opinione hominum: Tum quia dicit, Chriſtum eodem modo profeciſſe ſapientia, ſicut proficiebat ætate, ſed verè profecit ætate, ergo etiam verè profecit ſapientia.

Not. 2. Quòd ſcientia experimentalis differt à ſcientia in pluribus. Primò quia ſcientia eſt in intellectu perſeuerans, & occupatur circa res vniuerſales, in abſtracto conſideratas, cognitio verò experimentalis eſt circa res indiuiduales, præſentes, & mouentes ad ſui cognitionem, ideoque hæc eſt ſemper intuitiua. 2. ſcientia poteſt diuinitùs infundi independenter ab omni prorſus experientia, experimentalis autem notitia non videtur poſſe infundi, ſed ſolùm per ipſam experientiam acquiri, nam ſpecies ad experientiam deſeruientes pertinent ad cognitionem intuitiuam præſentium, vel memoriam præteritorum, vel coniecturam futurorum, vt docet Scot. loc. cit. & in Reportatis ſic habet. Contradictio eſt igitur, quòd ſit cognitio intuitiua in genere proprio, & quòd res non ſit, quia ſpecies non poteſt ſufficere ad cognitionem intuitiuam ſine præſentia rei, quia ſpecies æqualiter poteſt repræſentare obiectum re exi-

exiſtente, & non exiſtente; igitur non ſufficienter cauſat cognitionem intuitiuam exiſtentiæ rei. Deniquè ſpecies, quibus ſcientia vtitur in ſua repræſentatione, & cognitione abſtrahunt à tempore, & à præcedente aliqua cognitione: at ſpecies, quæ experimento deſeruiunt, repræſentant rem præſentem, cum ordine ad tempus præteritum, & ad intuitiuam, ſeu ſenſibilem cognitionem præteritam: *Experientia enim eſt diuturna, & exacta obſeruatio ſingularium, ex qua certa, & conſtans cognitio colligitur.*

I. Concl. In Anima Chriſti admittenda eſt ſcientia acquiſita, per quam ipſe intuitiuè, & in ſe ipſis, ac eorum reali, & actuali præſentia nouit omnia indiuidua materialia, & immaterialia, quæ nunquam habuit præſentia; vel ita ſint intra ſpheram actiuitatis, vt intuitiuè ea attingere naturali virtute poſſit. Eſt Scoti, & Scotiſtarum loc. cit.

Prob. Cognitio intuitiua obiecti nequit haberi per ſpecies, nec etiam infuſas, vt ex dictis conſtat; ergo vel Chriſtus potuit per intellectum agentem abſtrahere, & recipere ſpecies ab obiectis præſentibus, vel non potuit: Si potuit, ergo profecit in cognitione, quia talis modus eſt via ad ſcientiam; ſi non potuit, ergo fuit inferior mente omnibus hominibus, quod abſurdum eſt dicere.

Confirmatur. Etenim Chriſtus multa apprehendebat per decurſum temporis, quod aliàs non apprehenderat; apprehendit enim dolorem mortis, dolorem in horto, conſolationem Angeli, tentationem Diaboli in deſerto, & alia plura, ſed illa omnia retinebat; ergo &c.

Hinc ſequitur, Chriſtum per hanc ſcientiam cognouiſſe hominum cogitationes, & ſecreta cordium intuitiuè, quando erant intra ſpheram ſuæ naturalis actiuitatis, actus namque intuitiuus eſt proprius ſcientiæ acquiſitæ, vt inter alios notat noſter Gallus. Item cognouiſſe intuitiuè, nedum omnia indiuidua ſingularia omnium rerum creatarum, quæ ſucceſſiuè illi occurrebant præſentes, ſed etiam ipſas naturas, & quidditates; Siquidem quidditates in ſingularibus exiſtentes, ſicut poſſident proprium eſſe diſtinctum à ſingularitate, ſic poſſunt eſſe, idoneum obiectum cognitionis intuitiuę, vti ſunt cognitionis abſtractiuæ, vt claré oſtendit Scot. hac diſt. & quæſt. in Reportatis. Inſuper habuit conſequenter cognitionem rememoratiuam eorum,

rum, quæ aliquando nouit cognitione intuitiua, quam notitiam Scot. intuitiuam imperfectam vocat, quatenùs non totaliter abſtrahit ab exiſtentia, ſed eam aliquo modo concernit. Quamuis enim Chriſtus ab inſtanti conceptionis habuerit cognitionem omnium præteritorum per ſpecies infuſas; hæc tamen cognitio non dicitur rememoratiua, vel memoria, ſed ſimplex præteritorum cognitio. Vndè Doctor 4. d. 45. q. 3. aſſignat duplex recordationis obiectum, nempe proximum, & remotum; primum eſt actus ipſe præteritus, qui ſpeciem ſui in potentia intellectiua impreſſit, per quam concurrit ad actum recordationis; remotum autem eſt res illa, quæ fuit obiectum illius actus præteriti.

Arg. contra conc. Si admittatur talis ſcientia acquiſita, ſeu experimentalis in Anima Chriſti; ſequitur hoc abſurdum, videlicet, quòd fuerint in ea eorundem obiectorum aliæ ſpecies per accidens infuſæ, & aliæ verè acquiſitæ, ergo &c. Reſp. negando ſequi huiuſmodi abſurdum. Nam Chriſtus temporis decurſu non accepit à rebus ſpecies quidditatum, quæ ad ſcientiam pertinent, nequè ſpecies ſingularium, quas ſemel ab initio habuit infuſas, ſed tantùm notitiam effectuum contingentium, quæ eius tempore occurrebant ſub aliqua præſentia requiſita ad illorum notitiam humano modo acquirendam. Immò non ſequitur vllum abſurdum, etiamſi demus; quòd Chriſtus acquirat ſpecies eorum obiectorum, quorum ab initio habuit infuſas; experimento namquè conſtat in nobis ipſis; poſtquàm enim ſemel acquiſiuimus ſpeciem alicuius obiecti, quando iterum idem obiectum in conſpectum veniet; immittet denuo ſpecies, & ſic multiplicantur ſpecies eiuſdem obiecti.

Arg. 2. Si Chriſtus potuiſſet temporis progreſſu aliquam partem ſcientiæ acquirere ab obiectis intuitiuè cognitis, ergo potuiſſet addiſcere eandem ſcientiam à Magiſtris medio ſenſu auditus, non enim eſt maior ratio, ſed conſ. eſt contra S. Scrip. ergo &c. Reſp. conſ. Quia dedecebat addiſcere Chriſtum ab alijs; cum ipſe fuerit Doctor, & Præceptor hominum, & Angelorum.

De libertate Voluntatis Chriſti; & de eius Gratia, ſeu Sanctitate.

QVÆSTIO I.

Vtrum in Chriſto fuerint duæ voluntates, nempe Diuina, & humana; & an voluntas humana fuerit libera in ſuis operationibus.

NOt. 1. Quòd circa primam partem præſentis quæſtionis plures fuerunt errores. Appollinarius ſiquidem negabat voluntatem in Chriſto, quia illi negabat animam rationalem; putans, Verbum D regere corpus, idem ſenſit Eutiches, qui, ſicut poſuit in Chriſto vnam naturam; ita conſequenter aſſeruit vnam tantùm voluntatem. Monothelitæ ſic dicti ab aſſertione vnius voluntatis in Chriſto dicebant, duas in Chriſto eſſe perfectas, & integras naturas, diuinam, & humanam contra Appollinarem, & Arium, eſſequè inconfuſas contra Eutichem An verò negauerint in Chriſto duplicem voluntatem; ſolam diuinam admittentes, dubium eſt; quia eorum ſenſus fuit valde ambiguus. Communis tamen ſententia Theologorum eſt; Monothelitas admiſiſſe in Chriſto ſolam voluntatem D. ac proinde carere voluntate humana. Idquè quatuor modis aſſerere potuerunt, vt obſeruat noſter Aretinus in 3. d. 17. q. vn. art. 1. Primo, negando duas naturas Chriſti, & ita refert hunc errorem Pratulus verb. Monothelitę: 2. non negando duas ſubſtantiales naturas, ſed tantùm ipſam potentiam voluntatis humanæ, & hoc ſub dubio indicat Alphonſus à Caſtro verb. Chriſtus; 3. non negando potentiam, ſed omnem eius actum, vt putat Caiet. & Vaſquez: 4. nec potentiam, nec actum omnem ſimpliciter, ſed propriè ſolam determinationem, vel deliberationem voluntatis humanæ; ita vt dixerint, voluntatem Chriſti humanam non potiùs operari, ſe mouendo, & applicando liberè ad actus ſuos; ſed ſolùm ex determinatione voluntatis D. & ſic vnam Chriſti voluntatem, vel operationem affirmare, vt cenſet D. Thom. lib. 4. contra Gentes cap. 63.

Not.

Not. 2. Quòd voluntas poteſt accipi; vt docet Scot. in 3. d. 17. q. vn. ſub ratione propria, vel ſub ratione generali, & nomine, nempe appetitus: & ſecundo modo fuerunt ad minus tres voluntates, vel appetitus, ſcilicet, intellectualis increatus, rationalis creatus, & irrationalis, ideſt ſenſitiuus; ſed quia Voluntas addit ſuper appetitum, eò quòd eſt appetitus cum ratione liber, ſic ſtrictè loquendo, fuerunt in Chriſto tantùm duæ voluntates. Sed communiter accipiendo voluntatem pro appetitu, ſic puto, quòd in ipſo ſicut in nobis fuerunt tot appetitus diſtincti, quot ſunt potentiæ apprehenſiuæ in nobis, quia ſicut alia apprehenſio eſt guſtus, viſus &c. ita eſt alia inclinatio, & delectatio conſequens hanc apprehenſionem, & illam: communiter tamen loquimur de appetitu ſenſitiuo, ſicut de vno, & ille eſt, qui ſequitur virtutem imaginatiuam, & ſicut illa virtus imaginatiua imaginatur obiecta omnium ſenſuum, & in præſentia illorum, & abſentia, ita ſuo appetitu delectatur in illis, ſi ſint conuenientia, vel dolet de illis, ſi ſint diſconuenientia. Et paulò inferius ſubdit Doctor. Sed quid de naturali voluntate, & libera? Dico, quòd appetitus naturalis in qualibet re generali nomine accipitur pro inclinatione naturali rei ad propriam perfectionem. Vndè eadem potentia dicitur voluntas naturalis cum reſpectu ad propriam perfectionem, & dicitur libera ſecundùm rationem propriam, & intrinſecam, quæ eſt voluntas ſpecificè.

I. Concl. In Chriſto ſunt duæ voluntates, nempe Diuina, & humana. Eſt de fide contra Monothelitas: & patet ex VI. Synodo act. 4. & 8. Lateranenſi ſub Martino I. & alijs Concilijs: Patet etiam ex Scriptura, in qua Chriſtus voluntatem, ſeu volitionem ſuam diſtinguit à voluntate, ſeu volitione Patris. Matt. 26. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu:* Ioan. 1. 5. *Non quæro voluntatem meam; ſed voluntatem eius, qui miſit me.* Ratio eſt manifeſta. Quia voluntas ſequitur naturam, quæ cum fuerit duplex in Chriſto, etiam iuxta Monothelitas; ſequitur quòd in ipſo ſint potentiæ naturales, & potentiæ vtriuſque naturæ; ſed potentiæ perfectiſſimæ naturæ rationalis ſunt intellectus, & voluntas; igitur in ipſo ſunt intellectus creatus, & voluntas creata, & ratione naturæ D. eſt in ipſo intellectus increatus, & voluntas increata. Ita Scot. loc. cit. & ſubdit. In Chriſto fuit ſumma gloria;

 & ſum-

& ſumma fruitio; fuit omnis ſcientia ratione naturæ aſſumptæ; cum igitur cognitio, & fruitio præſupponat intellectum,& voluntatem,oportet ponere in Chriſto vtramque potentiam optimè diſpoſitam; ergo &c. Quare ſequitur, eſſe manifeſtum abſurdum, admittere in Chriſto duplicem voluntatem, & alterutri actum, ſeu volitionem negare.

II. Concl. Voluntas humana Chriſti fuit libera. Hæc eſt certa, immò de fide ait Herincx p. 4. diſp. 2. de Volunt. q. 3. & patet ex VI. Synodo act. 4. *Definiente, in Chriſto fuiſſe proprietates naturales, & propriam operationem naturæ humanæ; vna autem iſtarum eſt liberum arbitrium & operatio libera eſt homini maximè propria.* Eadem veritas colligitur ex S. Scrip. ſignanter Iſai. 53. *Oblatus eſt, quia ipſe voluit; ideſt iuxta D. Hieronym. non neceſſitate, ſed voluntate Crucem ſubit.* Et Iohan. 10. *Nemo tollit animam meam à me, ſed ego pono eam à me ipſo, & poteſtatem habeo ponendi eam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo.* Accedit ratio. Quia libertas eſt præcipua proprietas hominis, qua excellit Bruta, quia eſt appetitus cum ratione liber, vt ait Scotus; ergo &c. Tum quia libertas eſt neceſſaria ad merendum,& ſatisfaciendum, ſed Chriſtus meruit, & ſatisfecit, ergo &c.

Verum difficultas grauis eſt. An voluntas humana Chriſti fuerit libera, nedum libertate a coactione, quæ eſt deliberata ſpontaneitas, intrinſeca actibus, etiam maximè neceſſarijs voluntatis, vt oſtenſum eſt in tract. de Gratia, & alibi, ſed etiam libera libertate à neceſſitate. Vnanimis Doctorum Catholicorum conſenſus ſentit, Chriſti voluntatem fuiſſe liberam libertate à neceſſitate, & de hac, teſte Herincx, & Macedo loquuntur auctoritates; & eadem iuxta fidem exigitur ad meritum, vel ad demeritum, vt oſtenſum eſt in diſp. de Merito partis ſecundæ, & contra Ianſenium definiuit Innocent. X. de fide autem eſt, Chriſtum verè nobis meruiſſe; Vndè D. Aug. lib. 1. de lib. arb. cap. 1. ait. *Pœna iniuſta eſſet, & præmium ſi homo voluntatem non haberet liberam.* Quomodo autem Chriſtus liberè potuerit operari ad meritum, cum eſſet beatus, dicetur infra in diſp. de merito Chriſti.

Arg. cont. 2. omnes actus Chriſti erant ab æterno prædefiniti; ergo Chriſtus ſecundùm voluntatem humanam non libe-

liberè operabatur. Reſp. neg. conſ. quia data tali prædiffinitione, nulla alia neceſſitas ſequitur, niſi conſequentiæ, & ſenſus compoſiti, quod ſimiliter contingit in cæteris electis, & tamen liberè operantur; an verò fuerit Chriſtus liber in omnibus oſtendet quæſtio ſequens.

QVÆSTIO II.

Vtrum voluntas humana Chriſti fuerit in omnibus actibus libera.

NOt. 1. Quòd præſens quæſtio procedit non ſolùm de actibus præceptis, ſed etiam de actibus non præceptis, ſeu ſub conſilio; vndè quæſtionis ſenſus eſt; An Chriſtus vt homo potuerit elicere actum minùs perfectum omiſſo perfectiori, vel ęquè teneretur ad vtrumquè actum eliciendum: & ratio dubitandi eſt, quia elicere actum minùs perfectum, relicto perfectiori, eſt agere imperfectè in genere moris; quod videtur apertè repugnare Chriſti ſanctitati; Quare aduertere oportet, quòd imperfectio moralis ſumi poteſt dupliciter, nempe poſitiuè, vel negatiuè; primo modo ſumitur quatenus includit peccatum mortale, aut veniale, vel etiam, quatenus dicit aliquam oppoſitionem cum lege, etiam non obligante ad vllum peccatum; qualis eſt conſtitutio aliqua regularis, quæ vt tactum eſt in tract. de leg. ad nullum peccatum obligat, cuius tranſgreſſio dici poteſt imperfectio moralis, ſeu quædam indecentia, & huiuſmodi imperfectio poſitiua indubiè repugnat Chriſti ſanctitati, tum ratione vnionis, tum ratione viſionis beatificæ, ſaltem de potentia ordinaria: 2. modo ſumitur negatiuè; quæ quidem imperfectio moralis in eo conſiſtit; vt non fiat ſummum opus, quod fieri poterat, quo ſenſu actus minùs perfectus, ille nimirum, qui habet minorem honeſtatem obiectiuam, vel minorem intenſionem formalem, nequit propriè dici actus imperfectus, quia ſic videretur includere imperfectionem moralem poſitiuam, igitur dici ſolùm debet actus minùs perfectus comparatiuè ad perfectiorem; & talis imperfectio moralis negatiua non videtur repugnare Chriſto, nec phyſicè, nec moraliter.

Not. 2. quod in hac quæſt. ſunt plures ſententiæ, quæ re-

reducuntur ad tres. Prima aſſerit; Chriſtum fuiſſe neceſſitatum ad perfectiora, ac proinde determinatum ad ſequenda conſil.a; ſicut ad obſeruantiam præceptorum; vndè ſicut non potuit peccare, ſic neque potuit actum minùs perfectum elicere, ita Suarez Hurtadus, Bernal. & alij. Secunda ſententia exiſtimat, Chriſtum fuiſſe omninò liberum quoad obſeruantiam Conſiliorum diuinorum, itaut potuerit ea non obſeruare; vndè conſequenter negat, Chriſtum fuiſſe ſemper ad perfectiora neceſſitatum, ac determinatum: ita Vaſquez, Valentia, Salas, Amicus, & alij. Tertia denique ſententia docet, Chriſtum moraliter quidem fuiſſe ad obſeruantiam conſiliorum determinatum, & ad meliora neceſſitatum, adeout fuerit moraliter impoſſibile non exequi diuina conſilia; licèt phyſicè, ſeu ſpectata phyſica ipſius poteſtate fuiſſe liberum; ac indeterminatum: ita noſter Poncius, Lugo, & alij.

I. Concl. Chriſtus habuit potentiam phyſicam ad eligendum opus conſilij, vel ſupererogationis minùs perfectum, nec in hoc ſenſu fuiſſe ad perfectiora determinatum: Eſt Maſtrij in tom. 3. diſp. 5. q.4. de libertate voluntatis Chriſti, Poncij, & aliorum tertiæ ſententiæ ſupra relatæ: vbi Maſtrius ſe declarat, intelligere per potentiam phyſicam ex communi explicatione, eam potentiam, quæ ratione difficultatis annexæ, nunquam ad actum reducitur, & hanc ſufficere ad libertatem ſimpliciter, qualis potentia datur ad vitandum omnia venialia collectiuè cum auxilijs ordinarijs, eſtò nunquàm vitentur ob defectum potentiæ moralis. Prob. Voluntas Chriſti retinebat ſuam integram, & naturalem libertatem ſine vlla coactione; ſine vlla intrinſeca neceſſitate; ergo Chriſtus remanebat liber ſpectata eius potentia phyſica ad eligendum opus conſilij: Ant. pat. Siquidem nec vnio hypoſtatica, nec per eam mediantem Diuinitas influebat in voluntatem Chriſti humanam; mutando intimè naturalem facultatem; ac proinde remanebat intrinſecè indeterminata, & indifferens quantùm erat ex innata poteſtate, quæ non auferebatur per præceptum, quod áduenìebat ab extrinſeco, nihil adimens de dominio, de libertate; vt latè oſtenderetur in diſp. de Merito; vbi afferetur ex Scoto ratio præcipua meriti Chriſti, ideſt quia erat ſimul Comprehenſor, & Viator ex diuina diſpenſatione, ergo ſi

Chri-

Chriſtus erat indeterminatus quoad præcepta ipſa; tantò magis erat indeterminatus ad eligendum opus conſilij; & minùs perfectum, quamuis Chriſtus de facto in operando ſemper elegerit, quod melius, & perfectius erat. Amplector igitur concluſionem Maſtrij, ſed non totaliter in illius ſenſu, nec conſequenter in probatione cum eo conuenio, vt expreſsè conſtat ex ijs, quæ ipſe Maſtrius congerit in propugnatione ſuæ aſſertionis.

Arg. cont. conc. Chriſtus in ſanctitate fuit perfectiſſimus, & irreprehenſibilis; ergo non poterat facere contra conſilia diuina; ac proinde ad illa erat determinatus, & neceſſitatus.

Reſp. conc. ant. & neg. conſ. ob rationem in probatione concluſionis aſſignata.

Arg. 2. Abſurdum eſt aſſerere, Beatos non eſſe ex vi beatificæ viſionis determinatos ad eligendum ſemper id, quod iudicant magis placere Deo; ſed poſſe vi propriæ libertatis eligere, quod agnoſcunt minùs placere Deo; ergo cum Chriſtus ſit ſummè beatus, non poteſt non eſſe determinatus ad id, quod magis Deo placet. Reſp. neg. ant. Si loquatur de determinatione ab intrinſeco, quia voluntas ab intrinſeco remanet ſemper libera; ſi autem loquatur de determinatione ab extrinſeco; concedendum eſt, fore abſurdum, ſed nihil contra noſtram concluſionem.

Arg. 3. ex S. Scrip. Iohan. 6. *Deſcendi de Cœlo, non vt faciam voluntatem meam, ſed voluntatem eius, qui miſit me*, & cap. 8. *Quæ placita ſunt ei facio ſemper*: & cap. 5. *Non poteſt Filius facere quicquam, niſi quæ Patrem viderit facientem*; ergo &c.

Reſp. ex prima, & ſecunda auctoritate deſumpta ex D. Iohan. potiùs confirmari noſtram concluſionem; nam facere voluntatem alterius importat, ſe determinare ad operandum conformiter ad illius mandata: quod attinet ad tertiam, dicendum, non poſſe Chriſtus facere impotentia morali, & extrinſeca; non verò phyſica, & intrinſeca.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Chriſtus ſecundùm humanam voluntatem peccare potuerit.

NOt. 1. Quòd impeccabilitas dicitur tripliciter; primo modo ſolum negatiuè; quo ſenſu carentia intellectu dicuntur impeccabilia. Secundo modo non ſolùm negatiuè, ſed contrariè ſe habens in perpetuum ad peccatum, etſi hoc ſit per naturam, ſic ſolus Deus eſt impeccabilis; ſi autem ſit per gratiam, ſeu per habitum; ſic beati ſunt impeccabiles, & ſic fortaſſe Immaculata Deipara, maximè poſt conceptionem Chriſti, iuxta Nicol. de Niſe. Tertio modo dicitur impeccabilitas, quatenus idem importat, quod vix peccabilitas; & in hoc ſenſu dicitur aliquis impeccabilis, quia vix ad peccatum ſe inclinat. Inſuper in natura intellectuali iſta tria, nempe impotentia peccandi, impeccabilitas, & non peccans ſe habent per ordinem. Nam impotentia peccandi ſolùm in Deo per naturam admittitur. Impeccabilitas negat ordinem ad peccatum, ſeu peccandum, & non peccans ſolùm negat actum peccandi.

Not. 2. Quòd Doctores catholici fatentur iuxta fidem, Chriſtum peccatum non feciſſe; vt habetur in 1. Petri cap. 2. & alibi in S. Scriptura Concilijs, & Patribus; immò nec de potentia ordinaria peccare potuiſſet: at diſcrepant in aſſignanda huius impeccabilitatis radice. Et quidem Thomiſtæ, & Recentiores cenſent, impeccabilitatis radicem ortum ducere principalitèr ab vnione hypoſtatica, & conſequenter ab vnione gratuita, & beatifica; adeout non potuerit Deus, nec de potentia abſoluta, ſtante tali vnione ea illi denegare; ac proinde inferunt, abſolutè loquendo, eſſe incompoſſibilem vnionem hypoſtaticam cum aliquo peccato; aut etiam proxima peccandi potentia. Verùm Scotiſtæ omnes, & plures extra noſtram Scholam in 3. d. 2. q. 1. & diſt. 12. q. 1. docent, impeccabilitatem non ex vi vnionis præcisè hypoſtaticæ oriri, neque ex gratia; ſed ex gloria, qua Beati de lege ordinaria ſunt impeccabiles, & ex diuina prouidentia, ſeu præuentione, qua ab omni peccato præſeruantur; vt de mente Doctoris oſtenſum eſt in p. 1. diſp. de Beatitudine quæſt.

I. Concl.

I. Concl. Chriſtus peccatum non fecit: hæc eſt de fide contra Caluinum, qui horrendè blaſphemauit dicens, Chriſtum in cruce deſperaſſe quando dixit, & clamauit: *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquiſti me?* & actualiter peccaſſe etiam in horto cum dixit *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix.* quia ſic non conformauit voluntatem ſuam cum voluntate Patris: Itaque prima pars perſpicuè conſtat ex S. Scrip. & Concilijs, Chriſtum nimirum nec peccatum actuale, nec originale, ad quod redimendum venerat, habuiſſe; vndè ſignanter Lucæ 1. dicitur. *Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur*, & de peccato actuali conſtat 2. ad Corint. cap. 5. vbi ſic. *Eum, qui non nouerat peccatum, pro nobis peccatum fecit; ideſt ſacrificium pro peccato, vt de peccato damnaret peccatum.*

Secunda pars probatur in primis ratione vnionis hypoſtaticę, cui debebatur talis gratiarum plenitudo, qua non tantùm iuſtificaretur, ſed & in omni bono firmaretur. Deinde ratione beatitudinis, quam habuit ab inſtanti conceptionis. Deniquè ratione finis Incarnationis, qui eſt redemptio à peccatis; ergo &c.

II. Concl. Impeccabilitas Chriſti proximè, & formaliter oritur ex viſione beatifica, radicaliter verò, & remotè ex vnione hypoſtatica, quæ velut connaturaliter exigit, vt detur viſio beata humanitati ipſius, ac proinde de potentia abſoluta non repugnat, quòd etiam ſtante vnione hypoſtatica Chriſtus peccare potuerit. Eſt Scoti, & diſcipulorum, & præter Scotiſtas veteres, & Recentiores hanc docuerunt etiam Durandus in 3. d. 12. q. 2. Marſilius, & Gabriel ibidem. Prob. conc. quòd per abſolutam Dei potentiam potuerit Chriſtus peccare, in quo ſtat difficultatis cardo: Vnio hypoſtatica eſt vnio phyſica, & naturalis ordinata ad ſubſiſtentiam naturæ humanæ cum perſona D. in genere ſuppopoſiti; ergo non præſtat propriè, & formaliter impeccabilitatem, quæ ſpectat ad genus moralitatis; ac proinde ex vi vnionis non redditur humana natura impeccabilis.

Prob. conſ. ex Scoto. Potentia non aliter ſe habens in ratione actus primi, non aliter ſe habet ad actum ſecundum, ſed iſta potentia Animæ, ſiue ſit eadem eſſentiæ, ſiue aliud ab eſſentia, ex ſola vnione naturæ humanæ, non aliter ſe habet in ratione principij agendi quantùm ad actum; quia illa natura eſt primò perſonabilis, & nunc perſonatur

per-

perſona extrinſeca, & eodem modo poſſet ſi fuiſſet priùs perſonata propria perſonalitate, & in nullo natura mutata in actu primo, ſi fuiſſet intrinſecè perſonata, antequam aſſumpta. igitur ex hoc ſolo, quòd eſt vnitas, non aliter ſe habet quantùm ad actum primum.

Prob. 2. Illa potentia peccandi pertinet ad libertatem intrinſecam naturæ humanæ, quæ libera eſt, & in vtramquè partem indifferens, ergo non poteſt fieri impeccabilis ab intrinſeco, ſed tantùm ab extrinſeco, ſed potentia, quæ ab extrinſeco eſt impeccabilis per abſolutam Dei potentiam poteſt eſſe peccabilis; ergo &c. Confirm. Etenim cum impeccabilitate ab intrinſeco ex vi vnionis hypoſtaticæ non poteſt conſiſtere ratio libertatis, ſed hæc neceſſariò ponenda eſt in Chriſto propter meritum in operando; ergo &c. maior prob. quia non datur libertas ſine potentia ad oppoſitum, ſed ſic eſt, quòd ex illa impeccabilitate aufertur potentia ad oppoſitum, nempe peccatum, quod nec de potentia quidem abſoluta cum illa componitur, ergo nulla relinquitur in operando libertas, ſine qua meritum eſſe non poteſt.

Prob. 3. Ex contraria ſententia ſequitur confuſio quædam diuinarum, & humanarum proprietatum, quæ eſt maximè vitanda ob errorem Eutychis, & Apollinaris; ergo non eſt admittenda. Prob. aſſumptum: Nam contraria ſententia ponit illapſum quendam intrinſecum ſanctitatis D. in naturam humanam, per quam fiat formaliter impeccabilis, in quo inuolui videtur quidam commixtio, & confuſio proprietatum vnius, & alterius naturæ, ergo &c.

Reſp. Thomiſtæ quaſi vnica, & generali reſponſione ad noſtras rationes; Chriſtum neceſſariò eſſe impeccabilem ſecundùm humanam voluntatem; nam ex eo, quòd vnio hypoſtatica, vel Diuinitas, aut perſona Verbi peccatum ipſum excludat, neceſſariò ſequitur, quòd humanitas Chriſti in ſenſu compoſito, & ſtante eius vnione cum Verbo nec de potentia abſoluta peccare poſſit, ac proinde ſimpliciter, & abſolutè dicenda eſt impeccabilis. Verùm hæc reſponſio repugnat in terminis, inquit Maſtrius; nam ſenſus compoſitus apud logicos non infert impoſſibilitatem ſimpliciter, & per quamcumque potentiam; ſed impoſſibilitatem ſecundùm quid: vndè ex hoc quòd prædeſtinatus

in ſenſu compoſito non poteſt damnari, non infertur, quòd nequeat ſimpliciter, & abſolutè damnari, ſed tantùm ſecundùm quid, ergo dato etiam, quòd vnio hypoſtatica ex ſui natura ſit cum peccato incompoſſibilis; non tamen exinde rectè infertur, quòd, ipſa vnione permanente, humanitas aſſumpta ſit impeccabilis ſimpliciter, & abſolutè loquendo, ſed tantùm ſecundùm quid.

Prob. vltimò. Si natura humana redditur impeccabilis; vel redditur à ſola Perſona Verbi; vel ab omnibus diuinis Perſonis non primum; quia Verbum per ſuam ſubſiſtentiam præcisè non ſanctificat, nec poteſt ſanctificare naturam illam ſibi vnitam; nequè ſecundum, quia aliæ Perſonæ nihil operantur in ratione ſuppoſiti, ergo non concurrunt ad illam ſanctificationem: ſi autem concurrant, Diuinitas debet concurrere; vtì communis eſt tribus Perſonis; non autem ſicut propria Filij; ergo nullo modo concurrit, & ſic ruit penitus fundamentum Thomiſtarum. Videant ergo quàm temerè nonnulli hanc noſtram ſententiam graui cenſura notant; non enim ratione, ſed propriæ opinionis genio ducuntur.

Arg. 1. auctoritate Sanctorum Patrum; quos fidenter pro ſua ſententia adducunt velut præcipuum eorum fundamentum; nam omnes ferè Patres Græci prætendunt ſuæ ſententiæ fauere; ergo Chriſtus non potuit nec quidem de potentia abſoluta peccare. Reſp. primo ex Macedo tom. 3. collat. 4. Diff. 1. ſect. 5. generatim illos Patres ſcripſiſſe contra Arium, & ſequaces, qui ponebant Verb. Dei eſſe creaturam, & affirmabant, etiam vtì Deum peccare potuiſſe ſicut refert Nicephorus lib 4. Hiſtor. cap. 5. quam hæreſim vt euerterent, negabant Chriſto potentiam peccandi, ne purus homo crederetur. Deinde illi Patres non loquebantur de potentia abſoluta, ſed de facto, & de potentia ordinaria. Reſp. 2. ex Gallo relato à Maſtrio, aduertente, omnes fermè Patres, qui pro oppoſita opinione allegari ſolent, contra Appolinarem ſcripſiſſe, negantem mentem humanam in Chriſti humanitate; cum enim de ſe ad malum ſit vertibilis, timebat, ne eam in Chriſto admittendo, peccatum quoque in eo admitteret, vel ſaltem peccandi periculum, ad quem errorem reijciendum, Patres dixerunt, ex vnione humanitatis Chriſti cum Verbo; & intima Diuinita-

nitatis præſentia, inſtar ignis in ferro ignito, fuiſſe eius mentem peccato ſuperiorem, & à peccandi poteſtate alienam.

Arg. ratione. Diuino ſuppoſito repugnat peccare, ergo Chriſtus Perſona D. peccare non potuit. Reſp. conc. ant. & diſting. conſ. Chriſtus vt Perſona D. conc.conſ. Chriſtus ſecundùm quod homo: neg. Itaque repugnat Verbo poſſe peccare, ſed non repugnat naturæ humanæ aſſumptæ.

Contra. Actiones ſunt ſuppoſitorum; ſed ſuppoſito D. repugnat peccatum; ergo repugnat etiam poſſibilitas cum peccato. Reſp. diſting. mai. denominatiuè conc. cauſaliter, ſeu actiuè, neg. Igitur aliud eſt denominari, aliud operari; denominaretur vtiquè peccator Deus, ſed non ideò eſſet peccator.

Arg. 2. Implicat contradictionem, quòd beatus remanens beatus peccare poſſit, ſed Chriſtus eſt beatus, ergo implicat contradictionem peccare. Reſp. diſting. mai. In ſenſu compoſito, conc. mai. in ſenſu diuiſo neg. mai. Verum ſiquidem eſt, peccatum cum beatitudine actuali conſiſtere non poſſe, vndè Scot. docet, Chriſtum ratione beatitudinis eſſe impeccabilem.

Arg. 3. Gratia vnionis hypoſtaticæ eſt quædam ſanctitas ſubſtantialis in humanitate Chriſti, & altioris ordinis, quàm ſit ſanctitas gratiæ habitualis: ſed peccatum nequit cum ſanctitate conſiſtere; ergo &c. maior patet, quia hinc manifeſta ſequeretur implicantia, quòd nempe natura humana eſſet ſancta ratione vnionis hypoſtaticæ, & non eſſet ſancta ratione peccati, & inſuper quòd ei deberetur viſio beatifica, & non deberetur. Reſp. conc. mai. cæteris paribus, & neg. min. de ſubſtantiali ſanctitate; Siquidem talis ſanctitas de potentia abſoluta non implicat eſſe cum potentia proxima peccandi, ſeu etiam cum peccato: cum nil aliud ſit, quàm quædam ſanctitas inchoata, & radicalis ratione vnionis cum perſona D. non autem formalis, qualis habetur per gratiam, & charitatem: vt infra magis patebit.

Cæterùm; gratis etiam conceſſo, quòd ſanctitas ſubſtantialis phyſicè opponatur peccato, & ab eodem excludi, adhuc argumentum nil probat, vel ad ſummum probat, vnionem hypoſtaticam eſſe cum peccato incompoſſibilem; non autem cum proxima peccandi potentia; Vel vnionem non

poſſe

poſſe ſimul conſiſtere, alioquin ſequeretur illa implicantia, quòd humanitas aſſumpta eſſet ſancta, & non ſancta, grata, & non grata, non tamen probat, humanitatem Verbo vnitam non poſſe peccare, & peccando priuari ſanctitate vnionis hypoſtaticæ, ſicut homo iuſtus poteſt peccare, & peccando ſanctitatem amittere.

Arg 4. Si Chriſtus, vt homo peccare potuiſſet, ſequeretur, Deum per communicationem idiomatum peccare poſſe, ſed hoc eſt omninò abſurdum; immò impium dicere, ergo &c. Reſp. conc. ſequelam, quam quidam ſignanter Gabriel in 3.d.2. & 12.q.1. negauit, timens concedere Deum dici peccatorem per idiomatum communicationem, ſed inconſequenter, ait Macedo: admittenda igitur in eo caſu ſequela, cum in re nihil ponat, & ſola ſit denominatio extrinſeca Deo, cui ſi non repugnat dici incapacem rationis brutum, & irrationalem &c. nec etiam repugnabit dici peccatorem; Nec vrget replica Suarez, Auerſæ, Beccani, & aliorum; quòd ſi humanitas aſſumpta peccaret, vel peccare poſſet, ſequeretur, quòd per communicationem idiomatum Deus diceretur peccare, nedum denominatiue, & per accidens, ſed etiam propriè, & immediatè, & per ſe; quia eò ipſo, quòd Deus aſſumit naturam, tenetur illam regere, ne in peccatum labatur. Non vrget, inquam, quia, vt reſpondet Maſt. ſi vrgeret, probaret pariter Deum teneri nos regere, & noſtra impedire peccata quia nos habet vt Filios adoptiuos. Ex dictis conſtat, noſtram ſententiam eſſe, vt ait Herincx, ſpectata ratione, oppoſita longè ſolidiorem; & Maced. dolet, ta iniquè de noſtra ſententia iudicare Suaréz, & Vaſquez, qui auſi ſunt, eam notare velut temerariam, & parùm piam, & piarum aurium offenſiuam, quibus occurrit Macedo; ſic loquens. Vbi eſt illa maior pietas, ſententiæ nimirum oppoſitæ? Omnes dicimus in Chriſto nec fuiſſe peccatum, nec eſſe potuiſſe de potentia ordinaria. Vtrum verò de potentia abſoluta peccare potuerit, id totum ſcholaſticum eſt: & Gabriel loc. cit. a Maſtrio relatus ait. Quòd eſtò aures indocti, & ignorantis vulgi per eas propoſitiones videantur offendi, Chriſtus abſolutè potentia Dei potuiſſe peccare; non ob id à ſua ſententia doctus Theologus remoueri debet, qui ſcit, aliam eſſe Dei impeccabilitatem, & aliam creaturæ.

QVÆ-

QVÆSTIO V.

Vtrum inter humanam voluntatem Chriſti, & Diuinam fuerit aliqua contrarietas; vel ſemper humana fuerit Diuinæ conformis.

NOt. 1. quòd in voluntate Chriſti fuerunt non ſolùm actus efficaces, ſed etiam inefficaces; de actibus efficacibus patet, quia per illos operatus eſt omnia virtutis opera, & iuſſis D. Voluntatis obtemperauit vſquè ad mortem juxta illud *factus eſt obediens vſquè ad mortem &c.* quod etiam interdum aliquos actus inefficaces habuerit, ſatìs probant verba illa Matt. 16. *Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte;* quibus ſuum affectum indicat; illum autem non fuiſſe efficacem, & abſolutum oſtendunt hæc ſequentia verba. *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu;* qui quidem affectus non ſolùm in appetitu ſenſitiuo, ſed etiam in voluntate fuerit conſtat ex VI. Synodo act. 4. & 11. vbi ex hoc loco probatur humana Chriſti voluntas.

Not. 2. quòd conformitas voluntatis humanæ ad Diuinam in duobus conſiſtit, nempe in volito, & in ratione volendi; prior eſt, quando voluntas humana vult idem obiectum, quod vult D. voluntas: obiectum autem volitum eſt duplex, ideſt materiale, & formale; materiale eſt idem obiectum volitum, formale verò eſt quando voluntas humana non ſolùm vult idem obiectum, quod Diuina; ſed etiam ob eandem rationem; ſeu cauſam: At conformitas in modo volendi eſt quando voluntas humana vult aliquid eodem modo, quo vult D. voluntas: hæc ſiquidem eſt de neceſſitate conformitatis; prima verò aliquando de neceſſitate, aliquando de congruitate, & interdum præter neceſſitatem, & congruitatem vt dictum eſt p. 2. tract. 3. diſp. 4. q. 10. Et quidem de neceſſitate in præceptis diuinis, in quibus homo debet obedire, & velle, quod vult Deus, de congruitate, vt acceptare infirmitates, & tribulationes gratanti animo, & ſine murmuratione: præter neceſſitatem, & congruitatem, vt ſi Deus vellet, Patrem meum mori, & ego idem volo, ex quo Deus ita vult, ſed hoc eſt præter neceſſitatẽ, & congruitatem, quia Deus non vult, me hoc velle; immò oppoſitũ, & hęc eſſet vitioſa conformitas; ita diſcurrit in hac quæſt. noſter Aret.

I. Conl.

I. Concl. Inter humanam, & D. voluntatem nulla fuit contrarietas. Eſt de fide definita *in Synodo VI. Act. 4. & 17. & habetur apertiſſimè in S. Scrip. vbi Chriſtus teſtatur ſuum cibum eſſe, vt faciat voluntatem Patris. Ideoquè Ioan. 8. ait. Ea, quæ placita ſunt ei, facio ſemper*. Prob. ratione. Ad huiuſmodi repugnantiam requiritur vt oppoſitio ſit in eodem, tamquam in ſubiecto, & circa idem tamquam obiectum, & ſecundùm idem tamquam rationem tendendi, ſed in Chriſto non fuerunt omnia hæc; ergo &c. Prob. min. Nam licèt in Chriſto fuerit oppoſitio circa idem obiectum, quia volebat mori, & volebat non mori, non tamen fuit in eo oppoſitio ſecundùm idem velut rationem tendendi, cum non ſub eadem ratione volebat mori, & volebat non mori: volebat namque mori pro redemptione generis humani, & nolebat mori; quia mors erat incommoda ſuæ naturæ. Rurſus neque fuit oppoſitio in eodem tamquam in ſubiecto: Etenim voluntas rationalis mortem volebat, & acceptabat, repudiabat verò mortem voluntate naturali; ergo &c.

Nec obſtat, quòd Chriſtus noluerit mortem, ſeu paſſionem, quam Pater volebat; quia illa refugiebat tamquàm naturæ contrariam, appetens eandem ſimul tamquàm à Patre iniunctam, & redemptioni neceſſariam. Nequè etiam refugiebat illam efficaciter, ſed ſub conditione relata ad voluntatem D. Qui affectus inefficax ſub alio motiuo elicitus, non eſt contrarius voluntati efficaci rei oppoſitæ, voluntati (inquam) etiam eiuſdem naturæ; ergo quantò minus voluntati naturæ diſtinctæ, nempe diuinæ? præſertim cum illam ipſam voluntatem inefficacem D. voluntas approbaret, quatenus ſic in Chriſto veritas aſſumptæ carnis paſſibilis pateſceret. Itaquè licèt voluntas Chriſti ſecundum actum inefficacem interdum voluerit, quòd abſolute, & ſimpliciter Deus nolebat; ſemper tamen in huiuſmodi actu erat conformis D. voluntati, tamquam principio, & regulæ; ac proinde ſimpliciter illæ voluntates nunquam fuerunt contrariæ: ita docent Alenſ. p. 3. q. 15. D. Bonau. in 3, d. 17. art. 1, q. 3. Ricard. eadem diſtinct. & Scot. d. 15. q. 1.

II. Concl. licèt inefficax Chriſti voluntas nòn ſemper ſit impleta, vt patet Matt. 26. *Pater, ſi poſſibile eſt &c.* efficax tamen ſemper impleta fuit. Eſt communis Theologorum ſen-

ſententia, eamquè latè oſtendit Scot. in 3. d. 18. q. 2. in Report. vbi ita loquitur. Dico tamen, quòd loquendo de voluntate D. beneplaciti, ſic omnia fiebant, licèt non omnia, quæ voluit voluntate ſigni, vel voluntate antecedente. Sed de voluntate Chriſti diſtinguo primò quoad appetitum ſenſitiuum, dico, quòd multa voluit, quæ non erant impleta, vt fugere paſſiones, & bona commoda illi naturæ. Niſi ponatur, quòd appetitus ſenſitiuus in eo magìs inclinabatur ad obediendum appetitui regulato ratione, quàm ad fugiendum nociuum ſibi, quod non videtur probabile, remanente natura appetitus ſenſitiui. Si loquamur de voluntate Chriſti, vt natura, ſic non habuit actum elicitum, ſed ſolùm inclinationem ad bona commoda, & ſic multa noluit Chriſtus, quæ tamen eueniebant, quia inclinatio naturalis fuit in Chriſto ad bonum eſſe perſonæ, cuius erat maximus appetitus propter hoc, quòd per naturam maxima bona conueniebant tali naturæ; igitur contra talem inclinationem naturalem multa contingebant.

Loquendo de voluntate vt libera, diſtinguo de portione Superiori, & inferiori. De portione Superiori quantùm ad actum elicitum ſimpliciter voluit paſſionem, & omnia, quę voluit erant impleta; ita quòd nihil abſolutè noluit, quod paſſus eſt; quia quicquid voluit tota Trinitas voluit Chriſtus quantùm ad portionem ſuperiorem voluntatis humanæ. Si autem loquamur de portione inferiori; ſicut de portione ſuperiori multa noluit nolitione conditionata, hoc eſt ſi poſſent aliter fieri: ſic ſecundùm portionem inferiorem adhuc nihil ſimpliciter noluit, quod euenit, quia portio Superior rationis arguebat, quòd quidlibet, quod ſibi contingebat, eſſet ſimpliciter volendum. Igitur inferior portio rationis non arguebat, quòd aliquid illorum eſſet ſimpliciter nolendum. Ideò ſecundùm portionem inferiorem voluntatis, nihil quod eueniebat ſimpliciter noluit, ſed aliqua non voluit, quia portiò inferior rationis illa, non conſiderauit; tamen ſi potuiſſet aliter fieri, illud non voluiſſet. Hactenùs Doctor S. qui ſubdit dubium de oratione Chriſti dicens, quid igitur de oratione?

Videtur quibuſdam (ſic enim reſpondet) quòd aliquid orauit, quod non fuit impletum, dum Matt. 25. ait. *Pater, ſi poſſibile eſt &c.* Dico tamen, quòd nihil orauit Chriſtus

quin

quin ſimpliciter fuit impletum. Vndè Ioan. 17. *Orauit pro diſcipulis, & exauditus fuit. Etiam rogauit pro Lazaro, & fuit exauditus ſed quod dicitur Matt. 25. illud non ligat, quòd ter orauit*. Primò dixit. Si poſſibile eſt &c. Primum rogauit volitione conditionata. Secundò volitione abſoluta, & in hoc informabat nos, quòd debemus petere commodum volitione conditionata, & debemus petere, velle Dei impleri volitione abſoluta. Secundò orauit dicens. *Pater ſi non poteſt fieri, vt tranſeat, niſi bibam: fiat voluntas tua*: Ideò quod petijt prmò ſub conditione non recitauit, nec nos debemus in orando recitare, quod volumus volitione conditionata; ſed quòd debemus velle volitione abſoluta. Tertiò orauit eundem ſermonem, hoc eſt, hunc ſermonem. Et ideò dico, quòd vniuerſaliter fuit eius oratio exaudita in re petita: hæc Doctor ſub.

Cæterùm quæres. An Chriſtus verè, & propriè pro nobis nunc oret in Cœlo. Reſp. Chriſtum in hac vita pro nobis oraſſe, eſt indubitatum, cum S. Scrip. pluribi narret, Chriſtum oraſſe: Quæritur ergo. An hunc eundem actum Religionis excellentiſſimum etiam modò in Cœlis pro nobis exerceat. Notanter dicitur in quæſito verè, & propriè; quia duobus modis accipi poteſt; primo latè prout ſignificat omnem actum interiorem, quo mens eleuatur in Deum per meditationem, deuotionem, & ſimilia: ſecundò propriè, in quo ſenſu ſic à Scoto in 4. d. 45. q. 4. deſcribitur. *Eſt deſiderium Deo oblatum ea intentione, vt ab ipſo habeatur optatum; quod quidem deſiderium, ſi eſt actus ſola mente elicitus; dicitur oratio mentalis ſi voce expreſſus, dicitur oratio vocalis*. Apud omnes Theologos eſt certum; Chriſtum, ſecundùm quod homo, non ſolùm oraſſe pro nobis, dum in terris degebat; ſed etiam modò in Cœlis pro nobis orare; idque expreſsè habetur in S. Scrip. & ſignanter ad Roman. 8. *Qui eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis*, & 1. Ioan. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum*. Difficultas tamen eſt, an Chriſtus, vt homo verè, & propriè oret, expreſsè petendo aliquid pro nobis, vel ſolùm impropriè, ſeu interpretatiuè; nempe repræſentando ſuam paſſionem, & merita. Sunt, qui putant, Chriſtum in Cœlum orare ſolùm impropriè, ſeu interpretatiuè, & tacitè, oſtendendo Patri ſuam humanitatem, & cicatrices, in ipſis ſimul repræſentans ſua præte-

rita merita, & preces pro nobis, dum viueret fuſas, quæ cum perſeuerent in conſpectu Dei, moueant illum ad gratias tunc poſtulatas concedendas, & in hoc ſenſu explicant omnia loca S. Scripturæ. Ita Vaſquez, Becanus, Medina, Cardinalis de Lugo, & alij. Verùm dicendum cum D. Bonau. Alenſi D. Thoma; quos ſequuntur Suarez, Granada, Caſpenſis, & quamplures alij, Chriſtum non ſolùm interpretatiuè, & tacitè orare etiam modò in Cœlo; ſed propriè, & expreſsè. Ratio eſt euidens ex locis Scripturæ allegatis, quæ ægrè patiuntur expoſitionem ſententiæ oppoſitæ; cum verba S. Scripturæ intelligenda ſint in propria ſignificatione, niſi aliquod abſurdum ſequatur: ſed nullum abſurdum ſequitur, Chriſtum propriè orare; immò id aſſerere eſt conforme SS. Patribus, & quidem decens eſt; quia ſi Beati pro nobis orant; tantò magìs Chriſtus orat, qui eſt noſter Redemptor, & Aduocatus, & oratio vtpote actus religionis nullam includit imperfectionem; ergo &c.

At dices. Vel oratio Chriſti nunc in Cœlo exiſtentis aliquid nobis impetrat, vel nihil; ſi nihil, ergo eſt otioſa, & ſuperflua; ſi aliquid ergo in hac vita non conſummauit opus noſtræ redemptionis. Præterea. Iam talis oratio haberet rationem meriti pro noſtra ſalute, cum digna ſit, vt exaudiatur: tum quia quod propter illam datur, datur tamquam præmium, & retributio, ergo reſpondet illi tamquam merito; ac proinde Chriſtus etiam modò pro nobis meretur; quod nemo concedet.

Reſp. concedendo, Chriſtum modò aliquid pro nobis impetrare; nempe ipſam phyſicæ productionis gratiæ executionem. Neque ex hoc ſequitur, non eſſe conſummatum in hac vita opus redemptionis noſtræ, quæ noua oratio Chriſti in Cœlo non requiritur, vt nouum meritum; ſed potiùs vt exigitiua iuris à Chriſto acquiſiti merito ſuæ paſſionis: Quòd autem oratio ſit imperatoria abſque eo quòd ſit meritoria patet, quia etiam orationes Sanctorum ſunt huiuſmodi.

QVÆ-

QVÆSTIO VI.

Vtrum in Chriſto ponenda ſit gratia habitualis.

NOt. 1. Quòd in tract. de gratia partis 2. latè oſtenſum eſt, quid ſit gratia habitualis, & qui, ac quales ſint eius effectus; vndè ſuperfluum eſt hic eadem repetere. Itaque ſolùm hìc eſt aduertendum pro intelligentia quæſtionis præſentis, & eius reſolutione, quòd duplex diſtingui poteſt in Chriſto ſanctitas; alia ſubſtantialis, alia formalis: prior habetur per vnionem hypoſtaticam; quæ confert ratione ſui termini moralem ſanctitatem; ſeu potiùs dignitatem, inquit Herincx, humanitati Chriſti; adeò vt in concreto dici debeat Deus; ideoquè connaturaliter exigat gratiam ſanctificantem in perfectiſſimo gradu, cui vita æterna, & cætera debeantur de iure, quæ vnioni hypoſtaticæ ſecundùm ſe debentur de congruo, & velut radicaliter. Similem autem moralem dignitatem, & quaſi conſecrationem tribuit vnio etiam partibus humanitatis, etſi ſecundùm ſe incapacibus formalis ſanctificationis: qua ratione eius corpus in hymno Eccleſiæ dicitur ſanctiſſimum, & ſanguis ſimiliter ſanctiſſimus, ſeu ſacratiſſimus dici ſolet; nec aliud exigit natura vnionis hypoſtaticæ, & auctoritas Patrum. Quamuis alioquin potuiſſet Deus ex ſua libertate effectus gratiæ iuſtificantis etiam vnioni hypoſtaticæ annectere. Vtrùm autem de facto annexuerit, non ita conſtat. Sic diſcurrit Herincx diſp. 2. q. 2. de gratia Chriſti. Poſterior autem ſanctitas habetur per gratiam habitualem, ratione cuius quis eam habens dicitur iuſtus, Sanctus formaliter, & habet ius immediatum ad hæreditatem.

Not. 2. quòd hæ duæ ſanctitates, nempe ſubſtantialis, ſeu perſonalis, & formalis in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Conueniunt, quia vtraquè eſt realis intrinſecè vnita humanitati mediante perſonalitate Verbi; differunt, quia ſanctitas perſonalis afficit naturam per modum termini, ſanctitas autem formalis per modum formæ intrinſecè inhærentis, quæ eſt principium actuum ſupernaturalium, & meritoriorum, quorum non eſt principium ſanctitas, ſeu gratia ſubſtantialis. Conueniunt, quia ambæ eleuant ſubiectum ad aliquod eſſe Diuinum, & ſupernatu-

rale, perſonalis quidem ad eſſe ſupernaturale Verbi; formalis ad eſſe diuinum per participationem. Hinc controuerſia eſt apud Theologos: An gratia ſanctificans fuerit Chriſto neceſſaria, vt eſſet formaliter ſanctus; an verò ſolùm, vt volunt Thomiſtæ, ad complementum illius ſanctificationis, & ad operandum connaturaliter in ordinæ gratiæ.

Concl. Gratia ſanctificans ponenda eſt in Chriſto, vt Chriſtus ſit formaliter Sanctus. Eſt Scoti, & Scotiſtarum contra Thomiſtas. Prob. Nam ex dictis patet, vnionem hypoſtaticam non eſſe formam iuſtificantem, ergo ponenda eſt neceſſariò gratia habitualis: ant. conſtat ex ratione in ſecundo notabili allata. Prob. conſ. In Chriſto duplex erat Dei inhabitatio, vna per Diuinitatem ratione vnionis hypoſtaticæ; altera per ſanctitatem mediante gratia, alioquin ſi ſecùs eſſet, non tam perſpicuè Patres, & Scholaſtici Doctores ponerent gratiam habitualem, & charitatem infuſam in Anima Chriſti; adeò vt id de fide eſſe dicant Aret. in 3. d. 13. q. 1. art. 3. Suarez, Lorca, & noſter Felix, & præſertim Aretinus oſtendit id eſſe *Concilio Trident. conforme, quod nullam aliam agnoſcit formam iuſtificantem præter gratiam; prout habetur ſeſſ. 6 c. 7. & can. 21. & ſeſſ. 14. c. 1. & 4.* Quamuis enim de ſanctificatione hominum loquatur, non de Anima Chriſti, conſequenter de ea intelligendum eſt, cum non aliam rationem iuſtificandi agnouerit, niſi per gratiam; ergo cenſuit eam eſſe vbique formam iuſtificantem.

Confirmatur ex abſurdo, quod ſequitur ex ſententia oppoſita. Nam tenentur dicere, gratiam ſanctificantem, quam ineſſe Chriſto affirmant in ſubiecto nihil efficere, & cum ſit forma carere ſuo effectu formali, ſi vnio hypoſtatica de ſe iuſtificaret, quod contradictionem inuoluit.

Præterea Ioan. 1. dicitur de Chriſto. *Plenum gratiæ, & veritatis*, quæ verba ab omnibus intelliguntur, teſte Herincx, de quauis habituali perfectione, quæ dignitati Chriſti conueniebat; at de nulla poteſt magis intelligi, quàm de perfectione gratiæ habitualis; ergo &c. min. patet, quia Chriſto ad diligendum Deum erat neceſſaria charitas habitualis, quæ eſt indiſtincta a gratia, iuxta Scotum, & iuxta Thomiſtas ſic profluit à gratia, vt ſine ea ſaltem connaturaliter eſſe nequeat.

Arg. cont. conc. Quicquid eſt incapax filiationis adoptiuæ,

uæ, eſt etiam incapax gratiæ habitualis; ſed Chriſtus eſt incapax filiationis adoptiuæ; ergo &c. maior probatur. Quia eſſe filium adoptiuum eſt formalis effectus gratiæ habitualis; *vt indicat Apoſt. ad Rom.* 8. *& docet Trid. ſeſſ. 6. cap.*10. *dum definit iuſtificationem*; ergo &c. Reſp. primis poſſe concedi totum argumentum, vt conſtat ex ſupra deductis in quæſt de adoptione. Nihilominus tenendo, vt tenere debemus, iuxta ſaniorem ſententiam, Chriſtum non eſſe Filium adoptiuum; dicimus neg. min. ad cuius prob. diſting. ant. eſſe adoptiuum eſt effectus formalis ſecundarius in eo ſubiecto, quod adoptionis eſt capax; conc. primarius nego. Siquidem gratia habitualis eſt forma abſoluta; adoptiua autem filiatio diuina eſt de genere relationis; at nulla relatio eſt primarius effectus formalis qualitatis permanentis, ſed reſultat tantùm ad poſitionem illius in ſubiecto capaci; quale non eſt Chriſtus, cum ſit filiationis adoptiuæ incapax.

Arg. 2. Chriſtus ratione vnionis hypoſtaticæ continet gratiam habitualem, & omnes alias gratias eminenter, quia gratia vnionis longè nobiliori modo efficit Deo gratum, & ſanctum, quàm gratia habitualis, quæ ſolùm accidentaliter perficit ſuum ſubiectum; ergo ſuperfluum eſt ponere in Chriſto gratiam habitualem. Reſp. neg. vnionem hypoſtaticam eminenter continere gratiam habitualem; adeò vt formalem ſanctificet. Qualiter autem hæc gratia vnionis excellentior ſit gratia habituali conſtat ex dictis.

Dices. Ideò Deus non indiget gratia habituali, vt ſit formaliter ſanctus omnimoda ſanctitate, quia eius ſanctitas eminenter continet quicquid ſanctitatis eſt in gratia habituali; ergo à ſimili Anima Chriſti ratione vnionis hypoſtaticæ non indiget alia gratia, vt ſit formaliter ſancta.

Reſp. neg. paritatem. Maximum ſiquidem diſcrimen eſt; nam Deus eſt ſanctus eſſentialiter intrinſecè; Anima autem Chriſti ſolummodo extrinſecè ratione D. ſubſiſtentiæ; Planè in Deo reperitur ſanctitas eſſentialis, quæ eſt propria D. eſſentiæ, quatenus formaliter diſtinguitur à ſuis attributis, quæ etiam dicitur radicalis: Reperitur ſanctitas moralis, ſeu formalis, quæ nil aliud eſt, quàm ipſamet D. voluntatis rectitudo in obliquabilis. Reperitur denique ſanctitas, quæ rectè dicitur tranſcendentalis; conueniens

omnibus, quæ ſunt in Deo; nihil namque in Deo eſt, quod non ſit realiter aliquid diuinum, ac proinde non ſit aliqua entitas diuina, vel eſſentialis, vel attributalis, vel perſonalis; vndè cum perſonalitates D. Perſonarum ſint aliquid diuinum; ideò illis rectè tribui poteſt ſanctitas quædam perſonalis, ad diſtinctionem ſanctitatis eſſentialis, & moralis.

QVÆSTIO VII.

Vtrum gratia Chriſto collata fuerit infinita, vel potiùs finita, ſed ſumma.

NOt. 1. Quòd gratiam eſſe infinitam poteſt varijs modis intelligi. Primò in ratione entis, & qualitatis: Secundò in ratione gratiæ, quatenus nimirum poſſet infinitè dignificare naturam. Tertiò per ſolam extrinſecam acceptationem Dei; adeò vt Deus illam iudicet dignam; quæ producat effectus conducentes ad infiniti boni poſſeſſionem. Quartò per ordinem, & moralem habitudinem ad D. ſuppoſitum, quatenus illa ineſt humanitati ſubſiſtenti ſubſiſtentia diuina; Quintò denique in gradibus intenſionis. Inſuper obſeruandum ex Scoto, quòd ſummum, ſeu ſupremum poteſt dupliciter exponi, nempe affirmatiuè, ſeu poſitiuè, & negatiuè. Si affirmatiuè, tunc denotatur exceſſus reſpectu omnium aliorum, & ſic Ariſt. 9. Top. cap. 15. dicit, quod per ſuperabundantiam dicitur vni ſoli conuenit, quia oppoſitum in adiecto eſt, quod excedat omnia alia, & tamen quod habeat ſuperius, vel æquale. Secundo modo exponitur ſuperlatiuum ſummum negatiuè; nempe quòd alia non excedant ipſum.

Not. 2. quòd D. Thomas, & Scotus circa hanc quæſtionem in aliquo conueniunt, & in aliquo differunt. Conueniunt ſiquidem in hoc, quòd vterque doceat, gratiam Chriſti non fuiſſe actu nec ſecundùm entitatem, nec ſecundùm gradus infinitam. Differunt autem, quia D. Thomas contendit, gratiam Chriſti eſſe infinitam ſaltem poteſtate, quia per abſolutam Dei potentiam potuit augeri in infinitum, & conſequenter non fuit ſumma poſſibilis; Doctor verò Subt. id negat apertè, etſi Maſtrius contendat de mente

te Scoti contra communem Scotiſtarum ſententiam in qualitatibus non dari terminum; ac proindè, data quacumquè gratia, poteſt ſemper vſquè in infinitum ſecundùm gradus augeri: Item differunt, quia D. Thomas docet, gratiam Chriſti in ratione gratiæ eſſe infinitam; ea ductus ratione, quia Verbum D. vnitum humanitati eleuat, & nobilitat quicquid illi coniungitur, iuxta vniuſcuiuſq; modum, & capacitatem. Vndè quia opus bonum eſt meritorium dat illi infinitum valorem in illo ordine, & quia opus pœnale eſt ſatisfactorium dat illi infinitatem in genere ſatisfactorij; ac proinde, quia gratia ex ſe habet facere gratum coniunctio cum Verbo tribuit illi quandam dignitatem, & valorem, ratione cuius habet reddere quodammodò infinitè gratum; at hoc negat Scot. vt monſtrabimus in diſp. de merito Chriſti.

I. Concl. Gratia Chriſti non eſt poteſtate infinita; ac proinde augeri non poteſt in infinitum. Eſt D. Bonau. in 3. d. 17. art. 1. q. 4. Richardi ibidem, & Scoti diſt. 13. q. 4. ſ. ad primam quæſt. & ſequitur Durand. Caiet. p. 3. q. 7. art. 9. & 10. Prob. ex Scoto loc. cit. & in Reportatis ſic. Quælibet gratia cauſabilis diſtinctè videtur ab intellectu D. quæro igitur cum videat hanc gratiam creatam; an videat, iſtam diſtare per infinitos gradus medios eiuſdem qualitatis ab alia gratia, quam poteſt creare, vel ſolùm videt eam diſtare per certos gradus; ſi videat eam diſtare per gradus finitos; igitur ſumma creabilis finita eſt, & ſimul poteſt creari includens certos gradus, & tunc ſumma gratia creabilis poteſt ſimul eſſe in effectu: Si videt diſtantiam infinitam ſecundùm gradus eiuſdem qualitatis intenſiuè; igitur videt aliquem gradum infinitum intenſiuè; aliter enim quilibet, quem videt, diſtaret finitè ab iſto, & tunc ſequerentur duo impoſſibilia. Primum, quòd talis gradus ſit factibilis, & tunc aliqua creatura infinita eſſet factibilis. Secundò ſequitur ex eodem, quòd iſte gradus poteſt creari vnica actione, cum videat eum diſtinctè, & tunc iterum habetur propoſitum; quia ille gradus gratiæ eſt ſummus, qui potuit creari, & talis poteſt eſſe ſimul in effectu.

Ab iſta ratione, pergit Doctor, habent euidentiam ſuam aliæ duæ rationes; quarum vna accipitur à Philoſ. 3. Phyſ. cap. de infinito. Quod quantùm contingit eſſe in poten-

tia, tantùm contingit eſſe in actu, & ita non eſt procedere in infinitum in potentia eundo ad formam, hoc eſt, vt exponit Lych. ad perfectionem; & ideo neceſſe eſt in forma permanenti quantumcumque perfecta ponere terminum qualitercumque poſſibilem; nam Ariſt. admittit infinitum in ſucceſſiuis. Nota ex Lychero, quòd ire ad formam eſt ire ad perfectionem, quod contingit in augmento, vel ſecundùm intenſionem, vel ſecundùm extenſionem; ire verò ad materiam eſt ire ad partes materiales alicuius continui, in quas diuiditur: Ex hoc ergo quòd charitas, vel gratia eſt quoddam permanens etiam ſecundùm quemcumque gradum, ſequitur, quòd ſi procedatur in infinitum, quilibet graduum factibilium erit factibilis, & ita quantùm contingit eſſe in potentia, contingit eſſe ſimul in actu; Quia poſſibilitas ad talem, vel tantam formam non eſt poſſibilitas ad aliquid tantùm in fieri; ſed ad aliquid in facto eſſe; & iſtum intellectum tangit Commentator alibi &c. Alia ratio. Quantam charitatem Deus poteſt creare, tantam poteſt creare, ſubiectum includit prædicatum: igitur ponatur in eſſe; quantam poteſt creare, tantam creat; igitur ſi poteſt creare infinitam, ponatur in eſſe, quod actu cauſet infinitam; hoc eſt impoſſibile; quia maxima, quam poteſt creare, poteſt eſſe ſimul in effectu; quæ ratio habet euidentiam ex hac alia ratione nempe. Quando omnes potentiæ ſunt partes vnius potentiæ demonſtratæ vt videre licet in textu &c.

Prob. 2. ex D. Bonau. omne creatum habet certum pondus, numerum, & menſuram, iuxta illud Sap. 11. Sed gratia Chriſti eſt creata; ergo &c. Item capacitas creaturæ eſt finita, & limitata; ergo non poteſt ſuſcipere niſi gratiam finitam, & ſibi proportionatam.

Neque ſatisfacit dicere, potentiam illam recipiendi eſſe obedientialem, quia hæc non tollit naturam rerum; ſed tantùm eleuat ad effectus ſupernaturales: & minùs ſatisfacit dicere, quòd gratia auget capacitatem Animæ, ita quòd per acceſſionem maioris gratiæ fiat Anima capacior vlterioris gratiæ; hoc enim eſt vniuerſaliter falſum, ait Scot. quæſt. 3. in Report. quia poſterius, vt poſterius, nunquam tribuit aliquid priori, vt eſt cauſa hac cauſalitate; quæ præcedit, ſed capacitas ſuſceptiui eſt priùs natura, quàm

quàm habitus receptus; ergo nullam capacitatem habet ſuſceptiuum à forma. Secùs autem capacitas propinqua, quæ eſt accidentalis, & illa poteſt ampliari per habitum, & ſic meritum diſponit diſpoſitione propinqua ad hoc, quòd gratia augeatur, non tamen ſic poteſt ampliari in infinitum.

Prob. vltimò. In ſententia oppoſita non poſſemus aſſignare Animæ Chriſti certam gratiam; nam cum ei debeatur in ſententia Thomiſtarum gratia proportionata vnioni hypoſtaticæ, quæ eſt infinitæ dignitatis, dici non poteſt, eam gratiam fore finitam, & limitatam. Si autem dicamus eſſe infinitam, dabimus gratiam Chriſti in actu infinitam, contra quod ipſi ſentiunt, dicentes, eam poſſe creſcere, & augeri, in quo eſt contradictio: nam quod poteſt augeri eſt finitum, & aliunde ſupponitur gratiam carere termino, & aſcendere ad infinitatem, ergo datur contradictio in adiectis. Ex hactenus deductis perſpicuè conſtat, Doctorem in formis accidentalibus abſolutis permanentibus ponere ſtatum, ſummum gradum, ſeu terminum intrinſecum ſuæ intenſionis etiam in ordine ad potentiam Dei abſolutam.

II. Concl. Summa gratia de facto collata fuit Animæ Chriſti; adeò vt maior creari non poſſit: ita Scot. loc. cit. vbi ait. Probabile eſt dicere ſecundùm Magiſtrum, quòd *Deus tantam ei gratiam contulerit, quantam potuit; in commendando enim Chriſtum malo excedere, quàm deficere à laude ſibi debita, ſi propter ignorantiam oporteat in alterum incidere*. Confirmat per illud Aug. de lib. arbitrio: *Quidquid tibi vera ratione melius occurrit, ſcias, hoc Deum magis feciſſe, quàm non feciſſe:* videtur autem ſimpliciter melius ſecundùm rectam rationem ſummam gratiam eſſe alicui collatam, quàm non eſſe collatam, quia in hoc manifeſtatur ſumma miſericordia Dei in dando ſummum bonum gratiæ ſine meritis; igitur probabile eſt, hoc eſſe factum, & non in alio quàm in Anima Chriſti, igitur &c. ita Doctor non minùs piè, quàm ſubtiliter.

Prob. ex S. Scrip. Iohan. 3. *Non ad menſuram dedit Spiritum*, quod non poteſt intelligi, inquit Scot. quòd gratia data ſit infinita, quia eſt oppoſitum in adiecto, quòd ſit creatura, & non menſurata, ſed non ad menſuram, hoc eſt, ſecundùm vltimum potentiæ naturæ diuinæ dedit quantum potuit:

tuit: Idem patet per illud Iohan. 1. *Vidimus gloriam eius, quaſi vnigeniti*; & ad Coloſſen. 1. *In ipſo complacuit omnem plenitudinem habitare*; quæ quidem plenitudo non ſolùm ſignificat abundantiam, vt dicitur de S. Stephano: *Stephanus autem plenus gratia Act 6* immò vt dicitur de Immaculata Deipara; *Gratia plena*, quæ conſtat augeri potuiſſe, & de facto auctam fuiſſe, cum certum ſit eam meruiſſe augmentum gratiæ, & gloriæ per bona opera, at in Chriſto plenitudo gratiæ ſignificat, ita Animam illius fuiſſe plenam gratia, vt non fuerit capax maioris gratiæ, ac proinde gratia eius eſt ſumma. Prob. ratione. Si gratia Animæ Chriſti non fuiſſet ſumma, maximè, quia determinaretur eadem Anima ad certum gradum gratiæ ſuſcipiendum, vel quia vlterior gradus ipſam dedeceret; ſed hoc ſecundum dici nequit, & neque primum; quia nulla apparet contradictio, quòd illa ſuſcipiat quemcumquè gradum gratiæ poſſibilem; ergo &c.

Prob. ex Scoto quoad primum ſic. Subiectum, quod eſt receptiuum alicuius accidentis, habentis quoſdam gradus intenſionis, poteſt recipere omnes illos, ſi non limitetur ad aliquem certum gradum infra ſummum, ſed Anima Chriſti eſt ſuſceptiua gratiæ, nec illius capacitas determinatur, vel limitatur ad aliquem certum gradum ipſius gratiæ, ergo &c. Probat mai. Doct. per oppoſitum. Ideò enim aqua non poteſt quemcumquè gradum caloris recipere, quia calor eſt accidens diſconueniens aquæ in aliquo gradu, nempe in ſummo, qualis competit igni, ergo &c.

Prob. min. Vniuerſaliter, inquit Doctor, concedo, quòd quęlibet natura beatificabilis poteſt quemcumque gradum beatitudinis creatæ recipere quantùm eſt ex parte ſui; ita quòd infima natura ſummam gratiam, & ſuprema natura infimam gratiam poteſt recipere: & probat ſic. *Vbi ſunt extrema communia, quæ ſunt prima extrema eiuſdem communitatis alicuius proportionis, ibi vnum extremum in quocumquè gradu habet proportionem ad aliud extremum in quocumquè gradu; vt patet de actiuo, & paſſiuo*; Sed prima extrema huius proportionis, quæ eſt inter gratiam, & naturam beatificabilem ſunt iſta: nempe natura beatificabilis, & gratia; ergo vbicumquè reperitur natura beatificabilis, ipſa eſt perfectibilis à gratia ſecundùm quemcumquè gradum: & ſimiliter gratia ſecundùm quemcumq; gradum poteſt perficere quamcumq; naturam beatificabilem.

Arg.

Arg. contra 1. concl. & primò ex Sac. Scrip. nam Lucæ cap. 2. dicitur. *Et Ieſus proficiebat ſapientia, & ætate, & gratia apud Deum; & homines*. Quibus verbis indicatur augmentum gratiæ, ſicut & ætatis; ergo poterat ſemper augeri.

Reſp. Præter reſponſionem allatam huic loco Scripturæ paulò ſuperiùs ex Scoto, dicendum cum D. Bonau. in cap. 2. Lucæ: profectum illum ſic eſſe intelligendum. Vel quòd Chriſtus magìs, ac magìs in dies claruerit in operibus charitatis ad Deum, & proximum; Vel cum D. Thom. p. 3. q 7. art. 12. quòd profectus ille ſit intelligendus quoad actus, & effectus; non autem quoad habitus.

Arg. 2. ratione. Non repugnat gratiam ſemper augeri, nec ex eo quòd qualitas eſt, nec ex eo quòd gratia, ergo &c. Aſſumptum probatur. Etenim illa infinitas non eſt ſimpliciter, nec vnquam poni poterit in actu qualitas infinita; ſed talis, vt ſemper poſſit eſſe maior, vndè fit, vt ſemper ſit finita; quæ enim poteſt creſcere finita eſt. Secunda pars dilemmatis ſuadetur, quia in gratia nulla eſt repugnantia, vt creſcat; cum illud augmentum non reddat eam infinitam ſimpliciter, ergo in tali genere creſcere poteſt in infinitum. Reſp. neg. aſſumptum quoad vtramque partem. Repugnat ſiquidem illa augmentatio vtroquè modo, vt ex hactenus oſtenſis conſtat.

Arg. 3. Capacitas ſubiecti creati, quæ eſt potentia paſſiua non eſt aliqua perfectio poſitiua, ſed tantùm non repugnantia, ergo poterit correſpondere gradibus ſucceſſiuè venientibus in infinitum; ergo &c. Confirm. exemplo quantitatis, quæ poteſt in infinitum augeri; nec enim apparet repugnantia; ergo etiam qualitas augeri poterit; non enim proceſſus in infinitum repugnat qualitati ex peculiari aliqua ratione. Reſp. neg. aſſumptum de capacitate, quæ ſupponitur ad infinitum, non repugnare ſubiecto finito, & limitato. Quod attinet ad exemplum quantitatis negandum eſt, ſi loquatur de quantitate infinita poſita in actu; quia daretur implicatio. Vel enim poſſet augeri, vel non, ſi non, exhauriretur D. potentia: Si poſſet, iam non eſſet infinita. Præterquamquòd alia ratio ſit ſuperiùs aſſignata. Nam in quantitate fieret augmentatio, quaſi per iuxtapoſitionem; at augmentatio per gradus in qualitate fit proficiendo per intenſionem in eadem qualitate, quæ

quan-

quantò magis augetur, tantò magis perficitur actu, & formaliter, quod repugnat. Ita diſcurrit Macedo t. 3. collat. 4. Diff. 3. ſect. 4.

Arg. cont. 2. concl. Summa natura non eſt facta; ergo nec ſumma gratia. Ant. prob. Quacumquè natura facta poteſt excellentior fieri; quia ordo vniuerſi magìs conſiſtit in ſpeciebus, quàm in indiuiduis, ſpecies enim plùs ornant Vniuerſum, quàm indiuidua, ergo conuenientiùs debuit fieri ſumma natura, quàm ſumma gratia. Reſp. ex Scoto. Debuiſſe potiùs fieri ſummam gratiam, quàm ſummam naturam, quia in naturæ operibus manifeſtatur tantùm potentia, & ſapientia diuina; in operibus autem gratiæ bonitas, & miſericordia, maximè ratione naturæ humanæ hypoſtaticæ vnitæ Diuinati. Vndè ſicut nequit altiùs eleuari humana natura; ita decens erat, vt natura ſic eleuata donata, & ornata foret ſumma gratia.

Quæres 1. An Anima Chriſti potuerit ſummè frui cum ſumma gratia. Reſp. Quòd voluntas Chriſti, vt diſt. 13. q. 4. docet Scotus, cum ſumma gratia non eliceret ſummam fruitionem, quia voluntas perfectior, nempe Angelica cum eadem gratia eliceret maiorem fruitionem, ob rationes allatas in diſp. de viſione beatifica, vbi plura de viſione, & fruitione. Nihilominus Doctor vult, Animam Chriſti ſummè frui formaliter, & hoc de facto, etſi non elicitiuè; quia à voluntate Angelica lumine æquali, necnon æquali gratia poſſet elici perfectior fruitio: Eſt autem ſumma formaliter, quatenus Deus voluit perficere Chriſtum perfectione maxima poſſibili concurſu particulari ſupplens defectum perfectionis Animæ Chriſti quoad potentias; concurrendo nimirum cum ea ad producendam tantam fruitionem, quantam producere poſſet voluntas Angelica cum æquali gratia; idquè de facto, iuxta dictum Scoti: *In commendando Chriſtum &c.*

Quæres 2. An in Chriſto fuerint omnes gratiæ gratìs datæ, nempe gratia ſanitatum, operatio virtutum; ac cæteræ omnes, quas enumerat Apoſt. 1. ad Corint. 12.

Reſp. affirmatiuè ita communiter omnes Theologi. Quod patet conſideranti vitam Chriſti, ac quæ de eo Scriptura teſtatur. Idem exigebat plenitudo gratiæ, quæ ſuper eum requieuit. Item dignitas vnionis hypoſtaticæ; & de-

denique ratio Capitis, à quo huiuſmodi gratiæ in cætera membra, puta Apoſtolos, alioſquè Doctores erant deriuandæ; adeoquè oportebat, illas in capite præfuiſſe. Solùm videtur aliqua difficultas de gratia Fidei, & Prophetię. Verùm Apoſtolus ibi nomine fidei non intelligit fidem theologicam, quæ omnibus Chriſtianis eſt communis; ſed eam, quæ eſt mater miraculorum, & dicitur conſtans fiducia in Deum ad quidlibet impetrandum, & ad miracula operanda, atquè aſſenſum præuium, de qua cap. ſeq. ait. *Si habuero omnem fidem; ita vt montes transferam &c.* vel intelligit, vt ait Herincx donum intrepidè profitendi, & explicandi fidem; vel potiùs intelligit ſingularem intelligentiam myſteriorum fidei ad ea contemplandum, & alijs declarandum; omnibus autem his modis fuit in Chriſto fides.

Similiter in Chriſto fuit Prophetiæ gratia: vndè dixit Iohan. 4. Samaritana. *Video, quia Propheta es tu. & Lucæ 7. viſa reſuſcitatione mortui dicebant. Quia Propheta magnus ſurrexit in nobis;* & Chriſtus de ſe ipſo ait Marci cap. 7. *Non eſt Propheta ſine honore. niſi in Patria ſua.* Ratio eſt, quia prophetia non importat obſcuritatem ex parte cognitionis in Propheta, ſed ex parte obiecti ſecundùm communem ſtatum, & conditionem cognoſcentis, hoc eſt, quòd res ſit obſcura, & remota à cognitione propria ſtatui, in quo verſatur; Vndè Propheta dicitur ille, qui cognoſcit, & loquitur ea, quæ ſunt procul a ſenſibus hominum, non quorumcumquè, ſed eorum, cum quibus conuerſatur. Quare D. Thomas 2. 2. q. 174. art. 2. expreſsè negat, eſſe de ratione prophetiæ cognitionem ænigmaticam; immò inter prophetias nobiliorem eſſe, quæ fit per ſolam intellectualem viſionem, quàm quæ fit per viſionem imaginariam. Itaquè prophetia, vt talis non poſtulat cognitionem ænigmaticam, & obſcuram; ſed potiùs, quò perfectior fuerit cognitio, ſi cætera adſint, eò perfectior erit prophetia.

Quæres 3. Qualiter Chriſti humanitas miracula perpętrauerit. Reſp. ſententia communior apud antiquos Theologos, & Recentiores, Chriſtum ſecundùm humanitatem miracula perpetraſſe potentia, non quidem phyſica, vt opinantur Thomiſtæ, ſed morali: ita Alenſis, D. Bonau. Scotus, Durand. Vaſquez, Caſpenſis, & paſſim Scotiſtæ, & Nominales. Ratio eſt; Nam ſicut Chriſtus, quatenus ho-

mo eſt cauſa moralis, & non phyſica gratiæ ſanctificantis, & noſtræ iuſtificationis; ita eſt cauſa moralis miraculorum, quatenus ratione vnionis hypoſtaticæ, & meritorum illi conceſſum fuit, vt opera ſupernaturalia diuina virtute perageret, quando ipſe vellet, vel in confirmationem ſuæ doctrinæ, vel ad alium finem ordinatum ad generis humani redemptionem: Itaquè non per phyſicam potentiam ſibi competentem, ſed per diuinam voluntatem, ac omnipotentiam ſibi permanenter; & vt ait Herincx, ad nutum, ac ad quoſuis effectus aſsiſtentem miracula operabatur; ſecùs quàm contigerit in alijs Sanctis: Idquè indicare videtur Trid. ſeſſ. 6. c. 7. vbi enumerans cauſas iuſtificationis, tam phyſicas, quàm morales, Chriſto ſolùm tribuit cauſalitatem moralem. *Huius, inquit Concil. cauſa ſunt, finalis quidem, gloria Dei, & Chriſti ac vita æterna: efficiens verò miſericors Deus; meritoria autem Dominus noſter Ieſus Chriſtus, inſtrumentalis item Sacramentum baptiſmi: deniquè vnica formalis cauſa eſt iuſtitia Dei:* ergo ſicut Trid. nullam aliam Chriſto tribuit potentiam, quàm meritoriam, ac proinde moralem; noſtræ enim iuſtificationis cauſa phyſica eſt Deus; ita pari ratione in miraculis patrandis Chriſto ſolum tribuenda eſt potentia moralis; etſi Chriſtus vt Deus phyſicè ea egerit.

Quæres 4. An Chriſtus ſit caput omnium; ſeu in eo ſit gratia Capitis, & in quo conſiſtat, vel fundetur hæc ratio Capitis. Reſp. Chriſtus eſt caput totius Eccleſiæ, vt ex hominibus conſtat, tam fidelibus, quàm infidelibus, tam viatoribus, qui ſunt in Eccleſia militante (quibus annumerari poſſunt Animæ in Purgatorio) quàm hominibus beatis, qui ſunt in triumphante; eſtquè de fide; nam expreſſe Apoſt. ad Epheſ. 1. teſtatur. *Ipſum dedit caput ſuper omnem Eccleſiam, quæ eſt corpus ipſius:* Et ad Coloſſen. 1. *Ipſe eſt Caput corporis Eccleſiæ. & cap. 2. ait Eſtis in illo repleti, qui eſt caput omnis Principatus, & poteſtatis*; quibus verbis ſignificat nobis, Chriſtum eſſe caput etiam Angelorum beatorum; ex quibus, iuxta Patres, vt infra oſtendetur, conflatur quoque vniuerſalis Eccleſia. Ratio eſt: quia ſicut Caput eſt pars corporis prima, & digniſſima, in qua exercentur operationes vitales, animales, & rationales, & quæ cætera membra gubernat, ac in illa influit: ſic Chriſtus quà homo eſt digniſſima Perſona omnium, ex quibus myſticum vniuer-

ſalis Eccleſiæ corpus coaleſcit, & ipſe influit in omnes viatores dona gratiæ, in Beatos, etiam Angelos, gloriæ; Viatorum fidelium, & infidelium; non quidem, vt mali, & peccatores ſunt; quia ſic Diabolus eſt eorum caput; ſed quatenus in illos influit dona gratiæ, & alia multa bona; etſi membra mortua ſint, cum iuſti ſolùm ſint membra huius capitis viua.

Cæterùm in quo conſiſtat, vel fundetur hæc ratio Capitis, variant Doctores; ſed dicendum cum Herincx, omiſſis aliorum dicendi modis, quòd radicaliter fundaretur ratio capitis in vnione hypoſtatica, quæ Chriſtum conſtituit Perſonam digniſſimam, in gratia ſumma habituali; quæ velut proprietas ſequitur ad vnionem cum Verbo D. quæquè requirebatur ad meritum, & ſatisfactionem, & denique in D. acceptatione, ſine qua opera Chriſti, iuxta Scoti doctrinam, quantumuis excellentia in cæteros meritoriè non influxiſſent; Igitur hæc tria concurrunt ad completam gratiam capitis; ad cuius pleniorem intelligentiam videndus eſt D. Bonau. qui de ea latè, & egregiè tractat in 3. d. 13. art. 2. q. 1. 2. & 3.

An verò Chriſtus poſſit dici quodam ſenſu membrum Eccleſiæ; dubium eſt, affirmat Herincx, nempe quodam ſenſu dici poſſe excellentiſſimam partem Eccleſiæ, ſeu Corporis myſtici, ſumpta paritate à corpore phyſico, quod conſtat capite, tamquam parte, ſeu membro; negat autem prout membrum ſonat partem ab aliarum influxu dependentium. Quarè meliùs eſt abſolutè negare cum alijs, Chriſtum dici poſſe membrum; quia appellatio membri denotat, & præſefert imperfectionem; vndè ſolùm illud caput poteſt dici membrum corporis, cui non repugnat, nec diſconuenit dependentia à toto; qualiter caput naturale dicitur etiam membrum: neque obſtat Paulus 1. ad Corint. 12. *Vos eſtis corpus Chriſti, & membra de membro, hoc eſt de Chriſto; quod eſt etiam membrum*; nam Paulus ſic eſt intelligendus ex Caſpenſi; ideſt de me, qui etiam ſum membrum Chriſti, & Eccleſiæ; eò quòd per Euangelium vos genuerim.

QVÆ-

QVÆSTIO VIII.

Vtrum Chriſtus habuerit omnes virtutes theologicas, & morales.

NOt. Quòd ea, quæ ad exactam notitiam virtutum, tam theologicarum, quàm moralium deſiderantur, tradita ſunt ſuo proprio loco, vbi de eiſdem egimus. Quarè circa præſentem quæſtionem ſolùm obſeruandum eſt, quòd, etſi omnes theologi conueniant, fidem, & ſpem, quantùm ad actum non fuiſſe in Chriſto, ſecundùm obiectum principale illarum virtutum, nempe Deum ipſum videndum, & poſſidendum, quia Chriſtus ab inſtanti ſuæ conceptionis fuit beatus; tamen quidam cum Durand. contendunt, illas in Chriſto extitiſſe quantùm ad habitum; immò nonnulli ſignanter Suarez, & Caſpenſ. volunt, ſpem fuiſſe in Chriſto quantùm ad actum, & habitum quoad obiectum ſecundarium, nempe beatitudinem ſui corporis; ſicut etiam ſui nominis exaltationem.

I. Concl. Neque Fides, neque Spes theologica, ſiue quoad habitum, ſiue quoad actum in ordine ad obiectum, tam primarium, quàm ſecundarium fuerunt in Chriſto. De fide conſtat; quia dicit imperfectionem, & oppoſitionem cum viſione beatifica; tum in ratione habitus, tum actus, iuxta illud Apoſt. *Cum venerit, quod perfectum eſt, euacuabitur quod ex parte eſt*; ergo fides neque quoad actum, neque quoad habitum potuit fuiſſe in Chriſto, & conſequenter, nec in eo fuit pia voluntatis affectio, & motio, per quam intellectus captiuatur in obſequium fidei, & mouetur ad aſſentiendum veritatibus à Deo obſcurè reuelatis.

Prob. de Spe: & quidem in primis quoad actum. Quod poſſidetur ſperari non poteſt, teſte Apoſt. ad Roman. 8. *Spes autem, quæ videtur non eſt Spes*; ideſt ſpes non eſt eorum, quæ habentur, & poſſidentur. Quamquàm non ſit incredibile, ait Herincx, dari habitum generalem amoris concupiſcentiæ Dei, qui ſortiatur nomen ſpei, quatenus tendit in bonum poſſidendum, etſi idem habitus vitaliter teneat bonum iam poſſeſſum, qui conſequenter fuiſſet in Chriſto, & per illum potuiſſet ſperare beatitudinem corporis, & fortè quædam alia nondum obtenta; ergo &c.

Prob.

Prob. quoad habitum. Nam ſic videtur præſeferre imperfectionem; quia inclinaret Chriſti voluntatem in actu primo in Deum ſummum bonum, velut abſens, & non poſſeſſum; ergo &c. Prob. quòd nec quoad obiecta ſecundaria fuerit ſpes in Chriſto. Vbi abeſt realis ratio ſpecificatiua alicuius habitus, ibi penitùs abeſt habitus correſpondens; ſed talis ratio ſpecificatiua abeſt à Chriſto; ergo & habitus fidei etiam quoad obiecta ſecundaria: maior patet; min. prob. quoad ſecundaria obiecta. Habitus tantùm inclinat potentiam ad obiecta ſecundaria mediante primario ſuo obiecto, cuius ſecundaria ſunt velut participationes obiecti primarij; ergo vbi non datur inclinatio ad primum, & ſpecificans obiectum; nec in virtute eius poteſt reperiri inclinatio ad obiecta ſecundaria.

Præterea. Ad rationem ſpei requiritur, vt obiectum non ſolùm ſit arduum, ſed etiam habeat aliquam certitudinem contingentem, & fallibilem; at gloria corporis Chriſti non habet huiuſmodi circumſtantias, quia non fuit ardua, non difficilis; nec contingens, nec aliqualiter fallibilis; vndè nemo ſperare propriè poteſt ortum ſolis die ſequenti futurum; cum id ſit neceſſarium, & infallibile.

II. Concl. Chriſtus ab initio conceptionis habuit in gradu perfectiſſimo, ac proinde heroico omnes virtutes morales, quæ ex ratione ſua particulari nec includunt, nec connotant imperfectionem. Eſt communis. Ratio, quia Chriſtus dignificari debet quantùm commodè poteſt, at vnio hypoſtatica connaturaliter, ideſt morali ſaltem connaturalitate exigebat, vt omnes perfectiones poſſibiles ac decentes Chriſto conferrentur; ergo &c. Notanter dixi. Quæ ex ratione ſua particulari non includunt, nec connotant imperfectionem. Nam pœnitentia, quatenus connotat propriam culpam, aut dolorem de illa; item continentia, quatenus connotat motus proprię concupiſcentiæ certè non fuerunt in Chriſto; abſtrahendo autem à connotato, verè in Chriſto eſt amor honeſtatis iſtarum virtutum, ac proinde ipſæ virtutes. In Chriſto ſiquidem fuit pœnitentia, quatenùs ſecundùm ſe primariò inclinat ad ius Dei ſeruandum illæſum; ſecundariò ad deteſtandum peccatum, ſeu quicquid ius illud lædit; & conſequenter ad idem, ſi læſum fuit reparandum, culpam ordinando per pœnam

ſatisfactoriam; & de facto vult, vt nos deteſtemur peccata noſtra, vt iuris Dei læſiua, cum dolore, & pœnalitate; quæ quidem voluntas reduci poteſt ad honeſtatem pœnitentiæ.

Prob. 2. pars: nempe quòd Chriſtus eas habuerit in gradu heroico. Virtutes morales, vt oſtenſum eſt in tract. 1. de Virtut. diſp. 2. ſpectari poſſunt in triplici ſtatu; ideſt imperfecto, perfecto, & perfectiſsimo, ſeu heroico, ſeu ſuperexcellenti. In ſtatu imperfecto non eſt propriè virtus, ſed diſpoſitio quædam: in ſtatu perfecto eſt virtus quidem firma, ſed quæ verſatur tantùm circa propriam materiam. In ſtatu verò heroico eſt, dum etiam extra propriam materiam, ſeu obiectum ſe extendit, qua ratione fœderationem habet cum omnibus virtutibus: ſic Temperantia heroica moderat voluptates, etiam propoſito mortis periculo; ac proinde ad fortitudinem ſe extendit, at certum eſt, in Chriſto fuiſſe virtutes non in gradu perfecto; quo ſenſu dicuntur purgantes animum, cum in Chriſto non fuerint paſsiones immoderatæ, ſed ad nutum, & voluntatem compoſitæ, ergo in gradu heroico, quæ teſte Ariſt. ſunt purgati animi virtutes &c.

Arg. cont. 2. concl. quoad 2. part. Virtutes morales habent repugnantiam cum ſtatu beatitudinis, & perfectę ſanctitatis; ergo non ſunt in Chriſto admittendæ: ant. pat. quia tales virtutes non remanent in Beatis, cum ordinentur ad frænandas paſsiones ordinantur. Reſp. diſting. ant. ſecundùm obiectum formale, quod eſt honeſtas virtutis, neg. ant. ſecundùm materiale; vt ſunt voluptates, delectationes reſpectu temperantiæ; vel timor, aut audacia circa pericula mortis reſpectu fortitudinis: conc. Remanent igitur in Beatis, & fuerunt in Chriſto ſecundùm eſſe formale virtutis; nam electio recta ſecundùm ordinem rationis circa honeſtatem, & medium illarum paſſionum, ad quas moderandas huiuſmodi virtutes ex ſe ordinantur, remanent quoad actum internum, & primarium, non autem quoad ſecundarium, & extremum.

Quæres. An in Chriſto fuerint etiam dona Spiritus S.

Reſp. affirmatiuè; & patet ex illo Iſaiæ cap. 11. vbi loquens de Chriſto ait: *Requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ, & intellectus, Spiritus Conſilij, & Fortitudinis, Spiritus Scientiæ, & Pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini;*

mi; licèt Durandus contendat, in Chriſto non fuiſſe Pietatem; ſicut nec etiam in Beatis, quia videlicet tale donum verſatur circa miſeriam; quæ ratio remanet ſatis confutata in ſuperiori reſponſione; Simili ratione negat in Chriſto etiam Fortitudinem; at certum eſt, in Chriſto ante reſurrectionem fuiſſe fortitudinem, qua pericula paſſionis,& mortis conſtanti, ac inuicto animo aggrediabatur. Pariter Timoris donum fuit in Chriſto: quod non eſt timoris affectus, per quem obiectum aliquod timeatur tamquam imminens, ſed eſt honeſtus motus voluntatis, quo etiam Beati diuinam reuerentur Maieſtatem; hunc autem affectum reuerentiæ ad Deum Chriſtus ſecundùm quòd homo præ cæteris habuit pleniorem, ac proinde S. Scriptura tribuit ei plenitudinem timoris Domini; de quo timore: & donis Spirit. S. quid ſint, & quomodo in Scoti ſententia diſtinguantur à virtutibus theologicis, & moralibus latè dictum eſt in diſp. de virtutibus in communi tract. 1. de Timore autem in diſputatione de Spe Theologica plura &c.

DISPVTATIO VII.

De merito, & Satisfactione Chriſti.

QVÆSTIO I.

Vtrum Chriſtus mereri incœperit à primo inſtanti ſuæ conceptionis vſque ad mortem.

NOt. 1. Quòd meritum de condigno, de quo hìc loquimur, cui ex condignitate, ſeu ex iuſtitia debetur præmium, exigit ſex conditiones. Prima, vt opus ſit moraliter bonum ex obiecto, & omnibus circumſtantijs: 2. quòd actio meritoria ſit libera; 3. quòd talis actio bona ſit hominis Viatoris: 4. quòd ſit hominis exiſtentis in gratia: 5. quòd talis actio bona referatur in Deum tamquàm in ſuum proprium finem,& obiectum; 6. denique, quòd adſit pactum, & promiſſio ex parte Dei, & ex parte operantis ordinatio operis ad conſequendum præmium; quæ omnia latè explicata ſunt in p.2.tract. de Gratia diſp. de merito,& ibidem alia plura, quæ ad rationem meriti deſiderantur.

Not. 2. Quòd de fide habetur, Chriſtum meruiſſe; ſic enim definitum eſt ſignanter *à Trid. ſeſſ. 6. cap. 7. vbi dicitur Chriſtum eſſe cauſam meritoriam noſtræ iuſtificationis, & apertè colligitur ex S. Scriptura teſtante, Chriſtum per virtutem obedientiæ meruiſſe ſibi nominis exaltationem, & corporis glorificationem.* Difficultas tamen eſt, quomodo Chriſtus vtpote ſummè beatus mereri potuerit. Scotus egregiè id explicat hac doctrina. Radix omnis meriti, loquendo propriè de merito, conſiſtit in affectione iuſtitiæ voluntatis, non autem in affectione commodi. Hoc patet, quia primum obiectum, circa quod aliquis meretur primò eſt ipſe Deus, ſecundum quod affectione iuſtitiæ vult Deo bonum, vt eſſe, & bene eſſe, ideſt iuſtum, & ſapientem. Sed affectio commodi reſpicit proprium bonum, & ideò meritum non conſiſtit primò in affectione iuſtitiæ, vt ordinat, & moderatur affectionem commodi circa bonum proprium; ſed ſicut demeritum primum Angelorum fuit inordinatus motus, & deſiderium beatitudinis citrà Deum; ita meritum eſt ordinatus motus circa Deum, volendo ſibi bonum, & volendo cum debitis circumſtantijs ſibi coniungi ipſum in ſe, & in alijs: & ideò velle affectione commodi, ſi non ordinetur, & moderetur affectione iuſtitiæ eſt demeritum, quia eſt immoderatus appetitus proprij boni, vel indifferens, ſi poſſet eſſe indifferens. Ideò in affectione commodi, niſi referatur ad vltimum finem affectione iuſtitiæ, non conſiſtit meritum. Sed alij Beati à Chriſto, quia ſecundùm totam voluntatem coniuncti ſunt vltimo fini, ſcilicet Deo affectione iuſtitiæ perfectiſſimè, ideſt quoad impeccabilitatem, & habent ſummum commodum coniunctum ſibi, quod appetunt affectione commodi, ideſt coniunctionem ſummi boni: ideò non poſſunt habere actum oppoſitum affectioni commodi, vt liberè velint aliquid, quod non ſit eis commodum. Nullum enim eſt obiectum in Patria, quod poſſint velle, quod ſit eis incommodum, quod affectione commodi nolint. Sed Chriſtus ſecundùm aliquid fuit viator, & paſſibilis ſecundùm partem ſenſitiuam, & portionem inferiorem voluntatis: ideò multa habuit obiecta præſentia ſenſibus, & portioni inferiori, circa quæ potuit liberè velle contra affectionem commodi, quæ ſemper eſt ad conueniens illi, cuius eſt: ideò ieiunando, vigilando, vel exercendo talia exte-

exteriùs, vel volendo interiùs talia propter Deum, meruit?

I. Concl Chriſtus verè, & propriè meruit, etiam in primo inſtanti ſuæ conceptionis: Eſt de fide prima pars, vt paulò ſuperiùs indicauimus, & conſtat ex S. Scrip. nam Iſaiæ 53. dicitur. *Si poſuerit pro peccato Animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & Apoſt. ad Philip. Humiliauit ſemetipſum factus obediens &c. Propter quod Deus exaltauit illum &c.*

Prob. ratione. Omnes conditiones ad meritum requiſitæ conueniunt Chriſto. Et quidem conuenit prima; quia eius actiones fuerunt liberæ, & liberè impoſitum ſibi onus redemptionis à Patre ſuſcepit, iuxta illud Iſaiæ 53. *Oblatus eſt, quia voluit*; vt conſtat ex dictis de libertate Chriſti in ordine ad mandata, ſeu præcepta Patris æterni: 2. nam eius actiones fuerunt bonæ moraliter, & honeſtæ ex obiecto; tum ex circumſtantijs; vt ipſe teſtatur Ioan. 8. dicens. *Quæ placita ſunt ei, facio ſemper*: 3. eius humanitas erat Deo ſummè grata, & accepta propter vnionis, & ſanctificationis gratiam: 4. omnes ſuos actus in Dei gloriam ordinabat, iuxta illud Ioan. 8. *Non quæro gloriam meam, ſed gloriam eius, qui miſit me*: 5. Status Viatoris; quia carebat beatitudine corporis; vndè Hieremiæ cap. 14. de illo dicitur. *Quaſi Colonus futurus es in terra, & quaſi viator declinans ad manendum*. Conuenit denique ſexta, nempe promiſſio Patris de remunerandis eius actionibus, & paſſionibus, vt conſtat ex illo Iſaiæ cap. 53. *Pro eo quòd liberauit Animam eius, videbit, & ſaturabitur*; ergo Chriſtus verè meruit.

Prob. conc. quoad 2. partem; nempe quòd Chriſtus meruerit in primo inſtanti ſuæ conceptionis. Apoſtolus ad Hebr. cap. 10. ſic habet. *Ingrediens Mundum dixit, hoſtiam, & oblationem noluiſti; tunc dixit: ego venio &c. in qua voluntate ſanctificati ſumus*; quibus verbis clarè indicat Apoſt. Chriſtum in primo inſtanti, quo ingreſſus eſt Mundum, ſe velut victimam per actum charitatis obtuliſſe Patri pro ſalute, & redemptione generis humani.

Prob. ex Scoto. Omne habens eſſe primum perfectum; & obiectum approximatum, & non impeditur, & actus eius ſit permanens, & non ſucceſſiuus, poteſt agere pro quocumque inſtanti, ſi iſta omnia concurrant, quia non plus requiritur ad actum in vno inſtanti, quàm in alio; ſed omnia hæc fuerunt in primo inſtanti conceptionis in Chriſto,

quia potentia perfecta, obiectum oſtenſum per intellectum, ideſt tota Trinitas, poſſe velle bonum propter ſe, & non impeditur, & actus volendi eſt permanens, quia actus beatificus eſt ſtans; ergo &c.

Præterea. Non eſt denegandum Chriſto, quod Angelis conceditur: ſed vtraque Schola concedit, Angelos potuiſſe in primo inſtanti ſuæ creationis mereri; ergo potiori iure id dandum eſt Chriſto.

II. Concl. Chriſtus meruit toto tempore vitæ ſuæ vſque ad inſtans mortis; non verò mortis inſtanti, nec poſt mortem. Eſt communis, & quidem prima pars ſequitur ex prima concluſione; quia ſi potuit mereri in primo inſtanti, potuit etiam in infantia; vndè D. Aug. ſer. 10. de tempore ait. *Adoremus pannos infantia, ex quibus facta ſunt emplaſtra natura*, & D. Ambroſ. lib. 2. in Lucam. *Me illius infantia vagientis abluunt fletus, mea lacrymæ illa delicta lauerunt*, & conſequentur per totam vitam meruit per actus dilectionis Dei, & proximi, ſeu generis humani, vt ex infra dicendis patebit.

Prob. 2. pars contra nonnullos exiſtimantes oppoſitum eſſe veriùs; eo ducti fundamento, quòd in inſtanti mortis; tunc ei mors fuerit voluntaria in cauſa; voluntarium autem in cauſa ſufficit ad meritum, & demeritum, vt dictum eſt in tract. de actibus humanis, & in tract. de peccatis. Verùm hæc opinio falſa eſt, quia in eo inſtanti Anima Chriſti non erat corpori eius vnita; ergo in eo inſtanti Chriſtus non erat in ſtatu viæ: nec per conſequens capax meriti: patet conſ. ant. prob. ex communi ſententia Philoſophorum, docentium, viuentia deſinere per primum ſui non eſſe; ergo in inſtanti mortis, verum fuit dicere; nunc primò non eſt Chriſtus vt homo viuens vita mortali; ac proinde Chriſtus tunc non potuit mereri, nec in cauſa, quia non ampliùs erat Viator; quod neceſſariò exigitur ad merendum. Hinc ruit opinio etiam noſtri Vegæ lib. 3. in Concil. Trid. c. 18. putantis, Animam Chriſti meruiſſe vſque ad tempus reſurrectionis, & in triduo ſatisfeciſſe adhuc D. iuſtitiæ. Ex qua doctrina rectè infertur à Theologis, vulnus lateris Chriſto mortuo inflictum non fuiſſe meritorium, quia tunc Chriſtus non erat amplius in ſtatu merendi; cum eius Anima eſſet à corpore ſeparata. Etſi meruerit per liberam illius præuiſi in vita acceptationem; oblationem ad illud

poſt

poſt mortem ſuſtinendum; ac proinde ſuſceptio illius fuit meritoria obiectiuè, non formaliter, ait Herincx. Nihilominus fuit nobis valde ſalutare, vt paſſim docent SS. Patres, ſignanter Ambroſ. ſer. 3. in pſal. 118. vbi aſſerit, quòd *ſicut in vineis Engaddi lignum eſt, quod ſi quis compungat vnguentum, ſeu balſamum emittit; ita Chriſtus compunctus in Cruce, balſamum per cauernam punctionis erupit, & odorem remiſſionis peccatorum, & redemptionis.* Nec obſtant Patres aſſerentes Sacramenta fluxiſſe ex latere Chriſti poſt mortem; quia ſolùm volunt indicare per aquam, & ſanguinem, quæ ex latere Chriſti fluxerunt, ſignificari duo Sacramenta, nempe baptiſmum, & Euchariſtiam, vt cum Vaſquez dicit Caſpenſ.

Arg. cont. 1. part. concl. Illud, quod eſt in termino ſimpliciter non poteſt mereri, ſed portio inferior fuit ſimpliciter, in termino, quia non potuit habere actum inordinatum circa aliquod ad finem; ergo fuit quieta, & beata portio quantùm potuit, quia non eſt ipſius, vt portio inferior eſt, habere actum circa obiectum æternum immediatè, ſed circa alia ordinata in illum obiectum. Reſp. ex Scoto diſting. mai. quod eſt in termino ſimpliciter tam quoad affectum iuſtitiæ, quàm commodi: conc. mai. quod eſt in termino quoad affectum iuſtitiæ tantùm, prout Chriſtus ſe habebat ante reſurrectionem, neg. mai. Itaquè Chriſtus non fuit ſecundùm portionem inferiorem in termino ſic, quòd habuerit impaſſibilitatem; quia nec tunc, ait Scot. omne, quod potuit habere, habuit ſecundùm affectionem commodi. Quia igitur ſic fuit, potuit aliquid pati contra affectionem commodi, quod tamen acceptauit, & ita mereri.

Arg. cont. 2. part. eiuſdem concl. Ad merendum requiritur deliberatio, & electio, ſed electio præſupponit Syllogiſmum practicum, & diſcurſum, & moram, ergo non potuit Chriſtus mereri in primo inſtanti ſuæ conceptionis.

Reſp. ex Scoto conc. mai. & diſting. min. diſcurſus, ſeu Syllogiſmus formalis, practicus exigitur ad electionem in nobis, conc. in Angelis, & in Anima Chriſti, neg. min. Ratio eſt, quia, vt Scot. docet, diſcurſus, & Syllogiſmus practicus eſt ad hoc quòd habeatur actus electiuus voluntatis: quo facto, per conſequentiam practicam voluntas eligeret. Quando voluntas eligit ratio practica non diſcurrit, ſed ſententiat, facta quæſtione practica de eligendo. Si

igitur iſta ſententia vltimata poſſit haberi ſine diſcurſu, ſupple formali præcedente in inſtanti; ita perfectè poſſet voluntas eligere liberè, ſicut cum tali diſcurſu: perfectus in cognoſcendo non diſcurrit ſic artificialiter, vndè Cytharedus perfectus in percutiendo chordas non ſyllogizzat, ſed deliberat, aliter imperfectè operaretur ex 2. phyſ. Cum igitur Chriſtus fuerit perfectus in cognitione omnium agendorum; ſaltem à principio perfectè cognouit ſine tali ſyllogizzatione; & ideò in inſtanti primo potuit eſſe electio, vndè electio eſt actus ſimplex de ſe; ita docet Scot. in 3. d. 18. q. 1. in Report. §. 2. videndi eſt.

QVÆSTIO II.

Per quos actus Chriſtus meruit.

NOt. Quòd Theologi in Anima Chriſti diſtinguunt portionem ſuperiorem, & inferiorem ob diuerſa munera, teſte D. Aug. 12. Trin. cap. 4. *Animam in hac duo, ſcilicet portionem ſuperiorem, & inferiorem non niſi per officia geminamus.* Portio ſuperior eſt, quæ reſpicit æterna; portio inferior, quæ verſatur circa temporalia. Vtraquè portio comprehendit, & intellectum, & voluntatem, & memoriam, quia ſicut intellectus dicitur portio Superior, quatenus contemplatur res æternas, ita memoria quatenus conſeruat ſpecies ad æternorum recordationem, & ſic voluntas quatenus rebus æternis conſentit, ſeu in illa tendit: è contra portio inferior vt comprehendit intellectum, memoriam, & voluntatem. Inſuper vtraquè portio ex Scoto poteſt accipi dupliciter, nempè largè, & ſtrictè. Superior portio ſtrictè eſt, quæ reſpicit ſola æterna, & inferior ſola temporalia. Superior portio largè eſt intellectus prout iudicat, & diſcurrit de quibuſcumquè rebus ſecundùm regulas æternas, & voluntas prout refert omnia volita ad æterna: portio inferior eſt intellectus, & voluntas quatenus conſiderat res temporales in ſe abſquè ordine ad Superiora; Secundum actus vtriuſquè portionis, cenſet Doct. Subſiſt. Chriſtum meruiſſe: ideò ſit.

I. Concl. Chriſtus meruit per actus portionis inferioris, & aliarum virtutum à charitate diſtinctarum. Ita Scot. in

in 3. d. 18. Prob. 1. pars. Chriſtus meruit per illos actus, quos liberè, vt viator eliciebat: ſed tales erant actus portionis inferioris, quos ad nutum voluntatis Chriſtus exercebat, vt explicat Scot. dicens, Chriſtus ſecundùm aliquid fuit viator, & paſſibilis ſecundùm partem ſenſitiuam, vt dictum eſt in ſecundo notabili: & inſuper ſubdit Doctor inquirendo; ſed quomodo? Dico, quòd etſi portio ſuperior fuit perfectè coniuncta Deo ſecundùm actum beatificum, fuit tamen eadem voluntas paſſibilis ſecundùm portionem inferiorem, & vt ſic fuit viator, & potuit mereri; ergo &c.

II. Concl. Chriſtus meruit ſecundùm portionem ſuperiorem,& ſecundùm omnem actum eius. Eſt ipſamet Doct. concluſio; qui immediatè addit. Hoc tamen eſt difficile tenere propter alios beatos, qui tunc videntur poſſe mereri in infinitum: prob. autem illud. Quia omnis actus acceptatus à Deo tamquam actus bonus, & laudabilis, pro quo Deus velit aliquid retribuere illi, cuius actum acceptat, vel alteri, pro quo fit, eſt meritorius; huiuſmodi eſt omnis actus Chriſti ſecundùm naturam humanam, etiam actus beatificus, quo ſecundum portionem ſuperiorem fruitur Deo, quia Perſona illa non ſecundùm omnem conditionem ſui fuit ſimpliciter in termino; ideò potuit Deus omnem actum creatum illius Perſonæ acceptare tamquàm dignum aliquo bono, pro eo retribuendo illi perſonæ, ſi indiguiſſet, vel alteri, ſcilicet nonis, pro quibus meruit, & hoc tenendo oportet dicere,quòd ſi actus beatificus ſecundùm portionem ſuperiorem Chriſti fuit meritorius, quòd non includit contradictionem actum beatificum Michaelis, vel alterius Beati poſſe acceptari tamquàm aliquid dignum retributione, quod retributum daretur propter meritum, puta Michaeli daretur aliquid propter actum meritorium cuſtodiæ, quam exercet circa me: contradictio, dico, non eſſet; tamen de facto Deus non ſic acceptat actum illum; quia perſona illa eſt totaliter extra ſtatum merendi ſecundùm totum ſubiectum: non ſic Chriſtus, ſed ſecundùm aliquid fuit in ſtatu viatoris, & propter hoc omnis actus eius creatus acceptus erat, & meritorius illis, pro quibus offerebatur Deo.

Sed quomodo hoc? pergit Doctor, ex quo fuit extra viam ſe-

ſecundùm portionem ſuperiorem, non videtur, quòd ſecundùm illam poſſit mereri pluſquàm alius beatus in Patria. Reſpondeo. Sicut meritum non reſpicit, nec conſiſtit tantùm in ipſo actu elicito, ſed in conditionibus aliquo modo perſonæ, ſiue ſuppoſiti elicientis; ſic acceptatio diuina non ſolùm reſpicit actum, ſed etiam conditiones accidentales ſuppoſiti elicientis; quod exemplo declarat; at breuitatis gratia illud omitto; & in fine addit, dicens; Sed tunc vltra poſſet eſſe dubium; an fruitio reſpectu Verbi in ſe ſit actus meritorius; vel actus ille, vt tendit in obiecta alia relucentia in Verbo; ſcilicet, vt dilexit Matrem viſam in Verbo, & aliquos electos viſos in Deo, & inimicos propter Deum. Et poſſet dici, quòd vtroque modo, & maximè vt actus tendit in alia obiecta à Deo viſa, & dilecta ibi: & tandem ſic concludit. Habemus igitur, quòd tripliciter potuit mereri; eligatur via magìs grata. Conſonant Scoto præter diſcipulos Gabriel diſt. 18. q. vn. Capreolus, Maior hic q. 2. Almainus, Holcot. & alij.

Confirmatur ex Macedo, qui tom. 3. collat. 5. Diff. 2. ſic diſcurrit. Lychetus ſummo iure Scotum mirabilem dixit, ego, & rationabilem, meritò dixerim. Nam, admiſſa acceptatione in ratione meriti, congruens eſt hic modus accipiendi actum in ſe neceſſarium pro ſtatu viatoris libero. Rem confirmo. Conſtat, actum liberum in via tranſire in neceſſarium in termino propter ſolam rationem termini extra viam. Igitur ſola ratio ſtatus valet ad ponendam, & auferendam libertatem actus. Patet in homine damnato, qui mortuus eſt in actu peccati mortalis, qui erat liber in via, & non fuit retractatus poſt mortem, & tamen amiſit rationem demeriti, eò ſolùm quia perſona mutauit ſtatum viatoris, nulla alia facta mutatione. Quemadmodum ergo, hic manente actu antea libero, & demeritorio, fit incapax noui demeriti per ſolam rationem ſtatus; ita & fieri poteſt, vt ſtet actus neceſſarius natura ſua cum ſtatu libero, & ratione liberi ſtatus capax ſit libertatis ad merendum. Quod verò attinet ad Beatum poteſt Deus reducendo illum ad ſtatum viæ acceptare eiuſdem actum beatificum, vtì ſufficientem ad meritum ratione mutationis de ſtatu termini neceſſarij ad ſtatum perſonæ liberæ, & poterit per illum mereri: hæc Macedo.

Ex

Ex hactenùs deductis conſtat, Chriſtum meruiſſe per actum charitatis non ſolùm erga proximum, ſed etiam erga Deum; etiam per actum beatificum. An verò Chriſtus meruerit per actum amoris elicitum erga Deum ex cognitione ſcientiæ per ſe infuſæ, qui non eſt actus beatificus; vt paſſim tradunt in vnanimi conſenſu Theologi; Scotus nil de hoc indicat; etſi Delgadillus cenſeat id inſinuaſſe in 3.d.18. in hac quæſt. verſ. tunc ad propoſitionem. Probabile nihilominus iudicatur. Non enim videtur irrationabile diſtinguere duas dilectiones in Chriſto, vtramque ad Dei bonitatem in ſe, & ratione ſui terminatam, alteram regulatam ſcientia beata; alteram ſcientia infuſa ſupernaturali, aſſerendo priorem fuiſſe neceſſariam, poſteriorem verò liberam, & meritoriam.

Inſuper conſtat, Chriſtum meruiſſe per actus, quibus obſeruauit præcepta ſibi impoſita; maximè, quia pro illo inſtanti, quo ſeruabat præceptum ſimpliciter quantùm ad potentiam phyſicam, vt oſtenſum eſt in quæſt. de libertate Chriſti, poterat illud non obſeruare, licèt id moraliter non poſſet.

Arg. cont. 2. concl. quòd actus amoris Dei beatificus non ſit meritorius. Talis actus eſt omninò neceſſarius; ergo nequit eſſe meritorius. Ant. pat. Talis actus ex eo quòd elicitur à vidente Deum intuitiuè non admittit vllam indifferentiam; cum ſit obiecti neceſſitantis voluntatem ad amandum; ergo &c. Reſp. ex Scoto conc. ant. & neg. conſ. Ratio deducitur ex ſuperiori doctrina; quia videlicet, Deus in hoc diſpenſauit Chriſtum, acceptando etiam actum beatificum pro merito; cum ſit perſonæ non ſimpliciter in termino; quod autem tangitur de neceſſitate omnimoda, quam habet talis actus, non obeſt, vt patet ex dictis, meruit igitur Chriſtus non quà comprehenſor, ſed quà viator &c.

Dices. Chriſtus ſecundùm portionem ſuperiorem erat penitus extra viam; ergo per actus beatificos non potuit mereri. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. quia, vt Scotus docet, meritum non conſiſtit tantùm in ipſo actu elicito, ſed aliquo modo in conditionibus perſonæ elicientis; ſic etiam acceptio diuina non ſolùm reſpicit actum, ſed etiam conditiones accidentales perſonæ merentis; vndè licèt portio

ſu-

ſuperior, & actus ille fruitionis fuerit penitùs extra ſtatum viæ, attamen ratione Chriſti elicientis, vtpotè etiam Viatoris, talem actum, fuit congruentia aliqua illum acceptandi.

QVÆSTIO III.

Quid, & quibus Chriſtus meruit.

NOt. Quòd certum eſt apud Doctores catholicos, Chriſtum non ſibi tantùm, ſed etiam alijs meruiſſe: gerebat ſiquidem munus, & officium myſtici Capitis Eccleſiæ, cuius erat vitam ſpiritualem membris influere. Hinc oritur difficultas, An Chriſtus meruerit bona ſpiritualia non ſolùm hominibus, ſed etiam Angelis. Verùm, quia homines alij ſunt fideles, alij infideles, & inter fideles alij Chriſtum præceſſerunt, alij ſubſecuti ſunt; quæritur quid omnibus iſtis Chriſtus meruerit.

I. Concl. Chriſtus non meruit ſibi gloriam animæ, neque gratiam, neque ſcientiam infuſam; meruit tamen ſibi gloriam corporis, ſuique nominis exaltationem &c. Prima pars eſt communis ſententia, & probatur. Ea, quæ aſſeruntur in prima parte concluſionis, habuit Chriſtus tamquàm proprietates morales conſequentes moraliter vnionem hypoſtaticam ei debitas, & ratione illius conceſſas à primo inſtanti: alioquin debuiſſent in Chriſto aliqui actus præcedere, quibus iſta meruiſſet, qui aſſignari nequeunt, cum ſecundùm ordinem prioritatis, quem habent hæc dona ex natura rei, gratia, viſio beata, & ſcientia infuſa non poſſint cadere ſub meritum: Secùs autem dici poteſt de potentia abſoluta: Nulla ſiquidem apparet repugnantia, quòd Chriſtus meruiſſet gloriam eſſentialem; immò & ipſam gratiam; ſi nimirum priùs natura elicuiſſet actum amoris conſequentem ſcientiam, ſeu notitiam abſtractiuam Dei; ſuppoſita tamen priùs natura ipſa vnione hypoſtatica, quæ Deo ordinante, ſufficere potuiſſet ad meritum condignum ex parte operantis; etiam præſcindendo à gratia habituali.

Prob. 2. pars contra Caluinum, impudenter aſſerentem, Chriſtum nihil ſibi meruiſſe, ſed totum nobis meruiſſe: & aper-

apertè colligitur ex S. Scrip. Nam Apoſt. ad Philip. 2. teſtatur. *Humiliauit ſemetipſum &c.* Item ad Hebr. 2. *Vidimus Ieſum propter paſſionem mortis, gloria, & honore coronatum*; & Lucæ vlt. *Nonne hæc oportuit pati Chriſtus, & ita intrare in gloriam ſuam?* Ratio eſt, quia prædicta non habuit Chriſtus ab initio, ergo potuit, adeoquè decuit, ipſum illa mereri; licèt enim, vtcumque deberentur ex vi vnionis hypoſtaticæ, nobiliùs tamen erat, quòd ſimul deberentur ex merito ea, quæ ab initio, ſeu ante omnia Chriſto ineſſe non congruebat ob bonum noſtrum. Nec tamen, ait Herincx ideò Chriſtus ſimpliciter dicitur mortuus pro ſeipſo; id enim ſimpliciter ſonat redemptionem ſui per paſſionem; quod nefas eſt dicere; cum hoc competat ſolis hominibus naturæ lapſæ: Quamuis ſecundariò ſicut pro ſe ipſo merita obtulit, ſic & pro ſe ipſe mortuus quodammodo dici queat.

Cæterùm aduertit Scot. d. 18. q. 1. Chriſtum meruiſſe ſibi gloriam corporis indirectè, quatenus meruit amotionem impedimenti, vt ſic redundaret gloria Animæ in corpus; cum gloria corporis ab initio debita, & miraculosè ob noſtrum bonum ſuſpenſa fuiſſet vſque ad illud tempus reſurrectionis; quæ doctrina ſatìs craſsè à Suarez, & à nonnullis alijs cenſuratur; prout ait Cancellus in Scholio.

II. Concl. Chriſtus meruit gratiam, & gloriam etiam Angelis, nec non Adamo, & Euæ in ſtatu innocentiæ. Eſt communis apud Scotiſtas, eamquè ſequuntur plures Recentiores. Prob. Suppoſito, quòd Incarnatio quoad ſubſtantiam fuerit prædeſtinata ante peccatum, immò ante omnes creaturas, vt alibi dictum eſt, facilè perſuadetur quomodo Chriſtus potuerit mereri gratiam, & gloriam etiam Angelis; nam quando Angeli ſunt prædeſtinati ad gratiam, & gloriam, iam ſupponebatur Chriſtus ad illa prædeſtinatus, & ſimiliter prædeſtinata erant merita Chriſti independenter à paſſibilitate carnis, ob quæ proinde Angelis prædeſtinata eſt gratia, immò, & gloria, ſaltem in executione; id exigente dignitate Chriſti omnium capitis.

Confirmatur. Quia alioquin Chriſtus valdè imperfectè foret caput Angelorum ratione influxus; qui eſſet tantùm accidentalis gloriæ, & gaudij; quo pacto etiam B. Virgo in illos influit, eſtò non dicatur caput Angelorum, quantumuis ſit illis dignior; de qua canit Eccleſia exaltata eſt

ſuper choros Angelorum, vt latiùs oſtenſum eſt part 1. tract. 1. diſp. 8. q. 11.

III. Concl. Chriſtus meruit hominibus lapſis gratiam, & gloriam, remiſſionem peccatorum, & omnia alia dona gratiæ, quæ poſt lapſum primi hominis conferuntur tam reprobis, quàm electis; immò etiam omnem diſpoſitionem ad iuſtificationem, nec non omnia auxilia, & media ad illam: Ita Herincx ex communi ſententia Theologorum; qui ſubdit. Immò ex diuerſis Scripturis, & Concilijs eſt de Fide excepta fortè vltima parte ob auctoritatem quorundam (vt refertur) eam negantium.

Difficultas tamen ſuboritur; An Chriſtus meruerit nobis gratiam, & gloriam tantùm ſecundùm ordinem executionis; an verò etiam ſecundum ordinem intentionis; hoc eſt; an prima electio ſit facta ex meritis Chriſti, ad quam breuiter reſpondet ſic Herincx. Quæſtio hæc difficultatem non habet in ſententia illorum, qui cenſent, primam electionem efficacem ad gloriam eſſe ex præuiſis meritis, & perſeuerantia finali, adeòquè etiam ex merito Chriſti. Qui proinde præter electionem, quam vocamus ſecundùm ordinem executionis, non admittunt aliam efficacem ad gloriam ſecundum ordinem intentionis, ſed ſimpliciter dicunt, electionem ad gloriam eſſe ex meritis Chriſti. Suppoſita autem electione ad gloriam ante præuiſionem meritorum, hanc quoad ordinem intentionis non procedere ex meritis Chriſti, cenſet Smiſing. tract. 3. d. 6. excipiens gratiam, quæ inuoluit ordinem ad peccatum v. g. pœnitentia de peccato, quæ cum ſupponat præuiſionem meritorum Chriſti, videtur eſſe primò ordinata ex eiuſdem meritis. Oppoſitum equidem eſt aſſerendum: ſic enim maximè apparet, quomodo Deus Pater benedixit nos in Chriſto omni benedictione ſpirituali, qualis indubiè, & valde magna eſt electio ad gratiam, & gloriam. Deinde Chriſtus fuit prædeſtinatus ante omnes alios, & in illo ſigno priori poterant futura illius merita præuideri, & conſequenter ob hæc homines ad gratiam, & gloriam eligi, quod proinde factum eſſe ſuadet Chriſti dignitas, & maior indè in nobis ad ipſum reſultans ſubiectio, & obligatio: ſicut idcirco de gratia præſupponente peccatum hoc ipſum fatetur Smiſing. qui alium ſtatuit ordinem decretorum Dei: Quòd ſi electio

non præſupponat præſcientiam lapſus, adeòquè ſit prior decreto de mittendo Chriſto in carne paſſibili ad patiendum, conſtat, ipſam non poſſe eſſe factam ex meritis paſſionis, vtpotè nec dum abſolutè præuiſæ, ſed ex meritis præuiſis independenter à paſſibilitate carnis.

Intelligitur autē hęc doctrina de electione abſoluta, quatenus ſcilicet merita Chriſti præuiſa fuerint ratio, ob quam Deus aliquos elegerit, eſtò non ſint ratio electionis comparatiuæ, ſeu cur hos potiùs, quàm illos elegerit. Sicut ſi Miles benemeritus offerat Regi ſua merita, vt alicui ex ſuis aliquam dignitatem conferat, venit quidem ex voluntate Regis, quòd hunc potiùs filium, vel nepotem, quàm alios ad illam eligat: tamen veriſsimè dicitur, quòd Rex voluerit huic filio benefacere propter merita iſtius Patris militis. Quam opinionem ſic intellectam non improbat Cauellus diſt. 19. in Scholio; addens tamen, quòd iſti potiùs ſint electi, quàm illi non oriri ex humana Chriſti voluntate, ſed diuina, quà humana regulanda venit, & non è contra; eò quòd non ideò hos præ alijs elegerit Deus, quod prȩuideret, Chriſtum humana voluntate hos magìs dilecturum; potiùs enim Chriſtus è contra in tempore fecit. Nihilominus Poncius diſp. 38. q. 7. cenſet, electionem etiam comparatiuam horum præ illis eſſe ex meritis Chriſti.

Arg. contra 2. conc. Apoſt. ad Hebræos 2. ait. *Qui ſanctificat, & qui ſanctificantur ex vno omnes; ideſt ſunt omnes eiuſdem natura, ſeu ex vna natura*, vt explicat noſter Adam Sasbouth; Accedit etiam auctoritas D. Aug. Enchirid. cap. 61. dicentis, *pro nobis, non pro Angelis mortuus eſt Chriſtus*; ſed Chriſtus nullis meruit, niſi pro quibus mortuus eſt, & pro quibus mors ipſa tàm præciſa, & acceptata à Patre, quàm conſummata, ſeu exhibita eſt; ergo non meruit Angelis.

Reſp. cum Herincx; quòd ſub ly ex vno intelligendum eſt ex vno Deo: vbi Apoſtolus, & ſimiles Scripturæ agunt de ſatisfactione reconciliatiua, quia Chriſtus non Angelos, ſed homines redemit. Itaque ſignificat, eum qui ſanctificat, & eos, qui ſic ſanctificantur debere eſſe eiuſdem naturæ, ijſdem miſerijs ſubiectæ; ex voluntate nimirum Patris æterni, qui voluit Filium veluti miſerorum Redemptorem per miſerias, & calamitates, cruciſquè ſacrificium pro peccatis offerendum conſtituere cæterorum Redem-

pro-

ptorem, vt patet ex contextu, & interpretatione Sasbouth, & ſic patet quid dicendum ſit ad D. Aug. loquitur enim de ſatisfactione reconciliatiua; non de gratia ſanctificatiua ſimpliciter, & à peccato independenti; qualis Angelis competit, & qualem Chriſtus illis meruit, vt in concl. explicatum eſt. Itaque, vt paucis plura comprehendam, meruit Chriſtus ſibi, Angelis, & nobis: Sibi quidem gloriam ſui corporis &c omnia teſtimonia, & laudes Angelorum à die natiuitatis per totam æternitatem, Apoſtolorum, & fidelium prædicationes, & laudes, poteſtatem iudiciariam, & poteſtatem inſtituendi ſacramenta. Nobis præter prædicta aperitionem tam ſpiritualis, quàm corporalis portæ Cœli; prior eſt amotio impedimenti viſionis beatificæ, & ſtatim poſt paſſionem exhibitam fuit aperta; vndè dixit Chriſtus latroni. *Hodiè mecum eris in Paradiſo; ideſt hodie beatificè videbis Deum*; poſterior vocatur amotio impedimenti aſcenſus beatorum ad Cœlum, velut locum ipſorum Beatorum, ad quem nullus aſcendit ante aſcenſionem Chriſti. Angelis denique gratiam, & gloriam &c.

QVÆSTIO IV.

Vtrum Chriſtus ſua paſſione meruerit pro omnibus, & ſingulis hominibus, adeò vt mortuus ſit, & pro Prædeſtinatis, & pro Reprobis.

NOt. 1. Quòd Caluinus, Beza, & alij hæretici auſi ſunt impudenter aſſerere, Chriſtum pro ſolis electis mortuum eſſe, & pro ſola eorum redemptione à Patre eſſe paſſionem Chriſti acceptatam; ad quorum dogma; ait Herincx incautè acceſſit Ianſenius lib. 3. de grat. Chriſti Saluat. cap. 21. vbi inter alia cenſet, inhærendo principijs D. Aug. quòd Chriſtus pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iuſtorum, non perſeuerantium finaliter in gratia, æterna ſalute mortuus non ſit; nec ſanguinem fuderit, nec ſemetipſum redemptionem dederit, nec Patrem orauerit, immò non magis pro æterna liberatione ipſorum, quàm pro Diabolo deprecatus fuerit: Et quamuis admittant, mortem Chriſti in ſe fuiſſe ſufficientiſſimam pro redemptione omnimoda hominum; immò & Dæmonum; negant tamen illam

fuiſſe

fuiſſe pro omnibus ex parte Chriſti oblatam; ſed pro ſalute tantùm electorum; quod tamen requireretur ad hoc, vt Chriſtus dici poſſet mortuus pro ſalute reproborum; ne alioquin etiam pro Diabolo mortuus dici valeat. Quod ipſe Ianſenius obſeruauit dicens, quòd ipſa phraſis, qua quis dicitur ſe pro aliquo redemptionem dare, præſeferre videatur redemptionem ex redimentis animo in vſum, ac liberationem captiuorum offerri; ac dirigi. Quod rectè declarat Smiſing. tract.3.de Deo vno diſp.6. & ſatìs conſtat ex communi loquendi modo.

Not.2. ex Scoto, & Baſſolio, quòd Chriſtus meruit omnibus quantùm ad ſufficientiam, quia meritum eius fuit acceptatum pro ſalute omnium, tamquam ſufficiens pro omnibus ſaluandis ſecundùm D. voluntatem antecedentem, qua vult omnes homines ſaluos fieri; adeò vt Deus voluntate conſequenti, & efficaci, ſicut dictum èſt in prima parte, voluiſſet omnes homines ſaluos fieri quantùm in ſe eſt, & ad hoc ſuffeciſſet meritum Chriſti ex acceptatione D. voluntatis, & hoc eſt rationabile ponere, inquit Baſſolius, quia naturam omnium hominum curabilem accepit, & ſecundùm ipſam meruit: & ideò qua ratione pro vno, vel pro tribus ſufficiebat meritum Chriſti, eadem ratione pro quolibet; & ita pro omnibus: Non tamen meruit omnibus quantùm ad efficaciam, quia non omnes homines efficaciter facti ſunt participes meritis Chriſti, ſed prædeſtinatis tantùm, & electis meruit efficaciter gratiam finalem, non ſolùm primam (ſicut aliquibus reprobis) & etiam gloriam, quam non meruit reprobis.

Concl. Chriſtus pro omnibus hominibus, & ſingulis, ideſt tam pro prædeſtinatis, quàm pro reprobis mortuus eſt; & promeruit; Hæc eſt de Fide, & habetur expreſsè in S. Scrip. nam ad Heb. 1. dicitur. *Vnigenitus Dei pro omnibus guſtauit mortem*. Ad Timot. 1. *Qui dedit redemptionem ſemetipſum pro omnibus* ad Corint. *Vnus pro omnibus mortuus eſt: ergo omnes mortui ſunt, & pro omnibus mortuus eſt Chriſtus*; & ad Rom. 8. *Proprio Filio non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum*. Vbi ly omnes intelligitur, prout ſemper intellexit Eccleſia, pro ſingulis generum, non pro generibus ſingulorum. Hinc Trident. ſeſſ. 6. cap. 5. tradit. *Verùm, etſi ille pro omnibus mortuus eſt, non omnes tamen mortis eius beneficium recipiunt, ſed ij dum-*

taxat, quibus meritum paſſionis eius communicatur: & deniquè in hoc ſenſu damnatur ab Innoc. X. in Bulla contra quinquè propoſitiones Ianſenij; quinta propoſitio ſic. *Semipelagiagianum eſt dicere, Chriſtum pro omnibus omninò hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe, falſam, temerariam, & ſcandaloſam: & intellectam in eo ſenſu, vt Chriſtus pro ſalute dumtaxat prædeſtinatorum mortuus ſit, impiam, blaſphemam, contumelioſam, diuinæ pietati derogantem; & hæreticam declaramus, & vtì talem damnamus.*

Prob. ratione theologica. Non ſolùm electi, ſed & reprobi debent credere, & recitare Symbolum Fidei; quod vt in Synodo Nycena editum eſt, ita ſonat. *Credimus in vnum Dominum Ieſum Chriſtum, qui propter nos homines, & propter noſtram ſalutem deſcendit, & Incarnatus eſt, & Homo factus paſſus eſt &c.* Quod procul dubio quilibet per fidem applicat ſibi ipſi in particulari, & non ſolùm in generali, hoc, vel ſimili modo; Qui propter nos electos deſcendit. Immò quilibet in particulari ſibi applicat, iuxta illud Apoſtoli ad Galat. *Qui dilexit me, & tradidit ſemetipſum pro me.* Hinc D. Aug. vnà cum alijs Patribus docet, & prædicat, quanti valeat cuiuſlibet Animæ Chriſtianæ; pretioſo Sanguine redemptæ; ait enim in Pſal. 102. O *Anima erige te; tanti vales*: & *ſer.* 120. *de tempore. Agnoſcat homo, quantùm valeat, & quantum debeat; & dum pretium ſuum cogitat, vilis ſibi eſſe deſinat. Reus itaquè erit non parui pretij, ſed Sanguinis Chriſti, qui violat, & commaculat Animam Chriſti Sanguine, & Paſſionem mundatam*; ergo &c.

Prob. 2. Chriſtus pro omnibus ijs ſanguinem fudit, quorum ſalutem ſitiebat in Cruce clamans. Sitio, ſed ſic eſt, quòd ſitiebat ſalutem omnium etiam reproborum, & vniuerſos inuitabat dicens, Sitio: vt oſtendit S. Laurent. Iuſtinianus de triumpho Chriſti agone cap. 19. Qui etiam ſer. de Paſsione Dom. ait: *Sitit vtiquè pereuntium ſalutem Animarum*, & *D. Aug. pluribi*, & *ſignanter Pſal.* 61. *ait. Multos bibit, ſcilicet electos, ſed nunquàm erit ſinè ſiti; quia videlicet non poſſidebit reprobos, quos ſitiebat, de quibus præmiſerat. Illi interficiebant, illi repellebant, ego eos ſitiebam &c. ergo &c.*

Arg. 1. Chriſtus Matt. 26. de ſanguine ſuo dixit. *Qui pro vobis, & pro multis effundetur*; ergo &c. Reſp. effundetur pro multis efficaciter, ſeu cum effectu ſalutis; & pro omnibus quantùm ad ſufficientiam; vel dicitur pro multis, quod idem eſt pro omnibus, ſeu pro tota multitudine; idquè vt

Do-

Doctores aduertunt phraſi ſcripturæ vſitata, quæ ponit multa pro omnibus, vt etiam oſtendit Panigarola in quodam ſermone; vbi coaceruat ſimilia loca Scripturæ.

Arg. 2. Iohan. 17. Chriſtus ait. *Non pro mundo rogo, ſed pro his, quos dediſti mihi;* quibus verbis videtur excludere reprobos: ergo &c. Reſp. Chriſtum ibi orare expreſſè pro ſolis diſcipulis; etſi orationem poſtea extendat ad credituros per verbum eorum. Et quamuis ibi tantùm oraſſet pro Apoſtolis, alibi tamen orauit etiam pro cæteris; oratio namque non ſemper pro omnibus ſuſcipi debuit, ac ipſa mors. Deinde dici poteſt, quòd Chriſtus orauerit efficaciter pro ſolis electis; etſi etiam pro reprobis, quoad ſufficientiam; qua diſtinctione fit ſatis non ſolùm alijs S. Scrip. locis, ſed etiam SS. PP. auctoritatibus, quæ aliquando videntur iudicare, Chriſtum pro prædeſtinatis tantùm mortuum eſſe. Quarè D. Aug. orat. de quinquè hæreſibus cap. 6. in perſona Chriſti alloquens Ario ait. *Sanguinem meum fudi, animam meam poſui, vt mihi coniungerem te, & tu diuidis me?* & certè Arius reprobatus eſt; vndè D. Aug. in Epiſt. 102. loquendo de prędeſtinatis ait. *Non perijt vnus ex illis, pro quibus mortuus eſt Chriſtus; efficaciter ſiquidem pro illis mortuus eſt.*

QVÆSTIO V.

Vtrum Chriſtus meruerit, ac ſatisfecerit pro nobis de rigore iuſtitiæ.

NOt. 1. Quòd aliud eſt, ſatisfactionem aliquam eſſe ex natura ſua æqualem, & condignam; aliud verò, illam fieri de rigore iuſtitiæ, vel, vt quidam loquuntur, ad ſtricti iuris apices. Etenim ad hoc vt ſatisfactio ſit condigna ſufficit, quòd compenſatio fiat ad æqualitatem, & tantum à debitore ſoluatur, quantum creditori debetur: verùm vt ſatisfactio fiat, & ſit de rigore iuſtitiæ commutatiuæ, de qua hìc eſt ſermo, præter æqualitatem aliæ deſiderantur conditiones, de quibus in 2. notabili. Vndè quod attinet ad ſatisfactionem condignam, certum eſt, Chriſtum pro nobis meruiſſe condignè, æqualiter; immò ſuperabundanter, iuxta illud Pſal. *Copioſa apud eum redemptio*. Itaque Chriſti ſatisfactio non ſolum fuit æqualis; ſed etiam ſufficientiſ-

ſima, & ſuperabundans in ordine ad præmium; etſi indiguiſſet acceptatione diuina, vt illud à præmiante conſequi poſſet. Hinc Apoſt. ad Rom. 5. dicebat. *Sicut enim per inobedientiam vnius hominis peccatores conſtituti ſunt multi (nota multi pro omnibus) ita & per vnius obedientiam iuſti conſtituti ſunt multi. Vbi autem abundauit delictum, ſuperabundauit gratia*: Vnde Concil. Triburienſe cap. 9 ait; *in conſecratione calicis plus vini, quàm aquæ admiſceri, vt oſtendatur, maiorem eſſe virtutem ſanguinis Chriſti, quàm populi fragilitatem, quæ per aquam deſignatur*: Tandem veritatem docet Scot. in 3. d. 19. dicens; meritum Chriſti ratione Perſonæ Diuinæ habuiſſe circumſtantiam infinitam, ratione cuius congruum erat, vt pro infinitis acceptaretur; ac proinde merita Chriſti ratione perſonæ diuinæ congruentiam, hoc eſt, vt explicat Fraſſen Doctor Pariſ. valorem, & dignitatem habuiſſe; vt pro infinitis hominum peccatis ſoluendis acceptarentur; congruentia enim apud Doct. Subt. idem eſt, ac apud Recentiores valor, & dignitas.

Not. 2. Quòd Iuſtitia vt ſic partitur tamquam in partes ſubiectiuas, in legalem, commutatiuam, & diſtributiuam, vt latè oſtenſum eſt in diſp. 1. tractat. iuſt. & iuris; vndè hìc breuiter in gratiam ſtudentium repetam tantùm ea, quę faciunt pro clariori notitia præſentis quæſtionis. Igitur iuſtitia legalis ex Ariſt. 5. Ethicorum eſt complexio omnium virtutum, quibus quis legibus obtemperat; ac proinde reperitur in omnibus virtutibus ordinatis ad proximum, vel ad Deum; ſic iuſtum eſt parere mandatis Superiorum ex obedientia, Deo debitum cultum impendere ex religione; parentibus ſuccurrere ex pietate &c. ideoquè iuſtitia legalis appellatur etiam iuſtitia generalis, ſeu communis.

Certum eſt autem, Chriſtum ſuam paſſionem ſubijſſe, ac ſatisfactionem exhibuiſſe ex iuſtitia legali; nam eam obtulit ex motiuo charitatis; *Siquidem dilexit nos, & lauit nos à peccatis noſtris in ſanguine ſuo*; vt dicitur Apoc. 2. Amicitiæ; nam teſte Apoſt. ad Epheſ. 5. *Chriſtus dilexit Eccleſiam, & tradidit ſemetipſum pro ea*. Item obedientiæ, iuxta illud: *Sicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio Ioan.* 14. Inſuper Religionis, teſte Iohan. 17. *Pro eis ſanctifico me ipſum*; ideſt ſacrificium offero, vt eius virtute ſanctificentur. Iuſtitia commutatiua

tiua eſt virtus tribuens vnicuique quod ſuum eſt, ſeruata æqualitate rei ad rem: Quatuor autem conditiones exiguntur ad ſatisfactionem rigoroſæ iuſtitiæ: Prima quòd ſatisfactio non fundetur in gratia, & liberalitate Creditoris. Secunda, quòd non fiat ex bonis proprijs Debitoris. Tertia, vt fiat ex bonis, quæ alias non ſint debita creditori, hoc eſt, non ſint debita alio titulo; vt ſi quis deberet Petro centum Florenos ratione mutui accepti; non ſatisfaceret, ſi illos ſolueret titulo emptionis rei ab eodem Petro; quia alio titulo, nempe mutui ſunt ei debita, quæ conditiones eliciuntur ex definitione à Doct. tradita de Satisfactione in 4. diſt. 15. q. 1. art. 1. vbi ait: *Satisfactio eſt redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti*: Satisfactio ſiquidem debet eſſe æquiualens iniuriæ, ſeu debito, in quo iuſtitia verſatur, tum commutatiua, tum diſtributiua, tum punitiua. Quarta denique, quòd intercedat alteritas inter ſatisfacientem, & offenſum; nam eiuſdem ad ſeipſum non eſt iuſtitia, nec iuſta ſatisfactio. Immò neque inter Patrem, & Filium non emancipatum, neque inter Deum, & creaturam; vt in tract. de iuſt. dictum eſt. Addunt nonnulli, opus eſſe, vt creditor teneatur illam acceptare; quod tamen in recenſitis conditionibus includitur; etenim cum redditum eſt æquale debito ineſt ei quicquid exigi poteſt à creditore, cui ſoluitur, vel ab offenſo, cui ſatisfit: Hæ ſunt conditiones rigoroſæ iuſtitiæ communiter receptæ, etiam ab alijs extra ſcholam Scoti, & D. Thomæ.

Not. 3. Quòd circa hanc quæſtionem ſic explicatam ſunt tres opiniones. Prima eſt Thomiſtarum, & plurium Recentiorum aſſerentium, Chriſtum pro peccatis generis humani de rigore iuſtitiæ ſatisfeciſſe. Secunda eſt Scoti, & Scotiſtarum, necnon multorum extra noſtram Scholam negantium, Chriſtum de rigore iuſtitiæ ſatisfeciſſe. Tertia eſt quorundam Recentiorum, & ſignanter Cardinal. de Lugo dicentis; ſatisfactionem Chriſti non fuiſſe actum veræ, & propriæ iuſtitiæ commutatiuæ, ſed potiùs iuſtitiæ communis, ſeu legalis. Verùm nos aſſerimus, ſatisfactionem fuiſſe actum iuſtitiæ perfectum, quia per eam redditum eſt æquiualens; immò & excedens debitum; ſed quia hæc æqualitas, & exceſſus fundabatur in gratia, & liberalitate creditoris, ideoquè dici nequit ſatisfactio perfecta;

cum conditiones prædictæ ad rigoroſam iuſtitiam requiſitæ ei deficiant: vndè ſit.

I. Concl. Chriſtus non meruit ex rigore iuſtitiæ commutatiuæ; Hæc eſt Scoti, & Scotiſtarum, immò videtur communis contra quoſdam Recentiores. Prob. Deus non eſt capax talis iuſtitiæ in ordine ad creaturam; adeò vt creatura per aliquod opus ſuum poſſet ſibi Deum obligare ſtricto iure ad aliquod præſtandum; idquè ob ſupremum, & inabdicabile dominium, & ius Dei ſuper omnes creaturas; earumquè iura, vt in 1. parte diſp. de Volunt. D. tactum eſt, & in 2. part. diſp. de merito; ergo &c. Adde; quòd, ſecluſa liberali acceptatione diuina, nulla poterat exurgere obligatio mercedis, ſeu præmij, quantumuis ſupponatur valor operum Chriſti infinitus; quia potuiſſet Pater illa exigere alio titulo, v. g. ſupremi dominij, & hoc ſecluſo ob independentiam abſolutam, à quibuſuis rei creatæ actionibus, & ob ipſarum actionum dependentiam ab ipſo, nullo modo ligari poteſt niſi volens, & tunc potiùs ligatur à ſe ipſo, ratione nimirum immutabilis veracitatis; vndè ad rem D. Aug. ſer. 16. de verbis Apoſtoli ait. *Debitor nobis factus eſt Deus, non aliquid accipiendo, ſed quod ei placuit promittendo*; hinc ſapienter Scotus in 4. diſt. 36. q. 1. ait, quòd iuſtitia Dei non poteſt appellari iuſtitia ſimpliciter ſed ſecundùm quid; quod indicat *Tridens. ſeſſ. 6. cap. 16. vbi tradit, merita noſtra eſſe, quæ ſunt Dei dona*; ſolum igitur admittitur in noſtra Schola, inquit Hiquæus comment. in 4. diſt. 15. q. 1. iuſtitia fundata in fidelitate, & promiſſione ſub exhibitione operis boni.

II. Concl. Chriſtus non ſatisfecit Deo Patri pro peccatis generis humani de rigore iuſtitiæ. Eſt Scoti, & primò probatur explicatione definitionis traditæ à Scoto in 4. d. 15. q. 1. de ſatisfactione. *Satisfactio, inquit, eſt redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti*; quæ breuis quidem, ſed iuſta eſt definitio, cuius vis eſt in vltimis vocibus, æquiualentis indebiti; vna ponit æqualitatem rei ad rem, altera excludit dominium Creditoris; ita vt procedat ex bonis Debitoris; non autem Creditoris; quæ duo conſtituunt iuſtitiam rigoroſam. Et quidem ex parte Chriſti æqualitas hæc datur in ſatisfactione offerentis æqualem; immò & ſuperabundantem ſatisfactionem, quamuis formaliter, & ſimpliciter finitam; deeſt tamen in hac æqualitate rigor iuſtitiæ, quia pro-

prouenit à beneficio, & liberalitate Dei, & completur per acceptationem, & ſic deficit rigor iuſtitiæ. Defuit pariter in hac Chriſti ſatisfactione, altera conditio, nempe indebiti; quandoquidem Chriſtus non obtulit indebita, ideſt alio titulo, indebita enim hìc intelligitur, vt paulò ſuperius indicauimus; non quod ſit ex omninò indebitis, nam ſatiſfactio illa abſolutè eſt debita; ſed aliàs indebita, hoc eſt, alio titulo, ſed obtulit donata, & debita Deo ob eius ſupremum dominium, ergo Chriſtus non ſatisfecit de rigore iuſtitiæ.

Confirmatur. Etenim quicquid Chriſtus habuit, accepit à Deo; ergo non potuit ex proprio ſatisfacere; ac proinde non ſatisfecit de rigore iuſtitiæ: ant. patet; quia vnio hypoſtatica, gratia ſanctificans, & cætera dona indubiè accepit à Deo Patre. Prob. 2. ad hominem contra Aduerſarios. Nam ipſi tribuunt Chriſto quamdam ſanctitatem ita intrinſecam, vt ſit quædam intima vnctio, & veluti influxio in humanitatem per quendam illapſum Diuinitatis facientis eam infinitè ſanctam, ſed huiuſmodi ſanctitas eſt propria Dei; ergo ſi per eam fit ſatisfactio non fit ex bonis proprijs humanitatis; ſed potiùs ex bonis Diuinitatis, ac proinde manifeſtè deficit rigor iuſtitiæ.

Prob 3. Inter Deum, & Chriſtum non eſt ſufficiens diſtinctio, vt poſſit ſatisfactio eſſe ad alterum; ergo nequit ex defectu huius conditionis requiſitæ, ex rigore iuſtitiæ eſſe ſatisfactio: ant. patet, quia Chriſtus eſt Deus, & includit eſſentialiter ſuppoſitum, quod cum ſit diuinum, inter ſuppoſitum Verbi, & Deum non eſt diſtinctio, quia ipſummet Verb. eſt Deus. Nec valet dicere, naturam humanam diſtingui à ſuppoſito Verbi; cum natura in abſtracto non mereatur, nec ſatisfaciat; vndè neceſſariò debet ſuppoſitum intercedere merendo, & ſatisfaciendo; ex quo patet, nullam eſſe ex hoc capite iuſtitiam rigoroſè acceptam.

Prob. 4. Satisfactio rigoroſa debet eſſe ex bonis proprijs ſatisfacientis, non verò ex ijs, quæ ad creditorem pertinent; at ſatisfactio Chriſti non fuit ex bonis proprijs, ſed ex bonis ipſius creditoris, ſeu Dei offenſi, ſub cuius dominio erant omnes actiones Chriſti; Deus namque titulo creationis habet in omnia entia creata ſupremum dominium, ergo ſatisfactio Chriſti non fuit de rigore iuſtitiæ.

Reſp. Fraſſen, qui in hac quæſtione Thomiſtam agit, &

certè valde miror, tam inſignem Scotiſtam, relicta Scotica ſententiam, Thomiſticam amplecti, reſpondet, inquam cum Gonet. conc. mai. & neg. min. Quia actiones ſatisfactoriè a Chriſto elicitæ duobus modis conſiderari poſſunt; primò phyſicè, ſeu entitatiuè, & quatenus ſunt à natura humana, vt à principio formali quò: ſecundò moraliter, & veluti reflexiuè ad Verbum, à quo procedunt tamquàm à principio quod. Priori modo ſunt formaliter quid creatū, & pertinent ad dominium commune toti Trinitati; poſteriori autem modo, quia ſub hac ratione inuoluunt moraliter ipſum ſuppoſitum Verbi D. quod non continetur ſub dominio Dei, cum ſit Deus; non continentur; ſub dominio D. ac proinde tales actiones erant ex proprijs Chriſti; ſeu ſuppoſiti D. quia ſub hac ratione formali illud inuoluunt, non ſolùm per modum principij effectiui, ſed etiam per modū principij formalis, ipſas actiones moraliter informantis, & dignificantis. Reſp. 2. quòd etſi actiones Chriſti tam materialiter, quàm formaliter conſideratæ fuerint ſub alto, & generali dominio Dei, quatenùs ſupremi omnium Moderatoris, & Domini; nihilominus Chriſtus ad iuris apices poterat noſtrum ſoluere debitum, quia dominium altum, & commune in rem aliquam non impedit dominium particulare, vt patet de Rege, qui licèt habeat dominium altum in bona ſubditorum, ita vt poſſit illa expendere in commodum, & vtilitatem Reip. non impedit dominium particulare ſubditorum, adeò vt ſoluendo ei tributa, non ſoluant de proprijs.

Verùm neutra reſponſio ſatisfacit. Non quidem prima; quia actiones Chriſti ſunt ſuppoſiti D. ſolùm denominatiuè, & per communicationem idiomatum, non verò ſuppoſiti influentis; neque enim ſuppoſitum Verbi habet aliquid proprij in Chriſti humanitate præter terminationem eiuſdem naturæ in ratione ſubſiſtentiæ, quod toti Trinitati non ſit commune; & illa dignificatio, quam ſuppoſitum Verbi præſtat humanitatis actionibus, procedit à prima gratia, nempe vnionis hypoſtaticæ.

Neque ſecunda; Etenim falſum eſt, quòd cum dominio alto, & ſupremo Dei poſſit conſiſtere in creaturis dominium ſtrictum, & rigoroſum. Triplex ſiquidem eſt dominium; vt notauimus in diſp. 1. tract. de Iuſt. & Iure cum

Bar-

Barboſa Sapientiſſimo Iuriſperito. Primum dicitur altum, & ſupremum, quod ſoli Deo competit: 2. dicitur medium, quod competit creaturis intellectualibus ſubditis in bonis proprijs: 3. dicitur infimum, & improprium, quod competit Principi in ſubditorum bonis in caſu tantùm neceſſitatis Reipublicæ. Ex quo patet diſparitas de dominio Dei, & Principis; cum Deus habeat dominium abſolutum, & inabdicabile creaturarum, & ſuarum actionum, altiori, & potiori iure, quàm habeat Dominus temporalis in ſuis ſeruis, & mancipijs; quarè ſi inter Dominum, & ſeruum non intercedit rigoroſa iuſtitia, vt tradunt legales, neque inter Patrem, & Filium, quia ſunt aliquid eius, & non eſt proinde inter illos perfecta alteritas; tantò minùs inter Deum, & creaturarum, puta humanitatem aſſumptam, eſt perfecta alteritas, atquè rigoroſa iuſtitia.

Dices. Dominium Dei in actus Chriſti non impedit dominium particulare Chriſti in eoſdem actus liberè elicitos; quos potuiſſet non elicere, alioquin non eſſent liberi, & proprij; ſi non procederent à libera voluntate; ergo non impedit, quin per illos actus ſatisfecerit ex perfecta iuſtitia, quæ ſatisfactio nititur proprio dominio. Reſp. diſting. ant. non impedit perfectum dominium libertatis; conc. ant. non impedit dominium perfectæ alteritatis ad rigoroſam iuſtitiam requiſitum, neg. ant. vt patet de dominio Patris in obſequijs filij; quod non impedit dominiū libertatis in filio, benè tamen dominium perfectæ alteritatis, & proprietatis.

Prob. 5. Satisfactio rigoroſa non poteſt fieri ex bonis aliàs debitis, & omnes Chriſti actiones, & paſſiones erant Deo debitæ pluribus titulis, nempe titulo ſeruitutis, Religionis, obedientiæ &c. ergo illis non ſatisfecit de rigore iuſtitiæ pro peccatis generis humani.

Reſp. Conet. diſting. mai. ſatisfactio, quæ eſt finiti valoris; conc. mai. quæ eſt infiniti valoris, qualis eſt Chriſti ſatisfactio, neg. mai. At hæc reſponſio ſupponit meritum, & ſatisfactionem Chriſti eſſe infinitam; quod verum non eſſe oſtendetur in ſequenti quæſt. & gratis dato, quod eſſent infiniti valoris ſimpliciter, hæc infinitas ſufficeret tantùm ad ſatisfaciendum pluribus obligationibus, ac debitis perfectè quoad æqualitatem, & condignitatem, non autem quoad iuſtitiæ rigorem.

Prob.

Prob. deniquè ſatisfactio rigoroſa inducit obligationem ſtrictæ iuſtitiæ in creditore, vel in perſona offenſa, ſed talis obligatio repugnat Deitati; indignum eſt enim, quòd ponatur in Deo nexus iuridicus, quo tenetur reddere præmium, vel dimittere debitum ex debito; inquit Macedo in hac quæſt. ergo ſatisfactio Chriſti non fuit de rigore iuſtitiæ, hinc patet, quàm indignè dicat Medina à Maſtrio relatus; Scotum in hac materia parùm reuerenter, & dignè loqui de Chriſto Domino, dum negat hanc excellentiam Chriſti ſatisfactioni; nempe non fuiſſe de rigore iuſtitiæ, nihil ſiquidem facit ad celebritatem ſatisfactionis, vt notat Maſtrius etiam iuxta mentem Aduerſariorum, an fuerit ex rigoroſa iuſtitia commutatiua, an ex vindicatiua, an ex legali, vel ex quadam iuſtitia latè ſumpta, ſeu ſecundùm quid, cum huiuſmodi quæſtiones non minuant excellentiam meritorum, & ſatisfactionis Chriſti, ſed ſupponant, iuxta vnanimem Theologorum ſenſum, merita Chriſti, & ſatisfactionem fuiſſe maxima, condigna, immò ſuperabundantia, ac proinde Doctor ſapienter, & reuerenter de Chriſto loquitur.

Arg. 1. probando; quòd ſatisfactio Chriſti non fuerit ex iuſtitia, nec etiam ſecundùm quid; vt noſtra Schola aſſerit. Ibi debet dari ſatisfactio ex iuſtitia, vbi datur iniuria, ſeu iniuſtitia; ſed genus humanum nullam iniuriam, & iniuſtitiam intulit Deo peccando; ergo nec ſatisfactio peccati debet eſſe ex iuſtitia, etiam ſecundum quid: mai. patet minor eſt manifeſta, quia Deus per peccatum nullum patitur damnum, ſicut nec è contra laudibus noſtris fit beatior, & perfectior *teſte Iob. c. 22 Quid prodeſt Deo, ſi iuſtus fueris, aut quid ei confert, ſi fuerit immaculata via tua.*

Reſp. conc. mai. & diſting. min. Per peccatum non læditur Deus intrinſecè, ſicut neque per bona opera noſtra intrinſecè non fit perfectior; conc, min. non læditur Deus in bonis extrinſecis; vt in exiſtimatione, honore, gloria, quæ maxime æſtimabilia ſunt, & appetibilia; itaut ipſemet Deus dicat, gloriam meam nemini dabo; neg. min. Itaquè Deus maximè læditur in his bonis extrinſecis; quia ſunt ei debita; tam dominio proprietatis; quàm iuriſdictionis, quando quis mortaliter peccat, ac proinde peccatum eſt iniuria, & iniuſtitia in Deum.

Arg.

Arg. contra 2. concl. quòd ſit ex rigore iuſtitiæ. Si Chriſti ſatisfactio non eſſet de rigore iuſtitiæ, hoc maximè foret, quia procedunt omnes Chriſti actiones ſatisfactoriæ à prima gratia, nempe vnionis hypoſtaticæ: ſed hoc non impedit: ergo &c. min. prob. Donum Incarnationis in ſent. Scotiſtarum non fuit datum ad ſatisfaciendum pro peccatis generis humani, quia ſi Adam non peccaſſet, adhuc datum fuiſſet; ergo donum Incarnationis non impedit; quin ſatisfactio ſit de rigore iuſtitiæ.

Prob. conſ. Tunc gratia creditoris excludit perfectam iuſtitiam, quando concurrunt hæc tria. Primum, vt gratia detur eo fine ſaltem virtuali, vt alius per eam ſatisfaciat. Secundum, vt ſolutio fiat ea ipſa re, quæ à creditore gratis donatur, non autem alijs propria induſtria acquiſitis. Tertium, vt gratia fiat eidem, qui debet ſatisfacere; ſed in ſatisfactione Chriſti hæc tria non concurrunt; vt diſcurrenti patet; non primum, vt conſtat, ex præfata ratione; non ſecundum, quia Chriſtus non ſatisfacit per ipſam gratiam vnionis formaliter, ſed per labores, & fructus propria induſtria comparatos: Neque tertium, quia gratia vnionis non eſt facta huic homini Chriſto, qui propriè ſatisfacit, ſed humanitati, quæ non ſatisfacit.

Reſp. conc. ſequelam, & neg. min, ad probat. diſting. ant. gratia vnionis quoad ſubſtantiam non fuit formaliter, & primariò ordinata ad debiti ſolutionem, conc. ant. virtualiter, & ſecundariò; neg. ant. & inſuper conſiderata quoad modum fuit ordinata formaliter, & primariò ad ſatisfactionem in carne paſſibili, & hæc vnio fuit cauſa valoris operum Chriſti; & ratione gratiæ habitualis opera Chriſti fuerunt dona Dei, & ſic nec primum, nec ſecundum defuit. Vndè ruit exemplum, quod Thomiſtæ afferre ſolent de eo, qui videns ſe impotentem ad ſoluendum debitum, mutuò accepit pecuniam à creditore, quam proprio labore, & induſtria auget; ille ſiquidem pecunia, quam negotiando lucratus eſt, poteſt creditori ſatisfacere de toto rigore iuſtitiæ, quia in tali caſu gratia creditoris non ſupplet defectum valoris in ſatisfactione, nec ipſam debiti ſolutionem formaliter ingreditur; ſic ſeruato decore, ſe habet vnio hypoſtatica in ordine ad actiones Chriſti ſatisfactorias; ruit, euaneſcit iſta apparens ratio exemplaris, quia fal-

falſum eſt, Chriſtum per labores, & fructus induſtria humanæ voluntatis acquiſitos ſatisfeciſſe; cum principalis ſatisfactionis valor, non ex humana voluntate procederet; ſed ex gratia vnionis, & cæteris donis humanitati à Deo collatis; vnde exemplum allatum non eſt idoneum, quia pecuniæ lucrum factum ex pecunia mutuò accepta, non eſt mutuantis, vt clarè oſtenſum eſt in diſp. de vſura, ſed negotiantis ex propria induſtria, & labore; opera autem Chriſti erant dona ipſius Dei, etſi Chriſtus quoque ſua libera voluntate fuerit eorum cauſa. Nec denique defuit tertium; quia licèt gratia vnionis facta ſit naturæ, non ſuppoſito; tamen principium formale ſatisfaciendi non fuit ſuppoſitum, ſed natura.

Dices. Non eſt contra rationem rigoroſæ iuſtitiæ, ſatisfactionem fieri ex bonis gratuitò à creditore acceptis, vt patet in donatione, per quam verum dominium directum, & vtile transfertur, vt dictum eſt in diſp. de donatione tract. de iuſt. in donatarium, & iuſtè qui donauit exigere poteſt etiam ex re gratuitò data, debiti ſolutionem; ergo gratia vnionis, præſertim gratuitò donata, non impedit &c.

Reſp. neg. ant. quod autem attinet ad donationem, dicendum, valere in humanis; vbi verè transfertur totale dominium in donatarium, non autem habet locum apud Deum; cum eius donatio non poſſit dominium rei acceptæ in creaturam transferre; ac proinde tam ante, quàm poſt donationem donata à Deo æquè remanent in ſua poteſtate, & dominio inabdicabili.

QVÆSTIO VI.

Vtrum, ſuppoſita diuina ordinatione, quòd non redimeretur homo, niſi per ſatisfactionem, potuiſſet de potentia abſoluta, pura creatura Deo ſatiſfacere de condigno, & ad æqualitatem.

NOt. 1. Quòd Scot. in 3. d. 20. q. vn. proponit præſentem quæſtionem ſic Vtrùm neceſſe fuerit, genus humanum reparari per paſſionem Chriſti; cui ita reſpondet. Ad iſtam quæſtionem, quæ eſt merè theologica, propter quam ſolùm videtur Anſel. feciſſe totum librum, *Cur Deus*

homo,

homo, & ibi videtur eam ſoluiſſe; primò videndum eſt ſecundùm Anſel. quòd neceſſarium fuit hominem redimi: 2. quòd non potuit redimi ſine ſatisfactione: 3. quòd facienda erat ſatisfactio à Deo homine: 4. quòd conuenientior fuit modus hic, ſcilicet per perſonam Chriſti. At breuitati intentus poſui ſupradictam quæſtionem, quæ ex Scoti mente ſupponit, non fuiſſe neceſſarium ſimpliciter reparari hominem, etiam ſuppoſito lapſu; ſicut nec hunc hominem neceſſarium eſt reparari poſt peccatum, igitur fuit tantùm neceſſarium neceſſitate conſequentiæ, ſuppoſito nimirùm, quòd Deus ſic determinauerit. Neq; vlla neceſſitas fuit abſolutè, hominem priùs lapſum reparare per viam ſatisfactionis, nam priùs eſt culpam velle remittere, quàm ſatisfactionem pro culpa velle recipere; igitur Deus potuit culpam remittere, ac proinde hominem reparare nolendo aliquam ſatisfactionem recipere; vt dicit Scot. in 4.d.15.q. 1. Nec deniq; etiam ſuppoſito decreto D. de non redimendo hominē niſi per viam ſatisfactionis, abſolutè loquendo fuit vlla neceſſitas hominem Deum pro hominis peccato mori, & ſua paſſione ſatisfacere, ſed pura creatura potuit ſatisfacere; Quæritur ergo. An reuerà pura creatura, ſiue Angelus, ſiue homo de potentia abſoluta potuerit Deo ſatisfacere pro hominis peccatis de condigno, & ad æqualitatem.

Not. 2. quòd quæſtio poteſt habere duplicem ſenſum, primum; An pura creatura; ideſt in puris naturalibus conſtituta abſque gratia, & alijs donis ſupernaturalibus potuiſſet Deo ſatisfacere &c. Secundum: An pura creatura, ideſt non eleuata ad vnionem hypoſtaticam, ſed tamen prędita plenitudine gratiæ, & alijs donis ſupernaturalibus potuiſſet Deo ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem. Quantùm ad priorem ſenſum duæ ſunt opiniones: Prima eſt Thomiſtarum, & Scotiſtarum, eſtque communis, hominem, vel Angelum in puris naturalibus non potuiſſe Deo ſatisfacere. Secunda eſt Nominalium ſignanter Rubionis in 4. d. 15. q. 3. cui conſentit etiam Baſſolius in 3. d. 2. q. vn. ſ. ſed his non obſtantibus, exiſtimantium, creaturam in puris naturalibus de potentia Dei abſoluta potuiſſe ſatisfacere. Quantùm ad poſteriorem ſenſum quæſtionis referuntur tres ſententiæ. Alia Thomiſtarum abſolutè negans, creaturam non eleuatam ad vnionem hypoſtaticam potuiſ-

ſe de condigno ſatisfacere ob hanc rationem; quia peccatum, cum ſit infinitæ grauitatis ratione perſonæ offenſæ, talis iniuria Deo facta compenſari nequit de condigno, & ad æqualitatem, niſi perſona ſatisfaciens ſit infinita. Alia eſt Scoti, & Scotiſtarum loc. cit. oppoſitum abſolutè propugnans. Tertia deniquè eſt Suarez diſp. 4. ſect. 7. & aliquorum Recentiorum dicentium, poſſe quidem purum hominem in gratia conſtitutum pro alijs ſatisfacere aliquo modo quoad æqualitatem rei ad rem, ſed talis ſatisfactio non eſſet æqualis omninò offenſæ diuinæ.

I. Concl. Nulla creatura viribus naturæ, ſeu in puris naturalibus de potentia Dei abſoluta potuiſſet pro ſuo peccato, vel pro peccatis aliorum ſatisfacere ad æqualitatem. Eſt Scoti d. 20. ʃ. contra illud. Prob. Omnis perfecta, & condigna ſatisfactio reſarcire debet totum honorem læſum perſonæ offenſæ; ſed contritio ex ſolo motiuo Dei finis naturalis elicita nequit reſarcire totum honorem &c. ergo &c. Prob. min. per peccatum in hoc ſtatu commiſſum non ſolùm læditur honor Dei finis naturalis, ſed etiam ſupernaturalis, quia peccando contemnitur Deus. & vt benefactor bonorum naturalium, & vt Auctor bonorum ſupernaturalium; ergo per ſatisfactionem prouenientem ex puris naturalibus non reparatur totus honor Dei offenſi.

II. Concl. Creatura; ſiue Angelus, ſiue homo de potentia Dei abſoluta in gratia conſtituta, màximè in ea plenitudine, quam habuit Chriſtus, potuiſſet pro peccatis generis humani ſatisfacere de condigno, & ad æqualitatem; etſi non excedenter, & ſuperabundanter, vt ipſemet Chriſtus ſatisfecit. Eſt Scoti expreſſa ſententia loc. cit. in 3. d. 20. q. vn. ʃ. ad quęſtionem, vbi ſic diſcurrit, poſtquàm retulerat doctrinam S. Anſel. Vnus purus homo potuiſſet ſatisfacere pro omnibus, ſi fuiſſet conceptus ſine peccato, ſicut potuiſſet fieri de poſſibili operatione Spirit. S. & matris; ſicut fuit Chriſtus, & Deus dediſſet ſibi ſummam gratiam, quam potuiſſet recipere, ſicut dedit Chriſto ſine meritis præcedentibus ex liberalitate ſua; talis enim potuiſſet mereri deletionem peccati, ſicut & beatitudinem: hactenùs Doct. & pergit. Præterea videtur (de poſſibili dico) quòd quilibet poteſt ſatisfacere pro ſe, quia ſi data fuiſſet cuilibet homini prima gratia ſine meritis, ſicut modò, licèt quilibet ſit filius iræ;

cui-

cuilibet tamen dat primam gratiam ſine meritis proprijs, & tunc meretur beatitudinem, igitur potuit etiam meruiſſe deletionem culpæ. Tunc ad quæſtionem dico, quòd omnia, quæ facta ſunt à Chriſto circa redemptionem noſtram, non fuerunt neceſſaria, niſi præſuppoſita ordinatione diuina, quæ ſic ordinauit fieri, & tunc tantum neceſſitate conſequentiæ neceſſarium fuit, Chriſtum pati, & paucis interiectis, concludit Doctor ſic.

Ex quo enim aliter potuiſſet homo redimi, & tamen ex ſua liberâ voluntate ſic redemit multùm tenemur ei, & amplius, quàm ſi ſic neceſſariò, & non aliter potuiſſemus fuiſſe redempti: ideo ad alliciendum nos ad amorem ſuum, vt credo, hoc præcipuè fecit. Et quia voluit, hominem amplius teneri Deo, ſicut ſi aliquis genuiſſet primò hominem, & poſtea inſtruxiſſet eum in diſciplina, & in ſanctitate, amplius obligaretur ei, quàm ſi tantùm genuiſſet eum, & aliàs inſtruxiſſet, & hæc eſt congruitas, non neceſſitas. Si autem volumus ſaluare Anſel. dicamus, quòd omnes rationes ſuæ procedunt præſuppoſita ordinatione diuinâ, quæ ſic ordinauit hominem redimi, & ſic videtur procedere, ita quòd Deus ex præordinatione non voluit acceptare pro redemptione hominum, niſi mortem Filij ſui; nulla tamen neceſſitas abſoluta fuit; vndè in pſal. 129. *Copioſa apud eum redemptio.* Hactenus Doctor.

Confirmatur, & explicatur ſuperior diſcurſus ex ijs, quę Scot. habet in eadem quæſt. §. Contra ea, quæ habet D. Anſel. nempe quòd non ſatisfacit quis Deo, niſi offerat Deo aliquid maius formaliter, quàm pro quo peccare non debuit, quod eſt maius tota creatura; credo, ſalua reuerentia ſua (inquit Doctor modeſtia non minùs, quàm ſubtilitate præditus) quòd hoc non eſt verum. Non enim oportuit, ſatisfactionem pro peccato primi hominis excedere totam creaturam formaliter in magnitudine, & perfectione: Suffeciſſet enim obtuliſſe Deo maius bonum, quàm fuerit malum illius hominis peccantis. Vndè ſi Adam per gratiam datam, & charitatem habuiſſet vnum, vel multos actus diligendi Deum propter ſe ex maiori conatu liberi arbitrij, quàm fuit conatus in peccando, talis dilectio ſuffeciſſet pro peccato ſuo remittendo, & fuiſſet ſatisfactum; & tunc propoſitio illa eſt falſa, quòd debuit offerre Deo aliquid maius omni pro eo, quòd peccare non debuerat: Sed ſicut pro

amore creaturæ, vt obiecti diligibilis non debuit peccare, ita ſatisfaciendo debuit offerre Deo aliquid maius, attingendo per actum obiectiuè, quàm ſit creatura, ſcilicet amorem attingentem Deum propter ſe, & ille amor obiectiuè, vt terminatur in | eum excedit amorem creaturæ, ſicut Deus creaturam. Vndè ſicut peccauit per amorem ignobilioris obiecti in infinitum; ita debuit ſatisfacere per amorem nobilioris in infinitum, & hoc ſuffeciſſet ſaltem de poſſibili. Adde; quòd ſicut Adam ipſe potuerit pœnitere, & intenſiori actu ad Deum ſe conuertere; ſicut auertit ſe in peccando, & peccatum ſuum in alios redundauit; ita & ſua pœnitentia in alios redundaſſet, ſi Deus voluiſſet ſic ordinare, & acceptare; iuxta dictum D. Aug. lib. 13. de Trin. c. 10. *Alius modus redimendi hominem Deo non defuit; eius enim poteſtati cuncta ſubiacent.*

Arg. 1. Ille ſolus poteſt Deo ſatisfacere pro peccato, qui poteſt reſtituere illud, quod fuit impedimentum per peccatum, ad quod Deus hominem ordinauerat, puta gloriam, & gratiam; ſed hoc poteſt ſolus Deus; ergo &c.

Reſp. diſting. min. ſolus Deus poteſt &c. effectiuè, conc. min. impetratiuè, ſeu meritoriè, neg. min.

Arg. 2. Peccatum eſt infinitum, ergo exigit ſatisfactionem infinitam, ſed homo non Deus id præſtare nequit; quia omnis eius ſatisfactio eſſet finita; ergo &c. Reſp. neg. aſſumptum, vel diſting. eſt infinitum intrinſecè, & ſimpliciter, nego, obiectiuè, & extrinſecè, conc. ant. vt aliàs dictum eſt.

Arg. 3. homo non potuit obligari ad tantam reuerentiam reſpectu hominis non Dei, vel Angeli, ad quantam obligatur reſpectu hominis Dei, ſeu Chriſti; ergo non poteſt ſatisfacere; quia ſi ſatisfeciſſet ad tantam reuerentiam, eſſet obligatus homo redemptus. Reſp. conc. ant. & neg. conſ. Vndè creaturæ, quæ pro genere humano ſatisfeciſſet, debuiſſet homo reuerentiam, vt creaturæ ſatisfacienti, & Deo principaliter tamquàm ſatisfactionem acceptanti, & gloriam, & gratiam tribuenti: obligaremur tamen, ait Scot. multùm ſibi, ſicut obligamur B. Virgini, & alijs ſanctis, qui meruerunt pro nobis, ſemper tamen finaliter, & ſummè Deo, tamquàm ei, à quo aliorum bona procedunt. Nota, quòd pro hac quæſtione faciunt, ea; quæ dicta ſunt in

quæſt.

quæſt.cit.de malitia peccati; & quæ dicenda ſunt in ſequenti quæſtione de merito. Ideo &c.

QVÆSTIO VII.

Vtrum meritum Chriſti fuerit infinitum.

NOt.1. Quòd omnes Theologi vnanimi conſenſu fatentur, meritum Chriſti fuiſſe infinitum; diſſentiunt autem in aſſignanda ratione huius infinitatis. Et quidem Thomiſtæ, ac quamplures Recentiores putant, meritum Chriſti fuiſſe infinitum formaliter, & intrinſecè, quorum rationes infra afferentur; non omnes tamen, qui Thomiſtis adhærent, conueniunt, præſertim Suarez, Vaſquez, & Lugo, dum enim cum Thomiſtis conuenire volunt, inter ſe diſcrepant, & contraria docent, vt notauit Macedo. Siquidem Suarez videtur perſonæ infinitatem ſumere, & ſatis eſſe ad meritum infinitum cum Thomiſtis ponendum. Vaſquez negat, ſatis eſſe, & ad Deitatem infinitè ſanctificantem operationes, cauſam infiniti valoris reuocat. Lugo diſtinguit inter meritum, & valorem, & ponit in merito infinitatem negatiuam, & in valore poſitiuam. Quæ omnia, inquit noſter Macedo, incongrua ſunt, & à ratione aliena. Suarez, quia non ſufficit ſola perſona ad conferendum infinitum valorem, cum ſit reſpectus externus, & nihil influat in naturam humanam operantem. Nec ſit illius agendi ratio, nec formale principium actionum, vt idem Suarez fatetur. Vaſquez, quia illa formalis ſanctificatio, quam ponit in humanitate per Diuinitatem eſt prorſus imaginaria; cum Diuinitas nec ſit, nec eſſe poſſit forma humanitatis: Cardinalis de Lugo denique, quia illa diſtinctio inter meritum, & valorem ab eo intruſa, vt ſolitaria friget, & euaneſcit. Scotiſtæ autem cum Scoto in 3. d. 19. §. quantùm ad ſufficientiam docent, meritum Chriſti fuiſſe infinitum extrinſecè, ſeu denominatiuè tantùm; pro cuius intelligentia ſit.

Not.2. Quòd huiuſmodi infinitas accidentalis extrinſeca, ſeu ſecundùm quid attendi poteſt ex multiplici capite. Primò ex parte obiecti, circa quod verſatur; ſicut enim peccatum mortale per quandam denominationem extrinſe-

eam ab obiecto infinito, quod offendit, denominatur graue infinitum; ita etiam meritum Chriſti ratione obiecti infiniti extrinſecè dicitur infinitum. Secundò ex parte perſonæ operantis; ſic actiones humanitatis Chriſti dici poſſunt infinitæ, quia ex vnione hypoſtatica conſurgit quædam dignitas in humanitate; ac proinde in eius actionibus, ratione cuius tales actiones dici poſſunt extrinſecè, & denominatiuè infinitæ. Tertiò ex parte acceptionis diuinæ, quia videlicet Deus illa Chriſti merita acceptat pro ſaluandis infinitis hominibus, ſi tot eſſent ſaluandi. Falluntur tamen Thomiſtæ, & alij, putantes, Scotum ponere totalem rationem meriti in acceptatione. Scot. nunquam abſtulit meritum ab operibus bonis, & honeſtis; immò bonitatem, tam moralem, quàm ſupernaturalem ſemper ſuppoſuit; vt manifeſtè conſtat ex dictis in præcedenti quæſtione de Satisfactione; idquè apparet ex ipſa acceptatione diuina; nam Deus non acceptaret illa opera, niſi eſſent bona, & honeſta, & debitè relata ad vltimum finem; poſuit tamen acceptationem, quia vidit Deum non teneri, nec obligari vllo modo ad remunerandum ex vi illorum operum, quæ ſibi omnibus titulis debebantur. Vndè interpoſuit acceptationem, vt ipſe ea remuneraret, quaſi ex æquitate, & debito quodam; non quidem rigoroſæ iuſtitiæ; vt dictum eſt, ſed ex pacto, & fidelitate, quod congruebat illis operibus bonis, & honeſtis, ſibi oblatis; vt oſtenſum eſt in diſp. de merito in tract. de gratia. Eſt igitur acceptatio complementum quoddam, ponens meritum in eſſe perfecto, & completo; idquè conſonat D. Aug. & Trid. dicentibus. *Merita noſtra eſſe munera diuina*.

Concl. Meritum Chriſti eſt infinitum, non quidem intrinſecè, & formaliter, ſed tantùm extrinſecè, & denominatiuè. Eſt Scoti, & Scotiſtarum in 3. d. 19. cit. vbi ſic docet. Dico, quòd meritum Chriſti fuit infinitum, quia à principio finito eſſentiali dependens, etiam accipiendo ipſum cum omnibus reſpectibus, ſiue cum reſpectu ad ſuppoſitum Verbi, ſiue cum reſpectu ad finem, quia omnes iſti reſpectus erant finiti; & ideò quomodocumque circumſtantionatum, finitum erat; aut ſi fuit infinitum, tunc non fuit meritum plùs ſecundùm velle creatum, quàm ſecundum velle Verbi increatum.

Inſu-

Inſuper in eadem quæſtione adducta, & expoſita ſententia D. Thom. de infinitate meriti, & ſatisfactione Chriſti; ſic ait. Circà hunc modū dicendi ſic arguo; quòd dicta illa, quibus dicitur, quòd vita Chriſti fuit ita excellens, vt habuerit quandam infinitatem, & cætera, videntur eſſe hyperbolica, & exponenda; quia loquimur pro nunc de bono velle Chriſti, quo meruit, & acceptauit Deus paſſionem pro omnibus quantùm ad ſufficientiam, vt dicunt. Si bonum velle Chriſti tantùm fuit acceptatum, quantùm erat perſona Verbi; tunc cum perſona illa ſit infinita, ſimpliciter infinitum fuit velle bonum eius; ſed Deus non acceptat aliquid, niſi quantùm habet de acceptibilitate; igitur illud velle ratione ſuppoſiti habuit rationem infinitæ acceptibilitatis, & tunc in acceptibilitate non eſſet differentia inter velle proprium Verbi in ſe, & inter velle illius naturæ in Verbo; quia ex parte acceptabilis non eſt maior acceptabilitas; igitur Verbum volendo bonum, circumſcripta natura aſſumpta, poteſt mereri, quod falſum eſt. Et vltra ſequitur, quòd tantùm Trinitas diligeret velle naturæ aſſumptæ, ſicut velle Verbi increatum; quod nihil eſt dicere; quia hoc eſt ponere creatum habere tantam diligibilitatem, ſicut increatum; eandem doctrinam replicat in Report. ead. diſt. & quæſt. ergo &c.

Reſp. Thomiſtæ; quòd rationes Scoti eſſent veræ, ſi meritum eſſet infinitum in ratione entis; quia verò eſt ſolùm infinitum in ratione meriti; ſeu valoris moralis, ideoquè parùm valent.

Contra. Actio meritoria Chriſti fuit bonum finitum ex ſua ratione intrinſeca, non ſolùm in genere entis, ſed etiam in genere moris; ergo &c. Prob. ant. Principium per ſe actionis Chriſti ſumptum cum omnibus reſpectibus etiam ad Verb. eſt finitum intrinſecè; ſed à principio eſſentialiter finito, non poteſt eſſe actio intrinſecè infinita; quia actio non excedit ſuam cauſam, quæ eſt voluntas creata informata ſumma gratia, & ſuppoſitum D. eſt ſolùm principium quod, & nunquam operatur niſi ſecundùm menſuram, & perfectionem principij quo; etiamſi ſpeciali influxu concurreret phyſicè perſona Verbi; ergo meritum nequit eſſe infinitum &c. Reſp. Thomiſtæ. Meriti infinitatem eſſe petendam ex eo, quòd Verb. D. ſpecialem habet influxum

in actiones humanitatis, ratione actiuitatis illius humanitatis, quæ ipſi competit, vndè poteſt elicere actionem infinitam; etſi principium quo formaliter merendi ſit finitum; ergo &c.

Contra. Ex Scoti ratione. Nullus effectus ſequitur formaliter, & intrinſecè infinitus etiam ex cauſa infinita, niſi ipſa agat modo infinito, ſed Verb. D. vt perſona humanitatis aſſumptæ, dato etiam gratìs, quod egerit merendo, non egit modo infinito; ergo &c. Prob. min. Quia vt ſic gerebat vices perſonæ humanæ, quæ non aliter operabatur, quàm ſi fuiſſet perſona propria; tum quia mereri, & ſatisfacere ſunt actiones dicentes inferioritatem, & ſubmiſſionem, ergo non poſſunt elici à Deo vt ſic, ergo nec à Verbo infinito modo operante. Confirm. Etenim quàmuis actio dignitatem aliquam accipiat à perſona, à qua elicitur; attamen actio finita ſecundùm entitatem non poteſt accipere dignitatem infinitam; quia talis actio finita non poteſt habere tantam dignitatem, & valorem moralem, quantùm haberet ſi eſſet infinita ſecundùm entitatem; ergo actio finita ſecundùm entitatem, etiam elicita à perſona infinita, non poteſt ex ſe, & intrinſecè habere dignitatem infinitam.

Præterea. Si hoc meritum eſſet infinitum, ſequeretur vnum infinitum eſſe maius alio; nam quando per multos actus Chriſtus merebat, vel mereri potuit tantùm per vnum ſolum actum, quàm per plures, ſed hæc ſunt abſurda; ergo non eſt meritum infinitum. Rurſus. Hoc genus meriti infiniti pugnet cum dignitate diuina, quia neceſſitaret Deum ad acceptandum illud, & ad præmiandum præmio infinito, ſed hoc repugnat; ergo &c.

Arg. 1. Niſi Chriſti meritum eſſet infinitum, & eius valor, poſſet aliquo modo exhauriri, & deficere, quod eſt contra SS. PP. & rationem, quia tunc non eſſet ſufficiens ad omnia peccata diluenda, ſed hoc eſt falſum, ergo &c.

Reſp. neg. ant. quia acceptatur à Deo congruè ad perſonam pro infinitis; nec opus eſt infinitate intrinſeca pretij ad ſatisfaciendum, & merendum pro infinitis; cum ſatìs ſit acceptatio fundata in congruitate ſumpta ex infinitate perſonæ Verbi.

Arg. 2. Valor non eſt quid phyſicum, ſed morale, quod in exiſtimatione conſiſtit, ſed opera Chriſti ſunt apud omnes

nes

nes infinitæ exiſtimationis, cum ſint à perſona Verbi coniuncta naturæ humanæ: hinc Apoſt. ait ad Hebr. cap. 5. *Chriſtum exauditum eſſe pro ſua reuerentia*; ergo &c.

Reſp. conc. mai. & diſtingu. min. ſunt opera Chriſti infinitæ exiſtimationis, adeò vt ſint ſimpliciter infiniti valoris, neg. adeò vt acceptentur pro infinitis ob D. ſuppoſiti dignitatem, conc. min. ex hoc tamen non ſequitur, quòd ſint ſimpliciter infinita, ſed tantùm ſecundùm quid. Immò ſi eſſent ſimpliciter infinita inducerent in Deum obligationem ea acceptandi, quod Deo repugnat. Auctoritas D. Pauli ſtat potiùs pro nobis, quia illa reuerentia erat ex congruitate, non ex iuſtitia, quæ ſi interueniret, non diceret Apoſt. exauditus eſt pro ſua reuerentia, ſed pro ſuo iure. Tacendo autem ius, & exprimendo reuerentiam, ſatìs ſignificauit, meritum non eſſe infinitum.

Contra. Illa acceptatio diuina, vel fuit iuxta dignitatem meritoriam operationis Chriſti; vel illam exceſſit. Si primum, ergo illa merita habent in ſe dignitatem infinitam independenter ab acceptatione D. 2. autem dici non poteſt, quia opus ex ſe non condignum, ſed ſolùm ex præmiantis acceptatione imperfectum eſt in ratione meriti, ſicut pretium, quod de ſe eſt inæquale, & habet ſolùm æqualitatem ex voluntaria acceptatione vendentis, eſt imperfectum in ratione pretij; ergo ſi Chriſti merita, ſeu opera non fuerunt ex ſe condigna, ſed ex acceptatione D. ſequitur, quòd fuerint imperfecta in ratione meriti. Reſp. Chriſti merita habuiſſe dignitatem in ſe ipſis, vt ſic acceptarentur à Deo, quia procedebant à perſona infinitæ dignitatis, & erant infinita ſecundùm quid, non ſimpliciter, & quia excedebant dignitatem cuiuſcumquè alterius excogitabilis operis meritorij, dici poſſunt infinita negatiuè.

Arg. Actiones meritoriæ Chriſti dicuntur à SS. Patribus Theandricæ, ideſt Dei viriles, quia procedunt tam à Verbo, quàm ab humanitate; ergo ſunt meriti, & valoris infiniti. Reſp. diſting. ant. procedunt per influxum phyſicum, aut moralem, quaſi Verb. D. influat in actiones, vt humanitas neg. procedunt a perſona, quæ eſt ſimul Deus, & homo, vt à principio, quod; conc. ant.

Arg. Offenſæ grauitas creſcit iuxta perfectionem, ſeu dignitatem perſonæ læſæ; ſatisfactio autem iuxta dignitatem

 per-

perſonæ ſatisfacientis; ergo ſi culpa commiſſa in Deum, cenſenda eſt infinita; ita ſatisfactio talis offenſæ cenſeri debet infinita; alioquin non redderetur æquale.

Reſp. diſt. ant. offenſæ grauitas &c. ſecundùm proportionem; conc. ſecundùm gradum neg. anteced. Itaquè proportione quadam iniuria illata perſonæ infinitæ cenſetur infinita, non tamen ſecundùm gradum perfectionis perſonæ offenſæ, quia perſona offenſa ſi ſit infinita, eſt infinita ſecundùm gradum formaliter perfectionis infinitæ; iniuria verò ſolùm extrinſecè, & denominatiuè, vt latè dictum eſt in tract. de Peccatis diſp. 1. q. 14. part. 2.

Quæres 1. An Chriſtus fuerit verè Sacerdos.

Reſp. ex communi ſententia. Chriſtus quatenus homo, non vt Deus fuit propriè Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, immò fuit ſimul Sacerdos, & Hoſtia: ita habemus in S. Scrip. & SS. PP. & vt de fide.

Prob. 1. pars, nempe quòd fuerit Sacerdos; nam in Pſalm. 119. dicitur. *Tu es Sacerdos in æternum ſecundùm ordinem Melchiſedech*. Accedit ratio. Siquidem Sacerdos propriè dicitur, qui publica auctoritate conſtitutus eſt ad offerendũ verum, & proprium ſacrificium, ſed talis fuit Chriſtus; ergo &c. maior conſtat ex communi conſenſu Theologorum min. pat. & oſtenditur; etenim Chriſtus conſtitutus à Deo fuit, qui ſupremam habet auctoritatem iuxta illud Pſal. 119. *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, tu es Sacerdos &c.* Obtulit etiam duplex ſacrificium, alterum cruentum in Cruce, de quo loquitur Apoſt. ad Epheſ. 5. *Tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem, & Hoſtiam Deo*. Et Chriſtus Iohan. 17. ait. *Et pro eis ego ſanctifico me ipſum, ideſt, Sacrificium offero me ipſum, vt exponit D. Chriſoſtomus, Cyrillus, & alij;* Ex quo patet etiam, quòd fuit Sacerdos, & Hoſtia; alterum Sacrificium incruentum, & Euchariſticum obtulit in vltima nocte cœnæ, vbi hoc Sacramentum inſtituit; ergo &c.

Prob. 2. pars ideſt quatenus homo. Quia munus Sacerdotis eſt offerre Sacrificium Deo per actum venerationis, cultus, & ſubmiſſionis tamquàm ſuperiori; at Chriſtus, vt Deus eſt, non reſpicit Deum vt ſuperiorem, ſed tantùm vt homo eſt, ergo ſolùm vt homo fuit Sacerdos. Sed ſi petas; quomodo, ſeu qua forma Chriſtus fuit factus Sacerdos.

Reſp. ex doctrina communi Theologorum; formam Sacer-

cerdotij Chriſti non fuiſſe characterem, vt in Sacerdotibus nouæ legis, ſed vnionem hypoſtaticam, non quidem ſolam, ſed ſimul cum voluntate, ſeu inſtitutione diuina; nam per gratiam vnionis fuit humanitas Chriſti inuncta tamquam oleo, & conſecrata, & Chriſtus inauguratus Sacerdos; ac proinde forma Sacerdotis Chriſti duabus hiſce conſtitit; ideſt gratia vnionis, & inſtitutione diuina; nam de potentia abſoluta potuiſſet habere gratiam vnionis hypoſtaticæ; & non Sacerdotium. Vndè Apoſt. ad Hebr. de Chriſto Sacerdote loquens ait. *Omnis Pontifex ex hominibus aſſumptus, pro hominibus conſtituitur in ijs, quæ ſunt ad Deum, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis.*

Dicitur autem Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, & non ſecundùm ordinem Aaron, nec in aliquo gradu leuitico in templo Salomonis miniſtrauit, vt teſtatur Apoſt. ad Hebr. 7. vbi poſtquam oſtendit, neceſſe fuiſſe, vt poſt Sacerdotem, & Pontificem leuiticum, & ſecundùm ordinem Aaron, ſurgeret alius Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, ſubdit. *Qui non ſecundùm legem mandati carnalis factus (ſupple Sacerdos) ſed ſecundùm virtutem vitæ inſolubilis.* Et ſanè ſi Chriſtus fuiſſet Sacerdos ſecundùm ordinem Aaron, maximè illam dignitatem fuiſſet adeptus, vel per electionem populi, vel per aliorum Sacerdotum diſignationem; neutrum autem poteſt affirmari; ergo fuit ſolùm Sacerdos ſecundùm ordinem Melchiſedech, & ſic appellatur ob multas ſimilitudines Chriſti cum Melchiſedech, vt videre eſt apud S. Scrip. Interpretes; & præſertim, quia, ſicut Melchiſedech panem, & vinum obtulit, ſic Chriſtus in nocte cœnæ, & quotidiè per Sacerdotes, & in æternum, ideſt vſque ad finem mundi panem, & vinum offert.

Dicitur etiam propriè Sacerdos; quia impropriè, & lato vocabulo, omnes iuſti in S. Scrip. appellantur Sacerdotes; teſte D. Petro 1. c. 2. vbi ait. *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium; gens ſancta;* Sacrificium pariter in latiori ſignificatione dicitur quodlibet opus virtutis vt Pſal. 50 *Sac fi cium Deo ſpiritus contribulatus*, & ad Hebr. 13. *Beneficientiæ & communionis nolite obliuiſci, talibus enim hoſtijs promeretur Deus.*

Cæterùm mouetur difficultas; An Chriſtus etiam pro ſe ipſo obtulerit ſacrificium; adeò vt participauerit effectum, ſeu fructum illius. Negant Vaſquez, & Lugo, ſed tantùm

concedunt in ratione meriti, & boni operis. Affirmat communis ſententia, teſte Caſpenſi, quia licèt Chriſtus non potuerit offerre pro ſe ſacrificium Crucis prout propitiatorium eſt; potuiſſet tamen prout Eucharisticum, ideſt in gratiarum actionem pro beneficijs acceptis, & prout impetratorium; nec poteſt afferri aliqua ratio, quæ conuincat, Chriſtum non potuiſſe referre ſuam mortem in finem gloriæ corporis acquirendæ.

Quæres 2. An Chriſtus ſicut Melchiſedech non ſolùm fuerit Sacerdos; ſed etiam Rex temporalis; ita vt titulo ſupereminenti vnionis hypoſtaticæ habuerit temporalem poteſtatem, quam vocant excellentiæ ſuper vniuerſum Mundum, ſuper omnes Reges, Principes, leges etiam politicas ferendo, & ad libitum directè diſponendo de omnibus rebus Mundi, velut ſupremus Dominus. Nonnulli negant; vt VValdenſis, Abulenſis, Victoria, Toletus, Bellarmin. &c. Communior tamen ſententia affirmat, quam ſignanter docuerunt noſtri Aluarus Pelagius, & Galatinus, relati ab Herincx, quos etiam ſequitur; ſic enim diſcurrit. Ego autem cenſeo, rem eſſe vtrimque incertam, nec ſatis ex auctotate, vel ratione probatam. Cum tamen ſoleamus frequenter in dignitate Chriſto tribuenda procedere ex congruentia, poſſumus & hic ex eadem procedere, hunc honorem tribuendo homini Deo, ex quo nullum ſequitur inconueniens, in quo honorando malumus excedere, iuxta regulam Scoti, quàm deficere. Nec malè in hanc regiam poteſtatem refertur, quòd Chriſtus non potuerit etiam quà homo ſubijci vllis legibus humanis. Neque hoc dominium excellentiæ repugnat ſubordinatis ſibi dominijs aliorum Regum, aut priuatorum; vtì nec dominium ſupremum Dei præiudicat dominijs inferiorum. *Quod ſi Ioan. 22. in extrau. Quia quorumdam determinauerit, Chriſtum habuiſſe interdum dominium aliquarum rerum &c. loquitur de dominio humano, & ſubordinato*. Itaque Chriſtus habuit ſupremum, & altum dominium in actu primo; non autem in actu ſecundo, & in exercitio. Verùm an Chriſtus interdum fuerit vſus hoc dominio, ſeu poteſtate, non ita conſtat, inquit idem Herincx; nam ficulneæ infructuoſæ arefactio, dæmonum in porcos immiſſio tribui poſſet Diuinitati, aut etiam Regiæ poteſtati ſpirituali; ſummo namque Chriſti Sacerdotio annexa

fuit

fuit poteſtas Regni ſpiritualis, nempe Eccleſiæ, quam Chriſtus inſtituit, & ordinauit, ac perpetuò gubernat, vices ſuas in ordine ad regimen ſenſibile ſuis committendo Vicarijs, ideſt Pontificibus Summis, & vi huius poteſtatis ſpiritualis poterat, iuxta alios Doctores diſponere de rebus temporalibus totius Mundi in ordine ad finem ſpiritualem; de qua quidem poteſtate aliquid dictum eſt in diſp. 1. de iuſt. & iure.

Quæres 3. An Chriſtus fuerit ſubiectus legibus diuinis hominibus datis, & etiam legibus humanis.

Reſp. Chriſtus de facto non fuit ſubiectus legibus à Deo communiter hominibus datis: Non quidem Euangelicæ, vtpotè quam ipſimet tulit, de rebus ad ſe non ſpectantibus, nempe de rebus fidei, & Sacramentis, & pro hominibus alterius ordinis, ac ſtatus lapſi, reſtituendis in priſtina per ſuum ſanguinem. Non etiam Moſaicæ, vt habet recepta Doctorum ſententia contra paucos: hæc enim ſolis Filijs Iſrael, & ab ijs per ſeminalem generationem deſcendentibus (iunctis Proſelytis) data fuit. Neque ſubiectus fuit legibus humanis, vt de lege tributaria ipſe indicauit Matth. 17. facto tamen, ſeu voluntate fuit ſubditus leges ſeruando, prout etiam propter nos fuit ſubditus Ioſeph, & Mariæ Lucæ cap. 2. Naturali etiam legi, quæ ipſam naturam rationalem creatam conſequitur fuit ſubiectus v. g. legi de non mentiendo, non blaſphemando: & inſuper ſubiectus fuit quibuſdam præceptis perſonalibus, ſpecialiter ei à Patre impoſitis v. g. de docendo, & per mortem redimendo genere humano, iuxta illud Iohan. 10. *Hoc mandatum accepi à Patre meo, & cap. 14. ſicut mandatum dedit mihi Pater, ſic facio.*

DIS-

De conditione Corporis Chriſti, appetitus ſenſitiui; nec non de paſſionibus Animæ.

QVÆSTIO I.

Vtrum congruum fuerit, Chriſtum defectus, & paſſiones noſtras aſſumere; & an de facto omnes noſtros defectus aſſumpſerit.

NOt.1. Quòd Fidei dogma eſt, Chriſtum aſſumpſiſſe corpus paſſibile; id enim probant omnia teſtimonia, quæ affirmant, Chriſtum paſſum fuiſſe famem, ſitim, fatigatum ex itinere, ſi enim corpus paſſibile non habuiſſet, non verè, ſed apparenter ſolùm hæc omnia peracta ſunt contra veritatem Scripturæ, & noſtræ redemptionis teſtante Iſaia. 53. *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portauit.* Defectus autem, de quibus in titulo quæſtionis quæritur, quidam ſunt defectus, vt docet D. Bonau. in 3. d. 15. q. 2. qui ſunt ex culpa, quidam verò, qui ſunt ex culpa, & ad culpam, ſicut pronitas ad malum, & difficultas ad bonum.

I. Concl. Congruum fuit, Chriſtum aſſumere naturam cum defectibus, & paſſibilitatibus. Ita communis ſententia Theologorum, & ſignanter D. Bonau. l. c. vbi noſtram concl. ſic probat. Triplici ex cauſa congruum fuit &c. nempe propter pretium noſtræ ſalutis, propter exemplum virtutis, & propter fulcimentum noſtræ fragilitatis. Propter primum, quia propoſuerat nos redimere non corruptibilibus auro, & argento, ſed pretioſiſſimo ſanguine ſuo, & animam ſuam ponere pro animabus noſtris. Ad hoc autem non eſſet idoneus, niſi naturam deficientem, & paſſibilem aſſumpſiſſet, & propterea defectus noſtros, & pœnalitates debuit in ſe ipſo habere. Secundò propter exemplum virtutis, ſpecialiter autem humilitatis, patientiæ, & pietatis, quibus mediantibus peruenitur ad Cœlum, & in quibus Chriſtus voluit nos imitari ipſum, iuxta illud. *Diſcite à me, quia mitis ſum, & humilis corde.* Tertiò ob fulcimentum noſtræ fragilitatis, ob quam natura rationalis habet in ſe difficultatem ad credendum vera, & iraſcibilis ad ſperan-

dum ardua, & concupiſcibilis ad amandum bona. Et ideò voluit Chriſtus non tantùm ſimilari nobis in natura, ſed etiam in defectibus, & pœnalitatibus, vt ſic præberet fulcimentum naturæ rationali ad credendum, concupiſcibili incitamentum ad ſe amandum, & iraſcibili fulcimentum ad ſperandum.

II. Concl. Defectus, qui non tantùm ſunt ex culpa, ſed etiam via ad culpam non decuit Chriſtum aſſumere, bene tamen alios defectus, ſed non omnes: ita D. Bonau. Richard. quibus conſonat Scotus. Prima pars patet; quia Chriſtus fuit miniſter iuſtitiæ omninò ſegregatus à peccato. Prob. & ſimul explicatur 2. pars. Non decuit Chriſtum aſſumere omnes alios defectus, quia quidam ſunt defectus naturales, quidam perſonales. Defectus autem naturales voco illos, ait Seraph. Doct. qui reſpiciunt totam naturam humanam vniuerſaliter, ſicut fames, ſitis, & ſimiles; perſonales autem, qui reſpiciunt aliquas perſonas ſpecialiter, ſicut diuerſæ ægritudinis ſpecies; adde deformitatem vultus, defectus membrorum, & aliquorum ſenſuum exteriorum ſicut viſus, auditus &c. Quoniam ergo Chriſtus venerat naturam humanam redimere communiter ſine perſonarum diſtinctione, hinc eſt, quòd defectus naturales, non perſonales; defectus pœnales tantùm, non vitioſos debuit in ſe habere. Itaquè Chriſtus aſſumpſit defectus quoſdam, qui ita ſunt connaturales corpori humano in ſua pura natura conſiderato, vt ſint velut proprietates eius, & quaſi in actu primo conſiſtant, vt eſſe paſſibile, graue, loco circumſcriptum, & ſimiles, & inſuper alios defectus pœnales, qui conſiſtunt in aliquo actu ſecundo actionis, vel paſſionis, vel per illum fiunt, vt fames, ſitis, mors &c. Non autem aſſumpſit defectus repugnantes naturali perfectioni debitæ corpori humano, vel illam minuentes, vt corporis turpitudo &c. quia decuit Chriſtum aſſumere corpus maximè perfectum ob perſonæ dignitatem, & quia huiuſmodi defectus, cum non conſiſtant in aliqua actione, vel paſſione, nequè ex illis proueniant, nihil ad meritum, vel ſatisfactionem conferrent.

QVÆ-

QVÆSTIO II.

Vtrum Chriſtus aſſumpſerit neceſſitatem moriendi?

NOt. ex Scoto in 3. d. 16. q. 1. Report. quòd neceſſitas dupliciter poteſt accipi, vel pro neceſſitate abſoluta moriendi ſecundùm ſe; vel pro neceſſitate moriendi, ſi approximetur agens ipſum corrumpens. Si conſideretur paſſum, quod tantùm eſt in potentia contradictionis ad pati, & non pati, nullum tale habet neceſſitatem abſolutam ad corruptionem; quia paſſum, quod eſt in potentia contradictionis ad vtramque partem, ad neutram habet neceſſitatem. Loquendo de ſecunda neceſſitate ſic poteſt paſſum habere neceſſitatem corrumpendi, ſi approximetur potenti ipſum corrumpere, & non impedito, donec impleatur actio, & dicitur neceſſariò pati ſtatim approximatum ad agens, quia non eſt in eius poteſtate non pati.

Concl. Loquendo de morte prouenientè à cauſa extrinſeca, talem neceſſitatem conditionatam aſſumpſit Chriſtus; Si occurrerit extrinſecum actiuum, quod redderet corpus improportionale Animæ, & ad hoc in corpore eſt aliquod principium etiam intrinſecum, ratione cuius neceſſe fuit, Chriſtum corrumpi, etſi non ex cauſa intrinſeca. Ita Doct. loc. cit. Quod ſic declarat, & ſimul probat. Primum perſonale, & primò aſſumptum fuit tota natura humana: poteſt igitur conſiderari in primo inſtanti naturæ, in quo Verbum illam aſſumpſit: in ſecundo inſtanti poteſt Verbum comparari ad qualitates conſequentes naturam humanam in Chriſto: in tertio inſtanti poteſt conſiderari iſta natura, vt per qualitates comparatur ad agere, & pati. Si conſideretur in primo inſtanti ex hoc quòd aſſumitur natura humana, nulla eſt cauſa neceſſitatis moriendi. In 2. inſtanti eſt qualitas partis perfectioris, nempe Anima plena gratia, & gloria, & adhuc non fuiſſet aliqua potentia moriendi in Chriſto niſi miraculosè, quia ad plenitudinem gloriæ in Anima Chriſti ſequitur glorificatio corporis; igitur ſi ad plenitudinem gloriæ Animæ non ſequebatur plenitudo gloriæ corporis, hoc fuit per miraculum ſubtrahens gloriam corporis. In tertio inſtanti poteſt conſiderari Anima,

vt plena gloria, & corpus non glorificatum, & tunc concipiendo Verbum, vt habens naturam, & tales qualitates, cum corpus non ſit glorificatum ſibi derelictum potuit pati ab extrinſeco, & intrinſeco. Sed vndè erat iſta neceſſitas ex quo corpus habuit optimè complexionatum, & magìs temperatum, quàm Adam; patet ex dictis in tract. de ſtatu Innocentiæ part. 2. Vndè ait D. Aug. lib. 2. de baptiſmo paruulorum. *Si Chriſtus non fuiſſet occiſus in iuuentute, fuiſset mortuus ſenio.*

Arg. 1. cont. Apoſt. ad Roman. 8. ait. Corpus mortuum eſt propter peccatum, & Gen. 2. Die, qua comederis morte morieris; ſed Chriſtus eſt ab vtroque immunis; ergo non aſſumpſit neceſſitatem moriendi. Reſp. Scot. quòd corpus mortuum eſt propter peccatum, hoc eſt tamquàm ex cauſa demeritoria, & ſic dicitur ad auctoritatem Gen. non ſic Chriſtus, ſed ex alijs rationibus naturalibus; prout dictum eſt de Adam etiam in ſtatu innocentiæ, qualiter fuiſſet immortalis, & mortalis.

Arg. 2. Anima Chriſti fuit omniſciens, igitur, & omnipotens, ergo non potuit mori: patet prima conſequentia; quia non magìs eſt eſſe omnipotens, quàm omniſciens, quia ſcientia eſt perfectio ſimpliciter, & abſoluta; igitur omnipotentia eſt maior perfectio, quàm ſcientia.

Reſp. Scot. neg. primam conſ. & cum dicitur magìs, vel æqualis eſt ſcientia; dicit Doctor, quòd loquendo de reſpectu, neutra eſt perfectior alia, tamen fundamentum vnius potentiæ eſt perfectiùs alio, ſaltem quantùm ad hoc, quòd requirit perfectibile perfectius, quod ſit principium omnium producibilium, quàm principium cognoſcendi omnium cognoſcibilium, & ideò non potuit Deus communicare Animæ Chriſti, quòd eſſet omnipotens; potuit tamen conferre, quòd eſſet omniſciens habitualiter, quia imperfectius poteſt eſſe principium cognoſcendi, vt ſpecies ſed non poteſt imperfectius eſſe principium producendi perfectius.

Arg. 3. Anima magìs dominatur corpori, quàm appetitui ſenſitiuo lib. 1. Politicorum cap. 3. quia corpus Animæ in nulla poteſt reſiſtere; ſed Anima Chriſti totaliter dominabatur appetitui ſenſitiuo eius; ergo, & corpori, ergo potuit è corpore non recedere. Reſp. ex Scoto diſting. mai.

quoad

quoad motum localem, conc. quoad quemcumque motum in corpore: quia potentię vegetatiuæ non tantùm dominatur Anima, quantùm appetitui ſenſitiuo; quia appetitus ſenſitiuus (inquit Scot.) rationalis eſt per participationem; ac proinde natus obedire Animæ.

Dices Ioan. 10. ait Chriſtus: *Poteſtatem habeo ponendi Animam*: & locutus eſt, non vt Verbum D. quia nunquàm poſt aſſumptionem Animam deſeruit; ergo loquitur, vt homo, & conſequenter non aſſumpſit neceſſitatem moriendi.

Reſp. Chriſtum relatis verbis indicaſſe, ſe voluntariè mortem ſubiturum fore; non autem loquebatur de morte corporis, quam etiam non occiſus ſubire debebat ratione intrinſecorum corruptionis principiorum.

QVÆSTIO III.

Vtrum Chriſtus aſſumpſerit appetitus ſenſitiui paſſiones, nec non Animæ.

NOt. 1. Quòd ſicut Chriſtus vt homo habuit potentias, quæ competunt Animæ intellectiuæ, intellectum nimirum, & voluntatem, earumdemque operationes, ita quoque præditus fuit phantaſia, & appetitu ſenſitiuo, eorumque operationibus. Et quidem phantaſia Chriſti habuit ſuas operationes ex ſenſibus oriundas; atque indè potuit intellectus habere conſequentes actus; etſi, vt alibi notatum eſt, etiam ſine miniſterio ſenſuum poſſet intellectualiter operari. Quare, ſicut intellectu non tendente circa Deum, phantaſia format ſuas imagines, & voluntate amante etiam appetitus ſenſitiuus verſatur circa obiectum phantaſiatum; ſic cor, & caro modo ſibi conuenienti exultant in Deum viuum, & è contra philoſophandum eſt, ſi voluntas verſetur circa obiecta ſibi diſconuenientia, & de illis triſtetur, triſtatur, & ſenſitiuus appetitus ſi talia obiecta ſint etiam illi diſconuenientia.

Not. 2. Quòd in appetitu ſenſitiuo, immò etiam in voluntate Chriſti fuerunt paſſiones, & varietas actuum; teſte Apoſt. ad Hebr. 2. & 4. vbi dicit, quòd *Chriſtus per omnia eſt aſſimilatus Fratribus, abſque tamen peccato, & indecentia, qualem importans fomes peccati*, difficultas boni operis, ignorantia, &c.

&c. Itaquè fuerunt in Chriſto vt homine paſſiones appetitus ſenſitiui, & Animæ vt in nobis; maximo tamen diſcrimine; quia in nobis frequentiùs inclinant ad malum, & ad ea, quæ ex ſe ſunt illicita, ſæpè rationem perturbant voluntatem, & rationem præueniunt, & nolimus, velimus, excitantur; in Chriſto autem nihil harum imperfectionum habebant; hinc à Doctoribus non tam paſſiones, ſed propaſſiones ſolent appellari, teſte Scot. 3. d. 15. q. vn. vbi appellat propaſſionem, vt diſtinguitur contra paſſionem illam, quæ conturbat rationem. Quarè D. Bonau. in 3. d. 15. art. 2 q. 2. loquendo de triſtitia; dicit, quòd in Chriſto fuit vera triſtitia, non tamen omni modo, quo in nobis eſt. Eſt enim quædam triſtitia, quæ eſt præter rationis imperium, & eſt triſtitia, quæ eſt contra rationis iudicium; & eſt triſtitia, quæ eſt ſubiecta rationis imperio, & iudicio. Prima eſt, quæ conſurgit ex quadam neceſſitate, & ſurreptione, ſicut motus primi, & hæc quidem communis eſt ſapientibus, & inſipientibus, & bonis, & malis: 2 eſt, in qua ratio ſubijcitur ſenſualitati; nec tantùm turbatur, ſed etiam perturbatur. 3. eſt quando quis triſtatur ratione dictante, & ſuadente, ipſum tantùm, & taliter ſuper aliquo debere triſtari, & hoc tertio modo ſolùm fuit in Chriſto triſtitia.

I. Concl. In Chriſto fuerunt paſſiones appetitus ſenſitiui, & Animæ, illæ nimirum, quæ nullam imperfectionem, nullam indecentiam præſeferunt. Eſt ſententia omnium Theologorum. Prob. primò in generali. De fide habemus, Chriſtum habuiſſe verum corpus humanum, ac proinde appetitum ſenſitiuum, cum ſit à corpore inſeparabilis; ergo habuit etiam paſſiones proprias conſequentes talem appetitum; ſed certiſſimum eſt, in Chriſto non fuiſſe fomitem peccati; quia eſt ex peccato, & ad peccatum inclinat; certum pariter eſt, appetitum ſenſitiuum in Chriſto nunquam præueniſſe rationem; vtì ſolet in nobis; ideoquè paſſiones in Chriſto appellantur propaſſiones, eò quòd nec rationem præuenirent, nec ad malum inclinarent; ergo in Chriſto fuerunt paſſiones ſenſitiuæ abſque vlla imperfectione, & indecentia.

Prob. de ſingulis in particulari. In Chriſto fuit verus, & ſenſibilis dolor; vt habetur apertè in S. Scrip. ſignanter Iſaiæ 53. *Verè dolores noſtros ipſe portauit*; & etiam ex Concilijs, &

Patri-

Patribus; ideoquè eſt de fide: Similiter in Chriſto fuit amor, deſiderium, delectatio ſenſibilis circa obiecta ſenſibilia, v. g. præſentiam ſuæ Matris, dilecti diſcipuli Iohannis &c. ratio eſt manifeſta, quia illa naturaliter conſequuntur appetitum ſenſitiuum, nec aliquid in Chriſto obſiſtebat. Item de timore ſenſibili patet, quia ſenſibile refugit mala abſentia, & imminentia, vt vincula, flagella, plagas, mortem &c. quantumuis certò futura; licèt enim in nobis frequenter concurrat incertitudo; non eſt tamen neceſſaria.

II. Concl. In Chriſto fuit vera triſtitia, conſtat ex illo Matt. 26. *Triſtis eſt Anima mea vſquè ad mortem:* & prob. quia triſtitia eſt diſplicentia ex apprehenſione alicuius nociui, tamquàm præſentis; ex quo differt à dolore, qui eſt diſplicentia quædam Animæ, orta ex ſenſu tactus circa obiectum eidem tactui diſconueniens, ſed in Chriſto potuit eſſe apprehenſio talis mali v. g. iniuriarum, & mortis, ergo in eo fuit triſtitia: quomodo autem triſtitia poſſit conſiſtere cum ſumma beatitudine Chriſti, latè oſtendetur in quæſtione ſequenti.

III Concl. In Chriſto fuit admiratio. Patet Matt. c. 8. *Audiens Ieſus miratus eſt, & cap. 15. O mulier magna eſt fides tua.* Quæ verba indubiè veram, & propriam admirationem indicant. Accedit etiam ratio. Nam admiratio contingit de aliquo nouo, & inſolito, & quamuis nihil lateret ſcientiam Chriſti, neque potuerit eſſe nouum, & inſolitum quoad ſcientiam viſionis, & infuſam, potuit tamen aliquid eſſe inſolitum eius experientiæ, & reſpectu illius eſſe magnum, quod ſufficit, ad ingerendam admirationem. Probabile tamen eſt, hanc non eſſe admirationem propriè dictam, quia hæc ſine ignorantia eſſe non poteſt, teſte Ariſt. 1. Rhetoricorum cap. 14. In admirando, ait diſcendi cupiditas ineſt, cum ergo in Chriſto non fuerit propriè ignorantia, quia ignorantia, vt dicit D. Bonau. priuatio eſt ſcientiæ, & poteſt eſſe via in errorem, conſequens eſt, quòd neque fuerit in eo propriè admiratio.

Inſuper fuit in Chriſto ira; conſtat ex illo Marci cap. 3. *Circumſpiciens eos cum ira;* & alibi. Suffragatur ratio. Quia licèt in Chriſto non ſit admittenda ea ira, quæ perturbat non ſolùm partem ſenſitiuam, ſed etiam mentem; quia hæc, vt ſupradictum eſt, etiam de triſtitia, imperfectionem

im-

importat; tamen tribuenda eſt Chriſto ea ira, quæ eſt appetitus vindictæ iuxta dictamen rationis, & ordinem iuſtitiæ: potuit ſiquidem Chriſtus iuxta rectam rationem appetere vindictam iniuriæ Patri, vel ſibi illatæ; idquè eſt iraſci.

Arg. quòd in Chriſto non fuerit triſtitia. Triſtitia ex dicto Senecæ non cadit in ſapientem, quia virtutem nihil poteſt lædere, ſicut nihil poteſt eam auferre, ſed Chriſtus verè ſapiens fuit, ergo &c. Reſp. ex D. Bonau. quòd dictum Senecæ intelligendum eſt, quòd in Sapiente non eſt triſtitia perturbans. Perturbatio enim dicit deflexionem rationis ab æquitate; non tamen vult, quòd triſtitia turbans non ſit in ſapiente, ac proinde nullo modo turbetur; hoc enim eſt quaſi impoſſibile in aliquo reperiri; & prætetea nec turbari, vel non triſtari, de quibus homo debet, id non ſapientiæ, ſed potiùs duritiæ, cum dicat Apoſt. ad Rom. 12. *Gaudete cum gaudentibus &c.*

QVÆSTIO IV.

Vtrum in voluntate Chriſti fuerit vera triſtitia.

NOt. 1. Quòd non eſt eadem ratio de dolore, & triſtitia, quia vt patet ex definitionibus vtriuſque traditis à D. Aug. lib. 14. de Trin. cap. 15. dolor propriè pertinet ad potentias ſenſitiuas; *vndè dolor eſt paſſio animæ ab obiecto diſconueniente mediante virtute ſenſitiua*; triſtitia autem reſpicit potentiam rationalem, nempe voluntatem, & ſic triſtitia eſt immediatè ſecundùm voluntatem ex ijs, quæ accidunt nobis nolentibus; vndè oppoſitum doloris propriè eſt voluptas, ſeu delectatio, & oppoſitum triſtitiæ eſt gaudium; ac proinde eodem modo philoſophandum eſt ex Scoto de triſtitia, & gaudio reſpectu voluntatis; ſicut de delectatione, & dolore; hoc tamen diſcrimine, quòd ſenſus ducitur ab obiecto ſibi conuenienti, cum talis appetitus naturaliter ſe habeat ad obiectum; voluntas verò non ſic.

Not. 2. Quòd quatuor modis poteſt aliquod obiectum inferre triſtitiam, vel quia eſt in ſe nolitum nolitione naturalis voluntatis, vt natura, vel quia nolitum nolitione naturali ob colligantiam cùm ſenſu, vel quia nolitum noli-

tione abſoluta actuali voluntatis liberæ; vel quia nolitum nolitione eiuſdem voluntatis conditionata. Duæ priores triſtitiæ, quæ ſequuntur nolitionem naturalem ſunt propriæ duabus portionibus, vnaquæque vni portioni tantùm; ita quòd triſtitia, quæ conſequitur nolitionem naturalis voluntatis comparatæ ad obiecta propria, tantùm conuenit ſibi ſecundùm portionem ſuperiorem: illa verò, quæ conſequitur nolitionem ex coniunctione voluntatis cum appetitu ſenſitiuo præcisè conuenit ſibi ſecundùm portionem inferiorem; ita quòd vtraque portio, ideſt ſuperior largè ſumpta, & inferior triſtari poteſt de obiecto, vel nolito nolitione naturali, abſoluta, vel nolitione naturali ex colligantia cum appetitu ſenſitiuo; de alijs autem duabus triſtitijs ſequentibus nolitionem actualem abſolutam, & conditionalem, ſiue habitualem, vtraque portio poteſt ſic, & ſic nolle quædam, quæ eueniunt; atque adeò vtraque poterit de illo duplici modo triſtari, ita de mente Scoti notat. Aretinus in 3. d. 15. q. vn. art. 12. ſed vt clariùs nobis innoteſcat mens Scoti.

Not. 3. ex Baſſolio eadem diſt. quòd triſtitia poteſt contingere ex his, quæ nolumus quadrupliciter. Vno modo cum euenit aliquid, quod eſt contra voluntatem, vt natura quædam, ita quòd non eſt illud actu nolitum, ſed quaſi naturaliter. 2. ex hoc, quòd euenit aliquid, quod eſt contra voluntatem, vt colligatam appetitui ſenſitiuo, & eſt diſconueniens ſibi. 3. ex hoc, quòd euenit aliquid, quod eſt actualiter nolitum actu elicito à voluntate. 4. ex hoc, quòd euenit aliquid, quod eſt habitualiter volitum, vel nolitum conditionatè, volitum tamen actu, & ſimpliciter; ſicut proijcere merces in mari in periculo tempeſtatis, quod eſt actualiter volitum efficaciter, quando proijciens proijcit, licèt ſecundùm quid ſit nolitum, vel habitualiter, vel conditionatè, quia ſi poſſet euadere nollet proijcere. Vndè voluntas in communi, non diſtinguendo eam per portiones, poteſt triſtari, & triſtabatur in Chriſto duobus primis modis ex affiictione carnis, & paſſione, quæ erat, & contra modum ſuppoſiti Chriſti, & contra conuenientiam appetitus ſenſitiui: diligebat enim voluntas ſuppoſitum Chriſti amore amicitiæ, & non minùs triſtabatur ex carne de malo paſſionis ſuæ, quàm aliquis de malo incommodi triſtetur;

por-

portio autem ſuperior ſtrictè accepta, prout tantùm reſpicit obiectum æternum, ideſt Deum non triſtabatur, quia talis triſtitia non eſſet in ea, nec ſequeretur niſi ad nolle Deum in ſe, vel quoad aliquam eius perfectionem, quod repugnat maximè voluntati rectæ, & fortaſſe etiam ipſis damnatis.

I. Concl. Si non poteſt eſſe triſtitia ſimpliciter, niſi præcedat ſimpliciter nolle, tunc in anima Chriſti non fuit triſtitia ſimpliciter de tali, quia non poſſet aliquid eſſe ſimpliciter nolitum à voluntate Chriſti, niſi ſuperior portio rationis dictaret, hoc eſſe ſimpliciter nolendum, ſed voluntas Chriſti fuit conformis voluntati Trinitatis, igitur ſuperior portio voluntatis ſimpliciter voluit paſſionem Chriſti, & omnia neceſſariò annexa, & tunc ſequitur, quòd non ſimpliciter triſtabatur: ita diſcurrit Scot. in Report. loc. cit. & pergit ſic, Si autem ad ſimpliciter triſtari ſufficit nolle hoc ſecundùm ſe, quamquàm ſit ſimpliciter volendum inſpiciendo ad maius bonum, quod verius credo. Dico, quòd ſimpliciter triſtabatur voluntas Chriſti, quia ſecundùm regulas æternas debuit iſta natura plus diligi ſic repleta gratia, quàm quæcumquè alia creatura, igitur maior deberet eſſe triſtitia propriæ voluntatis de paſſione huius naturæ, quàm cuiuſcumquè alterius, ſi cætera poſſent æqualiter fieri, vt peccatores redimi, & cum hoc placeret Trinitati. Igitur hoc nolle ſecundùm ſe ſufficit ad triſtitiam ſimpliciter, quamquàm inſpiciendo ad aliud ſit ſimpliciter volitum. Et illud probo per Ariſt. 3. Ethic. Proijciens merces in Mare ſimpliciter triſtatur, & tamen illud eſt nolitum ſecundùm quid, quia inſpiciendo ad illud ſecundùm ſe eſt nolitum, tamen ſimpliciter inſpiciendo ad maius bonum, ſcilicet ad ſalutem, eſt ſimpliciter volitum.

Dices. Illud eſt ſecundùm quid volitum, & ſic Chriſtus ſecundùm quid volens.

Contra arguit Doctor. Illud eſt ſimpliciter volitum, quod ſine conditione diſtrahente eſt volitum, ſed proijciens merces, nulla conditione diſtrahente vult proijcere merces. Probatio. Quia determinatio ſecundùm quid in ſuperiore non neceſſitat inferiorem, igitur cum inferior facit aliquid ſolùm ex imperio ſuperioris, priùs natura ſimpliciter determinatur ſuperius, ſed iſte proijciens merces

 per

per imperium voluntatis, & ex deliberatione proijcit, ergo voluntas ſimpliciter eſt determinata ad velle. Sed alia conditio, vt velle ſaluare merces diſtrahit, quia vult ſub hac conditione, ſi poſſet aliter ſaluari, ſed illa conditio expreſſa eſt falſa. Vnde Ariſt. ibidem ait: huius operatio eſt mixta ſecundùm quid, & in vniuerſali inuoluntaria, quia habet in poteſtate ſua mouere organicas partes. Sic Chriſtus voluit ſimpliciter paſſionem ſuam propter voluntatem Dei implendam, ideò determinatio non diſtrahit, quod hoc eſt finis volitionis, ſed noluit conditione diſtrahente, ſi potuit aliter fieri æquè benè, & placeret Trinitati. Triſtabatur igitur voluntas Chriſti ſimpliciter quantùm ad portionem ſuperiorem, referendo temporalia ad æterna, vt ad finem.

II. Concl. Voluntas Chriſti ſecundùm portionem inferiorem non triſtabatur de paſſione triſtitia aliqua conſequenter aliquod nolle actu elicitum de paſſione, ſicut nec portio ſuperior. Ita Scot. loc. cit. & in ſcripto Oxionenſi. Prob. Quia portio ſuperior, & inferior ſunt vna, & eadem potentia ex D. Aug. & ita non habent actus oppoſitos volendi, & nolendi reſpectu eiuſdem obiecti paſſionis, maximè quia vnus ponitur in ſummo, ideſt actus volendi in ſuperiori portione, & per conſequens excludit reliquum oppoſitum. Tum quia portio inferior ſecundùm rationem ſuam non potuit iudicare ex principio ſuo paſſionem eſſe nolendam, quia principium eius eſt concluſio principij pertinentis ad portionem ſuperiorem, ſicut & finis ſub fine, à quo accipitur principium portionis inferioris ordinatur, & dependet ex fine principali, & primo, à quo accipitur principium practicum portionis ſuperioris, & tamen ſecundùm principium portionis ſuperioris iudicabatur volenda; cum igitur ratio ſuperior Chriſti demonſtraret paſſionem eſſe volendam, & non nolendam actu elicito, non potuit oppoſitum demonſtrari, quia ratio probans alteram partem contradictionis erit errans, & ſophyſtica, quam nefas eſt ponere in intellectu Chriſti.

Confirm. ex Scoto. Ratio politica indicat Ciui pro bono publico eſſe moriendum ponens finem ſub fine, ſed ratio iudicans de actibus virtutum politicarum, eſt ratio inferior, & tamen iudicat, mortem eſſe volendam propter bonum commune, vt patet in forti ex Ariſt. 3. Eth. qui cum

triſtitia exponit ſe periculo, quia licèt velit hoc, nollet tamen ſi aliter bonum commune ſaluari poſſet; ergo ſimiliter dicendum de portione inferiori Chriſti; vndè voluntas Chriſti pertinens ad portionem inferiorem eam volebat; ita quòd, & volebat mortem, & ſuſtinere eam; non enim eſt intelligibile, quòd aliquis nolit mortem, & velit ſuſtinere mortem, quia ſinè morte non poteſt ſuſtinere mortem; immò & ipſa includitur in illo. Vndè D. Aug. lib. 12. de Trin. cap. 7. *In paſſione triſtatur Sanctus, cum alterum optat*, Et Ariſt. 3. Eth. cap. 11. *Mors forti eſt eligenda propter virtutem.* Adde, quòd obiectum patientiæ non eſt omnibus modis eligibile, quia non eſt patientia de eo, quod eſt eligibile ſecundùm ſe, cum hoc poſſit ſine difficultate.

Arg. 1. cont. concl. probando quòd non potuiſſet in Chriſti voluntate tempore paſſionis eſſe ſimul ſummum gaudium beatificum, & maxima triſtitia. Impoſſibile eſt, quòd contraria ſint ſimul in eodem ſubiecto, quia contraria ſunt, quæ mutuò circa idem ſubiectum ſe expellunt, ſed lætitia, ſeu gaudium, & triſtitia ſunt contraria ſecundùm totum genus ſuum, ſicut beatitudo, & miſeria, ergo &c.

Reſp. diſting. mai. naturaliter, conc. ſupernaturaliter, neg. mai. vt patet de qualitatibus contrarijs, ſeu etiam diſparatis: ad illud, quod tangitur de beatitudine, & miſeria, reſpondetur, non eſſe eandem rationem, ac de contrarijs, quia miſeria importat directè negationem beatitudinis; ac proinde diuerſa prorſus eſt ratio.

Contra. Impoſſibile eſt, quòd eadem potentia ſimul gaudeat, & triſtetur de eodem obiecto; ſed voluntas eſt vna potentia, etſi diſtinguatur in portionem ſuperiorem, & inferiorem; ergo &c. Reſp. hoc argumentum multorum DD. ingenia torquere, adeò vt quidam difficultate preſſi, dixerint; vt refert Maſtrius, in voluntate Chriſti nullam fuiſſe triſtitiam, quia hæc non poterat cum ſummo gaudio conſiſtere; ita noſter Titelmanus in illud Matt. cap. 16. *Triſtis eſt anima &c* & nonnulli Thomiſtæ ex Cano lib 12. de locis theologicis c. 14. putarunt, Chriſtum tempore paſſionis miraculose ſuſpendiſſe gaudium beatificum, quod ex viſione beatifica natum erat deriuari in voluntatem, vt ſic magìs pro nobis pati poſſet. Quod deducere nituntur ex illo ad Hebr. cap. 12. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, con-*

fuſione contempta, & ex D. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ vbi ait; *Et ſequeſtrata delectatione Diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur*. Verùm hæc ſolutio communiter reijcitur, teſte Maſtrio, quia abſquè ſufficienti fundamento tollit ab Anima Chriſti per aliquod tempus perfectam beatitudinem, quòd ſi ſemel admittatur, poſſet etiam quis dicere eo etiam tempore caruiſſe viſione beatifica, vt magis pateretur, & hac ratione, vt rectè arguit Card. de Lugo, dici poſſet, quòd non ſolum in paſſione debuiſſet Chriſtus ſuſpendere gaudium, ſed etiam toto vitæ tempore, quia eadem obiecta, quæ in paſſione fuerunt cauſa triſtitiæ, fuerunt ſemper Chriſto præſentia; quod eſt manifeſtum abſurdum.

Reſp. itaque cum Baſſolio, quòd non eſt impoſſibile eandem potentiam ſimul triſtari, & gaudere de eodem obiecto ſecundùm diuerſas rationes; ſicut contingere poteſt, quòd aliquis gaudeat de hoc, quòd eſt Abbas, quia eſt Dominus, & ſecundùm aliam rationem doleat, videlicet, quia eſt Monachus. Vndè non eſt triſtitia eiuſdem rationis de paſſione Chriſti in portione ſuperiori, & inferiori, quia eſt de eodem obiecto materialiter tantùm, non formaliter; ac proinde ſecundùm diuerſas rationes eſt gaudium, & triſtitia, etſi de eodem obiecto materialiter; ſicut etiam gaudere in ambabus non ſunt eiuſdem rationis, quia ſunt propter diuerſos fines; vna ſecundùm finem immediatum increatum, & alia ſecundùm finem ſub fine tamquàm propter finem immediatum &c. idquè diſpenſatione diuina factum eſt; quia, vt dicit Scotus, ſicut dipenſatione diuina Chriſtus erat Comprehenſor, & viator; ita vt Comprehenſor ſummo gaudio beatifico fruebatur, & vt viator maxima triſtitia afficiebatur pro noſtra redemptione.

Quæres. An paſſio Chriſti in generali ſpectata fuerit maxima. Reſp. conſtat ex S. Scrip. & SS. Patribus fuiſſe maximam, & omnium acerbiſſimam; vndè Eccleſia in officio feriæ 4. maioris hebdomadæ recitat illud Tren. cap. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus:* Quòd Seraph. Doctor non minùs doctè, quàm deuotè ſic explicat. *Dolor paſſionis Chriſti inter cæteros dolores, & paſſiones fuit acerbiſſimus, & acutiſſimus*; & hoc patet, ſi illa conſiderentur, quæ doloris paſſionem acerbiorem reddunt, hæc autem ſunt tria, videlicet cauſa paſſionis, & modus

pa-

patiendì, & conditio patientis. Si conſideretur cauſa, ob quam Chriſtus paſſus eſt fuit in eo doloris afflictio magna; non enim patiebatur pro culpa propria, immò pro aliena; non pro amicis tantùm, ſed etiam pro inimicis, & etiam pro his, quos videbat ingratos. Si autem conſideretur modus patiendi fuit in ipſo paſſio doloris acerbior; tum propter generalitatem, quia in omnibus membris affligebatur, tum etiam propter continuitatem, quia ſuſpendium eius continuabatur, & claui adeò affligebant pendentem; ſicut affixerunt quando manus eius, & pedes conforabantur, in quibus maxima erat afflictio propter neruos, & muſculos ibidem concurrentes, in quibus præcipuè viget ſenſus. Si autem conſideretur qualitas, ſiue conditio patientis maxima erat afflictio propter maximam complexionis ęqualitatem, & propter ſenſus viuacitatem. Vndè quia nullus potuit ei æquare, nec æqualitate complexionis, nec viuacitate ſenſus, dolor illius omnium dolorum fuit acutiſſimus, & ideò ei gratias quantas poſſumus, & ſupra quàm poſſumus referamus, ſi quo modo donetur nobis, vt tam grauiter patienti compatiamur: hæc Seraph. Doct. in 3. d. 16. art. 1. q. 2. §. Reſpondeo dicendum &c. Itaq; benedictus Chriſtus patiebatur, & cruciabatur in omnibus corporis membris ſimul, & ſemel abſque eo quòd vnus dolor maior minorem abſorberet, idquè diſpenſatione diuina; naturaliter namque vnus dolor maior abſorbet minorem, & rationem mentis. Vndè ex dolore ſenſibili naſcebatur proportionaliter maximus dolor, ſeu triſtitia interior in parte rationali: *Huius præterea interioris triſtitia cauſa erat mors ipſa, deinde peccata generis humani, quæ quantùm ad ſatisfactionem aſſumpſerat in ſe Chriſtus, & ſpecialiter caſus Iudæorum, ac ingratitudo plurimorum, pro quibus ſuum pretioſum ſanguinem effundebat, ex quibus, vt dicit D. Bonau. loc. cit. q. 3. orta fuit maior triſtitia in Anima Chriſti, quàm ex paſſione externa*; quod eleganter expreſſit Cancellarius Philippus in quadam proſula valde notabili.

Homo vide quid pro te patior? Ad te clamo, qui pro te morior
Vide pœnas, quibus afficior. Vide clauos, quibus confodior.
Cum ſit tantus dolor exterior. Interior tamen planctus eſt grauior
Tam ingratum dum te experior.

Ex quibus omnibus ſimul ſumptis ſatìs conſtat, dolorem Chriſti fuiſſe maximum facta comparatione cum doloribus

cæterorum hominum in hac vita. Hinc D. Bernardinus Senenſis aſſerere non dubitauit: *Totus mundus non poſſet portare minimam partem crucis Chriſti*; & tom. 2. ſer. 49. art. 4. diſcurrens de pœna Chriſti quoad peccata noſtra inquit. *Ad quamlibet quidem ſingularem culpam, ſeu iniuriam ſummi Patris habuit aſpectum; ideoquè tantùm in Anima ſua dolebat, quot, & quanta erant mortales culpæ, & ſer. 50. art. 1. c 1. Tantùm in mente doluit pro æternaliter cruciandis, quantùm erant tormenta, quibus erant æternaliter cruciandi*. Et quamuis tot, tantoſquè acerbiſſimos dolores, & pœnas amantiſſimus Saluator amore noſtri pateretur; nihilominus plus dolebat, vt teſtantur plures Patres, de damnatione, & reprobatione ſui populi electi, quòd de tam copioſo redemptionis fructu ſalutem non lucrarentur, quàm de doloribus, ac pœnalitatibus, quas in corpore ſuſtinebat; concludamus tandem cum S. Laurent. Iuſtin. qui de agonia Chriſti cap. 19. loquens ait. *Modo quodam indicibili Chriſtus in omnibus electis ſuis omnia perferebat pœnarum genera: perſequebatur in Apoſtolis, lapidabatur in Stephano, aſſabatur in Laurentio; ſicquè in ſingulis ſingula Martyrum, cæterorumquè electorum ſuſtinebat tormenta*.

Quæres 2. An corpus Chriſti fuiſſet putrefactum; ſi reſurrectio non fuiſſet accelerata.

Pro clariori reſolutione aduerto ex Aug. lib. 4. de Trin. c. 6. quòd *corpus Chriſti iacuit in ſepulchro à veſpere ſepulturæ vſque ad diluculum reſurrectionis triginta ſex horis; ideſt noctè tota cum die tota, & nocte alia tota, in qua non fuit corruptum*; ſed adhuc vrgeri poteſt difficultas de triduo ſepulturæ Chriſti; nam reſurrectio tertia die ſecundùm Scripturam fuit facta; ſic enim creditur, & exprimitur Matt. 12. *Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus; ſic erit filius hominis in corde terræ*; quo ſignificatur ſepulchrum pro eius corpore, & Lymbus pro eius anima.

Verùm ſoluitur ex communi expoſitione, dicendo, eſſe ibi periphraſim Hebræis familiarem trium dierum naturalium viginti quatuor horarum, vt inter alios notat Herincx p. 4. diſp. 4. q. 4. de myſterijs vitæ Chriſti, vel paulò amplius ex D. Aug. ſupra cit. qui die artificiali, & nocte, ſeu luce, & tenebris conſtant; quaſi diceret erit ibi tribus diebus naturalibus, intellige per Synecdochen, ideſt poſteriori parte diei Veneris, toto Sabbato, & nocte, ſeu parte anterio-

ri diei dominicæ vſque ad reſurrectionem. Hoc prænotato. Reſp. Doctores conuenire in parte negatiua, nempe quòd Chriſti corpus non fuiſſet corruptum, etiamſi reſurrectio non fuiſſet accellerata; idque euidenter deducunt ex illo Pſal. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: quem locum SS. Patres intelligunt literaliter de corpore Chriſti iam mortui. Damaſcenus ſiquidem lib. 3. c. 13. de reſolutione in elementa intelligit. D. Petrus cap. 2. intelligit de Chriſto, & D. Paulus. *Quem verò Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionem*; quare corporis Chriſti incorruptio non eſt tribuenda mixturæ illi Aloe, & Myrrhæ, quam detulit Nicodemus, ſed diuino miraculo, non antiquo, vt videtur Henrico; ſed nouo miraculo, vt docet Scotus in 3. d. 21. q. vnica, & probat ſic. Verbum antiquo miraculo, quo primo ſibi vniuit corpus illud, non impediuit paſſionem corporis ſui animati, quia, ſtante illo miraculo, corpus illud eſt paſſum clauationem, & lanceationem, & mortem; ergo nec per illud prohibuiſſet reſolutionem ſui corporis. Et ſi prohibuiſſet, hoc factum eſſet per miraculum nouum, non per antiquum, quia ſecundùm iſtud non prohibuit paſſionem, & ita nec reſolutionem; alias rationes vide in Scoto.

Dices. Corpus Chriſti habuit cauſam internam, & externam corruptionis, ergo ſi reſurrectio non fuiſſet accelerata tandem corruptum fuiſſet. Reſp. Scot. diſting. conſ. quantùm ex parte cauſarum inferiorum, conc. quantùm ex parte cauſarum ſuperiorum nego; & ſi inſtes, ergo abſolutè dicendum, quòd illud corpus fuiſſet corruptum negatur conſ. Quia illud eſt abſolutè futurum, quod eſt tale ſecundùm cauſas ſuperiores; non inferiores; vt eſt in propoſito. Nec obſtat auctoritas D. Damaſc. citati ab Aduerſarijs ſic. *Quod corpus Chriſti fuit vnitum Verbo indiſſolubiliter; ergo, ſtante ſola vnione, non fuiſſet reſolutum*; non obſtat, neque facit pro eis, ait Scot. in Report. quia Damaſ. in principio illius capitis dicit, quòd inconuertibiliter, & inalterabiliter fuerat vnita, & non dicit, quòd indiſſolubiliter, & loquitur ibi de natura humana. Immò Damaſ. in fine cap. dixit, quòd permittebat carnem propria paſſione Chriſti pati.

Præterea. In corpore Chriſti vera fuit augmentatio, & nutritio, & diminutio; ita quòd partes fluxerunt, & reſluxerunt, ſed tunc ſi impediſſet, quòd partes non fluerent, hoc

fuiſſet

fuiſſet per nouum miraculum; per nouum miraculum fuiſſet ergo, quòd corpus eius non tendebat ad corruptionem, ita Scot.

DISPVTATIO IX.

De Sanctiſſima, & immaculata Dei Genitrice.

QVÆSTIO I.

Vtrum Conceptio B. Virginis in vtero materno fuerit naturalis, vel miraculoſa.

NOt. Quòd conceptio Dei genitricis diſtingui poteſt in duplicem, nempe in actiuam, & paſſiuam. Prior ſe tenet ex parte Parentum, poſterior ex parte B. Virginis, & de vtraque poteſt procedere quæſtio. Cæterùm pro certo ab omnibus habetur, Parentes Deiparæ, nempe Annam, & Ioachim fuiſſe ſteriles; fuit enim B. Virgo procreata prope annum ſexageſimum ſuorum parentum, & iuxta Georgium Cedreno relat. à Frances, prope annum ſexageſimum ſextum, & amplius, & prout ſcribit noſter Carthag. in homil. B. V. ex reuelatione facta à B. Virg. S. Birgittæ, ex verbo Angeli nunciantis conuenerunt eius Parentes carne, non ex concupiſcentia aliqua voluptatis, & cum nunciatum eſſet ab Angelo, quòd Virginem pareret, vndè ſalus mundi procederet, magis voluiſſent mori, quàm carnali amore conuenire. Hinc Nicephorus ait *Virgo ex membris ſenilibus, & longe à naturæ feruore alienis, tamquam quidam fructus diuinitùs datus producta eſt.* Hinc D. Ambroſ. *Sterilis peperit, vt crederemus, quòd potens eſt Deus facere, vt virgo poſſit generare*, & ita loquuntur alij Patres, quibus conſentiunt Recentiores Theologi, & ſignanter Carthagena, & Frances in tom. de immaculata Conceptione.

I. Concl. Conceptio actiua ex parte Parentum Deiparæ fuit miraculoſa, & ſupernaturalis, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quo ad modum. Eſt communis Sanctis Patribus, & Theologis. Prob. Opus, quod ſupra exigentiam cauſarum omnium ſecundarum fit, & miraculoſum, & ſupernaturale; ſed conceptio actiua fuit huiuſmodi; ergo &c. min. prob. Exiſtente ſterilitate in vtroque Parente, vel in

in quolibet ſigillatim non poteſt exigere iure naturę applicationem Dei vt cauſa vniuerſalis ad prolem; ſed extat ſterilitas ex duplici capite; primo ex natiua facultate; ſecundo ex ætate, vt conuincit traditio communis, & ſenſus omnium Patrum, ergo fuit talis conceptio ſupra exigentiam: maior patet. Nam cauſa, vt impedita non poteſt iure naturæ exigere applicationem cauſæ vniuerſalis ad effectum, ſiue impedimentum ſit natiuum, & intrinſecum, vt patet de oculo priuato proxima diſpoſitione ad videndum, ſeu ad ſpecies obiectorum recipiendas; ſiue ſit extrinſecum, v. g. cum deficit approximatio in ligno, vt gignatur ignis; ſterilitatis autem eſt impedimentum intrinſecum, & natiuum; ergo &c.

Confirmatur. Cauſa, vt impedita nequit reduci ad actum ſecundum per vires agentis naturalis; non habentis facultatem ad huiuſmodi impedimenta tollenda; at in B. Anna, & Ioachim non erat poteſtas ad tollendum impedimentum ad gignendam prolem; alioquin non commendaret Angelus Luc. c. 1. potentiam abſolutam Dei, nec illam exemplificaret in conceptu ex ſterili; tum quia nec vires naturæ in impedimentis intrinſecis, & natiuis poſſunt actiuitatem vllam habere; ergo naturaliter non poterant ad actum ſecundum generationis &c.

II. Concl. Conceptio paſsiua Deiparæ non fuit opus miraculoſum. Hæc videtur pariter communis, & colligitur ex Scoto in 3. d. 3. q. 2. vbi probat, quòd ſi Chriſtus eſſet conceptus purus homo, qualiter nunc ex Virgine Maria, non indiguiſſet Redemptore, quia miraculosè conceptus miraculo correſpondente ad effectum, ſeu prolem, nec redemptione ſubleuatiua, nec præſeruatiua indiget, cum non ſit per naturalem deſcendentiam ab Adamo; ſed Virgo indiguit Redemptore, & quidem nobiliori modo fuit præſeruata à peccato, ergo eius conceptio paſsiua non fuit opus miraculoſum. Prob. etiam. Quando in effectu non relucet aliquod excedens vires naturæ, productio paſsiua effectus non attribuitur miraculo, ſed in perfectione naturali B. V. in qua fuit concepta nil relucet excedens vires naturæ; ergo in hac nullum interuenit, miraculum, vt patet de viſione reſtituta cæco.

Arg. cont. 1. concl. Si actio in ordine ad conceptionem

B. Virg.

tione abſoluta actuali voluntatis liberæ; vel quia nolitum nolitione eiuſdem voluntatis conditionata. Duæ priores triſtitiæ, quæ ſequuntur nolitionem naturalem ſunt propriæ duabus portionibus, vnaquæque vni portioni tantùm; ita quòd triſtitia, quæ conſequitur nolitionem naturalis voluntatis comparatæ ad obiecta propria, tantùm conuenit ſibi ſecundùm portionem ſuperiorem: illa verò, quæ conſequitur nolitionem ex coniunctione voluntatis cum appetitu ſenſitiuo præcisè conuenit ſibi ſecundùm portionem inferiorem; ita quòd vtraque portio, ideſt ſuperior largè ſumpta, & inferior triſtari poteſt de obiecto, vel nolito nolitione naturali, abſoluta, vel nolitione naturali ex colligantia cum appetitu ſenſitiuo; de alijs autem duabus triſtitijs ſequentibus nolitionem actualem abſolutam, & conditionalem, ſiue habitualem, vtraque portio poteſt ſic, & ſic nolle quædam, quæ eueniunt; atque adeò vtraque poterit de illo duplici modo triſtari, ita de mente Scoti notat. Aretinus in 3. d. 15. q. vn. art. 12. ſed vt clariùs nobis innoteſcat mens Scoti.

Not. 3. ex Baſſolio eadem diſt. quòd triſtitia poteſt contingere ex his, quæ nolumus quadrupliciter. Vno modo cum euenit aliquid, quod eſt contra voluntatem, vt natura quædam, ita quòd non eſt illud actu nolitum, ſed quaſi naturaliter. 2. ex hoc, quòd euenit aliquid, quod eſt contra voluntatem, vt colligatam appetitui ſenſitiuo, & eſt diſconueniens ſibi. 3. ex hoc, quòd euenit aliquid, quod eſt actualiter nolitum actu elicito à voluntate. 4. ex hoc, quòd euenit aliquid, quod eſt habitualiter volitum, vel nolitum conditionatè, volitum tamen actu, & ſimpliciter; ſicut proijcere merces in mari in periculo tempeſtatis, quod eſt actualiter volitum efficaciter, quando proijciens proijcit, licèt ſecundùm quid ſit nolitum, vel habitualiter, vel conditionatè, quia ſi poſſet euadere nollet proijcere, Vndè voluntas in communi, non diſtinguendo eam per portiones, poteſt triſtari, & triſtabatur in Christo duobus primis modis ex afflictione carnis, & paſſione, quæ erat, & contra modum ſuppoſiti Chriſti, & contra conuenientiam appetitus ſenſitiui; diligebat enim voluntas ſuppoſitum Chriſti amore amicitiæ, & non minùs triſtabatur ex carne de malo paſſionis ſuæ, quàm aliquis de malo incommodi triſtetur;

por-

portio autem ſuperior ſtrictè accepta, prout tantùm reſpicit obiectum æternum, ideſt Deum non triſtabatur, quia talis triſtitia non eſſet in ea, nec ſequeretur niſi ad nolle Deum in ſe, vel quoad aliquam eius perfectionem, quod repugnat maximè voluntati rectæ, & fortaſſe etiam ipſis damnatis.

I. Concl. Si non poteſt eſſe triſtitia ſimpliciter, niſi præcedat ſimpliciter nolle, tunc in anima Chriſti non fuit triſtitia ſimpliciter de tali, quia non poſſet aliquid eſſe ſimpliciter nolitum à voluntate Chriſti, niſi ſuperior portio rationis dictaret, hoc eſſe ſimpliciter nolendum, ſed voluntas Chriſti fuit conformis voluntati Trinitatis, igitur ſuperior portio voluntatis ſimpliciter voluit paſſionem Chriſti, & omnia neceſſariò annexa, & tunc ſequitur, quòd non ſimpliciter triſtabatur: ita diſcurrit Scot. in Report. loc. cit. & pergit ſic, Si autem ad ſimpliciter triſtari ſufficit nolle hoc ſecundùm ſe, quamquàm ſit ſimpliciter volendum inſpiciendo ad maius bonum, quod verius credo. Dico, quòd ſimpliciter triſtabatur voluntas Chriſti, quia ſecundùm regulas æternas debuit iſta natura plus diligi ſic repleta gratia, quàm quæcumquè alia creatura, igitur maior deberet eſſe triſtitia propriæ voluntatis de paſſione huius naturæ, quàm cuiuſcumquè alterius, ſi cætera poſſent æqualiter fieri, vt peccatores redimi, & cum hoc placeret Trinitati. Igitur hoc nolle ſecundùm ſe ſufficit ad triſtitiam ſimpliciter, quamquàm inſpiciendo ad aliud ſit ſimpliciter volitum. Et illud probo per Ariſt. 3. Ethic. Proijciens merces in Mare ſimpliciter triſtatur, & tamen illud eſt nolitum ſecundùm quid, quia inſpiciendo ad illud ſecundùm ſe eſt nolitum, tamen ſimpliciter inſpiciendo ad maius bonum, ſcilicet ad ſalutem, eſt ſimpliciter volitum.

Dices. Illud eſt ſecundùm quid volitum, & ſic Chriſtus ſecundùm quid volens.

Contra arguit Doctor. Illud eſt ſimpliciter volitum, quod ſine conditione diſtrahente eſt volitum, ſed proijciens merces, nulla conditione diſtrahente vult proijcere merces. Probatio. Quia determinatio ſecundùm quid in ſuperiore non neceſſitat inferiorem, igitur cum inferior facit aliquid ſolùm ex imperio ſuperioris, priùs natura ſimpliciter determinatur ſuperius, ſed iſte proijciens merces

per imperium voluntatis, & ex deliberatione proijcit, ergo voluntas ſimpliciter eſt determinata ad velle. Sed alia conditio, vt velle ſaluare merces diſtrahit, quia vult ſub hac conditione, ſi poſſet aliter ſaluari, ſed illa conditio expreſſa eſt falſa. Vnde Ariſt. ibidem ait: huius operatio eſt mixta ſecundùm quid, & in vniuerſali inuoluntaria, quia habet in poteſtate ſua mouere organicas partes. Sic Chriſtus voluit ſimpliciter paſſionem ſuam propter voluntatem Dei implendam, ideò determinatio non diſtrahit, quod hoc eſt finis volitionis, ſed noluit conditione diſtrahente, ſi potuit aliter fieri æquè benè, & placeret Trinitati. Triſtabatur igitur voluntas Chriſti ſimpliciter quantùm ad portionem ſuperiorem, referendo temporalia ad æterna, vt ad finem.

II. Concl. Voluntas Chriſti ſecundùm portionem inferiorem non triſtabatur de paſſione triſtitia aliqua conſequenter aliquod nolle actu elicitum de paſſione, ſicut nec portio ſuperior. Ita Scot. loc. cit. & in ſcripto Oxionenſi. Prob. Quia portio ſuperior, & inferior ſunt vna, & eadem potentia ex D. Aug. & ita non habent actus oppoſitos volendi, & nolendi reſpectu eiuſdem obiecti paſſionis, maximè quia vnus ponitur in ſummo, ideſt actus volendi in ſuperiori portione, & per conſequens excludit reliquum oppoſitum. Tum quia portio inferior ſecundùm rationem ſuam non potuit iudicare ex principio ſuo paſſionem eſſe nolendam, quia principium eius eſt concluſio principij pertinentis ad portionem ſuperiorem, ſicut & finis ſub fine, à quo accipitur principium portionis inferioris ordinatur, & dependet ex fine principali, & primo, à quo accipitur principium practicum portionis ſuperioris, & tamen ſecundùm principium portionis ſuperioris iudicabatur volenda; cum igitur ratio ſuperior Chriſti demonſtraret paſſionem eſſe volendam, & non nolendam actu elicito, non potuit oppoſitum demonſtrari, quia ratio probans alteram partem contraditionis erit errans, & ſophyſtica, quam nefas eſt ponere in intellectu Chriſti.

Confirm. ex Scoto. Ratio politica indicat Ciui pro bono publico eſſe moriendum ponens finem ſub fine, ſed ratio iudicans de actibus virtutum politicarum, eſt ratio inferior, & tamen iudicat, mortem eſſe volendam propter bonum commune, vt patet in forti ex Ariſt. 3. Eth. qui cum

tri-

triſtitia exponit ſe periculo, quia licèt velit hoc, nollet tamen ſi aliter bonum commune ſaluari poſſet; ergo ſimiliter dicendum de portione inferiori Chriſti; vndè voluntas Chriſti pertinens ad portionem inferiorem eam volebat; ita quòd, & volebat mortem, & ſuſtinere eam; non enim eſt intelligibile, quòd aliquis nolit mortem, & velit ſuſtinere mortem, quia ſinè morte non poteſt ſuſtinere mortem; immò & ipſa includitur in illo. Vndè D. Aug. lib. 12. de Trin. cap. 7. *In paſſione triſtatur Sanctus, cum alterum optat*, Et Ariſt. 3. Eth. cap. 11. *Mors forti eſt eligenda propter virtutem.* Adde, quòd obiectum patientiæ non eſt omnibus modis eligibile, quia non eſt patientia de eo, quod eſt eligibile ſecundùm ſe, cum hoc poſſit ſine difficultate.

Arg. 1. cont. concl. probando quòd non potuiſſet in Chriſti voluntate tempore paſſionis eſſe ſimul ſummum gaudium beatificum, & maxima triſtitia. Impoſſibile eſt, quòd contraria ſint ſimul in eodem ſubiecto, quia contraria ſunt, quæ mutuò circa idem ſubiectum ſe expellunt, ſed lætitia, ſeu gaudium, & triſtitia ſunt contraria ſecundùm totum genus ſuum, ſicut beatitudo, & miſeria, ergo &c.

Reſp. diſting. mai. naturaliter, conc. ſupernaturaliter, neg. mai. vt patet de qualitatibus contrarijs, ſeu etiam diſparatis: ad illud, quod tangitur de beatitudine, & miſeria, reſpondetur, non eſſe eandem rationem, ac de contrarijs, quia miſeria importat directè negationem beatitudinis; ac proinde diuerſa prorſus eſt ratio.

Contra. Impoſſibile eſt, quòd eadem potentia ſimul gaudeat, & triſtetur de eodem obiecto; ſed voluntas eſt vna potentia, etſi diſtinguatur in portionem ſuperiorem, & inferiorem; ergo &c. Reſp. hoc argumentum multorum DD. ingenia torquere, adeò vt quidam difficultate preſſi, dixerint; vt refert Maſtrius, in voluntate Chriſti nullam fuiſſe triſtitiam, quia hæc non poterat cum ſummo gaudio conſiſtere; ita noſter Titelmanus in illud Matt. cap. 16. *Triſtis eſt anima &c* & nonnulli Thomiſtæ ex Cano lib 12. de locis theologicis c. 14. putarunt, Chriſtum tempore paſſionis miraculose ſuſpendiſſe gaudium beatificum, quod ex viſione beatifica natum erat deriuari in voluntatem, vt ſic magìs pro nobis pati poſſet. Quod deducere nituntur ex illo ad Hebr. cap. 12. *Propoſito ſibi gaudio ſuſtinuit Crucem, con-*

fuſione contempta, & ex D. Ambroſ. in cap. 22. Lucæ vbi ait; *Et ſequeſtrata delectatione Diuinitatis æternæ, tædio meæ infirmitatis afficitur*. Verum hæc ſolutio communiter reijcitur, teſte Maſtrio, quia abſquè ſufficienti fundamento tollit ab Anima Chriſti per aliquod tempus perfectam beatitudinem, quòd ſi ſemel admittatur, poſſet etiam quis dicere eo etiam tempore caruiſſe viſione beatifica, vt magis pateretur, & hac ratione, vt rectè arguit Card. de Lugo, dici poſſet, quòd non ſolum in paſſione debuiſſet Chriſtus ſuſpendere gaudium, ſed etiam toto vitæ tempore, quia eadem obiecta, quæ in paſſione fuerunt cauſa triſtitiæ, fuerunt ſemper Chriſto præſentia; quod eſt manifeſtum abſurdum.

Reſp. itaque cum Baſſolio, quòd non eſt impoſſibile eandem potentiam ſimul triſtari, & gaudere de eodem obiecto ſecundùm diuerſas rationes; ſicut contingere poteſt, quòd aliquis gaudeat de hoc, quòd eſt Abbas, quia eſt Dominus, & ſecundùm aliam rationem doleat, videlicet, quia eſt Monachus. Vndè non eſt triſtitia eiuſdem rationis de paſſione Chriſti in portione ſuperiori, & inferiori, quia eſt de eodem obiecto materialiter tantùm, non formaliter; ac proinde ſecundùm diuerſas rationes eſt gaudium, & triſtitia, etſi de eodem obiecto materialiter; ſicut etiam gaudere in ambabus non ſunt eiuſdem rationis, quia ſunt propter diuerſos fines; vna ſecundùm finem immediatum increatum, & alia ſecundùm finem ſub fine tamquàm propter finem immediatum &c. idquè diſpenſatione diuina factum eſt; quia, vt dicit Scotus, ſicut dipenſatione diuina Chriſtus erat Comprehenſor, & viator; ita vt Comprehenſor ſummo gaudio beatifico fruebatur, & vt viator maxima triſtitia afficiebatur pro noſtra redemptione.

Quæres. An paſſio Chriſti in generali ſpectata fuerit maxima. Reſp. conſtat ex S. Scrip. & SS. Patribus fuiſſe maximam, & omnium acerbiſſimam; vnde Eccleſia in officio feriæ 4. maioris hebdomadæ recitat illud Tren. cap. 1. *O vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus:* Quòd Seraph. Doctor non minùs doctè, quàm deuotè ſic explicat. *Dolor paſſionis Chriſti inter cæteros dolores, & paſſiones fuit acerbiſſimus, & acutiſſimus*; & hoc patet, ſi illa conſiderentur, quæ doloris paſſionem acerbiorem reddunt, hæc autem ſunt tria, videlicet cauſa paſſionis, & modus

patiendi, & conditio patientis. Si conſideretur cauſa, ob quam Chriſtus paſſus eſt fuit in eo doloris afflictio magna; non enim patiebatur pro culpa propria, immò pro aliena; non pro amicis tantùm, ſed etiam pro inimicis, & etiam pro his, quos videbat ingratos. Si autem conſideretur modus patiendi fuit in ipſo paſſio doloris acerbior; tum propter generalitatem, quia in omnibus membris affligebatur, tum etiam propter continuitatem, quia ſuſpendium eius continuabatur, & claui adeò affligebant pendentem; ſicut affixerunt quando manus eius, & pedes conforabantur, in quibus maxima erat afflictio propter neruos, & muſculos ibidem concurrentes, in quibus præcipuè viget ſenſus. Si autem conſideretur qualitas, ſiue conditio patientis maxima erat afflictio propter maximam complexionis ęqualitatem, & propter ſenſus viuacitatem. Vndè quia nullus potuit ei æquare, nec æqualitate complexionis, nec viuacitate ſenſus, dolor illius omnium dolorum fuit acutiſſimus, & ideò ei gratias quantas poſſumus, & ſupra quàm poſſumus referamus, ſi quo modo donetur nobis, vt tam grauiter patienti compatiamur: hæc Seraph. Doct. in 3. d. 16. art. 1. q. 2. ſ. Reſpondeo dicendum &c. Itaq; benedictus Chriſtus patiebatur, & cruciabatur in omnibus corporis membris ſimul, & ſemel abſque eo quòd vnus dolor maior minorem abſorberet, idquè diſpenſatione diuina; naturaliter namque vnus dolor maior abſorbet minorem, & rationem mentis. Vndè ex dolore ſenſibili naſcebatur proportionaliter maximus dolor, ſeu triſtitia interior in parte rationali: *Huius præterea interioris triſtitiæ cauſa erat mors ipſa, deinde peccata generis humani, quæ quantùm ad ſatisfactionem aſſumpſerat in ſe Chriſtus, & ſpecialiter caſus Iudæorum, ac ingratitudo plurimorum, pro quibus ſuum pretioſum ſanguinem effundebat, ex quibus, vt dicit D. Bonau. loc. cit. q. 3. orta fuit maior triſtitia in Anima Chriſti, quàm ex paſſione externa*; quod eleganter expreſſit Cancellarius Philippus in quadam proſula valde notabili.

Homo vide quid pro te patior? Ad te clamo, qui pro te morior
Vide pœnas, quibus afficior. Vide clauos, quibus confodior.
Cum ſit tantus dolor exterior. Interior tamen planctus eſt grauior
Tam ingratum dum te experior.

Ex quibus omnibus ſimul ſumptis ſatìs conſtat, dolorem Chriſti fuiſſe maximum facta comparatione cum doloribus

 cæ-

ri diei dominicæ vſque ad reſurrectionem. Hoc prænotato. Reſp. Doctores conuenire in parte negatiua, nempe quòd Chriſti corpus non fuiſſet corruptum, etiamſi reſurrectio non fuiſſet accellerata; idque euidenter deducunt ex illo Pſal. 15. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*: quem locum SS. Patres intelligunt literaliter de corpore Chriſti iam mortui. Damaſcenus ſiquidem lib. 3. c. 13. de reſolutione in elementa intelligit. D. Petrus cap. 2. intelligit de Chriſto, & D. Paulus. *Quem verò Deus ſuſcitauit à mortuis, non vidit corruptionem*; quare corporis Chriſti incorruptio non eſt tribuenda mixturæ illi Aloe, & Myrrhæ, quam detulit Nicodemus, ſed diuino miraculo, non antiquo, vt videtur Henrico; ſed nouo miraculo, vt docet Scotus in 3. d. 21. q. vnica, & probat ſic. Verbum antiquo miraculo, quo primo ſibi vniuit corpus illud, non impediuit paſſionem corporis ſui animati, quia, ſtante illo miraculo, corpus illud eſt paſſum clauationem, & lanceationem, & mortem; ergo nec per illud prohibuiſſet reſolutionem ſui corporis. Et ſi prohibuiſſet, hoc factum eſſet per miraculum nouum, non per antiquum, quia ſecundùm iſtud non prohibuit paſſionem, & ita nec reſolutionem; alias rationes vide in Scoto.

Dices. Corpus Chriſti habuit cauſam internam, & externam corruptionis, ergo ſi reſurrectio non fuiſſet accelerata tandem corruptum fuiſſet. Reſp. Scot. diſting. conſ. quantùm ex parte cauſarum inferiorum, conc. quantùm ex parte cauſarum ſuperiorum nego; & ſi inſtes, ergo abſolutè dicendum, quòd illud corpus fuiſſet corruptum negatur conſ. Quia illud eſt abſolutè futurum, quod eſt tale ſecundùm cauſas ſuperiores; non inferiores; vt eſt in propoſito. Nec obſtat auctoritas D. Damaſc. citati ab Aduerſarijs ſic. *Quod corpus Chriſti fuit vnitum Verbo indiſſolubiliter; ergo, ſtante ſola vnione, non fuiſſet reſolutum*; non obſtat, neque facit pro eis, ait Scot. in Report. quia Damaſ. in principio illius capitis dicit, quòd inconuertibiliter, & inalterabiliter fuerat vnita, & non dicit, quòd indiſſolubiliter, & loquitur ibi de natura humana. Immò Damaſ. in fine cap. dixit, quòd permittebat carnem propria paſſione Chriſti pati.

Præterea. In corpore Chriſti vera fuit augmentatio, & nutritio, & diminutio; ita quòd partes fluxerunt, & refluxerunt, ſed tunc ſi impediſſet, quòd partes non fluerent, hoc

fuiſſet

fuiſſet per nouum miraculum; per nouum miraculum fuiſſet ergo, quòd corpus eius non tendebat ad corruptionem, ita Scot.

DISPVTATIO IX.

De Sanctiſſima, & immaculata Dei Genitrice.

QVÆSTIO I.

Vtrum Conceptio B. Virginis in vtero materno fuerit naturalis, vel miraculoſa.

NOt. Quòd conceptio Dei genitricis diſtingui poteſt in duplicem, nempe in actiuam, & paſſiuam. Prior ſe tenet ex parte Parentum, poſterior ex parte B. Virginis, & de vtraque poteſt procedere quæſtio. Cæterùm pro certo ab omnibus habetur, Parentes Deiparæ, nempe Annam, & Ioachim fuiſſe ſteriles; fuit enim B. Virgo procreata prope annum ſexageſimum ſuorum parentum, & iuxta Georgium Cedreno relat. à Frances, prope annum ſexageſimum ſextum, & amplius, & prout ſcribit noſter Carthag. in homil. B. V. ex reuelatione facta à B. Virg. S. Birgittæ, ex verbo Angeli nunciantis conuenerunt eius Parentes carne, non ex concupiſcentia aliqua voluptatis, & cum nunciatum eſſet ab Angelo, quòd Virginem pareret, vndè ſalus mundi procederet, magis voluiſſent mori, quàm carnali amore conuenire. Hinc Nicephorus ait *Virgo ex membris ſenilibus, & longe à naturæ feruore alienis, tamquam quidam fructus diuinitùs datus producta eſt*. Hinc D. Ambroſ. *Sterilis peperit, vt crederemus, quòd potens eſt Deus facere, vt virgo poſſit generare*, & ita loquuntur alij Patres, quibus conſentiunt Recentiores Theologi, & ſignanter Carthagena, & Frances in tom. de immaculata Conceptione.

I. Concl. Conceptio actiua ex parte Parentum Deiparæ fuit miraculoſa, & ſupernaturalis, non quidem quoad ſubſtantiam, ſed quo ad modum. Eſt communis Sanctis Patribus, & Theologis. Prob. Opus, quod ſupra exigentiam cauſarum omnium ſecundarum fit, & miraculoſum, & ſupernaturale; ſed conceptio actiua fuit huiuſmodi; ergo &c. min. prob. Exiſtente ſterilitate in vtroque Parente, vel

in quolibet ſigillatim non poteſt exigere iure naturę applicationem Dei vt cauſa vniuerſalis ad prolem; ſed extat ſterilitas ex duplici capite; primo ex natiua facultate; ſecundo ex ætate, vt conuincit traditio communis, & ſenſus omnium Patrum, ergo fuit talis conceptio ſupra exigentiam: maior patet. Nam cauſa, vt impedita non poteſt iure naturæ exigere applicationem cauſæ vniuerſalis ad effectum, ſiue impedimentum ſit natiuum, & intrinſecum, vt patet de oculo priuato proxima diſpoſitione ad videndum, ſeu ad ſpecies obiectorum recipiendas; ſiue ſit extrinſecum, v. g. cum deficit approximatio in ligno, vt gignatur ignis; ſterilitatis autem eſt impedimentum intrinſecum, & natiuum; ergo &c.

Confirmatur. Cauſa, vt impedita nequit reduci ad actum ſecundum per vires agentis naturalis; non habentis facultatem ad huiuſmodi impedimenta tollenda; at in B. Anna, & Ioachim non erat poteſtas ad tollendum impedimentum ad gignendam prolem; alioquin non commendaret Angelus Luc. c. 1. potentiam abſolutam Dei, nec illam exemplificaret in conceptu ex ſterili; tum quia nec vires naturæ in impedimentis intrinſecis, & natiuis poſſunt actiuitatem vllam habere; ergo naturaliter non poterant ad actum ſecundum generationis &c.

II. Concl. Conceptio paſsiua Deiparæ non fuit opus miraculoſum. Hæc videtur pariter communis, & colligitur ex Scoto in 3. d. 3. q. 2. vbi probat, quòd ſi Chriſtus eſſet conceptus purus homo, qualiter nunc ex Virgine Maria, non indiguiſſet Redemptore, quia miraculosè conceptus miraculo correſpondente ad effectum, ſeu prolem, nec redemptione ſubleuatiua, nec præſeruatiua indiget, cum non ſit per naturalem deſcendentiam ab Adamo; ſed Virgo indiguit Redemptore, & quidem nobiliori modo fuit præſeruata à peccato, ergo eius conceptio paſsiua non fuit opus miraculoſum. Prob. etiam. Quando in effectu non relucet aliquod excedens vires naturæ, productio paſsiua effectus non attribuitur miraculo, ſed in perfectione naturali B. V. in qua fuit concepta nil relucet excedens vires naturæ; ergo in hac nullum interuenit, miraculum, vt patet de viſione reſtituta cæco.

Arg. cont. 1. concl. Si actio in ordine ad conceptionem

B. Virg.

B. Virg. foret miraculoſa, maximè, vel per aliquod eleuans potentiam generatiuam, vel per influxum ſolius omnipotentiæ aſſumentis, vt inſtrumentum morale potentiam generatiuam. Non primum, quia nullum apparet fundamentum, non ſecundum, quia ſequeretur, relationem paternitatis non poſſe conuenire propriè Ioachim, & Annæ maternitatis; ergo &c. Reſp. Quòd fuit miraculoſa in radice, & in principio, quatenus in genere naturali non erant vires reſpectu generationis, & vt tolleretur tale impedimentum cauſæ ad talem actionem, ac proinde dici poteſt illa potentia non apta ad generationem ad eam eleuata, licèt in ſe actio productiua B. V. non fuerit miraculoſa.

Arg. cont. 2. concl. Quod orationibus impetratur non producitur ex naturali exigentia, ſed parentes Virginis orationibus eam impetrarunt, vt ex Patribus probant Cartag. Frances, & alij, ergo eius conceptio paſſiua fuit miraculum, çum Auctor naturæ applicuerit omnipotentiam ad donandum, quod orationibus petebatur.

Reſp. diſting. mai. quando cauſa perſeuerat impedita, & impotens proximè conc. mai. ſi non perſeuerat impedita; neg. mai. Quia poſita potentia apta, & proxima ad generationem generatio ſequitur naturalis prouenieus à principijs proximis naturalibus, etſi in radice conſiderata ſit opus miraculoſum, ſicut viſus productus à Cæcutiente, cui fuit reſtituta viſio, ſeu potentia proxima ad videndum, talis viſus dicendus eſt naturalis, & non miraculoſus &c.

QVÆSTIO II.

Vtrum B. Virgo in primo inſtanti ſuæ conceptionis contraxerit peccatum originale.

NOt. 1. Quòd conceptio alicuius hominis, ſeu mulieris naturaliter propagatæ tripliciter accipitur ex Baſſolio in 3. d. 3. q. 1. Vno modo pro commixtione ſeminum viri, & mulieris, quando incipiunt agere mutuò, & pati ad inuicem. Alio modo accipitur pro totali formatione, & proceſſu organizationis corporis vſquè ad animationem, vel Animæ infuſionem. Tertiò accipitur, & magis propriè pro animatione ipſa, & inſtanti illo infuſionis Animæ dicitur

fœ-

fœtus, & tunc eſt conceptio, quando eſt Anima. Itaquè conceptio Beatæ Virginis propriè, & formaliter eſt inſtans infuſionis Animæ in corpore organizato Deiparæ connotans productionem humanam; conceptio namquè humana eſt generatio hominis. Hinc deducitur declaratio, ſeu intellectio illius propoſitionis damnatæ à Sixto IV. in Bulla *incip. Sanè ſicut accepimus*; quæ eſt talis. *Dumtaxat conceptio ſpiritualis Deiparæ celebratur, quæ conceptio ſpiritualis eſt ſanctificatio Animæ Virginis*; colitur ergo ab Eccleſia aliud, quàm conceptio ſpiritualis, quæ eſt infuſio gratiæ, ſiue præſeruantis, ſiue expellentis peccatum; ait Frances in tom. de Concep. num. 77. & pergit ſic. Tunc rogo quid eſt illud aliud? Armamentarium Franciſcanum art. 2. num. 7. hæc habet. Sicut ergo cum Eccleſia celebrat Virginis natiuitatem, Præſentationem &c. ſatis conſtat celebrare myſterium aliquod, quod corporeæ actioni, vel paſſioni coniunctum eſt, quia id verba in ſua ſimplici, & recepta ſignificatione denotant; & ſi quis illas feſtiuitates interpretaretur de ſola natiuitate, præſentatione &c. ſpiritualibus &c. & mox concludit; ita corporea actio, quæ eſt illud aliud in conceptione, eſt infuſio Animæ; ſic num. 15. quaſi per concluſionem deducit Greg. XV. præcipiendo celebrari feſtum Conceptionis, naturalem intelligens; Cum primùm Anima eius (ideſt Virginis) infuſa fuit corpori.

Not. 2. Quòd ea, quæ ſpectant ad cognitionem peccati originalis tradita ſunt in diſp. de natura lapſa; Quarè hic tantum aduerto ex Scoto, & Baſſolio, quòd peccatum originale dupliciter conſiderari poteſt. Vno modo formaliter per carentiam iuſtitiæ debitæ ineſſe, qua Anima formaliter, & denominatione intrinſeca dicitur iuſta; alio modo radicaliter, & quaſi potentialiter, & dicitur tunc aliquid, quo poſito, fœtus poteſt tunc contrahere peccatum originale: Quicquid ſit illud primum non poteſt, nec eſt niſi in Anima; ſecundum verò ponitur ex parte corporis, ſicut in fœtu, vel propagatione naturali; vndè quæſtio præſens procedit de conceptione Virginis accipiendo conceptionem tertio modo: & accipiendo peccatum originale primo modo, certum eſt enim quòd ante infuſionem Ani-

mæ

mæ non potuit contrahere peccatum originale primo modo, ideſt actu, & formaliter acceptum, nam peccatum originale non eſt formaliter niſi in Anima, ſicut nec illa iuſtitia originalis correſpondenter.

Not. 3. Quòd de hac quæſtione fuerunt olim plures opiniones. Prima D. Thomæ, Alenſis, D. Bonauent. & ferè omnium antiquorum Scholaſticorum ante Scotum, qui tenuerunt, Virginem fuiſſe conceptam in peccato originali, & paulò poſt fuiſſe ſanctificatam. Verùm Alenſis mutauit ſententiam, & in defenſionem Immaculatæ Conceptionis librum compoſuit, D. Bonauent. pariter extra lib. 3. ſent. pluribus in locis docet, & prædicat Deiparam immunem ab omni peccato, etiam originali. Secunda fuit Herincx de Gandauo quol. 15. quæſt. 3. putantis, quòd Beata Virgo in eodem inſtanti fuit in peccato, & in gratia; ita tamen, quòd in priori ſigno naturæ fuit in peccato, & in ſecundo fuit in gratia, ſed hæc opinio niſi meliùs explicetur, implicantiam dicit, ac proinde ſubſiſtere non poteſt; ſit igitur.

Concl. B. Virgo Deipara non contraxit in conceptione peccatum originale, ſed ſpeciali Dei priuilegio præſeruata fuit per infuſionem gratiæ in Animam illius primo animationis inſtanti. Eſt ſententia Scoti, quam ipſe non inuenit, ſed paululùm antiquatam, & multorum grauium Doctorum preſſam reſtaurauit. Quam piam ſententiam deinde magno ſtudio, ac maxima pietate amplexati ſunt omnes Scriptores, & Doctores Ordinis Minorum, plurimi quoque Doctores graues Ordinis Prædicat. vt videre eſt apud Maced. t. 3. in hac quæſtione, & omnes aliæ Religiones. nempe Auguſtiniana, Carmelitana, præſertim Salmanticenſes, Benedictina; Societas Ieſu &c. omiſſis Doctoribus Secularibus, ſiue Theologalibus, ſiue Legalibus, qui vnà cum Religioſis recenſitis aſſerunt omnimodam Deiparæ puritatem.

Prob. noſtra pia ſententia ex Scoto in 3. diſt. 3. q. 1. Perfectiſſimus Mediator habet perfectiſſimum actum mediandi, ſed Chriſtus eſt perfectiſſimus mediator; igitur Chriſtus habet perfectiſſimum gradum mediandi poſſibilem reſpectu alicuius creaturæ, ſiue perſonæ, reſpectu cuius erat Media-

diator, ſed reſpectu nullius perſonæ habuit excellentiorem gradum, quàm reſpectu Mariæ, igitur &c. Sed hoc non eſſet niſi meruiſſet, eam præſeruari à peccato originali: quod probo tripliciter. Primò per comparationem ad Deum, cui reconciliat. Secundo per comparationem ad malum, à quo liberat. Tertio per comparationem ad obligationem perſonæ, quam reconciliat. Ad videndum primam probationem pono exemplum conſonum exemplo D. Anſel. Cur Deus homo lib. 2. cap. 16. Aliquis offendens Regem demereretur in tantùm, vt omni Filio naturali eius Rex offendatur, & offenſus exhæredet eum, iſta offenſa, ſtatuitur non remittenda niſi offeratur Regi ab alio innocente aliquod obſequium magis placans, & gratum, quàm peccatum fuerit offenſiuum. Aliquis offert obſequium ita gratum, quod reconciliet Filios, vt non exhæredentur, tamen cuilibet nato Rex offenditur, licèt poſtea remittat offenſam propter merita mediatoris: Sed ſi ille mediator poſſet ita perfectè placare Regem, vt præueniret reſpectu alicuius Filij iræ, nec ei offenderetur, hoc magis eſſet, quàm ſi Rex offenſam habitam contra talem remitteret, ſed hoc non eſt impoſſibile, cum hæc offenſa non ſit ex culpa propria, ſed ex alia contracta. Ex illo arg. ſic. Nullus ſummè, vel perfectiſſimè placat aliquem pro offenſa alicuius contrahenda, niſi poſſet præuenire, ne illi offendatur; nam ſi iam offenſum placat, vt remittat, non perfectiſſimè placat, ſed in propoſito Deus non offenditur Animæ propter motum interiorem in ipſo, ſed tantùm propter culpam in ipſa Anima. Igitur Chriſtus non perfectiſſimè placat Trinitatem pro culpa cotrahenda à Filijs Adæ, ſi non præueniat, vt alicui Trinitas non offendatur, & per conſequens quòd Anima alicuius Filij Adæ non habeat culpam talem.

Ex ſecunda via arguitur dupliciter. Primò quia perfectiſſimus mediator meretur amotionem omnis pœnæ ab eo, quem reconciliat; *ſed culpa originalis eſt maior pœna, quàm ipſa carentia viſionis diuinæ; ſicut declaratum fuit diſt. 36. lib. 2. ſent. quia peccatum eſt maxima pœna naturæ intellectualis inter omnes pœnas eius*; igitur ſi Chriſtus perfectiſſimè reconciliauit, iſtam pœnam grauiſſimam meruit ab aliquo auferri; Non niſi à Matre; igitur &c. Ex eadem via arg. ſecundò ſic. Chriſtus immediatiùs videtur fuiſſe Reparator, & reconciliator noſter

ſter à peccato originali, quàm ab actuali, quia neceſſitas Incarnationis, Paſſionis &c. aſſignatur communiter ex peccato originali. Sed ſupponitur communiter, quòd ipſe fuit ita perfectus mediator alicuius perſonæ, puta Mariæ, quòd eam præſeruauit ab omni peccato actuali; igitur ſimiliter à peccato originali: Adde, hoc idem definiuit *Trident. ſeſſ. 6. can. 23. nempe B. Virginem caruiſſe peccato actuali, etiam veniali, ex ſpeciali Dei priuilegio*, & ex D. Aug deducit Macedo, quòd qui non commiſit peccatum actuale, non contraxit originale; ſed B. Virgo non commiſit peccatum actuale ex Trid. ergo non contraxit originale.

Ex tertia via arguo ſic (pergit Scotus) Perſona reconciliata non ſummè obligatur mediatori, niſi ab ipſo ſummum bonum habeat, quod poteſt per Mediatorem haberi; Sed innocentia illa, ideſt præſeruatio à culpa contracta, vel contrahenda poteſt haberi per mediatorem; nullam enim includit implicantiam; ergo nulla perſona ſummè tenebitur Chriſto vt Mediatori, ſi nullam præſeruauit à peccato originali. Addo aliam probationem ex Baſſolio Scoti diſcipulo. Illud eſt tribuendum Matri Dei, quod eſt perfectionis, vel dignitatis in ea, & non derogat ſingulari priuilegio Filij ſui, qui nec contraxit actualiter, nec radicaliter, ſeu virtualiter, quia non fuit ſeminaliter ab Adam propagatus; ſed B. Virgo contraxit radicaliter, vel virtualiter; quia fuit ſeminata ab Adam ſecundùm legem concupiſcentiæ; ergo &c.

Ampliùs. Non ſtat cum dignitate Matris Dei, & Reginæ Cœli, & Angelorum, qui ſemper fuerunt immunes ab omni macula, eſſe aliquando ſub poteſtate Diaboli; quales ſunt, qui contrahunt peccatum originale; ergo talis non potuit eſſe B. Virgo Mater Dei, & Angelorum Regina; quomodo enim verè dici poſſet de B. Virgine illud Geneſ. 3. *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; ſemen tuum, & ſemen illius. Tu inſidiaberis calcaneo eius*; quæ vltima verba apertiùs continet rem Immaculatæ Conceptionis; vt eleganter expendit Macedo cum alijs plurimis; quia per calcaneum moliri inſidias, ſignificat tentare illam maculare per peccatum originale. Et ſi inimicitias poſuit; igitur fuit ſemper inimica Serpentis infernalis, & ſemper Amica Dei; ſed omiſſis plurimis alijs rationibus, & ſcripturis.

Prob.

Prob. auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ. Hæc ſiquidem celebrat ſolemniter feſtum Conceptionis B. Virginis; ergo ipſa Conceptio eſt ſancta, & immaculata; ſic enim ab omnibus admiſſa Sanctitas Natiuitatis B. Virginis infertur à Sanctis Bernardo, Thoma p. 3. q. 27. art. 1. Bonau. in 3. d. 3. p. 1. art. 1. q. 1. & alij conſonant; quia *Eccleſia non celebrat feſtum, niſi pro aliquo Sancto, ſeu quia ſtatuta vniuerſalis Eccleſiæ de Sanctorum feſtiuitatibus omnia ſunt fundata ſuper ſanctitate ideoquè Eccleſia non colit natiuitatem martyrum, ſed paſſionem, vt obſeruat inter alios D. Aug. ſer. 113. de S. Cypriano.*

Prob. 2. auctoritate eiuſdem Eccleſiæ, quæ determinatè celebrat Immaculatam Conceptionem; ergo ipſa verè eſt ſancta, & immaculata, quia ſi eſt ſancta, eſt immaculata, ſed vt ſancta colitur, ergo eſt immaculata.

Confirmatur in primis ex Bulla Xiſti IV. incip. *Cum præexcelſa de Reliq. & vener. Sanct. in qua approbat officium Leonardi de Nogarolis: quod incipit. Sicut lilium, iuſſu eiuſdem Pontificis ab eo compoſitum, pro vniuerſis Chriſti fidelibus, vi cuius inſtitutionis, vt notat Herincx, fuit olim Breuiario Romano inſertum & per integram ferè annorum centuriam in Eccleſia Romana recitatum, & vſque modò ex conceſſione Pontificum in Ordine Minorum recitatur; cuius inuitatorium incipit. Immaculatam Conceptionis V. Mariæ celebremus &c. Ad eius feſtum, & officij recitationem propoſitis indulgentijs, quas Vrbanus IV. & Martinus V. alijquè Romani Pontifices illis conceſſerunt, qui in feſto Corporis Chriſti, & per eius octauam diuinis intereſſent; inuitat.*

Nec refert, quòd B. Pius V. expunxit officium Leonardi ex Breuiario Romano; id equidem agendo non improbauit, quod probauerat Xiſtus IV. & Trid. confirmans Conſtit. Xiſti IV. quas etiam confirmauit B. Pius V. Bulla Super ſpecula. Itaq; B. Pius V. feſtum, & cultum Myſterijs Immaculatæ Conceptionis non ſuſtulit, ſed intactum reliquit, ſolùm officium mutando pro alijs; non autem pro Religioſis Franciſcanis, & in eius locum ſubſtituendo officium Natiuitatis, poſito nomine Conceptionis loco Natiuitatis. In quo etiam patenter per totam Eccleſiam canitur. *Sentiant omnes tuum iuuamen, quicumque celebrant tuam Sanctam Conceptionem*; qua mutatione videtur quodammodo Pontifex comparaſſe feſtum Conceptionis feſto Natiuitatis; ac proinde ex hoc magis probatur ſanctitas Conceptionis; vt notat Herincx.

rinex. Cæterùm; quod ſuſtulit B. Pius V. reſtituit toti Eccleſiæ Innoc. XI. & quidem ſolenniùs, & glorioſus, dum præcipit omnibus, nullis exceptis, qui ad officium diuinum recitandum tenentur, vt aliud proprium officium Sanctæ Conceptionis ſub ritu duplicis ſecundæ claſſis cum octaua recitare debeant.

Præterea. Sedes Apoſtolica erexit varias Confraternitates; immò & Religionem Monialium, ſub titulo, & in honorem Immaculatæ Conceptionis, quæ in ipſa forma profeſſionis exprimitur, & denique *Concilium Trid. ſeſſ. 5. in fine decreti de peccato originali; declarat non eſſe ſua intentionis comprehendere in hoc decreto Immaculatam Virginem; deinde confirmat, & innouat Conſtit. Xiſti IV. qua quantùm huic doctrina; pia ſententia faueant, clariſſimè patet.*

Arg. 1. contra conc. auctoritate S. Scrip. Ad Roman. 5. dicit Apoſt. *Omnes in Adam peccauerunt*; ſed hoc non poteſt intelligi, niſi de peccato originali, & 3. Virgo fuit de numero omnium, cum Scriptura loquatur generaliter. nec ipſam alicubi excipit Apoſt. ergo in Adam peccauit, quòd autem Scrip. generaliſſimè loquatur, & ſic intelligenda, conſtat ex Concil. Mileuit. cap. 2 vbi dicitur *De fide eſſe, quòd omnes deſcendentes ab Adam per ſeminalem propagationem, qualiter etiam deſcendit B. Virgo, contrahunt maculam peccati originalis. Idem decreuit Innoc. & Zoſimus Papa in ſuis Epiſt. & refert in Cap. firmiter de conſecrat. d.* 4. Confirmatur etiam plurimorum Sanctorum auctoritate, qui loquentes de contractione peccati originalis, loquuntur abſque vlla prorſus exceptione, & ſignanter Bernard. Baſil. Nazian. Ambroſ. Ireneus, Hilarius &c.

Reſp. ad auctoritatem Apoſt. & ad ſimiles S. Scrip. quòd omnes homines ab Adam contraxerunt virtualiter, & de ſe, niſi aliunde liberentur, & ita modo propagationis egent gratia Dei à peccato liberante, vel præſeruante, & ſic ſoluitur etiam quod habetur cap. 3 ad Rom. & pariter ſoluuntur omnes auctoritates Conciliorum, & Patrum; quam ſolutionem ſignanter D. Aug. comprobat dicens lib. de natura, & gratia: *Cum de peccatis agitur, nullam volò habere de Maria quæſtionem &c.* & D. Anſel. de conceptu virginali ait: *Nempe decebat, vt conceptio illius hominis de Matre puriſſima fieret, qua tanta puritate niteret, quæ nequit ſub Deo maior intelligi*; at ſi B. V. contraxit originale maior puritas potuit intelligi ſub

Chri-

Chriſto, quia ſi non contraxiſſet, purior fuiſſet, tum etiam quia maior puritas eſſet in Angelis bonis; ac proinde maior puritas ſub Deo.

Arg. 1. Si B. Virgo non contraxiſſet peccatum originale, non eſſet Chriſtus vniuerſalis Redemptor, hoc autem eſt contra S.Scrip. ergo &c. Reſp. Scot. neg. ſequelam, quia Maria maximè indiguiſſet Chriſto, vt redemptore; ipſa enim contraxiſſet originale peccatum ex ratione propagationis communis, niſi fuiſſet præſeruata per gratiam Mediatoris, & ſicut alij indiguerunt Chriſto, vt per eius meritum eis remitteretur peccatum iam contractum, ita illa magis indiguit Mediatore præueniente peccatum, ne eſſet ab ipſa aliquando contrahendum, & ne ipſa contraheret: Etſi arguas contra hoc, quia priùs naturaliter fuit filia Adæ, quia priùs fuit perſona, quàm habens gratiam; ergo in illo priori tenebatur ad iuſtitiam originalem, & non habuit eam, ergo in illo priori contraxit peccatum &c.

Reſp. Scot. conc. totum ant. ſed non ſequitur, ergo in illo priori inſtanti naturæ fuit priuata, quia ſecundùm illam primitatem naturæ animæ, ita naturaliter præceſſit priuationem iuſtitiæ, ſicut ipſam iuſtitiam, ſed tantùm poteſt hoc inferri, quòd in ratione naturæ, quæ eſt fundamentum filiationis Adæ, non includitur iuſtitia, nec eius carentia, quod concedo; vt patet de materia, cui infuiſſet priuatio, ſi in primo inſtanti non fuiſſet informata, non tamen ſequitur, materia prius natura intelligitur non habere formam; ergo in illo priori habuit formæ priuationem. Si dicas, quomodo eſt priùs natura quod eſt prius in eſſendo? Dico, quòd quando ordo naturæ eſt inter poſitiuum, ſicut inter ſubiectum, & accidens, materiam, & formam, quod eſt priùs natura poteſt eſſe priùs in eſſendo, ſed quando eſt tantùm inter oppoſita priuatiuè, prioritas per comparationem ad tertium non eſt niſi, quia hoc ineſſet, ſi aliud non impediret. Vel eſt prioritas in intellectu, quia ſcilicet iſtud priùs intelligitur vt priuatum.

Arg. 2. Non eſt probabile, quòd pœnæ inflictæ pro peccato fuerint in B. Virgine, & non fuerit in ea peccatum, non enim pœnæ in ea fuerunt aſſumptæ, ſicut in Chriſto; ergo &c. Si dicas, quòd relictæ ſunt in ea ad exercitium, & meritum.

Contra. Si talis reſponſio eſſet bona, quare in ſtatu Innocentiæ non fuerit congruum illas pœnas eſſe? ergo videtur, quòd B. Virgo cum fuerit propagata per communem, & ſeminalem propagationem, vt filia Adæ contraxerit etiam peccatum, ſicut contraxit pœnas. Reſp. Deus inflixit illas pœnas poſteritati Adæ, quia omnes virtualiter, & concupiſcibiliter contraxerunt, vel contraxiſſent quantùm eſt ex modo propagationis, & ſic modò in baptiſmo remittitur peccatum originale, non pœnæ conſequentes; ita potuit præſeruare aliquem, vt pœnæ inutiles auferantur. & non aliæ. Et cum arguis de ſtatu Innocentiæ, quòd debuiſſent ineſſe, hoc nil valet, quia in illo ſtat, nec formaliter, nec virtualiter contraxiſſent originale, modò B. Virgo quantùm ex ſe contraxiſſet formaliter, & contraxit virtualiter, niſi fuiſſet præſeruata.

Quæres. An Deipara contraxerit debitum incurrendi peccatum originale. Pro reſp. obſeruandum, quòd Doctor Subt. diſtinguit debitum contrahendi peccatum originale ab ipſa macula; quod noſter Franciſcus Caſtillus de Incarnat. diſp. 1. de iuſt. orig. q. 6. cum Salazario in terminis iuris vocat hoc debitum contrahendi culpam originalem, ciuile, quatenus pendet ex lege à Deo data. Naturale, prout interceſſit pactum inter Deum, & Adamum cum tota ſua poſteritate; ex quo fit, quòd vt poſteri contrahant debitum ſaltem pro priori ſigno naturæ debet concipi peccatum Adę actione conſummatum, & ſic formaliter continere omnium voluntates in Adamo de iuſtitia originali, vel conſeruanda, vel perdenda, non eſt formaliter debitum contrahendi originale; cum ad debitum neceſſe ſit, delictum præcedere, v. g. lex ciuilis ſtatuit exilium furanti. Petrus eſt latro, in inſtanti temporis, quo conſummat actum furandi incurrit debitum patiendi exilium; ſed quia debitum dependet à delicto, eſt prioritas dependentiæ, nempe prioritatis naturæ, taliter, quòd pro priori naturæ ſit delictum, & pro poſteriori debitum, ita in propoſito de peccato Adæ. Verùm ſicut in iure ciuili priuilegium Principis poteſt eximere aliquem, vt non incurrat debitũ exilij, etiamſi furetur; ita potuit Deus per ſpeciale priuilegium eximere aliquem, vt ex peccato Adæ tale debitum non incurreret, etiamſi per naturalem, & communem generationem, & pro-

paga-

pagationem ab eo accipiat eſſe: quare ſi Deus decerneret efficaciter futuram exiſtentiam Petri, quin modum exiſtendi decerneret, & poſt delictum decreto efficaci determinaret modum exiſtendi Petri futurum per communem, & naturalem generationem, dummodo Petrus non eximeretur priuilegio; tunc pro inſtanti, quo decernitur modus exiſtendi incurreret debitum contrahendi delictum. Vndè debitum ſic definiri poteſt. *Eſt quadam obligatio contrahendi carentiam iuſtitiæ ab Adamo peccatore, quatenus Adam non ſolùm perdidit ſibi, ſed toti poſteritati iuſtitiam originalem.* Macula autem ſic. *Eſt ſolutio illius debiti, & conſiſtit in ipſa formali carentia iuſtitiæ originalis in eſſe quidem moris, non in eſſe phyſico*; quia ſic in Angelis talis carentia conſtituerit peccatum, cum ea phyſicè careant. Inſuper diſtinguitur *debitum in proximum, & remotum: Proximum conſiſtit in hoc, quòd ei ſubiectus contineatur lege generali transfuſionis peccati; ideoquè habere Adam pro Capite. Remotum conſiſtit in eo, quòd quis de facto quidem non ſit comprehenſus lege peccati; ſit tamen ad id ex modo communi generationis obnoxius, niſi ſpeciali priuilegio fuiſſet exceptus.*

Igitur his prænotatis reſp. quòd Scotiſtæ non ſatis inter ſe conueniunt circa reſolutionem præſentis quæſtionis; nam antiquiores Doctores, vt Baſſolius in 3.d. 3.q. manifeſtè aſſerit, B. Virginem contraxiſſe debitum incurrendi labem originalem; Aretinus in 3.d. 3. q. 1.art. 1. tenet pariter eandem ſententiam; immò aſſerit, non ſolum id eſſe verum, ſed neceſſariò tenendum. At negant Recentiores Scotiſtæ cum Galatino, Cornelio Muſſo, Viro, inquit Herincx tam ſpectatæ in Tridentino auctoritatis, vt, teſte Poſſeuino in apparatu ſacro, ei à toto Concilio commiſſa fuerit Decretorum compilatio, Ambroſio Catherino. Quænam autem ſit mens Scoti non ita facilè deprehendi poteſt; vnaquæquè pars conatur trahere Scotum in ſuam ſententiam. Nihilominus ex doctrina tradita in proxima quæſtione non obſcurè deducitur Scot. àdmiſiſſe debiti contractionem; idquè videtur magìs conforme S. Scripturæ, & Patribus.

QVÆSTIO III.

Vtrum B. Virgo fuerit verè, & naturaliter Mater Chriſti.

NOt. 1. Quòd Doctores catholici vnanimi conſenſu fatentur iuxta fidem Immaculatam Virginem fuiſſe veram, & naturalem Matrem Chriſti, ſed diſſident primò; An fœmina in generatione ſe habeat paſſiuè tantùm, nempe ſubminiſtrando materiam, & fouendo conceptum, vel etiam actiuè tamquàm cauſa partialis; de qua difficultate extant duæ opiniones. Altera eſt Thomiſtarum cum D. Thom. p. 3. q. 35. art. 5. qui exiſtimant, Matrem nil agere in conceptione, ſed ſe habere vt potentiam paſſiuam tantùm, iuxta ſententiam Ariſt. lib. 15. de Animalibus cap. 25. Altera eſt Scotiſtarum cum Scoto aſſerentium; tam Patrem, quàm Matrem habere rationem principij in generatione hominis; & idem dicendum de B. Virgine. Secundò diſſident, quomodo B. Virgo in virtute Spiritus S. conceperit; Etenim D. Bonau. in 3. art. 3. q. 3. docet, Mariam præuentam eſſe à Spiritu S. ſicut Virga Aaron, quæ potuit floruiſſe, & fronduiſſe per naturam. Varro putat, quòd virtuti naturali B. Virginis fuit colligata virtus ſupernaturalis alia, vndè potuit coagere Spiritui S. Quid autem ſentiat Doctor infra per concluſiones aperietur.

Not. 2. quòd hæretici Neſtoriani negabant, B. Virginem eſſe veram Matrem Chriſti, Dei & hominis, vtquè ſuam hæreſim velarent, dicebant Mariam Virginem Chriſtotocon, & non Theotocon, hoc eſt ſolùm eſt Mater quantùm ad humanitatem, & nullo modo Dei; vt ſignificarent vna cum Neſtorio, priùs, ac ſeparatim formatum in vtero Virginis fuiſſe hominem; deinde aſſumptum eſſe à Verbo in eiuſdem dignitatis, ac nominis communionem; ſicquè ea ratione admittebant, Virginem eſſe Dei genitricem, quòd genuiſſet eum, qui ad Societatem, & conſortium Dei eleuatus eſt, vt eleganter exemplificat S. Vincentius Lirinenſis. *Sicut dicimus Presbyteri Matrem, aut Epiſcopi, non iam Presbyterum, aut Epiſcopum pariendo, ſed eum generando hominem, qui poſtea Presbyter, vel Epiſcopus factus eſt.*

1. Concl. Matres omnes, ac proinde etiam Immaculata Vir-

Virgo in generatione habent rationem principij actiui, etſi partialis, & minùs principalis. Eſt Scoti in 3. d. 4. q. 1. & citat pro ſe Galenum in lib. de ſpermate, Auicennam, & fuit etiam ſententia Hypocratis de formatione fœtus. Prob. Nam formæ eiuſdem ſpeciei habent potentias eiuſdem rationis ex Ariſt. 10. metaph. cui videtur conſonare D. Damaſ. ergo ſi potentia vegetatiua eſt actiua in mare, eſt etiam actiua in fœmina,

Dices. Verum eſt, quòd aliqua potentia vegetatiua eſt actiua, puta nutritiua, non autem generatiua.

Contra arguit Scot. Vegetatiua ex 2. de Anima quantùm ad omnes partes eſt actiua, nec videtur rationabile, quòd potentia eiuſdem rationis ſit in vno ſuppoſito actiua, in alio paſſiua, quia iſta variant ſpeciem, ergo &c. Item arguitur à ſigno. Proles aſſimilatur Matri, ergo Mater habet rationem actiui; quia agens eſt, quod aſſimilat ſibi effectum, & non paſſum. Nec valet reſpondere, quòd Pater quantùm eſt ex ſe aſſimilat ſibi; ſed quando non poteſt propter inobedientiam, vel impotentiam agentis tunc producit contrarium; nihil valet, inquam, quia licèt aliud agens producat contrarium calidum, tamen nunquam producit frigidum, nec vniuerſaliter agens ſuum contrarium. Adde ex Ariſt. 8. Eth. quòd parentes magìs diligunt prolem, quàm è contra; quia vnumquodquè diligit ſuum opus. Item 9. Eth. Benefacientes plùs diligunt, quibus benefaciunt, quàm è contra, ſed Matres plùs diligunt proles, quàm Patres ex eodem Philoſ. lib. 8. Ethicorum; ergo &c.

Prob. vltimò experientia, & ex abſurdis. Si Mater non ageret, eſſet ſolùm ſicut vas reſpectu generationis, & per conſequens mulier poſſet dici mater Bufonis, inquit Scot. vel alterius vermis, ſicut dicebantur mulieres Samaritanæ, de quo vide Delrium de diſquiſitione magica lib. 1. cap. 3.

II. Concl. B. Virgo, ſiue formatio corporis Chriſti fuerit facta in tempore præuijs actionibus, quales ſunt translatio ſanguinis ad locum generationis, alteratio, & condenſatio, ſiue in inſtanti, habuit ſua virtute actiua verum influxum in ipſam corporis formationem, eleuata tamen à virtute Spiritus Sancti. Eſt Scoti, & Scotiſtarum, necnon plurimorum extra noſtram Scholam, videtur tamen eſſe contra D. Bonau. & Guillelmum Varronem. Prob. ex Sco-

to. Non poſſet cauſa actiua impediri ab actione ſua, niſi tripliciter; aut quia non habet in ſe virtutem actiuam, aut quia licèt habeat, non tamen poteſt agere; aut quia præueniretur à virtute fortiori, ſed nullum iſtorum impedimentorum fuit in Virgine glorioſa, quia potuit agere; ipſa enim non fuit ſterilis, vt patet per effectum, ergo ſi aliæ Matres habent virtutem actiuam, ipſa habuit. Nequè hoc impedimentum fuit, quòd aliqua ſunt media inferiori agenti, quæ non ſunt media ſuperiori agenti; quia agens ſuperius præfixit talem ordinem agenti inferiori, nec ipſa, agente cauſa ſuperiori, ſubeſt tali ordini, adeò vt nequeat in inſtanti præſtare ſuum influxum actiuum; ergo agente Spiritu S. non ſunt iſta neceſſaria media, quæ ſunt media creaturæ agentis.

Dices. Non ſunt media Spiritui S. ſunt tamen media B. Virgini. Sed contra. Agens, quod tranſit per omnia media, in vltimo inſtanti agit, non per actionem illam, quam habuit circa media, quia tunc non eſt; igitur ſi illa media non requirantur per virtutem Spiritus S. poteſt eadem eſſe actio in vltimo termino agentis creati, quæ fuiſſet ſi tranſiſſet per omnia media; igitur in inſtanti conceptionis æqualiter poteſt mater agere ad generationem, ſicut ſi egiſſet præuiè per omnia media.

Nequè poteſt tertium impedimentum adeſſe, nempe quòd cauſa actiua præuenta ſit à cauſa fortiori, quia Spiritus S. agit liberè, ergo poteſt ſupplere actionem Patris tantùm, & Matris quantùm ad actionem præuiam, & ſibi dimittere actionem ſuam in vltimo inſtanti. Vndè formatur ſic ratio à Doctore. Suppoſitum habens virtutem actiuam, qua poteſt agere non præuenta à cauſa fortiori, poteſt in effectum ſuum: ſed B. Virgo habet virtutem actiuam, ſicut aliæ mulieres habent, non præuenta à cauſa fortiori, ergo poteſt in ſuum effectum in inſtanti generationis producere. Confirm. ex Damaſc. cap. 46. vbi dicit, quòd *Spiritus S. erat purgans, & tribuens vim conceptiuam, & generatiuam, hoc eſt, Verbi conceptiuam, & generatiuam tribuit, quantùm ad potentiam propinquam;* Quia in cauſis per ſe ordinatis, cauſa inferior non eſt in potentia proxima, niſi poſita actione cauſæ ſuperioris priùs natura, ergo Spiritus S. hìc ſupplens actionem Patris priùs natura ſic tribuit potentiam generatiuam

Ma-

Matri, non potentiam naturalem, ſed propinquam, quam habuiſſet, ſi concurriſſet cum Patre; ita quòd potentiam generatiuam tribuit Matri, hoc eſt, potentiam propinquam, quam requirit cauſa inferior, ad hoc quòd immediatè agat per hoc, quòd cauſa ſuperior ponitur in eſſe.

Hinc reijcitur opinio D. Bonau. Quia ex ea ſequeretur quòd B. Virgo non fuiſſet verè Mater, quia ſi ignis poſſet verè calefacere, eſtò quòd præueniatur à ſuperiori cauſa cauſante calorem, ignis non eſt cauſa caloris. Sicut de virga illa manifeſtum eſt, quòd ſi fuit præuenta, ipſa non cauſabit flores. Illud igitur opus magis eſſet tribuendum cauſæ ſuperiori, quàm Virgæ: ita Scot. qui pariter reijcit opinionem Varonis hac ratione. Iſta virtus ſupernaturalis, quæ ponitur in ſententia Varonis, aut fuit gradus intenſior formæ, aut aliquod accidens. Si primo modo, B. Virgo fuiſſet pluſquàm Mater, quia Matres communes non habent talem gradum, & per conſequens æquiuocè fuiſſet Mater cum alijs. Si ſecundo modo.

Contra, quia illud ſupernaturale eſt accidens impreſſum, & per hoc non poteſt coagere ad formam ſubſtantialem.

Prob. hoc. Inconueniens eſt, quòd Mater per aliquod accidens poſſet in aliquod perfectius, quàm in illud, in quod poteſt formam ſubſtantialem. Similiter ſi eſſet accidens reciperetur in alio, & cum ſit accidens ſupernaturale, non videtur, quòd poſſit recipi niſi in voluntate, vel intellectu, & nullum tale eſt ſufficienter actiuum reſpectu ſubſtantiæ, ergo &c.

III. Concl. Immaculata Virgo eſt verè, & propriè Mater Chriſti, ac proinde verè dicenda eſt Deipara. Hæc eſt de fide definita in pluribus Concilijs, maximè vero in Epheſino, in quo contra Neſtorium B. Virgo eſt Theotocos, hoc eſt, Dei genitrix eſt proclamata: & patet expreſsè ex S. Scrip. vt Lucæ c. 1. *Ecce concipies, & paries Filium*, & c. 2. *Impleta ſunt omnia*, & Gabriel Angelus Mariæ ait. *Quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dei*, & ibidem B. Eliſabeth ad Mariæ viſitationem exclamauit. *Vnde hoc mihi, vt veniat Mater Domini mei ad me?* Dominus autem noſter eſt Deus; ergo &c. Eandem veritatem fatentur, & comprobant omnes Sancti Patres, ac Theologi Scholaſtici.

Nec latrent Neſtoriani dicentes; B. Virginem non eſſe dicen-

dicendam Dei Matrem; quia Deum, ſeu Diuinitatem non genuit, ſed hominem dumtaxat. Quod confirmare nituntur exemplo. Quemadmodum mulier corpus quidem gignit, Deus autem Animam infundit, neque poteſt dici mulier Animæ genitrix, quòd animatum genuerit; ſed potiùs dicenda eſt hominis genitrix; ita B. Virgo, etſi hominem peperit; non propterea Dei genitrix appellanda venit. Quia Reſp. quòd B. Virgo dicenda eſt Dei genitrix, non ex eo quòd genuerit Diuinitatem, quæ eſt ingenerabilis; ſed quia generando hominem indiuiduum, eo ipſo quòd talis humanitas ſingularis eſt genita, terminata eſt ad D. ſuppoſitum, & non ad ſuppoſitum proprium: Sicut in exemplo allato dicebatur; licèt namque Mater non generet, ſeu producat Animam rationalem; attamen quia generat corpus perfectè organizatum, ad cuius poſitionem tamquam ad vltimam, ac præuiam diſpoſitionem ſequi debet animatio; ideò qua dicitur generare hominem, etſi Animam non generet, ita B. Virgo, etiamſi non genuerit Deitatem, non minùs tamen dicenda eſt Dei genitrix; eò quia genuit illum hominem, qui non priùs homo, quàm Deus extitit, hoc eſt, cuius Anima, & corpus non priùs in rerum natura fuerint, quàm inter ſe coniuncta; atque cum Verbo hypoſtaticè vnita, ac proindè reuerà B. Virgo dicenda eſt Deipara; non ſecùs ac mulier dicitur Mater e.g. Franciſci, etſi eius Animam nequaquam genuerit; It quò ipſa natura humana, vt perſonata, & ſubſiſtens Verbi D. ſubſiſtentia fuit terminus totalis, & adæquatus fœcunditatis, & Conceptionis B. Virginis Dei genitricis.

Arg. cont. primam concl. Ariſt. lib. 15. de Animalibus cap. 25. & 26. dicit, quòd Mater nihil agit in conceptione, ſed ſe habet vt potentia paſſiua tantùm. Reſp. Scot. Quòd iſta materia magìs pertinet ad Medicum, quàm ad naturalem in particulari. Et ideò ſi Philoſophus velit plus, ſi Galenus habeat experimentum pro ſe in iſtis particularibus, credendum eſt magìs expertis, quàm Philoſopho.

Arg. 2. Si fæmella eſſet principium actiuum; ergo poſſet generare ex ſe ſine mare; ſicut ſi viſus eſſet actiuus per ſe, poſſet vbiquè agere ſine obiecto; teſte Ariſt. lib. 2. de Anima. Reſp. neg. ſequelam cum Scoto, quia tam Mater, quàm Pater habet rationem principij actiui, & agens inferius præſuppo-

ſupponit ſuperius agens, ſaltem natura; cum neutrum ſit agens totale,

Arg. 3. Duo agentia vniuoca non ſunt neceſſariò requiſita ad eundem effectum, ſed fæmella, & mas ſunt duo agentia vniuoca, ſi fæmella ſit actiua, & concurrat ex eadem parte; ergo &c. maior patet, quia in vno ordine cauſandi virtus actiua poteſt eſſe in vno ſuppoſito: non enim eſt ordo per ſe ſecundùm perfectius, & imperfectius inter ſuppoſita eiuſdem ſpeciei. Reſp. diſting. mai. Si illa duo agentia &c. ſint partialia, & ſubordinata, tamquam perfectius, & imperfectius; neg. mai. Si ſint totalia, & non ſubordinata; conc. mai. Iam modo illa duo agentia vniuoca, nempe duo indiuidua eiuſdem ſpeciei ſunt partialia, & ſubordinata; immò, etſi quoad ſpeciem ſint vniuoca, non ſunt tamen eiuſdem rationis in modo agendi; aliter namque agit mulier, aliter mas: vide Scot. in ſolutione &c.

Arg. 4. Omnes Matres miniſtrant materiam; ergo in inſtanti generationis forma menſtrui corrumpitur, & per conſequens menſtruum non eſt actiuum in inſtanti generationis prolis, quia tunc ſimul eſſet, & non eſſet; ſed B. Virgo ſe habuit tantùm in ratione principij paſſiui miniſtrando materiam; nam ex Damaſ. cap. 48. *Corpus Chriſti formabatur ex puriſſimis ſanguinibus Virginis*, ergo &c. Adde, quòd iuxta D. Aug. 10. ſuper Gen. *iſta productio non fuit ſecundùm rationes ſeminales*; ergo oportet, quòd paſſiuè tantùm ſe habeat.

Reſp. neg. ant. ſi intelligatur de materia ſola, adeò vt non ſit etiam actiua, & conc. conſ. nempe menſtruum in inſtanti generationis non agit, quia in illo inſtanti corrumpitur forma eius: Nam ſolùm eſt principium alterationis præuiæ, ſed non eſt principium generationis ſubſtantiæ per aliquam virtutem in eo; neque virtus Patris tunc agit; eſtò quòd maneat tunc in ſemine, quia imperfectior eſt, quàm ſit forma geniti. Et ſecundùm hanc viam, inquit Scotus, poteſt ſuſtineri, quòd mater poteſt veriùs dici agere in inſtanti generationis per virtutem inexiſtentem in matre ſecundùm ſe, non in menſtruo. Ad Damaſ. dicitur, quòd non excluditur ratio principij actiui ex eo, quòd præſtet materiam, & ad D. Aug. quòd vult ſignificare, non eſſe conceptum per rationem ſeminalem humanitatem Chriſti, ſicut concipiuntur per communem propagationem homines.

Arg. cont. 2. concl. Damaſ. cap. 57. dicit *B. Virginem non eſſe veram Matrem Chriſti, & genitricem*; ergo &c. Reſp. ex Scoto, quòd Damaſ. diſputabat contra Neſtorium aſſerentem, Matrem Chriſti eſſe Chriſtotocos, & non Theotocos; quo vocabulo ſuam hæreſim velare ſtudebat; vt paulò ſuperiùs explicatum eſt.

Arg. 2. Contraria non poſſunt ineſſe ſimul eidem per potentiam diuinam, nec etiam priuatiuè oppoſita; ſed Virgo, & Mater ſunt priuatiuè oppoſita, vel contraria, quia ſi eſt Mater non eſt à viro intacta, naturaliter loquendo. Inſuper. Contradictio eſt ponere vnum relatiuum ſine correlatiuo; igitur eius non eſt Mater, cuius non eſt Pater, quia Pater, & Mater ſunt relatiuè oppoſita; quia ſe habent, vt actiuum, & paſſiuum 15. de Animal. ſed paſſiuum, & actiuum ſunt relatiua mutua ex 5. metaph. ergo ſi Chriſtus ſecundùm humanitatem non habuit Patrem, nec habuit Matrem. Reſp. ex Scot. quòd Virgo, & Mater non opponuntur aliqua oppoſitione formali, nec vt priuatiua, nec vt contraria; Virginitas enim priuat tantùm actionem cauſæ ſuperioris naturalis, non autem virtutem actiuam Matris; Maternitas autem non neceſſariò ponit actionem illius cauſæ ſuperioris, ſed tantùm illam communiter concomitatur illa actio. Sed ſi cauſa ſupernaturalis ſuppleat actionem totam cauſæ naturalis, poteſt eſſe maternitas ſecundùm ſuam rationem. Ad aliud reſpondet, quòd actiuum, & paſſiuum in communi neceſſariò ad inuicem referuntur, non tamen hoc actiuum, & hoc paſſiuum, quia aliud actiuum vices huius actiui ſupplere poteſt; ita in propoſito. Pater dicit tale actiuum ſpeciale, & eius actio ſuppletur à virtute Spiritus Sancti.

Quæres 1. An B. Virgo reuerà dici poſſit Mater naturalis Chriſti. Reſp. ex Scoto in 3. d. 4. §. ad ſecundam quæſt. quòd effectum produci naturaliter poteſt intelligi dupliciter, vel quia ex parte principij actiui eſt naturalitas, vel quia ex parte modi. Propriè tamen loquendo non dicitur effectus produci naturaliter, quando tale agens non habet modum agendi conuenientem tali agenti, quia hoc aduerbium naturaliter eſt determinatio verbi, & ideò propriè determinat modum agendi; Ideò magis propriè Chriſtus dicitur Filius naturalis ex parte principij actiui tantùm, quàm

ex

ex parte modi agendi, quia modus ille agendi non compe- tebat naturaliter Mariæ, & ideò non propriè dicitur, Mariam genuiſſe naturaliter quantùm ad modum.

Quæres 2. An Deipara fuerit ſanctificata; idquè ſit de fide credendum. Reſp. ſi loquamur de ſanctificatione conſecuta in primo inſtanti animationis, vt hodiè tenent omnes, & colit Eccleſia, iam dictum eſt ſupra, talem ſanctificationem non eſſe de fide. At ſi loquamur de ſanctificatione Deiparæ facta à Spiritu S. poſt aliquod inſtans, vel tempus in vtero, omnes Doctores, ac ipſa Eccleſia habet pro indubitato, B. Virginem fuiſſe in vtero ſanctificatam; ac proinde eſſe in ſanctitate natam; quo ſenſu eius ſanctam Natiuitatem ab antiquo coluit Eccleſia catholica, & iure quidem merito; nam ſi tale priuilegium ſanctificationis in vtero conceſſum eſt Iohanni Baptiſtæ, & Ieremiæ, vt vnanimi conſenſu tradunt Patres, & Theologi omnes; certè incredibile apparet, fuiſſe Deiparæ negatum.

Cæterùm diſputatur, an Deipara ſe diſpoſuerit per proprium actum ad gratiam ſanctificationis. D. Bernardinus, quem plures ſequuntur affirmat. Siquidem congruentiùs videtur habere, ſeu recipere ſanctificationem per propriam, & præuiam diſpoſitionem, quàm ſine tali diſpoſitione; de qua tamen me remitto ad ea, quæ in p. 2. dicta ſunt de Angelis, & Adamo, in quibus alij admittunt huiuſmodi diſpoſitionem, alij negant.

Quæres 3. An in tali ſanctificatione infuſa ſint Deiparæ omnes virtutes; atque dona ſupernaturalia.

Reſp. ex communi affirmatiuè. Etenim Doctores tradunt, fuiſſe Deiparæ collatam ſingularem quandam gratiæ plenitudinem. Immò Recentiores præſertim aſſerunt, indita ei fuiſſe ſcientiam infuſam, qualem Theologi admittunt in Adamo innocente, & in Angelis. Hinc conſequenter inferunt, à primo inſtanti conceptionis habuiſſe perfectum vſum rationis, & proinde in eo primo inſtanti meruiſſe; immò etiam dormiens meruiſſe; nam eo ipſo, quòd quis in intelligendo non neceſſariò à phantaſmatibus dependet, poteſt etiam in ſomnis ratione vti.

Quæres 4. An gratia Deiparæ fuerit conſummata, & in gratia fuerit confirmata.

Reſp. docent communiter Doctores, gratiam B. Virginis

In prima ſanctificatione collatam non fuiſſe totam, & conſummatam, ſed in ea per bonos, & heroicos actus jugiter creuiſſe vſquè ad conceptionem filij ſui, in qua quidem conceptione docent omnes Scholaſtici cum Sanctis Damaſ. Bernardo, Bernardino, Thoma, & Bonauent. ex ſingulari priuilegio acceſſiſſe ingentem cumulum gratiæ; ideoquè dici ſolet ſanctificatio ſecunda. Verùm, etſi hæc à nonnullis quodam loquendi modo appelletur conſummata, ſatìs tamen explicatur à Doctoribus, non fuiſſe ita conſummatam, quin deinceps B. Virgo veluti viatrix in ea iugiter vſquè ad mortem creuerit per actus meritorios, aut etiam per Sacramenta, quorum erat capax, puta Baptiſmi, & Eucharıſtiæ, de extrema vnctione dubium eſt apud Doctores. Itaquè Deipara meritorum, & gratiæ augmentis ad illam demum ſanctitatis ſublimitatem peruenit, vt ſaltem in fine vitæ excelluerit omnes Sanctos homines, & Angelos, etiam Seraphinos, iuxta indubitatam omnium Catholicorum fidem; adeòquè canit Eccleſia in eius aſſumptione: *Exaltata eſt S. Dei genitrix ſuper choros Angelorum.*

Similiter fuit B. Virgo in prima ſanctificatione confirmata in gratia taliter, vt per totam vitam nunquàm peccauerit peccato actuali, ſiue mortali, ſiue veniali, prout definitur à Trident. ſeſſ. 6. can. 23. vbi habetur, quòd de B. Virgine vniuerſalis tenet Eccleſia, quòd ex priuilegio ſpeciali omnia peccata etiam venialia in tota vita ſua omninò vitauit. An verò B. Virgo habuerit iuſtitiam originalem controuertitur à Doctoribus, nam plures Recentiores aſſerunt, communis tamen ſententia, quæ etiam eſt Scoti, vt liquidò patet in 3. d. 3. q. cit. negat; vndè, vt notat Herincx videtur quæſtio potiùs de nomine, quàm de re, ſi rectè examinetur.

Quæres 5. An ſit de fide B. Virginem permanſiſſe Virginem ante partum, in partu, & poſt partum.

Reſp. affirmatiuè. Conſtans ſiquidem eſt ſententia ex perpetua traditione Eccleſiæ, quæ ſemper ita firmiter credidit, vt oppoſitum ſentientes tamquàm hæreticos damnauerit, & B. Mariæ perpetua virginitas expreſsè de fide definitur à Martino I. in Concil. Lateranenſi, & Eccleſia ſimpliciter, & abſolutè in Symbolo Apoſtolorum confitetur, ac in precibus ab Eccleſiæ fidelibus prædicatur, & aſſeritur

B. Ma-

B. Maria ſemper Virgo. Quæ quidem catholica doctrina de Virginitate, ſeu integritate corporali intelligenda eſt, prout de oppoſita violatione agunt hæretici, ſignanter Cerinthiani, & Ebionitæ; qui dixerunt, Chriſtum more ordinario ex Ioſeph genitum, ac proindè Deiparam non fuiſſe Virginem in concipiendo, & Caluiniſtæ aſſerunt, Deiparam in pariendo eſſe corruptam, & Antidicomariani, Mariam non permanſiſſe Virginem poſt partum, ſed poſt Chriſtum natum alios ex Ioſeph liberos, Fratres Chriſti dictos, genuiſſe. Cæterùm de virginitatis mentis Deiparæ res eſt prorſus indubitata; quia ſicut nullam violationẽ paſſa fuit, ſic nec vllam admittere, vel pati vnquàm deſiderauerit, & inſuper Virginitatem ſuam Domino conſeruauit per votum, vt communiter etiam Patres tradunt, & Scholaſtici; quicquid impudenter dicant Bucenus, & Petrus martyr hæretici adſcribentes Deiparæ etiam poſitiuum propoſitum dandi operam liberorum generationi.

Quæres 6. An ſit de fide, Deiparam aſſumptam fuiſſe in Cœlum in anima, & corpore.

Reſp. Quòd aliqua dicuntur eſſe de fide, adeò vt ſint neceſſariò credenda. Aliqua ſunt de fidei pietate; ita tamen, quòd ſine peccato temeritatis, & erroris oppoſitum teneri, aut etiam ſine ſcandalo prædicari non poteſt, ſed neque ſine punitione eccleſiaſtica oppoſitum dogmatizaretur; quo ſenſu aſſumptio glorioſæ Virginis anima, & corpore in Cœlum ita ab omnibus fidelibus de fidei pietate creditur, quòd oppoſitum eſt error temerarius, præſumptuoſus, & ſcandaloſus; dignuſquè punitione; quia contra omnem ſenſum Doctorum, & Eccleſiæ, licèt non ſit hæreticum; vt tradit Corduba in quæſtionario cum Cano, & Soto. Immò addit idem Corduba ex Catharino in tract. Concept. Immaculatæ Virginis, ſapiens hæreſis eſt, quatenus eſt contra tacitam ſententiam Eccleſiæ catholicæ, ipſam aſſumptionem corpore, & Anima celebrantis, idquè in ea celebratione intendentis. Et fortè etiam cenſendum eſſet hæreticum per hanc eandem rationem; maximè quia ſic eam aſſumptionem celebrat Eccleſia tota catholica, & iam Doctores omnes ita conſentiunt, vt neminem permittat, oppoſitum impunè dicere, & opinari. Vndè videtur, hæc, ſicut & alia multa olim dubia in exordio naſcentis Eccleſiæ, iam

tem-

temporis diuturnitate occulta quadam Spiritus S. reuelatione, aut inſpiratione communi omnium fidelium animis infixa per Eccleſiam in culto diuino, vt certum de fide approbari, ac teneri. Ita diſcurrit noſter Sapientiſſimus Corduba; qui ſubdit, aliqua inſuper eſſe de fidei pietate, ita quòd ſine vllo peccato erroris, & ſine punitione oppoſitum crederetur, & exemplificat de Immaculata Deiparæ Conceptione, quæ ita creditur de fidei pietate, quòd oppoſitum tenens nullo erroris peccato notatur ab Eccleſia; etſi oppoſitum non liceat dicere, vel prædicare, vel docere ſine punitione Eccleſiaſtica, vt habetur in Pontificijs Conſtitutionibus; maximè hodiernis temporibus, cum Eccleſia vniuerſalis celebret, & colat Immaculatę Conceptionis Feſtum &c.

DIS-

DISPVTATIO X.

De Adoratione.

QVÆSTIO I.

Vtrum vnica adoratione ſit adoranda Diuinitas Chriſti, & eius humanitas.

NOt. 1. Quòd adoro iuxta etymon, idem ſonat, ac plenè oro; nam ly ad, additum oro, indicat plenam adorationem; quia verò ſolus Deus poteſt plenè noſtris votis adeſſe, ideoquè Deus primariè, & abſolutè adoratur, Sancti autem participatiuè, & dependenter: Adoratio ſecundùm rem generatim ſumpta ſic à Theologis definiri ſolet. *Eſt exhibitio reuerentiæ, vel propter bonitatem, vel propter dominium, vel excellentiam, ratione cuius vnus alteri ſe ſubmittit in teſtimonium talis bonitatis, excellentiæ &c.* quoniam verò bonitas, dominium, excellentia perſonæ intellectualis poteſt eſſe temporale, ſeu politicum, & ſupernaturale, ac diuinum abſolutè, vel participatiuè, hinc eſt, quòd cultus, ſeu adoratio (hæc enim ſunt ſynonyma; licèt in rigore colere, vt notat Aurelianenſis lib. de cultu imaginum neceſſariò præſeferat actum internum; non ſic adoratio; nam poteſt quis etiam inuitus adorationem externam facere) alius eſt cultus ciuilis, quo quis adorat Regem, Principem ob naturalem, & politicam excellentiam: alius eſt cultus ſacer, eſtquè teſtimonium ſupernaturalis excellentiæ alienæ, & propriæ ſubmiſſionis ad eam, & hæc diſtinguitur in latriam, hyperduliam, & duliam, velut in tres ſpecies adorationis. *Latria eſt actus externus Religionis ſoli Deo tamquam ſupremo domino debitus*, vt dictũ eſt in tract. de Religione virtute; *dulia, & hyperdulia eſt cultus, qui creaturis intellectualibus, ob ſanctitatem, & excellentiam tribuitur;* quia verò Deipara Immaculata eſt omnibus creaturis ſanctior, & excellentior; ei tribuitur adoratio hyperduliæ: immò nonnulli, vt refert Baſſolius in hac quæſtione addunt aliud membrum diuiſionis, nempe ſuperyperduliam, & quidem non incongruè; quia humanitati Chriſti ſecundùm ſe conſideratæ maior honor debetur,

quàm B. Virgini, cum ſit maioris excellentiæ ipſa Deipara, vt patet &c.

Not. 2. quòd duplex adorationis obiectum à Theologis, ſignanter à Scoto aſſignatur; alterum motiuum, alterum terminatiuum; primum eſt, quod nos mouet, & moraliter excitat ad exhibendam adorationem rei, quam colimus: ſecundum eſt, quod talem adorationem terminat; ſic in homine, quem propter virtutem colimus, virtus eſt obiectum motiuum honoris, & cultus illi exhibiti, homo autem eſt obiectum terminatiuum. Verùm fieri poteſt, quòd vnum, & idem ſit obiectum motiuum, & terminatiuum ſimul, quando nimirùm nos mouet ad exhibendam adorationem, & inſuper ſimul etiam adoratur, & ſic natura diuina ſe habet. Quare, cum quæritur, an Chriſtus adorari poſſit ſecundùm humanitatem; ſenſus difficultatis eſt; an humanitas poſſit eſſe obiectum motiuum adorationis latriæ, vel ſolùm obiectum terminatiuum.

I. Concl. Chriſtus quatenus Deus homo debet vnica adoratione adorari; Eſt de fide contra Apolinariſtas, & Neſtorianos. Prob. ex Scoto in 3. d. 9. vbi ſic docet. Cum quæritur an adoratio debeatur Chriſto ſolummodò ſecundùm naturam diuinam, dico, quòd ly ſolummodo, poteſt accipi dupliciter, ſcilicet cathegorematicè, vel ſynchategorematicè: primo modo concedo, quòd ſic; quia ſufficiens ratio ſummi adorabilis eſt in Chriſto conſiderato ſecundùm ſolam naturam diuinam; ſi autem teneatur ſynchategorematicè; tunc notat excluſionem ab vno extremo reſpectu alterius extremi: hoc etiam modo diſtinguo, quia, ſolummodò poteſt excludere aliquid vel à termino adorationis, vel à ratione adorandi; primo modo dico, quòd non ſolummodo ſecundùm naturam diuinam eſt Chriſtus ſic adorandus, quia à termino adorationis non debet excludi natura humana, quaſi ipſam includendo non poſſit totum adorari. Hoc dicit Damaſ. lib. 3. c. 8. *Chriſtus Deus perfectus, & homo perfectus, quem adoramus cum Patre, & Spiritu S. vna adoratione cum incontaminabili carne eius, non inadorabilem carnem eius dicentes; adoratur enim in vna Verbi hypoſtaſi, quæ eius hypoſtaſis facta eſt*; & pau ò poſt ſubdit, *Vnam perſonam Dei Verbi duabus ipſis reductis naturis*. In iſta auctoritate Damaſ. ly (cum) accipitur, prout explicat Doctor aſſociatiuè, non autem copula-

lati-

latiuè, vt ſit ſenſus. Adoramus Verb. cum carne, ideſt habens carnem ſibi vnitam, non autem cum carne, hoc eſt carnem adoramus, quaſi ſit præpoſitio copulatiua, & hoc conſiderando carnem, vt caro eſt, & non vt vnitam diuinitati; ſic ergo non debet excludi à termino adorationis caro, licèt ipſa non ſit ratio adorandi, hactenus Scotus, qui pergit declarare doctrinam exemplo de Regis purpura, qua idem Rex veſtitur; hæc enim adoratur eadem adoratione, qua Rex non cauſaliter copulatiue, quia purpura non poteſt eſſe cauſa adorationis; at Regi coniuncta aſſociatiuè adoratur cum ipſo Rege, in quo eſt cauſa adorationis. Item quando adoratur ſanctus, vel colitur ſapiens, non ſolùm colitur, & adoratur anima, in qua eſt ratio adorationis, ſed etiam adoratur eadem adoratione corpus totum, licèt corpus non ſit cauſa adorationis: ita pariter, licèt humanitas in ſe non habeat rationem adorationis latriæ; tamen quatenus iuncta Verbo D. in qua eſt ratio adorationis talis conſtituit vnum, & totum obiectum terminatiuum adorandum adoratione latriæ: eadem veritas comprobari poſſet Conciliorum definitionibus, & Sanctorum Patrum auctoritatibus; quas Recentiores plena manu producunt; ſed breuitatis cauſa eas omitto.

II. Concl. Humanitas Chriſti conſiderata præcisè ſecundùm ſuam excellentiam, & dona ſupernaturalia, quibus eſt diuinitùs ornata adorari poteſt adoratione hyperduliæ maiori tamen, quàm competat Deiparæ, quæ dici poteſt Superyperduliæ. Eſt Alenſ. p. 4. q. 2. D. Bonau. in 3. d. 9. q. 1. art. 1. Scoti ibidem q. 1. D. Thomæ p. 3. q. 25. art. 2. Richardi Almai. Henric. & ferè communis contra Suarez opinantem, humanitatem Chriſti vt ſic eſſe adorandam adoratione, quæ ſit latria; non quidem perfecta, quia hæc ſoli Deo debetur; ſed imperfecta, quæ tendit in illud, quod realiter terminatur ad Verbum: & contra Vaſquez negantem, humanitatem præcisè conſideratam ſecundùm ſe, poſſe vlla adoratione adorari.

Prob. Honor, & cultus ſacer debetur excellentiæ ſupernaturali, ſed humanitas vnita Verbo, ſecundùm ſe ſpectata, eſt omni excellentia creata condecorata; ergo &c. Sed non eſt digna adoratione latriæ, vt conſtat ex dictis; nequè duliæ communis Sanctis, quia eſt excellentia ſupe-

rior; ergo debetur ipſi adoratio hyperduliæ maioris, & eximiæ.

Arg. cont. 1. concl. Latria eſt ſeruitus Deo debita ratione ſummi dominij, iuxta D. Aug. ſed ſolus Deus, vt diuinam naturam habens, eſt huiuſmodi; ergo &c.

Reſp. argumentum tantùm concludere; quòd natura humana vnita Chriſto non ſit ratio motiua adorationis; non verò quòd non ſit terminus adorationis.

Arg. 2. Si Chriſtus ſecundùm quod homo eſt adorandus latria non ſolum ſecundùm quod homo; vel hoc eſt ratione naturæ in ſe, vel ratione vnionis ad Verbum; non ratione alicuius iſtorum, quia vtrumque eſt creatura, cui non debetur ſummus honor, ſicut nec ſummus amor, cum non ſit ſummum bonum; ergo &c.

Reſp. Chriſtum adorandum eſſe latria ſecundùm quòd humanitas eſt vnita hypoſtaticè Verbo; eſt enim vna Perſona duas naturas habens; ac proindè eſſe poteſt terminus adorationis totalis, vt ſupra explicatum eſt; hinc gloſſa ſuper illud Pſal. *Adorate ſcabellum pedum eius Caro, inquit Chriſti. ſine omni dubio adorari debet, quia nullus comedit carnem Chriſti, niſi priùs adoret*: Hinc patet, quòd Sacramentum Euchariſtiæ adorandum eſt adoratione latriæ; idquè tam hoſtiæ conſecratæ, quàm vini conſecrati, vt dogmaticè tradit *Trident ſeſſ. 13. c. 5. Simili adoratione adorandum erat corpus Chriſti in triduo mortis; quia adhuc erat Diuinitati vnitum.*

Arg. probando, quòd Chriſto ſecundùm quòd homo debeatur latria. Latria debetur Deo ratione ſummi dominij in creaturas, quod non eſt perfectio intrinſeca eius; quia non eſt dominus ab æterno, ſed in tempore ex D. Aug. 5. de Trin. ergo videtur, quòd Deo tribuatur latria propter aliquod bonum creatum communicatum in creatione; ſed Chriſtus quatenus homo per ſuam redemptionem communicauit homini maius bonum, quàm in creatione; quia communicauit nobis bona gratiæ, & gloriam, quæ ſunt longè maiora bonis, & donis naturæ; ergo debetur Chriſto ſecundum quòd homo adoratio latriæ.

Confirmatur. Etenim Chriſto inquantùm homo debetur maior reuerentia, quàm deberetur puro homini redemptori; ſed ſi humanitas Chriſti fuiſſet relicta proprio ſuppoſito, & ſic redemiſſet nos, fuiſſet ſibi debitus cultus hyper-

perduliæ; qui eſt maior duliæ; ergo Chriſto in quantùm hominì debetur latria.

Reſp. ex Scoto, quòd duplex poteſt aſſignari ratio latriæ; prima intrinſeca bonitas ſola ipſius Dei; & cum hæc ſit vniuoca, quotquot beneficia Deus creaturæ conferat, non ob id ſunt plures rationes adorandi Deum, & hoc modo argumentum nil probat; quia natura illa, in qua Chriſtus exercuit opera redemptionis non habet infinitam bonitatem; etſi per illam maximum beneficium nobis ſit collatum; ac proinde nec latria illi debetur. Altera latriæ ratio aſſignari poteſt non ſolùm bonitas ipſius Dei intrinſeca, ſed ipſa vt communicans ſe ipſi adoranti, conferens illi maximum bonum propter ſe, non propter retributionem: & hoc modo verum eſt, quòd latria debetur non tantùm ob creationem, ſed etiam ob redemptionem; nempe illi, qui principaliter nos redemit effectiuè; cuiuſmodi eſt tota Trinitas: Chriſtus autem inquantùm homo, etſi fuerit Redemptor, tantùm meritoriè nos redemit; ideoquè non debetur Chriſto vt homini latria.

Cæterùm verum eſt, quòd humanitati Chriſti; eò quòd redemit nos debetur maior reuerentia, quàm ſi fuiſſet relicta proprio ſuppoſito; talis autem maior cultus non eſt latriæ; ſed hyperduliæ, vel ſuperhyperduliæ, & hæc duplici ratione; primò quia plenus gratia; ſecundò quia Redemptor; ſicut & latria duplici cauſa debetur Deo; & quia creator, & quia Redemptor; licèt enim ad maius ſummo nemo obligetur, ſeu obligari poſſit; attamen ad idem multipliciter obligari valet; vt conſtat de Religioſo, qui dum initiatur ſacris obligat ſe ad caſtitatem ſeruandam; eſtò eſſet antea alia obligatione adſtrictus.

Quæres. An Sanguis Chriſti in triduo mortis adorari debuiſſet latria.

Reſp. Si teneamus, Sanguinem non fuiſſe in triduo ſeparatum à Diuinitate; indubiè adorandus eſt latria; ſi autem oppoſitam opinionem ſequamur; tunc videtur dicendum; quòd ſit adorandus vel adoratione hyperduliæ; vel adoratione latriæ reſpectiuæ: Qua ratione etiam dicendum eſt; quòd ſi aliqua pars ſanguinis Chriſti non fuerit reaſſumpta in reſurrectione, adoratione latriæ reſpectiuæ eſt adoranda, quia, etſi non ſit amplius Diuinitati vnitus, ad reſpe-

ctiuam tamen latriæ adorationem ſufficit, fuiſſe ſemel vnitum. Idem dicendum de ſanguine miraculoſo, qui emanauit ex aliqua imagine Chriſti, quòd etiam latria reſpectiua ſit adorandus; quia, licèt non fuerit vnitus hypoſtaticè Verbo, tamen repræſentat ſanguinem illum pretioſum, qui modò vnitur Verbo; ita ſentit Auctor Poliant. Seraphicæ; qui pari ratione diſcurrit de ſanguine, ex aliqua hoſtia conſecrata miraculosè emanato, ac de ſanguine emanato à corpore Chriſti, iuxta opiniones præfatas, qui abſoluta, vel reſpectiua latria adorari debet.

Quæres 2. An liceat adorare hominem tamquam imaginem Dei.

Reſp. negatiuè ex doctrina Scoti. Siquidem homo eſt imago Dei inuiſibilis ſub forma inuiſibili, non autem viſibili; repræſentans Trinitatis, & Dei imaginem ſecundùm potentias Animæ; nempe intellectum, voluntatem, & memoriam. Nihilominus D. Thom. p. 3. q. 25. art. 3. putat, id non eſſe intrinſecè malum; quia homo eſt factus ad imaginem Dei; non tamen expedire, quia homo non eſt imago Dei inſtituta ad oſtendendum prototypum, ſed ad demonſtrandam excellentiam hominis inter alias creaturas.

QVÆ-

Vtrum Chriſti Crux ſit adoranda adoratione latriæ.

NOt. Quòd adoratio quælibet, ſiue ſit latriæ, ſiue duliæ, ſiue hyperduliæ, duplex eſt; nempe abſoluta, & reſpectiua. Prior eſt illa, quæ abſolutè, & abſque alio reſpectu conuenit naturæ intellectuali, & rationali propter ſuam infinitam, vel finitam bonitatem, dominium, vel excellentiam; quæ per ſe digna eſt honore, reuerentia, & cultu in eo, in quo reperitur. Poſterior, ideſt adoratio reſpectiua, eſt illa, quæ tribuitur rebus ratione carentibus, quæquè per ſe intrinſecè non habent vllam bonitatem ſanctitatem, & excellentiam, ſed ſolum quatenus aliquem reſpectum, vel inſtrumenti, vel contactus, vel exemplaris ad aliquam perſonam increatam, vel creatam, in qua eſt bonitas, & excellentia ſupernaturalis; ideòquè adorari poteſt ſola adoratione reſpectiua, & in ordine ad prototypon, & ſecundùm id, quod repræſentant, vel dicunt ordinem, etiam competit eis diuerſa adoratio reſpectiua; vndè imago Dei, & Chriſti adoranda eſt latriæ cultu, B. Virginis, hyperdulia, aliorum Sanctorum dolia.

I. Concl. Crux, in qua mortuus eſt noſter Saluator adoranda eſt latria reſpectiua, & eadem adoratione adorari debent etiam aliæ cruces; diuerſo tamen modo; nam duplici titulo crux, in qua mortuus eſt Redemptor adoratur latria reſpectiua; primò, quia repræſentat Chriſtum crucifixum, & mortuum in ea; ſecundò ratione contactus corporis Chriſti, & ſanguine pretioſo perluſtrata. Prior adoratio eſt communis omnibus crucibus; hinc eſt, quòd particulæ alterius crucis poſtquàm amiſerunt crucis figuram adorari nequeunt; quia cum non ampliùs repræſentent Chriſtum crucifixum, & mortuum, non habent cauſam adorationis; verùm particulæ crucis, in qua mortuus eſt Chriſtus, eſtò perdiderint formam crucis adorantur latria reſpectiua ratione contactus Chriſti: & hoc titulo contactus adorantur latria reſpectiua claui, ſpinæ, flagella, & quæcumque alia à Chriſti contactu ſanctificata eadem adoratione adoranda ſunt; quandoquidem cuncta iſta habeant reſpectum repræſentatiuum Chriſti, vel paſſionis eius, in

cuius memoriam ea veneramur, ita Theologi omnes, & firmatur praxi Eccleſiæ catholicæ contra quoſdam hæreticos negantes debitam adorationem Cruci; *& de fide definitur in 7. Synodo Oecumenica actione 7. vbi dicitur, honorem, & adorationem deferendam eſſe typo veneranda, & viuificantis crucis Chriſti*; ergo ſi typo defertur honor, tantò magis ipſi Cruci Chriſti. Ex quo rectè infertur, quòd ſpongia, præſepe, veſtes, capilli, & alia contacta à Chriſto latriæ reſpectiuæ colenda ſunt.

Dices fortaſſe etiam Aſina, ſuper quam Chriſtus ſedit; terra, quam calcauit; manus, quæ alapam Chriſto inflixit, poſſent, & deberent adorari, ſi omnia à Chriſto tacta ſunt adoranda, quod apparet manifeſtum abſurdum; ergo ratione contactus non eſt res vlla adoranda.

Reſp. ex Damaſ. lib. 4. cap. 12. neg. quòd in argumento infertur; quia non omnia contacta à Chriſto ſumpſerunt ex contactu rationem adorationis, ſed ſolùm ea, quæ habent aliquam circumſtantiam, qua ſingularis Chriſti actus aliquis, vel effectus pertinens ad ſalutem noſtram, vel Patris honorem, ipſum Redemptorem repræſentare poſſunt tamquàm prototypon alicuius ſacræ actionis; vndè terra à Chriſto calcata, quæ etiam ab alijs calcabatur, non venit adoranda; neque Aſina, etſi alijs vſibus deputata non foret; tum ex indecentia obiecti, tum etiam, quia ille contactus non fuit ordinatus ad repræſentandum Chriſtum, & tantùm abeſt, quòd manus impia crudeliſſimi hominis ſit adoranda; immò execranda ob impietatem contractam: Inſuper nec infirmi, quos tetigit Ieſus, quia talis contactus ordinatus fuit ad infirmi vtilitatem; etſi remotè omnis huiuſmodi actio reduci poſſit ad Chriſtum Redemptorem, tum quia vel infirmi habuerunt aliquam propriam excellentiam; ob quam digni facti ſint ab Eccleſia adorationis cultu, vel non; ſi ſic, ſequitur, adorandos eſſe adoratione abſoluta duliæ; ſi non, digni non ſunt adoratione. Qua ratione etiam B. Virgo Deipara, etſi in vtero portare meruerit Chriſtum, non eſt adoranda latria reſpectiua, cum in ſe habeat propriam ſanctitatem, & excellentiam, ratione cuius eſt adoranda cultu hyperduliæ; tum quia neque B. V. neque Apoſtoli; neque S. Ioſeph fuerunt contacti à Chriſto ſub aliqua ratione particulari; adeò vt habeant

beant rationem reſpectiuam ad Chriſtum tamquàm ad prototypon, in qua poſſit fundari ratio adorationis latriæ; tum quia talis adoratio potuiſſet eſſe in multis occaſio idololatrandi.

Arg. cont. concl. nempe, quòd ſola crux Chriſti, & non aliæ ſint adorandæ Latria reſpectiua. Quia ſi ſic ſequeretur, quòd ſicut quælibet crux eſt adoranda latria; ita pari ratione quælibet lancea, quilibet clauus, & cætera inſtrumenta paſſionis eſſent eadem adoratione colenda.

Reſp. neg. ſequelam illatam; ratio eſt; quia latum diſcrimen eſt inter crucem, & cætera inſtrumenta paſſionis: Siquidem quælibet crux poteſt repræſentare Chriſtum; at alij claui, aliæ lancæ, & ſimilia non ſunt repræſentatiua immediata Chriſti crucifixi, & noſtræ ſalutis; hinc eſt, quòd etiam permittitur, vt alijs vſibus inſeruire poſſint, quod nullo modo permittitur de Cruce. Cæterùm ſi claui, flagella, & alia huiuſmodi inſtrumenta iuncta ſint Cruci, vt à fidelibus fieri ſolet, vel in aliquo alio actu proximè repræſentatiuo Paſſionis, tunc adorari poſſunt latria, vt paſſim docent Theologi, & ſignanter Aretinus, & Fauentinus.

QVÆSTIO III.

Quinam cultus debeatur Sanctis; atque eorum Imaginibus, & Reliquijs.

NOt. 1. Quòd *imago eſt rei exiſtentis ſimilitudo ad inſtar illius expreſſa*; dicitur rei exiſtentis; quia per hoc diſtinguitur ab Idolo, quod eſt ſimilitudo numinis non exiſtentis; differt pariter imago ab exemplari, nam in rigore non ſunt idem. cum exemplar ſit id, ad cuius imitationem aliud exprimitur; ac proinde exemplar impropriè vocatur imago, vndè dicitur Gen. 1. *Faciamus hominem ad imaginem*: Itaquè imago eſt quid indifferens, ad ſignificandam nempe rem profanam, vel ſacram, de qua hìc loquitur. Imago autem ſacra conſiderari poteſt duobus modis: primò in actu exercito, quatenus actualiter repræſentat ſuum prototypon: 2. in actu ſignato, quatenus habens reſpectum ad prototypon, ſed actualiter illud non repræſentans animo adorantis: priori modo adorationis obiectum, *quod*, partiale primarium

rium eſt prototypon, ſecundarium eſt imago. Poſteriori modo adorationis obiectum totale eſt typus, ſiue imago: vndè in primo ſenſu imago colitur eodem numero cultu, quo prototypon, ideſt materiali reſpectiuo ipſa imago; formali autem, & terminatiuo, & abſoluto prototypon: *idquè voluit explicare ſeptima Synodus, vt paſſim aduertunt Doctores quando ait honor Imaginis tranſit ad prototypon, & Tridentina ſeſſ. 25 ait. Honor qui imaginibus exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repreſentant:* in ſecundo vero ſenſu obiectum totale, *quod*, adorationis eſt imago, in qua ſiſtit adoratio, quæ à ſeptima Synodo vocatur honoraria, eſtquè inferior adoratione prototypon: *vndè adoratio honoraria eſt cultus rei inſenſibilis exhibitus ob intrinſecam excellentiam, ad quam habet reſpectum; huius adorationis eadem Synodus obiecta enumerat Scripturam Sacram vaſa Sacra, Sacramenta & Imagines in actu ſignato; appellaturquè imago ipſa res ſacra, quatenus ſacris vſibus eſt deputata.*

Not. 2. Quòd circa Imagines tres referuntur opiniones. Prima eſt hæreticorum qui Eccleſiæ catholicæ infenſiſſimi inimici non ſolùm imaginum ſacrarum cultum temerè impugnant, ſed eas à Baſilicis, & locis ſacris, tamquam Idola eſſe tollendas, atque infringendas aiunt, ideoquè tales hæretici imaginum impugnatores appellantur Iconoclaſtæ, vel Iconomachi: 2. opinio fuit eorum, qui imagines admittebant, nec penitùs eſſe ab Eccleſia tollendas, & abolendas, negabant tamen illis omnem honorem, & venerationem, dicentes, deberi eas ſeruari, & exponi ad ſpectaculum, nempe ad conſeruandam diuinorum beneficiorum memoriam, aut Sanctorum ſanctitatem, necnon ad præclara geſta repræſentanda, quam opinionem ſecuti ſunt etiam nonnulli Catholici, non tunc iudicati velut hæretici, vt refert Fraſſen tom. 3. in hac diſp. de Imaginibus: 3. denique opinio, immò ſententia Catholica eſt omnium Theologorum, & Sanctorum Patrum, aſſerentium non ſolùm admittendas eſſe Imagines, ſed etiam debito cultu venerandas, ac proinde licitè, & religioſè ſacræ imagines in Templis, & Eccleſijs catholicorum collocantur, & adorantur, eadem adoratione, ſed reſpectiua, qua coluntur Sancti: ſit igitur.

I. Concl. Deipara Immaculata hyperdulia; ceteri omnes Sancti, & Angeli beati dulia adoratione ſunt colendi: hæc

hæc conſtat ex hactenùs dictis; ſicut enim Sanctorum intrinſeca excellentia charitatis ſupernaturalis, ſanctitatis, & beatificæ viſionis eſt participatio excellentiæ diuinæ; ita & duliæ, ac hyperduliæ eſt participatio religionis: Immò cultus Sanctorum erit virtualis, & implicita religio, ſi intrinſeca illorum excellentia conſideretur tamquam aliquid Dei, qui in illis, vt filijs, amicis, & hæredibus cœleſtis vitæ relucet excellentia diuina, vt explicatum eſt in tract. de Religione: Quòd ſi ijdem Sancti colantur ob increatam excellentiam; ita vt cultus formalis, & abſolutus non terminetur ad ipſos, ſed per ipſos ad Deum, erit actualis, & expreſſa religio.

II. Concl. Sacræ Imagines Chriſti, & Sanctorũ dignæ ſunt aliqua adoratione, & veneratione; nempe reſpectiua proportionaliter ad excellentiam perſonæ, quam repræſentant: Hæc eſt de fide determinata *in ſeptima Synodo Concil. Florent. ſeſſ. 5. & nouiſſimè in Concil. Trid. ſeſſ. 25. his verbis. Imagines porrò Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in Templis præſertim habendas, & retinendas, eiſquè debitum honorem, & venerationem impertiendam; non quòd credatur, ineſſe aliqua in ijs diuinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ*; & paucis interpoſitis; *Sed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illa repræſentant*: & deinde ſubdit idem Trident. rationem, cur pingi, & effigiari debeant, ac eis honor deferatur. *Et D. Bonau. in 3. d. 9. art. 1. q. 2. egregiè explicat vtilitates omnes; quæ populo chriſtiano deriuantur ex Imaginum vſu; non enim, inquit Seraph. Doct. imaginum introductio fuit ſine rationabili cauſa. Introductæ enim fuerunt propter triplicem cauſam, videlicet propter ſimplicium ruditatem, vt ſimplices, qui non poſſunt legere, in huiuſmodi ſculpturis apertiùs poſſint ſacramenta noſtræ fidei legere: 2. propter affectus tarditatem vt homines, qui non excitantur ad deuotionem, audientes ea quæ Chriſtus pro nobis paſſus eſt, ſaltem excitentur, dum ea in ſculpturis, & picturis tamquàm præſentia oculis corporeis cernunt: plus enim excitatur affectus noſter per ea, quæ videt, quàm per ea, quæ audit: 3. propter memoriæ labilitatem, quia ea, quæ audiuntur ſolùm, faciliùs traduntur obliuioni, quàm ea quæ videntur: Quòd ſi Scipio Africanus dicebat, nullo ſe magis animari ad virtutem, quàm maiorum exemplis, quorum imagines in foro depictas videbat, teſte Plutarcho in eius vita; quantò magis Chriſti, ac Sanctorum effigies nos prouocare poſſunt ad eorum virtutes ſectandas?* Ex

dictis

dictis colligitur quid ſit dicendum de nomine Ieſu, & B. Virginis. Siquidem ſecundùm ſe conſideratis debetur eis ſimplex veneratio, vtpotè ordinata ad ſacrum vſum, & ſignificationem rei ſacræ, ideòquè irreuerenter illà nominans, ſeu tractans peccat contra Religionem. Si autem obiectum venerationis ſtatuatur nomen Ieſu cum ipſo ſignificato, debetur adoratio: & in hoc ſenſu D. Bernardinus Nominis Ieſu præco inclytus hoc ſacratiſs. Nomen tabellis inſculptum, forma, qua hodiè depingi ſolet, populò venerandum, atque etiam adorandum proponere ſolebat, quo arctiùs amor, & reuerentia huius ſacratiſs. Nominis fidelibus infigeretur. Quare à quibuſdam ęmulis ex inuidià accuſatus coram Martino V. glorioſam ſemper victoriam reportauit: de quo Vuading. in Annal. Min. 1420. 1427. & 1432.

III. Concl. Reliquiæ reſpectiua adoratione colendæ ſunt in eodem genere, in quo colitur Sanctus, cuius ſunt reliquiæ; hinc reliquiæ Chriſti adorandæ ſunt latria reſpectiua, B. V. hyperdulia reſpectiua, & Sanctorum dulia reſpectiua: Eſt de fide definitum *in Concil. Carthagin Mogont. & Trident. ſeſſ 23. contra quoſdam hæreticos, qui nedum aſſeruerunt Sanctorum reliquias nullo honore eſſe venerandas, ſed earum cultum deſpexerunt, & damnarunt*. Nomine autem reliquiarum intelliguntur corpora, oſſa, veſtes, & ſi quæ Sanctorum corpora, vel reliquias inuoluerunt, vel adhibita ſunt ab ipſis Sanctis cauſa actionis honeſtæ, vel ſacræ; hinc confunditur perfidia, nedum antiquorum, ſed etiam recentiorum hæreticorum, præſertim VVicleff. Lutheri, & Caluini, negantium, honorem præbendum reliquijs Sanctorum: Neq; talis cultus eſt nouus in Dei Eccleſia, ſed deducitur euidenter, etiam ex veteri teſtamento, nam Eccleſ. cap. 49. dicitur de oſſibus Ioſeph: *Oſſa ipſius viſitata ſunt quia nimirum Ioſeph, Gen. 50. dixerat. Viſitabit vos Deus aſportate oſſa mea vobiſcum; & ibidem Eccleſ. de duodecim Prophetis dicitur. Et duodecim Prophetarum oſſa pullulant de loco ſuo*. Dicuntur autem oſſa pullulare, iuxta explicationem receptam, quia poſt mortem in memoria, & honore viuunt ob fidem, miracula, prophetias, & vitæ ſanctitatem; *& lib. 4. Reg. cap. 13. per oſſa Eliſæi ſuſcitatus fuit mortuus*: & in nouo teſtamento eadem veritas habetur per traditionem Apoſtolicam, & in Act. Apoſt. Su datia

Paulli

Pauli ad infirmos deferebantur, & alia plura in 7. Synodo recenſentur preter ea, quæ Recentiores Scriptores catholici in confirmationem cultus Imaginum, & Reliquiarum abundè referunt, & producunt.

Arg. cont. 2. concl. ab hæreticis; adducendo illud Exodi 20. *Non facies tibi ſculptile &c.* vndè aſſerunt Caluiniſtæ, & Lutherani, eſſe interdictum omnium imaginum cultum; ergo imagines, ſimulachra, & huiuſmodi non ſunt vlla adoratione colenda. Reſp. omiſſis omnibus alijs reſponſionibus. Deum prohibere, ne vlla imago, & ipſius Dei pro Deo colatur, ac ſi in ea reuerà numen, aut diuinitas aliqua aut virtus, & poteſtas ineſſet. Inſuper, vt nulla imago, ſiue effigies falſorum Deorum honoretur gentilium more; non tamen prohibetur cultus imaginum Dei, & Sanctorum propter id, quod referunt, & repræſentant; ita Lyran. Caſtro &c.

Arg. 2. In 7. Synodo generali, quæ eſt Nicæna 2. act. 7. cum ex inſtituto contra Iconomachos diſputaretur de veneratione, honore, & cultu ſacrarum Imaginum, definitum eſt. *Crucem, & imaginem Chriſti non coli cultu latriæ, ſed alia inferiori honoraria veneratione, qua res ſacræ coluntur, nempe Codex Euangeliorum, & vaſa ſacra*; Ex quo deducitur, cultum latriæ Cruci denegari, & imagini Chriſti; ergo tantò minùs adorandæ ſunt Sanctorum imagines.

Reſp. Quòd Synodus non loquitur de cultu, qui debetur Cruci, prout repræſentat Chriſtum crucifixum; ſed de cruce, vt eſt de tali materia ſumpta; nec in hoc ſenſu pariter de imagine decernit; quia certum eſt, quòd nullius cultus ſunt capaces, ſed loquitur de honoraria veneratione, qua coluntur cæteræ res ſacræ; Euangelium, S. Scriptura vaſa Sacra, vt ſupra innuimus; non tamen negat, immò decernit, Crucem, & imaginem reſpectiuè ad prototypon eſſe adorandas cultu latriæ.

Arg. cont. 3. concl. Reliquiæ plerumque Sanctorum corrumpuntur, & traſeunt ad aliud eſſe ſubſtantiale; fit namque reſolutio vſque ad materiam primam in corruptione ſubſtantiali, vt conſtat ex dictis in Philoſophia; ergo cum in illis nil ſubſtantiæ Sancti remaneat, non debent vllo modo adorari. Reſp. Quamuis aliquæ Reliquiæ in puluerem reſoluantur, & nil ſubſtantiæ formaliter Sanctorum rema-

neat,

neat, manent tamen materialiter, & ſemper ſunt partes corporis illius, etſi remotè, & pertinent ad corpus Sancti; qua ratione in reſurrectione reaſſumentur diuina prouidentia ab eodem Sancto, ſicut etiam quilibet alius homo ſuum corpus proprium reaſſumet: Igitur cum ſemper retineant reſpectum ad corpus Sancti; ſeu ad animam Sanctam, quæ illud ſanctificauit, conſequens eſt, vt ſemper debeatur Reliquijs debitam venerationem.

Arg. à Caluino, Luthero, & alijs hæreticis. Eccleſia non debet admittere adorationem eorum, in quibus imminet magnum periculum ſuperſtitionis, impietatis, & Idololatriæ, ex eo, quòd homines rudes, & ignari corpora, & reliquias Sanctorum adorant, & eò vel maximè, quòd maxima pars reliquiarum eſt falſa, vel ſaltem poteſt contingere, quòd adoretur pro reliquia alicuius Sancti, & ſit hominis impij, & damnati. vndè diebat D. Aug. lib. de opere Manichæorum cap. 28. *eſſe quoſdam Monachos, qui huc, & illuc vagantur circumeuntes prouincias; & eſse alios, qui membra martyrum (ſi tamen martyrum) venditant*; ergo vt tollantur huiuſmodi ſuperſtitiones non debent adorari.

Reſp. Eccleſiam ſemper prouidiſſe, vt rudes, & ignari inſtruantur, ſicut etiam ſemper prouidit, ne falſas, & adulterinas reliquias quis adoret, & præſertim id præſtitit *Trident ſeſs.* 25. *dum præcipit, eas reliquias fidelium venerationi non eſse exponendas, niſi priùs Epiſcoporum iudicio, aut legitimè approbentur*, quod maximo rigore ſeruatur. Cæterum falſum eſt, quòd adorentur reliquiæ falſæ pro veris, ſi loquatur de Reliquijs, quæ publica auctoritate exponuntur, vndè D. Aug. loc. cit. exagerat adorationem reliquiarum, quæ priuata auctoritate exponuntur, & circumferuntur. Quòd ſi his non obſtantibus contingeret adorari aliquas reliquias ſuppoſititias, indè tamen non eſſet damnanda circa eas fidelium veneratio, quæ in hoc caſu eſſet ſolùm ſuperſtitio materialis, non verò formalis; neque ob id reliquiæ huiuſmodi adorandæ ſunt ſub conditione, ſed abſolutè, ſecùs autem de priuatis, quia cum authenticè de illis non conſtet, venerari debent ſub conditione, eſtò haberetur aliqua probabilis coniectura. Solent inſuper hæretici nobis obijcere nonnullos textus veteris teſtamenti, quibus à Deo prohibetur, ne adorentur corpora etiam Sanctorum hominum, præſertim, &

ſertim, quòd Deus corpus Moyſis abſcondit, ne Iudæi illud venerarentur: quibus reſpondetur; ideò tales adorationes Deum Iudæis interdixiſſe, quia erat nimis procliuis ille Populus ad Idololatriam. Non ita Populus christianus, qui diuina gratia illuminatus idololatriam abhorret, & Deum verum adoratione latriæ colit, Sanctoſquè veneratur, quatenus in illis participatiuè relucet diuina bonitas, & Sanctitas, cui honor, & gloria in ſecula ſeculorum Amen.

Omnia, quæ in hac Parte Tertia continentur humiliter ſubijcio iudicio, & cenſuræ Eccleſiæ Catholicæ.

FINIS.

ERRATA.	CORRECTA.		
aſſociates	aſſociatas	pag. 24	verſ. 4
& inueni	& inuocaui	27	38
& ſignificatas	ſignificatis	33	18
rationalis	vniuerſalis	52	35
materiaris	materialis	60	26
diminui	eliminari	77	27
abiurganda	abroganda	78	8
huiuſquè	hucuſquè	79	3
dicitur	datur	90	9
Rege	Rex	98	38
iuſtos	iſtos	99	11
conuincta	coniuncta	100	27
appelletur — IX. Generalis	appelletur generalis	142	20
motio paſſiua	motio poſitiua	169	14
id quod	aliquod	173	15
agitari	Sagittarij	224	14
pactam	partam	280	14
inualidè	validè	375	15
inualida	valida	387	1
ſubeat	non ſubeat	392	5
ſdecies	ſpecies	445	18
operationum	operariorum	448	22
deeat	debeat	476	13
libellarius	libellaticus	488	25
vel aggregationem	vel Congregationem	572	21
ait Scotus dictum eſt	ait Scotus durum eſt	593	37
debendi	delendi	710	2
perſonam denotat	naturam denotat	729	5
mortalis	immortalis	789	36
non	non ſtant	831	38
vnitas	vnita	858	4
imperatoria	impetratoria	866	33
Cancellus	Cauellus	893	22
præciſa	præuiſa	895	30
aliàs	alius	911	15
conſequenter	conſequente	932	16
Innoc. XI.	Clemens X.	946	2

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITT. EMANUELE

Digitized by Google

5-2